12
9. G
2

Tomo Unico

XII f 52

14. 15. f. 9

Digitized by Google

PHYSICA
SPECULATIVA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PHYSICA
SPECULATIVA

Quatuor Diſputationibus diſtincta.

In Prima. Quid, & quotuplex ſit Ens Naturale. Ejus Cauſæ intrinſecæ quid, quæ, quales, quot ſint: & quæ, quales non ſint: ubi Athomiſtarum, & Sociorum Sententia per otium expenditur.

In Secunda. Cauſæ extrinſecæ in genere, Cauſalitates, Actiones, Creatio, Eductio, Prærequiſita, Requiſita, Conditioneſque aperiuntur.

In Tertia. Cauſæ extrinſecæ in particulari, ut Cauſa Prima, Cauſa Secunda efficiens, Cauſa Finalis, Cauſa Exemplaris diſputantur.

In Quarta. Tempus Intrinſecum, Tempus Extrinſecum, & Æternitas. Nec non Locus Intrinſecus, Locus Extrinſecus, Vacuum &c. in Diſputationem vocantur.

AUTHORE

JOANNE DE ULLOA MADRITANO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Typis Jo: Franciſci Chracas, propè S. Marcum in viâ Curſus M DCC XIII.

Superiorum permiſſu.

Venerabilibus, ac Admodum Reverendis Provinciæ Romanæ Societatis Jeſu

PATRIBUS

Comitia Provincialia in Urbe habentibus

Præſidente Patre Admodum Reverendo

P. GABRIELE MARIA DE GRASSIS

Ejuſdem Provinciæ Præpoſito

JOANNES DE ULLOA MADRITANUS
Ejuſdem Societatis Theologus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

O. C. D.

POST conſecrata tria priora volumina Beatiſſimo Adoleſcenti Aloyſio Gonzaga. Poſt quartum R.A.P.N. in Chriſto Patri Michaeli Angelo Tamburino PrępoſitoGenerali Dicatum: cui, niſi Congregationi veſtræ, Reverendi Admodum Patres, primam Societatis Provinciam repręſentantes, quintum hoc debebam volumen, in quo Phyſicæ ſpeculativæ difficultates expediuntur, & poetica quædam Naturæ ſyſtemata non ſupernè infuſa, ſed humanitùs excogitata, quæ à veſtris ſemper exularunt, & exulent Scholis, refelluntur? Veſtra eſt arbor, veſter eſt fructus, qui in ſolo veſtro editur. Et ſanè priuſquàm Pyrenæos repetam, publicum hoc monumentum erigere decrevi mei erga Vos grati animi, ob ſummam humani-

ta-

Digitized by Google

tatem; honoremque meritis longè majorem, quem per novennium inter Vos, & à Vobis expertus ſum.

Multis, eiſque gravibus adduci poteram rationibus, ut Veſtræ potiùs, quàm aliûs Provinciæ nomine has lucubrationes, & fulcirem, & nobilitarem. Ex ea namque, & intra eam Supremus Ordinis totius Magiſtratus (& quidem ex Sanctiſſimi Fundatoris lege) legem indicit cunctis aliis Provinciis. Primus quaſi characteriſticus Veſtrorum Profeſſorum Præpoſitus, Sanctus idem Ignatius fuit. Ignatii ſanctitatem, supernèque illapſam Prudentiam altus ille excepit Theologiæ Fluvius Laynez, notum Tridentinis Patribus nomen. Doctrinam Laynii ſubſecuta eſt Heroica Sanctitas Franciſci de Borgia. Super maria igitur Sanctitatis, ac Doctrinæ fundavit Deus Provinciam Veſtram. His ſucceſſerunt, ſerie non interruptâ, ſi non ſemper ex Vobis, at certè inter Vos ſemper, quotquot Præpoſiti Generales manipulos, cohortes, legiones, phalanges, & exercitus Societatis Jeſu gubernarunt. Quo factum eſt, ut Veſtrorum tantùm Profeſſorum Præpoſitus, & Caput ſit, ex quo nervi deſcendunt totius hujus corporis, & cor ſit vitales diſpertiens ſpiritus omnibus, & ſingulis membris. Fruimini ergo, Patres plurimùm Reverendi, in regione veſtra capite, & corde Societatis Jeſu. Hoc non leve, quamvis domeſticum. Illud majus videtur, quia publicum. Nimirum litterarii Veſtri Proceres (ex quibus Bellarminus, & Pallavicinus supernè juſſi ſunt, quia non licebat aliter, ſacram purpuram induere, ut ſuper Candelabrum poſiti lucerent omnibus, *qui in domo ſunt*) in Aula ſplenduerunt, & ſplendent, ubi, exulante Marte, regnat Minerva, cùm aliarum Provinciarum Heroes doctrinas effundant ſuas, ubi non ita auditur Minerva, quia furere, ac tonare ſolet Mars. Inde jugis illa, antiqua, & præſens Summorum Pontificum

di-

dignatio utendi operâ, eruditione, atque ſtudiis veſtris ad multas ſacras ſuas ſtabiles Congregationes formandas, & roborandas, quæ totius Eccleſiæ regimini univerſali invigilant.

Neque hoc ſufficiebat ſplendori, quem Provinciæ Veſtræ Altiſſimus præfinierat. Sed miſit inſuper æterna Sapientia, & vocavit ad hanc arcem Religionis, ad hęc mœnia Fidei noſtrę pleroſque ex primariis quondam noſtris Doctoribus; ut qui diſperſi regiones alias nobilitabant, in unum collecti Romanam ſolam inſignirent. Hìc Cardinales Toledo, Bellarmino, Lugo, Nidardo, & Pallavicino. Hìc Maldonado acer, hìc Perèr Regni Valentini decus, hìc locuples Cornelius, hìc Juſtinianus profundus, hìc Sà, hìc Mariana arcana Sacræ Scripturæ pandiderunt. Hìc Senex Azòr, in quem *Adiutoris* nomen bellè cadit, Regni Murciani honor. Hìc pugnaciſſimus Vaſquez, Eximius Suarez, Venerabilis Tuccius, Gravis Valentia, Perdoctus alter Juſtinianus, Subtilis Arrubal, Ariſtotelicus Mauro, & incliti Alii pares, vel ſuppares Viri Theologiam explicuerunt. Hìc Clavius, & Kircherus Matheſim propagarunt, Bibliothecas locupletaverunt. Hìc Perpinian, altera Valentiæ gemma, redivivum oſtendit Ciceronem. Famianus Quintilianum, & Curtium Terris reſtituit. Sed Humana hæc. Illud maximum, ſublime, Cœloque excelſius, quòd duo ea Virginei pudoris lilia, Stanislaum, & Aloyſium in veſtro Viridario plantaverit Deus. Vobis credita ſunt duo illa pignora cœleſtia. Ex viſceribus Provincię Veſtræ par illud Angelorum aſcendit in Cœlum, ut ex Cœlo ad altaria noſtra opitulatum nobis deſcenderet.

His, inquam, rationibus, plurimùm Reverendi Patres, adduci poteram, ut ſub nomine veſtro opellam hanc publicæ luci mandarem. Sed eſt alia vicinior, quæ

me-

me movet, ratio. Curſus hic Philoſophicus utilitatem maximè ſpectat Juventutis ſcholas noſtras frequentantis, quam de his, quę in ſingulos annos humana ingenia ad favorem veritatis, aut falſitatis excogitant, edoctam eſſe oportet. Nulla ex omnibus Societatis Jeſu Provinciis tot, tamq; numeroſa, atque Reipublicæ Chriſtianę proficua Collegia lectiſſimæ Juventutis excolit, ut Romana Veſtra Provincia. Collegium Illyricum, quod decem Archiepiſcopos, tredecim Epiſcopos, ſex infulatos Abbates, duos ſupra viginti Generales Apoſtolicos Vicarios Ortodoxis dedit, ſub veſtra domeſtica diſciplina eſt, ſub veſtro Magiſterio Humanitatis, Philoſophiæ, ac Theologiæ. Collegium Syriacum, ſive Maroniticum, quod tres Orientales Patriarchas, quindecim Archiepiſcopos, & alios quindecim ſingulari doctrinæ, atque Religionis laude conſpicuos, Paleſtinæ præſtitit, ſub veſtra ſimili diſciplina, veſtro ſimili magiſterio eſt. Collegium Græcorum, ex quo ſexdecim Archiepiſcopi, viginti tres Epiſcopi, centum, & viginti alii Viri doctrinâ, & ſanctitate, conſtantiâque in Fide illuſtres prodierunt; ſub veſtra ſimili diſciplina, ſimili magiſterio eſt. Collegium Hibernorum, quod ſex notos protulit Epiſcopos (aliorum excidit memoria) ſub veſtra diſciplina, ſub veſtro magiſterio eſt. Collegium Scotorum, quod non tam Duces, quàm pugnaces pedites pro Religione produxit, ſub veſtra diſciplina, & magiſterio eſt. Collegium Anglicanum, quod tres quidem ſolos Epiſcopos dedit; ſed novem claros Scriptores, treſque ſupra quadraginta generoſos Viros, qui ad ultimum uſque ſupplicium Fidei Catholicæ tenaces fuerunt, ſub veſtra eſt diſciplina, ſub veſtro eſt magiſterio. Seminarium Romanum, ubi Martis, & Minervæ fędus, & conjunctio, cui viginti, & plures ex Vobis invigilant, & ex quo tres Summi Pontifices, quatuor ſupra quadraginta S. R. E. Cardinales, qua

qua-

Digitized by Google

quatuor Patriarchæ, trigintaquinque Archiepiſcopi, ſexaginta ſex Epiſcopi, duo ſupremi Duces, Venetiarum unus, Genuenſium alter, quadraginta Generales copiarum Ductores exiverunt, ſub veſtra diſciplina, ſub trino veſtro magiſterio Humanitatis, Philoſophiæ, ac Theologiæ eminet. Collegium Germano-Hungaricum, in cujus regimen, atque ſtudia, viginti fermè alii ex vobis incumbunt, & ex quo unus etiam è tribus illis Summis Pontificibus, tredecim Cardinales, quinque Archiepiſcopi, quinque Electores Romani Imperii, quinquaginta novem Principes Imperii ejuſdem tum Eccleſiaſtici, tum Laici, octogintaquinque Epiſcopi hactenus nati ſunt ſub veſtra diſciplina eſt, ſub veſtro magiſterio Philoſophico, Polemico, Canonico, & Theologico floret. Glorientur demum alia veſtra Seminaria inclitis aliis Viris, qui in ipſis ad magnos honores adoleverunt. Collegium Romanum ſolis Summis Pontificibus gloriatur. Septem hactenus in ſuis Scholis inferioribus, & ſuperioribus, Litteris vacantes, olim proluſerunt univerſali Eccleſiæ regimini.

Scriptum meminiſtis, Venerabiles Patres; *A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis Arbor bona fructus bonos facit.* Matth. 7. Qualis, & quanta Arbor, quæ ſupernâ exculta manu, ſupernis irrigata fontibus, tales, ac tantos in Reipublicæ utilitatem hoſce protulit fructus? Promiſcuum beſtiarum vulgus non tam frequentabat, quàm inhoneſtabat arborem illa Chaldæam. *Subter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres Cœli*: Daniel. 4. ajebat typi illius Archetypon. Expertes rationis veniebant truculentæ illæ beſtiæ, rapaces illæ volucres, & rationis expertes reſtabant. Nempe erat incondita turba ſub arbore præcidenda, & ſuccidenda. *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus*: cla-

b ma-

mavit vigil ille Sanctus de Cœlo. Aſt cùm Veſtra Seminaria ſint lectiſſimæ Juventutis domicilia, nec ad vanam pompam, ſed ad Majorem Dei Gloriam tam numeroſis familiis conſulatis, ideo Adoleſcentes, quos tanquam rudes auri glebas, rudes à paternis laribus accipitis, in Magiſtros Eccleſiarum convertendos Parentibus reſtituitis.

Cùm itaque in his ſolis Collegiis (Illuſtriſſimum Senenſe, quamvis tres jam Primarios dederit Præſules, & unum S. R. E. Cardinalem: ſicut & Pratenſe, in magnam ambo ſpem creſcentia, tacita prætereo, quia recentiora) quæ veſtra Prudentia regit, adminiſtrat, & gubernat, veſtraque eruditio excolit, inſtruit, ac docet, adeo feliciter imbuatis humanioribus, Philoſophicis, ac Theologicis litteris Juventutem Italicam, Septentrionalem, & Orientalem, ut numerus egregiorum virorum, qui ex illis claros honores adepti ſunt, complectatur ſeptem Summos Pontifices, quinquaginta ſeptem Cardinales, ſeptem Patriarchas, octoginta & unum Archiepiſcopos, unum ſupra centum nonaginta Epiſcopos, duo ſuprema Rerumpublicarum capita, quinque Electores Sacri Romani Imperii, cum quinquaginta novem Principibus ejuſdem, ac demum quadraginta Præfectos Generales armorum. Cùm, inquam, hæc ex publicis monumentis conſtant, quidni adverſaria hæc Philoſophica Vobis ad tantillam Veſtræ iſtius generoſæ Juventutis eruditionem, offeram? Minuta namque duo ſuſcepit etiam libenter Deus aliquando. Offero itaque,
Marc.12. Conſecro, Dico. Datum in Veſtro Collegio Romano die 4. Novembris Anno 1711.

Venerabiles, ac plurimùm Reverendi Patres:

Veſter humillimus in Chriſto Servus
Joannes de Ulloa.

MI-

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Phyſica Speculativa quatuor Diſputationibus diſtincta*, Authore P. Joanne de Ulloa Societatis noſtræ Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 11. Septembris. 1712.

Michael Angelus Tamburinus.

Digitized by Google

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.

PHyloſophiam Speculativam ab eximio Societatis Jeſu Theologo Joanne de Ulloa, in quatuor Diſputationes diſtributam, vidi ego infraſcriptus, & maturè perlegi ex commiſſione Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri; Opus miro ingenio, ac præſtanti doctrina refertum, nec quidquam Orthodoxæ Fidei, vel bonis moribus diſſonum continens. Quapropter Typis evulgandum cenſeo, ac publicis uſibus maximè profuturum.

D. Valerianus Mignanelli Abb. & Procurator Generalis Congreg. Olivetanæ.

IMPRIMATUR

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

PRO-

PROLOGUS.

A*Cris illa novandi cupido, quæ duobus ferme ab hinc Sæculis*
ex illa Mundi plaga, de qua dictum accepimus, ab Aqui- Jerem.1.
lone pandetur omne malum, *per quaſdam nobiles Eu-*
ropæ Regiones ſerpere cœpit, ſicut dogmaticam Theologiam,
ita Philoſophiam Speculativam venuſtis quidem novitatibus, ſed non
ſolidis, & inexpertum Juventutis, ſecus expertum Seniorum palatum
titillantibus, corrumpere conata eſt. Mutatur ſingulis ſaltem decen-
niis veſtium figura, calceamentorum ſtructura, capillorum modus, cali-
garum artificium: & ſicut corpori aptantur ornamenta ad novos Sar-
torum, ſutorumque nutus; ita volunt Aliqui, opiniones, & Dogma-
ta aptari Intellectui juxta cerebra pro tempore regnantia, & illas ſu-
ſcipi opinationes, quæ in uſu eſſe incipiunt, quæque ſuæ novitatis ſpe-
cie idoneæ ſunt magis pro familiaribus colloquiis inſtituendis, atque
dulciter in longum producendis. Sed ſpecies juniores hos decepit, ſicut Daniel.
olim Senem, quem judicavit Daniel. Fateor quòd dixit, qui ſede- 13.
bat in throno: ecce nova facio omnia. *Sed vermibus per hu-* Apoc. 21.
mum repentibus non licet, quod ſedenti in throno licuit. Mandatum Jo:13.
novum do vobis, *dixit Filius Dei; ſed qui ſunt iſti filii Hominum,*
qui mandata quoque nova dare Intellectui noſtro audent? Renovabis Pſal. 103.
faciem terræ, *ſcriptum eſt de Spiritu Divino. Sed quantum, huma-*
num inter, & Divinum Spiritum intereſt? Magnum leviſſimarum
mentium indicium eſt, ſicut Spongia humorem, ita novitates protinus
attrahere, ac ſugere. Scriptum eſt enim, qui citò credit, levis eſt Eccl.19.
corde. *Igitur ſicut novitates non ſunt illicò repellendæ; ita neque*
illicò ſuſcipiendæ; ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint. 1.Jo:4.

Regnabat pacificè (& feliciter ſanè regnabat) in Scholis omnibus Europæ Ariſtotelicum Entis naturalis Syſtema, compoſitio nimirum ex Materia, & Forma ſubſtantialibus reciprocè diſtinctis. Sed Medici duo Hiſpani, alter Complutenſis Valles *ſatis notus ex* Sacra ſua Philoſophia: *Gallægus alter* Pereyra, *haud ignotus ex ſua* Margarita Antoniana *Enti Naturali, quod benè ſe habebat, mederi volentes, ipſum necaverunt: & hos ſecutus poſtea fuit ingenioſus alius Medicus Sebaſtianus* Baſsòn, *ita ut à Democrito olim propugnata, ab his Authoribus iterum in lucem revocata ſit Novan-*

ti-

Digitized by Google

etiquitas præſens, *quæ* Ens Naturale *occidere videtur Peripateticis*. *Negavit*, *aut potiùs dubitavit* Valles *materiam primam*: *negavit* Gallegus Ille Pereyra, *formas ſubſtantiales Brutorum etiam*, *inquiens Canem v.g.*, *Equum*, *Simiam*, *Elephantum &c. eſſe machinas quaſdam inanimes*, *inſtar Horologiorum*, *eliceréque ſuas operationes ſine ſenſu*, *ſine inſtinctu*, *ſine vitali intrinſeco motu*; *ſed juxta diverſas particularum ſui corporis combinationes*, *extrinſecus inductas per agentia extrinſeca*, *ſicut juxta diverſitatem Æris*, *rotarum*, *atq; ponderum diverſos edunt ſonos*, *nunc plures*, *nunc pauciores*, *nunc graves*, *nunc acutos horologia*: *& Animalia illa*, *quorum exemplo*

Provet.6. *corripit Deus*, *aut noſtram pigritiam*. Vade ad formicam piger, & conſidera vias ejus, diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in

Iſai.1. æſtate cibum ſibi. *Aut noſtram ſtoliditatem*: cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui: *Exiſtimabat eſſe ſicut fictos homunciones*, *qui in theatro moveri*, *ac loqui coguntur*, *non à ſpiritu intrinſeco*, *ſed ab extrinſeco circulatore populum ementitis illis icunculis paſcente*. *Hæc contrà materiam primam*, *formaſque ſubſtantiales peripateticas opinatio*, *quam nulla Hiſpania Univerſitas eſt amplexa*, *multis placuit ex nationibus exteris*. *Tales fuerunt*, *aut ſaltem fuiſſe videntur*, *licet cum diverſitate inter ipſos dandâ diſp.1. n.25. Carthesius*, *Gaſſendus*, *Maignanus*, *Saguens*, *Anduè*, *Baſsòn*, *Caro*, *& Alii*, *nec pauci*, *nec obſcuri Viri*. *Famoſis his Authoribus*, *& feliciore bello dignis*, *ob notum ſuorum Ingeniorum acumen*, *ſuppetias ferunt Alii*: *Pars*, *negantes modos omnes ſubſtantiales*: *Pars*, *accidentia cuncta*. *Capti namque venuſtate combinandi*, *quæ procul dubio multoties felix evadit*, *phænomena pleraque*, *vel omnia Naturæ per ſolam Athomorum ſubſtantialium*, *vel paucarum accidentalium combinationem*, *componere ſatagunt*.

Has Philoſophias ſimul cum aliis examinandas ſuſcipio in hac Phyſica ſpeculativa, *quam in ſolas quatuor Diſputationes redigam*: *In Prima diſputabo quæ ſint*, *& quæ non ſint in genere Prima principia intrinſeca Entis naturalis tum* in Facto eſſe, *ut aiunt*, *tum* in Fieri per generationem *præcisè*, *tum* in Fieri per mutationem, *tum* in Fieri per converſionem. *Ubi congeriem illam Athomorum tanto Juventutis exteræ plauſu ſuſceptam*, *excutere conabor*. *Aggrediar deinde explicationem uniuſcujuſque ex illis principiis*, *& quæſtiones ſuper unoquoque definiam*. *Ac demum* Totum ipſum, *ſive*

Com-

Compoſitum *ſubſtantiale contemplabor. In Secunda Diſputatione Cauſas omnes in genere, Conditiones, Prærequiſita, Cauſalitates, Actiones, Eductiones, atque Creationem in diſputationem vocabo. In Tertia Cauſas ſingillatim, ac in ſua quamque ſpecie dabo, ubi multa de Cauſa Prima, de Cauſa efficiente creata occurrent. In Quarta denique Tractatum de Præſentiis, & duratione ſcribam. Multa quidem prætermittam: Alia, quia minùs ardua minùs etiam neceſſaria. Alia quia dedi illa partim in Prodromo occaſione explicandi aliqua ex illis Axiomatibus, partim in Phyſica naturali, ubi Infinitum, Continuum, Naturam, Activitatem, Reſiſtentiam, Compoſitionemque Qualitatum phyſicarum in diſceptationem adduxi; partim in Logica Majore, ubi occaſione* Quantitatis, *corpus, & ſpiritum explicui; occaſione* Subſtantiæ, *Perſonam, Suppoſitum, ſubſiſtentiam, & Perſonalitatem: occaſione Relationis, connexionem, ſive tranſcendentalem Relationem Cauſæ Primæ cum poſſibilitate poſſibilium. Alia demum, quia paſſim obvia; & aliena ſcripta tranſcribere non vacat, nec decet. Multas invenies Concluſiones, adversùs quas pauca, vel nulla argumenta ſignanter objiciam. Cauſa eſt, quia inter explicandum, & probandum illas prævenio uno, vel altero termino, una, vel altera parentheſi objectiones fieri ſolitas, & præterea alias, utpote facilè ſolvendas ex jactis ibi principiis.*

DI-

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

CAPUT I. *Quid ſint Prima Principia: & quotuplicia?* num. 1.
CAPUT II. *Athomos non eſſe Prima Principia Entis Naturalis.* num. 22.
CAPUT III. *Quænam ſint Prima Principia illius?* num. 52.
CAPUT IV. *De Materia Prima.* num. 99.
CAPUT V. *De Forma Subſtantiali.* n. 143.
CAPUT VI. *De Unione.* num. 185.
CAPUT VII. *De toto ipſo ſubſtantiali.* n. 227.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DI-

Digitized by Google

DISPUTATIO PRIMA.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ENTIS NATURALIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOn diſputo modo *Omnia* principia illius; ſed ſola *intrinſeca*: ideſt conſtitutiva eſſentialia, ſeu partes; non utique integrantes primarias (quales ſunt reſpectu animalis, Cor v. g. cerebrum, guttur &c. quia ſine his nequit naturaliter vivere animal) aut ſecundarias, quales ſunt brachium, digitus, pes, quæ eatenus ſunt partes integrantes ſecundariæ hominis, v. g. quia ita componunt illius integritatem, ut naturaliter poſſit homo vivere ſine illis, etiam per multum tempus; ſed ſolas diſputo partes *eſſentiales*, ſine quarum una nec divinitus poteſt exiſtere homo (eo quod identificetur inadæquatè cum unaquaque illarum) quales ſunt corpus & anima. Rurſus non diſputo quaſvis partes eſſentiales, ſeù quævis conſtitutiva, principiave intrinſeca: quoniam unio materiæ, ac formæ, v. g. eſt conſtitutivum intrinſecum entis naturalis, & illam nunc non diſputo; ſed conſtitutiva, quæ vulgò dicuntur ut *quod*: ideſt, ut extrema unionis. Nec quælibet hæc conſtitutiva; ſed illa quæ ſunt *prima* eo quia ſimplicia ſint, & expertia omnis eſſentialis compoſitionis, ſeu eò quia ſint, ut loquuntur alii, ea in quæ ultimò reſolvitur ens naturale. Fieri namque ſolet, quod complexum A. intrinſecè conſtituatur per complexum B. v. g. perſona humana, per naturam humanam; tunc autem complexum B. eſt conſtitutivum, ſed non *primum Principium* complexi A. nam licet omne primum principium intrinſecum ſit conſtitutivum, ſed non viciſſim. Præterea non diſputo quodcumque ens naturale: quia albedo, calor, & re-

liqua accidentia naturalia, ſive materialia, ſive ſpiritualia ſunt entia naturalia; & tamen non habent principia intrinſeca; ſed conſiſtunt in majore, aut minore numero graduum, ſi ſint accidentia materialia, qui gradus ſunt Phyſicè æquales; ſed ſolum ens naturale *ſubſtantiale* diſputo. Et non quodlibet, namque anima rationalis eſt ens naturale ſubſtantiale, & cum ſit entitativè indiviſibilis, partibus eſſentialibus non conſtat; ſed diſputo ens naturale ſubſtantiale *completum* integrum perfectum & adæquatum. Neque quodvis id generis, quoniam Angelus eſt ens naturale completum, & tamen cum ſit ſubſtantia completa ſpiritualis ſimplex, non habet ulla conſtitutiva Phyſica tametſi aliquando opinati ſint antiqui aliqui eos conſtare corpore, licet ſubtiliſſimo, & æthereo. Solum ergo diſputo prima principia intrinſeca, & in ſenſu dicto conſtitutiva eſſentialia (omnia profectò conſtitutiva ſunt id generis, ſed addi ſolent hæc vocabula ad majorem expreſsionem) horum entium naturalium quorum magis aſſueti ſumus, hiſque ſimilium v. g. expendo principia intrinſeca quatuor elementorum, mixtorum, tum non viventium, qualis eſt hæc Carta, tum viventium irrationalium non cognoſcitivorum, quales ſunt Herbæ, ac Arbores, tum irrationalium quodammodo cognoſcitivorum, qualis eſt Equus, Canis, & cætera animalia, tum viventium rationalium, quales ſunt homines. Prius autem, poſt explicatam quidditatem primorum principiorum, arcebo quæ antiquiſsimi, & quæ moderniſsimi opinati ſunt eſſe prima principia intrinſeca, ex quibus componuntur hæc entia naturalia; deinceps autem dabo, quæ tota Schola Peripatetica docuit, ac docet.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Quid ſint prima Principia, & Quotuplicia.

1. PRIMUM principium, ſicut Prima cauſa, ſoli Deo convenit ſtrictè abſolutèque loquendo, quia ille ſolus eſt Cauſa prima, Principium primum, liberum primum, movens primum, & primum determinans; non quia inevitabili, ac ſimul irreſiſtibili impulſu moveat creaturas illas, quas ex dignatione voluit relinquere in manu conſilii ipſarum, atque indifferentes ad utrumvis, nam ſibi ipſi adverſaretur. Sed quia omnes illæ habent à Deo facultatem jam naturalem, jam ſupernaturalem operandi, & ſe movendi, & ſe determinandi; Deus autem ſe movens, determinans, ac eligens tale, aut tale à nullo alio, ſed ex ſola ſua eſſentia fruitur hac facultate. Verumtamen juxta magis largam acceptionem primum principium non eſt unicum, ſed multiplex. Et ſumptum in genere prout abſtrahit ab omnibus ſuis ſpeciebus eſt illud. *Quod in eo ſenſu in quo principiat, non principiatur.* Neque propterea Verbum, & Spiritus ſanctus deſinunt eſſe primum principium, quoniam licet Phiſicè producantur à patre, aſt non producuntur *ſecundum naturam* juxtà Lateranenſe; ſed *ſecundum perſonalitates.* Secundum illam verò, & non ſecundum has, ſunt Primùm Principium Phyſicè productivum rerum. Duo ergo ſunt de ratione primi. Vnum *negativum*, ſcilicèt quod ante ſe non habeat alium in ea ratione, in qua eſt Primum. Sic crepuſculum matutinum eſt primum principium diei, quia nulla pars hujus eſt ante illud, & omnes poſt illud. Sic in ratione Scripturariæ compoſitionis plerçque litteræ ſunt elementa, ſeù prima principia ſyllabarum, quia hæ omnes componuntur ex illis, & illæ ex nullis. Alterum *poſitivum*, ſcilicèt quod alios, vel alium ſaltem habeat poſt ſe in ea ratione; aliàs enim non erit *primum*, ſed *unicum*. Sic Deus non eſt primus, ſed unicus Omnipotens, quia licèt ante ſe non habeat aliud Omnipotens, aſt neque poſt ſe. Filius verò, & Spiritus Sanctus habent ante ſe Patrem, qui omnipotens eſt; Sed per eamdem Omnipotentiam, per quam duæ illæ perſonæ. Sic etiam qui ſolus ſedet in ſcamno non eſt primus ſedens, quia quamvis nemo ante illum ſedeat; at neque poſt illum. Item. Creatura non eſt primum deficiens: primum peccans: primum merens, quia cum neque ſint, neque eſſe poſſint duo illa prima principia Manichea, unum bonum, & alterum malum: Inde eſt quod licet creatura non ſupponat ante ſe aliud deficiens, aliud peccans &c. verumtamen neque aliud quippiam diſtinctum à creatura in genere, accipit ab hac facultatem Phyſicam peccandi, aut merendi. In his itaquè generibus non eſt *primùm*, *ſed unicum*.

Lateran. ſub Innoc. III.

2. Primum principium poteſt accipi dupliciter 1. Simpliciter abſolutè univerſaliter, ac ſine limitatione. Et ſic ſolus Deus eſt primum

principium, quia ipſe ſolus eſt à ſe, & cætera omnia ſunt ex ipſo, & ab ipſo. 2. cum limitatione in tali, aut tali determinata ſphæra. Et eſt illud, quod in ea ſphæra non ſupponit aliud quamvis ſupponat in alia: & inſuper omnia, quæ ſpectant ad illam ſphæram ſunt ex ipſo, quamvis alia extranea ex ipſo non ſint. Sic Adamus eſt primum humanum principium hominum, quia licet non omnes creaturæ deſcendant ex Adamo, ex illo tamen ſunt cęterę humanę omnes creaturę, unę per generationem; Eva per formationem ex illo. Et licet ipſe ſit ex Deo, at non ex alia humana creatura. Vndè ſignanter, notavit Lucas de ſolo Adamo *qui fuit Dei*,
Luca 3. cum de ſingulis aliis ſcribat *qui fuit N. qui fuit N.* Primum principium in ſphæra, ſeu genere determinato eſt duplex. Unum *intrinſecum*, & conſequenter non diſtinctum adæquatè à ſuo quaſi effectu; ſed cum eo inadæquatè identificatum (licet interdum utpotè ſubſtantia *incompleta*, ſoleat diſtingui in ſpecie à ſuo quaſi effectu, qui eſt ſubſtantia *completa*) & conſequenter inadæquatè dumtaxat diſtinctum. Et hoc definivit Ari-
1. Phyſica. ſtoteles in numero plurali inquiens Principia entis naturalis eſſe, *quæ neque ex aliis, neque ex alterutris, ſeu ex ſe ſe; ſed ex ipſis omnia*. Ideſt quæ ita ſunt partes eſſentiales, ita ſunt intrinſeca conſtitutiva rei (hoc ſignificat in præſentiarum illud *ex*) ut in eo ſenſu, & ratione, qua rem conſtituunt, non conſtituantur ex ſe ſe reciprocè, aut ex ullo alio tametſi in aliis ſenſibus ſint, aut conſtituantur ex ſe ſe, vel ex aliis. Sic materia & forma v. g. Corpus, & Anima tametſi multifariam ſint, aut conſtituantur ex alio; Attamen materia ex nullo alio conſtituitur intrinſecè, tamquam *ex primo ſubjecto*, & hic eſt ſenſus in quo ipſa eſt primum Principium entis naturalis, videlicèt ut primum ſubjectum. Forma item ex nullo alio eſt, aut conſtituitur tamquam *ex actu* radicante proprietates illius entis naturalis. Et hic eſt ſenſus, in quo forma poſtea dicetur eſſe primum Principium entis naturalis, videlicèt ut prima origo, & radix proprietatum entis illius. Et privatio ex nullo alio eſt tamquam *ex termino à quo*. Et hic eſt ſenſus, in quo ipſa dicitur unum ex principiis mutationis poſitivę. Huc ſemper recurrendum eſt pro explicandis argumentis illis contrariis, ſumptis ex eo, quod aliquod ex his tribus ſit *ex alio*, & hinc probantibus nullum horum eſſe principium primum entis naturalis.

3. Alterum eſt *extrinſecum*, nempè quod realiter adæquatè diſtinguitur à principiato. Eſt duplex: unum *ſubjectivum*, alterum *objectivum*. Principium objectivum eſt illud, quod exercens ſenſum aut phantaſiam, aut intellectum, aut voluntatem movet, invitat, aut etiam rapit potentiam ad aliquam ſeriem operationum. Sic Panis objectus famelico Cani, eſt principium objectivum adulationum illarum. Sic objectivę veritates quædam in Metaphyſica, in Mathematica, in Ethica, ſunt prima principia objectiva earum Scientiarum v. g. *Quodlibet eſt, vel non eſt. Impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe &c.* Quia cum omnes, aut pleræque, aut ſaltem multæ veritates Scientiarum illarum probentur per illas, illæ per nullam doctrinam earumdem Scientiarum probantur, ſed aut dumtaxat explicantur, ut intelligantur: & ſic objectæ intelle-

tellectui ipſum, negativè ſaltem, & quoad ſpeciem, rapiunt in ſui aſſenſum: aut probatæ ſupponuntur per doctrinam Scientiarum aliarum, ita ut ſit primum principium in ſcientia A, quod eſt evidens concluſio in ſcientia B. Sic etiam bonitas vera, vel apparens finis, eſt principium objectivum earum omnium actionum, quæ fiunt ad aſſequendum illum. Principium ſubjectivum eſt illud quod non ut cognitum; ſed immediatè per ſuam entitatem cauſat ſeriem aliquam rerum, cum ipſum non cauſetur ab ullo ſeriei illius. Eſt duplex. Unum *Phyſicum*, & talis eſt anima in homine, quoniam ea eſt, quæ Phyſicè producit cunctas proprias operationes hominis, & ipſa per nullam harum producitur phyſicè. Alterum *Morale*. Et eſt illud, quod ſine Phyſica cauſalitate movet per ſe, exercitè, atque immediatè ad tenorem aliquem rerum, quin ulla harum moveat ad illud. Et talis ſolet eſſe habitus, ſeu conſuetudo primitus acquiſita in pueritia, quoniam exercitè immediatè per ſe ipſam abſque reflexa ſpeciali cognitione incitare ſolet ad actiones illas ſimiles in ætate magis adulta.

4. Inter has omnes ſpecies principiorum de ſolis principiis intrinſecis procedit diſputatio præſens. Ideſt, quænam ſunt prima illa principia, illa quaſi elementa prima, quibus non tamquam partibus integrantibus, ſed tamquam partibus eſſentialibus, conſtituitur ens naturale completum, & corporeum jam explicatum v. g. Homo, Equus, Lignum, Saxum, hæc Carta, hæc Penna, hoc Atramentum, & reliqua? Ita ut, ſi hæc entia naturalia reſolvantur per Deum (cauſæ ſecundæ, ſaltem ſublunares, non poſſunt hoc facere) in ſuas partes eſſentiales, perveniendo ad illa, illa non poſſint rurſus dividi in partes eſſentiales, ſed ad ſummum in partes integrantes, eò quod illa prima principia expertia ſint compoſitionis illius, & penitus ſimplicia ſimplicitate, excludente partes eſſentiales, quamvis non excludant integrales. Communis per multa ſæcula opinio omnium Philoſophorum, & Theologorum fuit, elementa, ſeù prima Principia intrinſecè componentia omne ens naturale corporeum, & completum dictum, ſumptum *in facto eſſe*, duo ſola eſſe. Nimirùm unum, quod vocatur *Materia prima*. Alterum quod *Forma ſubſtantialis*. Doctores tamen aliqui moderni, ſatis ingenioſi, diſceſſionem fecerunt, & obſoletam quamdam ſententiam componentem dicta entia naturalia (excepto homine) ex ſolis athomis hoc, vel illo modo invicem combinatis, & coordinatis, ſeu motis, magno juventutis plauſu illuſtrarunt. Cum igitur præſens controverſia antiquiſſima fuerit, & in præſentiarum non mediocri ardore, nèc à mediocribus ingeniis utrimque diſcutiatur in aliquibus Europæ Regionibus (licèt non in eis, in quibus ſola novitas, neque allicit, neque terret) hac de cauſa oportet tantillum immorari, revocando priùs in memoriam quatuor quaſi principia ad rectè philoſophandum illaque habendo præ oculis in tota hac quæſtione. Hujuſmodi namque controverſia, prudentià potius, quàm ingenii ſolius armis, atque ad tribunal potius Senum, quàm Juvenum decidenda eſt. Item abſurdis, potius, quam rationibus à priori. Nam cum Doctores contrarii negent quæ

Peti-

Peripateticis videntur prima Principia, fruſtrà hæc objicies illis, unde non reſtat alia via, quam abſurdorum, & in hoc ſenſu dixi diſp. 1. Prodromi cap. 2. Principium illud *Impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*, eſſe primum principium: quoniam ſi adverſarius perſiſtat in negatione illius, quod videtur omninò certum, ultimum quod reſtat Philoſopho, eſt recurſus ad abſurda, quæ ſecum trahit illa animoſa negatio. Cumque quantitas abſurdi taxanda ſit per judicium prudens, ſequitur ultimum reſolutivum eſſe judicium ſynderefis, ac prudentiæ.

§. I I.

Quatuor Propoſitiones.

5. PRima ſit, quam explicui diſput. 2. Dialecticæ num. 13. ſcilicèt. Humani diſcurſus, & concluſiones concipienda ſunt non *ingenio ſolo*, ſed hoc: & multo magis *regulis prudentiæ*. Tum quia nil æquè procax, ac ingenium, niſi habenis prudentiæ coerceatur, ſicut vivax puer, ſi ſemel immunitatem à ferula nanciſcatur: quæ non dicentur paſſim inter diſputandum, ſi ſemel licet dicere, quidquid non poteſt evidenter convinci falſitatis? Tum quia ingenium ſolum non domatur niſi ſola Metaphyſica evidentia (& de hac etiam dubitatur, neceſſitet, nec ne ad aſſenſum de qua re egi diſput. 1. Dialecticæ n. 178.) ſemper enim habet quid reſpondeat, quà effugiat, titulum tergiverſandi, numquam ſilet, donec evidentiis prorsùs irreſiſtibilibus obruatur. At hujuſmodi evidentiæ ſimiles ei *bis tria ſunt ſex*, rariſſimè inveniuntur abſolutè pro caſibus ſingularibus. Ergo, ingenium ſolum ſibi relictum, & quod prudentiæ jugum excutiat, rariſſimè domatur, & acquieſcit omninò abſolutè circa res ſingulares: quo circa eveniet ei quod Paulus ſcribit. *Superbus eſt nil ſciens; ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones &c.* Undè inſtruens eumdem diſcipulum S. Apoſtolus ait. *Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.* Et tanquam rem magni momenti inculcat idem documentum diſcipulo alii. Hæc non dixerim inſimulans Doctorem ullum. Abſit. Sed revocaturus in memoriam, quam abſonum ſit humanum ingenium *ſibi ſoli relictum*, naturalique dulcedine captum exponendi novas, ac peregrinas merces.

1. ad Timot. 6.

2. ad eumdem 2.

Ad Titum. 3.

6. Tum quia ingenium ſibi ſoli relictum, ſoliſque Metaphyſicis evidentiis cedens, cum hæ non facilè inveniantur, anceps erit & dubium paſſim, ſaltem tacitum apud ſe, ne ſi res ſuboleat aliis, medicina applicetur, quæ una valet contra amentiam. Quanta abſurda ex mente ubilibet dubia, & ambigua? Nam primò: proximè diſpoſita erit ad dubitandum de unaquaque Religione, ſiquidem nulli militant evidentiæ prorſus ineluctabiles; Undè pedetentim appropinquabit atheiſmo. 2. Dubitabit ſaltem apud ſe, num ſplendeat Sol, num ſint Stellæ, num ſit Terra, num Mare &c. nam cum in favorem harum, & ſimilium rerum

rum non habeat alios teſtes, quam ſenſus: & hi ſæpiſſimè fallant, præſertim oculi (unde habes quàm parum firma ſit Cartheſiana evidentia Metaphyſica, puta, in clara, & diſtincta object. perceptione) quo argumento firmabis dubitantem, aut forte etiam negantem eſſe Solem, & adducentem tres, aut quatuor paritates, in quibus oculi convincuntur de falſo teſtimonio, ſicut in præſenti adduci ſolent veræ aliquæ paritates ad probandum talem, aut talem rem, non produci de novo, ſed extrahi ab involucro, in quo latebat v. g. Spiritum, Salem, Oleum, Succum, quæ ope alambici deteguntur? quaſi valeret ex uno, aut duobus caſibus particularibus arguere univerſaliter ad omnes prorſus, quos experimur, nullo dempto. 3. Dubitabit apud ſe, quamvis ob timorem ſibilorum non oſtendet ſuam debilitatem, de valore, ac legitimitate omnium humanorum contractuum, v. g. de valore Matrimonii, de legitimitate Prolis, de jure ad hæreditates, de obligatione obediendi eis, qui habentur Reges, Prælati, Parentes, Heri &c. Nam quæ evidentia metaphyſica par illi *bis tria ſunt ſex*, profertur ad probandum eum individuum hominem eſſe Regem: illum alium eſſe Prælatum: illum alium eſſe tuum Patrem: illum alium eſſe tuum Famulum. Nonne ſæpiſſimè ſubrepſerunt errores rebus his? Nonne interdum fuerunt ſpectra, quæ claré, ac diſtinctè videbantur eſſe homines? Nonne ſæpiſſimè inter dormiendum, videbatur tibi eſſe, quod re vera non erat? Quam ergo irreſiſtibilem habes evidentiam metaphyſicam, quod modo non contingat tibi, quod interdum aliis contigit. Ergo, prudenter poſſemus de his omnibus reſpectivè dubitare. Ergo, tota civilis Æconomia ſuſdeque verteretur ſi humani diſcurſus, judicia, & concluſiones ſolis evidentiis metaphyſicis, ſoloque ingenio regenda eſſent. En fructum non acquieſcendi niſi ſolis ineluctabilibus evidentiis, & dicendi quidquid non convincitur evidenter falſitatis, & concipiendi judicia, & diſcurſus regulis ingenii ſolius, & deducendi univerſales maximas ex una, duabus, aut tribus experientiis. Meritò itaque juſſæ ſunt ſcholæ noſtræ non audire illud. *Mens humana de omnibus dubitare poteſt, ac debet, præterquam, quod cogitet, adeoque exiſtat.*

7. Quartò non poterit flecti niſi per abſurda, ingenium ſibi ſoli relictum, duris flagris ipſum verberantia, quia tantummodò *ſola vexatio intellectum dabit auditui* illius, qui acquieſcere non vult niſi evidentiis *Iſai. 28.* metaphyſicis, v. g. fame, ſiti, febri, emicranio vehemente laboranti negare cibum, potum, remedium: ea nimirùm ratione, quòd non ſit metaphyſicè evidens tuo ſocio, aut amico, ee his incommodis premi, & quod interdum contingit, quod videamur nobis pati illud, quod revera non patimur. Item quando Herus, Maritus, Pater jubet: quando alius alapam impingit, aut pecunias ſubripit, quando Debitor non vult ſolvere, & ſimiliter in aliis caſibus, quieſcere, ac perinde ſe habere, non ob motivum Evangelicum; ſed quia non eſt prorſus evidens metaphyſicè illa contingere à parte rei, & quia datur licentia dubitandi de omnibus, & quia non ratò contingit, quod Diabolus aſſumpſerit figuram talis, aut talis hominis ad decipiendum alios. Certè ſi hæc fierent nobiſcum, quando incedimus per viam ſolius ingenii, & quando eli-

cimus

Digitized by Google

cimus concluſiones univerſales ex uno, vel altero caſu particulari, credo quod protinus à via illa deflecteremus. Demum intellectus non auſcultans prudentiæ, & ſolis evidentiis metaphyſicis dans manus, eo quia
2. ad Timot. 3. libertatis plus juſto amans ſit, evadet *filius Belias*, ideſt *perverſus*, *& abſque jugo*, & erit ex illis, quos Paulus dicit. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*. Abſit ergo à mente rationalitatis memore hoc propoſitum dicendi quidquid non convincitur falſitatis per Metaphyſicam evidentiam, atque deducendi ut rem omninò exploratam univerſales concluſiones pro tota natura ex uno, vel altero caſu particulari.

8. Huic principio ſatis noto affine eſt ſecundum. Opus eſſe appetitum novitatum compeſcere. Illæ namque ſicut non ſemper arcendæ ſunt eo ſolo titulo, quia novitates ſunt, quandoquidem interdum meritò dicitur. *Recedant vetera, nova ſint omnia*. Ita nec avidè quærendæ ob ſolam externam venuſtatem, quam præſeferre ſolent nova. Meritò namque
Eccleſ. 2. dixit ille. *Nimium ne crede colori*. Et rationi conſentaneum eſt, non
Actor. 17 dare nomen catalogo illorum de quibus ſcribit Lucas. *Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites ad nil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire*
4. Reg. 9. *aliquid novi*. Aut illorum, qui ajebant. *Falſum eſt; ſed magis narra no-*
2. ad Timoth. 4. *bis*. Quando enim hujuſmodi debilitati ſuccumbimus, evadimus *Prurientes auribus*, ut loquitur Paulus, & ideò à veritate auditum avertimus,
Ad Eph. 4. atque ad fabulas convertimur. *Omni vento doctrinæ* circumferimur, & il-
Iſai. 30. los imitamur, qui ajebant. *Loquimini nobis placentia*.

9. Tertium principium ſit. Diſtinctio inter conſtitutivum, ſeu principium intrinſecum, & connotatum, nam illius oblivio nociva eſt rei præſenti. Connotatum in genere eſt illud adæquatè diſtinctum, cum quo res A v. g. aliquam habet ſpecialem relationem, habitudinem, ſive reſpectum, ita ut terminus ille, ſeu vox particularis, vel generalis, qua utimur agentes de A innuat nobis illud aliud, ſive in nobis excitet illius alius cognitionem, ſive in particulari, ſive in generali. Vnde hæc vox *connotatum* plerumque, non tamen ſemper, eſt reflexa: Et ſignificat terminum, ſeù vocem, qua agimus de uno, innuere (in hoc ſtat *connotare*) illud alterum, ſive alludere ad illud, ſive aptam natam eſſe ad excitandum cognitionem illius. Sic Creator eſt connotatum creaturæ, quia cum hæc per ſe eſſentialiter ſit connexa cum illo, hæc eadem vox *creatura* innuit nobis Creatorem. Sic Pater in genere eſt connotatum filii, & vice verſa: quia cum omnis filius debeat eſſe filius alicujus, hæc vox *filius* excitat cognitionem Patris ſaltem in genere. Sic æqualitas eſt connotatum inæqualitatis: quia cum hæc habeat cum illa reſpectum, ſeu relationem oppoſitionis, hæc vox *inæqualitas* indicans ſatis apertè illam oppoſitionem, indicat nobis eo ipſo æqualitatem, & alludit ad ipſam, & ipſius cognitionem excitat in nobis. Id eſt connotatum in genere. Cæterum cum ſint multæ ſpecies relationis, ut notavi in Logica majore diſp. 4. cap. de Relatione, v. g. relatio connexionis, oppoſitionis, ſimilitudinis, diſſimilitudinis, æqualitatis, inequalitatis, cauſalitatis activæ, vel paſſivæ, unionis & uniti, recepti & recipientis, tranſcendenta-

denta-

Digitized by Google

dentalis, Prædicamentalis, in genere, in ſpecie, in individuo &c. Item cum interdum agamus de A, termino ſeu voce nullam exprimente relationem ex his; Interdum termino ſeu voce exprimente unam vel unas, & non aliam ſeu alias; Interdum termino ſeu voce exprimente illam ſeu illas in genere, in confuſo, vagè & indeterminatè; Interdum voce exprimente illam ſive illas in particulari, ac in individuo reſpectu rei B. v. g. hac de cauſa ſunt multæ ſpecies connotatorum, ſeu multi modi connotandi aliud. Verumtamen quia hæc vox *Connotatum* frequentiùs ſignificat terminum connexionis (ob quam rationem hunc ſolum memini diſp. 1. Dialecticæ num. 146. breviſſimè perſtringens rem hanc prout expediebat tunc) aut cauſam aut effectum ſpecialem: & quidem indicatum ſeu inſinuatum non per quamcumque expreſſionem rei A, ſed per propriam & quaſi notionalem illius, ideſt per illam qua utimur ſemper ac loquimur de A: idcirco in communi modo loquendi connotatum rei A, eſt illud cum quo res A eam ſpecialem habet relationem connexionis, aut cauſæ aut effectûs, ut terminus proprius & quaſi notionalis rei A innuat, ſeu indicet nobis illud tale, ſicut hæc vox *creatura* innuit creatorem. Hæc tamen magis caſtigata, quia magis frequens acceptio connotati, non obſtat quominus illæ aliæ acceptiones ſint legitimæ & quandoque uſitatæ: & conſequenter debent haberi præſentes ſi forte adverſarius declinet ad illas.

10. Aliud longè diverſum à connotato phyſico eſt conſtitutivum phyſicum, ſive principium intrinſecum, ſive pars eſſentialis rei. Conveniunt quidem in eo quod notionalis & propria vox rei A innuit, indicat utrumque, & utriuſque excitat ſpeciem. Sicut hic terminus complexus *animal rationale* innuit corpus, quod ſanè non eſt connotatum, ſed conſtitutivum phyſicum, & principium intrinſecum hominis: & indicat etiam ſenſationes, quæ utique non ſunt conſtitutiva ſed connotata. Cæterum connotatum phyſicum rei A, diſtinguitur adæquatè ab ipſa in communi acceptione, quæ connotata contraponere ſolet conſtitutivis; hæc autem non diſtinguuntur adæquatè à re illa; ſed ita ſe habent ſingula cum A, ut hęc ſit quaſi binarium quoddam aut ternarium aut quaternarium ex illis. Unde ſicut unitas non eſt connotatum extrinſecum binarii, diſtinctum adæquatè ab illo, ita conſtitutivum ſeu principium intrinſecum rei A non diſtinguitur adæquatè ab illa, eò quòd hæc ſit complexum quoddam, ſive compoſitum, ſive aggregatum coalitum ex illo & aliis conſtitutivis. Sed quia inter conſtitutiva una veniunt in recto, atque ut ajunt *ut quod*, altera in obliquo, atque *ut quo* ecce aliam æquivocationum matricem, dum confundentes aliqui obliqua cum connotatis, adimunt eſſentiæ phyſicæ multarum rerum id quod intimè ac eſſentialiter omninò imbibitur in illa, tametſi non ita primariè ac principaliter ſicut aliud: quaſi eſſet idem, non eſſe metallum omnium pretioſiſſimum, & non eſſe metallum pretioſum. Non eſſe primarium virum & non eſſe virum. Non eſſe caput Senatûs & non eſſe Senatorem.

11. Igitur paſſim occurrunt entitates compoſitæ (in ſimplicibus,

 cum

cum non dentur conſtitutiva phyſica, ideſt partes eſſentiales, non dantur conſtitutiva quorum unum ſit in recto atque *ut quod*; alterum in obliquo atque *ut quo*) quæ intimè ac eſſentialiter conſtant duobus; ſed æquivocè, inæqualiter, ac diſtributione accommoda: Uno tanquam re cujus identitas, aut diſtinctio adæquata, vel ſaltem inadæquata affirmatur, aut negatur, quando affirmatur aut negatur identitas, aut diſtinctio illius compoſiti. Et hæc res vocatur conſtitutivum *in recto* ſive *ut quod* ſive *primariè* adæquatum vel inadæquatum illius complexi. Et hoc complexum dicitur importare *ſubſtantivè* atque per modum *per ſe ſtantis* rem illam. Et talia ſunt plerumque ſubjecta, nec non partes eſſentiales eorumdem in concretis accidentalibus: Altero autem tanquam re eſſentialiter quidem imbibita in ea entitate compoſita, ſed non tanquam re, cujus identitas, aut diſtinctio adæquata, vel inadæquata enuntietur communiter, quando enuntiatur ſimpliciter abſque reduplicationibus identitas, aut diſtinctio illius compoſiti. Et hæc res vocatur conſtitutivum in obliquo, ſeu ut quo, ſeu ſecundariè illius complexi. Et hoc dicitur importare illam rem adjectivè, atque per modum alteri adjacentis. Et tales ſunt plerumque formæ concretorum accidentalium. Affatim exemplorum occurrit in Philoſophia, & Theologia. In Philoſophia, *Proxima adæquataque facultas ignis ad comburendum, comburit*. Seu. *Non congelat*. Subjectum hujus propoſitionis, eſt complexum quoddam intrinſecè conſtitutum per virtutem ipſam ignis, nec non per decretum applicativum Omnipotentiæ (ſi enim complexum illud identificaretur plenè, adæquatè, ac totaliter cum illa ſola virtute ignis, omnis caſus poſſibilis in quo daretur illa virtus, foret caſus in quo eſſet proximè adæquatè potens comburere; quod tamen falſum eſt, ſiquidem exiſtente illa virtute poteſt Deus nolle concurrere cum illa ad comburendum, & tunc exiſteret illa virtus quin eſſet *proximè adæquatèque* potens comburere) ſed æquivocè, ac modo diſpari. Conſtituitur quippè per dictam virtutem tanquam per id cujus identitas, aut diſtinctio enuntiatur, quando ſimpliciter enuntiatur identitas, aut diſtinctio illius virtutis, ut proximè adæquatè potentis comburere. Ignis enim virtus eſt id, quod comburit, item eſt illud quod eſt ſubjectum non congelans. Et hoc quamvis per eam propoſitionem exponatur in caſu obliquo, unde habes non eſſe idem obliquum in phraſi grammatica, & obliquum in phraſi philoſophica; ſed quia multoties obliqua juxtà regulas grammaticæ ſunt etiam obliqua in ſenſu philoſophico, idcircò illa ſolent etiam vocari obliqua in diſcurſibus philoſophicis. Cæterum ea proxima adæquata poteſtas conſtituitur per decretum illud tanquam per id cujus identitas, aut diſtinctio non enuntiatur quando ſimpliciter abſque reflexionibus, ac reduplicationibus enuntiatur identitas, aut diſtinctio prædictæ virtutis, ut proximè adæquatè potentis comburere.

12. Similiter in Theologia. Quoniam libertas indifferentiæ proxima, & expedita ad actum ſalutarem intrinſecè, ac eſſentialiter conſtituitur, tum per auxilium divinæ gratiæ quod impropriè omiſſinò dicetur

eſſe

eſſe merum connotatum hujus libertatis: tum per potentiam volitivam; ſed æquivocè valdè, ac diſparimodo. Per voluntatem namque conſtituitur in recto, ut quod primarie, ac ſubſtantivè: per auxilium verò conſtituitur ut quo, & in obliquo. Voluntas enim, non verò auxilium illud eſt quod vivit, quod eligit, quod meretur, quod demeretur, quod obedit, quod reſiſtit liberè libertate indifferentiæ. Unde quando enuntiatur identitas, aut diſtinctio libertatis indifferentiæ, ſolius voluntatis identitas, aut diſtinctio enuntiatur, nempe illam eſſe ſubjectum quod meretur, quod demeretur &c. Ubi quatuor memineris. 1. hæc eſſe intelligenda quando ſimpliciter ſine reduplicationibus loquimur: quia ſi ad illas declinemus, enuntiatur etiam interdum identitas, aut diſtinctio ſaltem inadæquata conſtitutivi quod alias eſſet obliquè, atque ut quo. Sic quando dicimus *album ut album eſt totum quoddam accidentale*: prædicatum hoc enuntiatur etiam inadæquatè ſaltem de albedine. quo circa in hac reduplicatione albedo eſt conſtitutivum in recto (partiale utique, ac inadæquatum) ſicut anima eſt conſtitutivum hominis. 2. ut res ſit conſtitutivum in recto, non eſt neceſſe, quod illius enuntietur identitas, aut diſtinctio *adæquata* ſed ſufficit *inadæquata*. Sic quando dicimus *homo eſt res corporea, impenetrabilis, corruptibilis &c.* enuntiatur identitas inadæquata horum prædicatorum cum anima rationali, licet hæc non ſit corporea &c. quamvis enim non ſit talis, eſt conſtitutivum in recto illius quod eſt corporeum, corruptibileque, ſiquidem homo eſt talis, & anima eſt conſtitutivum in recto hominis qui profectò non eſt *corpus cum anima*, nec *anima cum corpore*; ſed compoſitum conſtans æquè primariè, phyſicè corpore, & anima.

13. 3. Facillimas hìc eſſe deceptiones quia per tantillam mutationem unius vocis mutari ſolet ſignificatum propoſitionum. Unde ſolet fieri, quod jam non ſit conſtitutivum obliquum, quod paulò ante erat; non quia conſtitutiva rerum ſint mutabilia, ſed quia mutantur ſignificationes vocum quibus utimur. Ergo jam ſignificatur una res, jam ſignificatur alia. Mutatis autem rebus ipſis quid mirum quod mutentur conſtitutiva. quapropter eſſe rectum, eſſe obliquum, eſſe connotatum, datur utique ex parte rerum independenter à noſtro modo cognoſcendi, atque loquendi; verumtamen independenter à noſtro modo loquendi non ſcimus quid importetur, quid veniat, quid ſignificetur in recto, aut in obliquo. v. g. *Album. Album reduplicativè, ut Album. Id quod eſt Album.* Prima vox ſignificat concretum conſtitutum in recto per ſubjectum & in obliquo per albedinem. Secunda ſignificat concretum æquè conſtitutum in recto per utrumque. Tertia ſignificat objectum plenè, adæquatè, ac totaliter identificatum cum ſubjecto & ſolum connotat albedinem, non tanquam terminum connexionis ſubjecti illius, ſed tanquam formam accidentaliter adjectam illi ſubjecto. Cumque homines ratiocinentur inter ſe, depromantque ſuos mentales conceptus per externas propoſitiones; Et hæ ſint concedendæ, aut negandæ juxta veritatem, aut falſitatem qua afficiuntur; Et veritas falſitaſque pendeant ex ſignificatione quam habent; His de cauſis exploratum habe-

Digitized by Google

re oportet ſignificationem, nec non leviſſimas etiam, earumdem mutationes, ut invicem philoſophemur, quia alias non erit diſputatio, ſed pulvis, & fumus, & ſtrepitus, & procella, & chaos. En ſenſum in quo conſtitutiva & connotata, item recta & obliqua ſunt, & non ſunt à parte rei, pendent & non pendent à noſtro modo concipiendi & loquendi. Nimirum pendent, ut nos poſſimus dicere, quodnam ſit, aut quodnam non ſit conſtitutivum in recto, vel obliquo illius rei quæ nunc diſputatur: & conſequenter ut poſſimus dignoſcere propoſitionem, quæ eſt vera ac debet concedi, nec non quæ eſt falſa, ac debet negari.

§. III.

14. Quartum principium ſit. Cum metaphora juxta communem Rethoricorum definitionem quam citat & ſequitur S. Auguſtinus, ſit *de re propria ad rem non propriam verbi alicuius uſurpata translatio*: inde eſt quod in locutionibus metaphoricis neque eſt prudenter quærendus rigor ille quem præſeferunt verba, neque hæc falſitatis inſimulanda ſunt, eo quod non ſit ex parte rerum illud quod ipſa ſignificant, ut egregiè probat idem S. Doctor occaſione illius reſponſi, quod ſeni & caliganti Patri dedit Jacob inquiens ex conſilio Matris ſuæ. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Jam facultas tota Scholaſtica, etiamſi omnium caſtigatiſſima & ſeveriſſima videatur in ſuis locutionibus, nihilo tamen minus metaphoris ſcatet. Tum quia interdum etiam Scholaſtici delectantur venuſtate, & elegantia phraſeon. Tum maximè propter aliarum vocum penuriam, quia cum priſci illi homines 72. familiarum, ex quibus deſcendunt omnes Gentes, omnes linguæ, ſeu idiomata, non tractaverint maximam partem minutiarum difficultatum, ac quæſtionum, quas paucis ab hinc ſæculis accuratiſſimè evolvere cæperunt homines: inde eſt quod neque Deus infudit illis verba, neque ipſi illa excogitarunt ad ſignificandam pleraſque ex rebus quas poſtea diſcutere, examinare, explicare, probare, atque defendere incæperunt homines. Unde hi coacti ſunt, aut nova & barbara comminiſci verba, aut antiquis aliis uti, ſed transferendo illa à propria antiqua ſignificatione ad tunc novam & impropriam. Tum quia valde familiare eſt hominibus loqui prout apprehendunt. Apprehendimus autem omnia, pauculis exceptis accidentibus, abſtractivè, atque per ſpecies alienas. Locutiones ergo noſtræ plerumque ſunt abſtractivæ, atque alienæ reſpectu illarum earumdem rerum quas loquimur. Et quanquam uſurpatione jam factæ ſint propriæ, judicii tamen atque prudentiæ eſt, non accipere illas in ſenſu primitivo, atque proprio quem præſeferunt; ſed in ſenſu ad quem detortæ ſunt per homines ab eo tempore in quo res accuratiſſimè, ac minutiſſimè examinare cæperunt.

Lib. 6. contra mēdac. cap. 10.

Geneſ. 27.

15. Exempla ſunt obvia. Et hoc eſt unum. Si enim verbum hoc

obvium

obvium ſumas in ſenſu proprio rigoroſo, & primitivo, judicabis exempla habere motum localem, quo nobis occurrant, & obviam procedant, ſicut unus homo occurrere ſolet alii homini ad eum accedenti. Hoc enim ſignificat propriè vox illa *obvia*. Item toties, quoties ſe offert occaſio, loquimur de carentiis, de chymeris, de univerſalibus, de disjunctionibus, de conditionalitatibus, & de ſimilibus, ſicut loquimur de homine, de Angelo &c. nimirum tanquam ſi ex parte rerum eſſet aliquid, quod in ſe ipſo verè, & ſimpliciter eſſet Carentia, aut eſſet chymera, eſſet univerſale, eſſet disjunctio, eſſet conditionalitas &c. ſicut eſt aliquid, quod in ſe ipſo eſt homo, eſt Angelus &c. Et tamen non eſt quidquam ex parte rerum, quod in ſe ipſo independenter à noſtris imperfectis cognitionibus ſit verè univerſale, ſit vere disjunctio, ſit verè conditionalitas: unde fit, quod omnes illæ locutiones ſint metaphoricæ. 3. Paſſim dicimus, intellectum noſtrum in hoc ſtatu *immerſum* eſſe in materia, quaſi hoc foret aliquod flumen, aut lacus, aut mare, in quo immerguntur, quæ, ſtrictè loquendo, immerguntur. Paſſim dicimus, cauſam & principium eſſe prius effectu, & termino producto; & tamen in eodem momento, in quo cœpit Sol eſſe, ſplenduit, ac produxit lucem: & in Divinis, cùm Pater ſit principium Filii, & Spiritûs Sancti; nihilominus in hac *Trinitate nihil prius, aut poſterius*, ut dicit Athanaſius. *In Symb.* Paſſim dicimus, Intellectum abſtrahere, ac præſcindere naturam ab inferioribus, quaſi Natura foret aliqua veſtis, quæ ſepararetur ab illis, & qua illi nudarentur. Paſſim dicimus, ſpeciem impreſſam eſſe ſemen objecti, & potentiam parere cognitionem, quaſi hic eveniret, quod in partubus ſtrictè talibus. Paſſim item dicimus, *Fidem divinam*, cùm non Fides ipſa, ſed ipſius objectum formale ſit divinum. Paſſim vocamus objectum clarum, obſcurum, evidens, difficile, per ſe notum, & ſimilia: quæ tamen verificantur ſtrictè, ac propriè de ſolis noſtris cognitionibus, non de objectis ipſis: ſiquidem hæc per ſe ab intrinſeco ſunt indifferentia, ut cognoſcantur cognitione clarâ, vel obſcurâ, indigente, aut non indigente principiis, quibus probetur. Paſſim demum dicimus, Deum donare homini fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam &c.; quaſi Deus dona hæc aliunde facta traderet homini, ſicut donum amico traditur ab amico, ita ut accipiens nil agat; ſed habeat ſe merè paſſivè accipiens illud. Et tamen non eſt iſte ſenſus ſacrarum illarum locutionum, ſed ille, quem exponunt Theologi. Quicumque mediocriter verſatus ſit in Philoſophia, & Theologia deprehendet ambas refertas eſſe locutionibus metaphoricis, quæ jam non ſunt impropriæ; debent tamen accipi in eo ſenſu non quidem priſco, & proprio, quem præſeferunt; ſed in alio, quem etiam uſus jam fecit proprium, atque ad quem ſignificandum utuntur.

16. En detectam radicem trium non contemnendarum difficultatum, quibus Adverſarii obſtrepunt Philoſophiæ communi ſuper principiis entis naturalis. Prima derivatur ex illa phraſi ſatis antiqua. *Formæ materiales educuntur de potentia materiæ.* Cum vox *educo* juxta primæ-

primævam, propriam, & rigoroſam ſuam ſignificationem ſignificet foras ducere, & palam facere, ſive extrahere, ſive mittere extrà, quod intus, & clam latebat: Doctores illi huic ſtrictæ ſignificationi inſiſtentes, inferunt formas omnes, aut quaſi formas materiales verè phyſicè actu & formaliter præcedere, & eſſe in entibus naturalibus, quæ præ manibus habemus, & agentia extrinſeca nil aliud facere quam foras extrahere ignem v. g. qui verè, & ſimpliciter erat, atque involutus cum aliis corpuſculis latebat, in re illa, quæ apparet ignita. Et proferunt exemplum calcis exardeſcentis aſperſione aquæ, ſilicis ſcintillantis percuſſione calybis, nec non alambici, cujus ignepalam, atque in publicum veniunt ſal, ſpiritus, oleum,& alia quæ prius ibi erant. Hiſque tribus,aut quatuor exēplis ſingularibus partim veris, partim falſis,partim æquivocis, canonem univerſalem pro tota natura ſtabilire ſatagunt. Suppoſita autem illa intelligentia phraſis illius philoſophicæ, philoſophantur bene. At intelligentia illa non videtur recta. Sicut ſuppoſita intelligentia ſtricta, & primitiva verborum *rident* & *lugent* bene argueret quiſpiam vias urbis eſſe cognoſcitivas, ex eo quod Jeremias dicat
Thren. 1. *Via Sion lugent*, & prata eſſe cognoſcitiva, ex eo quod vulgò dicamus. *Prata rident*, quandoquidem lugere, & ridere juxta primitivam, & propriam ſignificationem harum vocum non poſſunt convenire niſi ſubjectis cognoſcitivis. Aſt intelligentia non eſſet recta, quia in uſu metaphorico, & elegante illorum verborum requireret ſignificationem ſtrictam, quod eſt contra quidditatem metaphoræ ſupra datam ex Auguſtino. Hoc in præſenti. Phraſis illa. *Formæ materiales educuntur ex potentia materiæ*,eſt metaphorica quoad verbum *educo* in rigoroſa ſua ſignificatione. Et metaphora eſt rationalis. Nam cum illæ ſuapte natura nequeant produci, conſervari, aut operari ſeparatæ à materia, & hæc præſupponatur exiſtens (ſub alia nempe forma) ante productionem harum, aprehendimus has quaſi filias materiæ, evadentes ex illius ſinu, obſtetricantibus, & adjuvantibus ad partum agentibus naturalibus v. g. calybe quando manus illo percutit ſilicem. Cumque ex alia parte invaluerit apud homines loqui juxta modum aprehendendi, & juxta ſpeciem qua cognoſcimus illud quod loquimur: inde eſt quod antiqui invexerunt in ſcholas eum modum loquendi, *Formæ educuntur ex materia*; ſed non ſicut panes educuntur ex pœnu, aut monetæ ex crumena (quia hæc intelligentia plus juſto materialis, & vaſta videtur, & alias cum actus ſpirituales intellectus, ac voluntatis, tam naturales, quam ſupernaturales, imò & gratia ſanctificans educantur etiam ex his potentiis, in quibus utique recipiuntur, ſequeretur quod ab initio habuerint actus illos omnes ſpirituales bonos, & malos in ſuis viſceribus, & potentias has nullam de novo habere cognitionem, amorem &c.) ſed induxerunt eum modum loquendi ſicut Jeremias illum, *Via Sion lugent*: hoc eſt in ea ſunt ſolitudine, ut ſi cognoſcitivæ eſſent motivum haberent lugendi. Et ſicut omnes hunc, *prata rident*: hoc eſt tali humore, aura, & calore fruuntur, ut ſi capacia eſſent, læta forent. & ſicut
Pſ. 113. David uſus eſt illo alio. *Montes exultaverunt, ut Arietes, & colles ſicut Agni*

Agni ovium : hoc eſt ſi capaces forent, gratularentur ex corde Iſraeli exeunti à jugo populi barbari.

17. Igitur ſignificatum proprium, & non metaphoricum in ſenſu philoſophico, quidquid ſit de grammatico illius antiquiſſimæ locutionis. ***Formæ materiales educuntur ex materia***, eſt. Formæ hæ producuntur verè ſimpliciter de novo quoad ſuam entitatem (ſicut per vos iſtæ combinationes, iſta *ſic* & *ſic*, quæ olim non erant in rebus, & ſunt aliqua entitas, & non ludibrium purum oculorum) ***per actionem tamen eſſentialiter immediatè unitam materiæ, ut ſubjecto præſuppoſito***, ideſt, ut ſubjecto non producto per actionem illam, quæ differt à creatione animæ rationalis & Angeli & ipſius materiæ primæ. quoniam licet hæ actiones per ſe quoque eſſentialiter uniantur his omnibus reſpectivè; aſt non uniuntur illis, ut *ſubiectis præſuppoſitis* ad actiones ipſas, ſed ut terminis per ipſasmet productis. De quo poſtea. In eo itaque ſolo ſtat à parte rei quod formæ materiales ***educantur*** ex potentia materiæ, quod in ea ***recipiantur*** tanquam in ſubjecto, & quod illa ſit earum ſubjectum ***paſſivum***. Nempe quod actione producantur eſſentialiter unita ſubjecto alicui præſuppoſito. Sicut actio poſitivè corruptiva ſtat in productione alius rei oppoſitæ cum actione illa. Et corruptiva puræ negativè ſtat in mera omiſſione actionis illius. Quamobrem aut volunt hi DD. admittere hunc ſenſum, & ſignificationem illius dictæ locutionis. aut nolunt. Si primum ego quoque admitto illam phraſim. ***Formæ educuntur ex potentia materiæ***. Sed jam vides quam abs jure inferatur formas omnes formaliter, aut ſeminariè tales præceſſiſſe actu phyſicè formaliter quoad entitatem in materia hujus cartæ v. g. ex eo quod ſingulæ poſſint produci per actionem eſſentialiter alligatam ei tanquam ſubjecto præſuppoſito: & conſequenter ex eo quod educantur ex potentia illius. Si ſecundum nolo ego admittere iſtam locutionem, ſeu potius nolo admittere alium ſenſum locutionis iſtius. Stet ergo pro tota controverſia hac, formas materiales non aliter dici à me educi ex potentia materiæ, quàm in ſenſu quoad grammaticam quidem metaphoricum; quoad philoſophiam verò ſtrictum & proprium, ſed proprietate dicta & non alia. Et hinc obiter explicatam habes aliam locutionem quæ magnum argumentum eſſe ſolet contrariis ſcilicet ***ex nihilo nihil fit***. In prodromo explicui hoc adagium, & dixi eſſe falſum, ſi procedat de Deo; quoniam hic ex nihilo condidit totam hanc machinam reſpectivè: & quotidie facit ex nihilo animas rationales. Solum eſt verum de creaturis quatenus hæ non poſſunt quidquam creare, & conconſequenter facere ***ex nihilo ſubiecti***. Ideſt creaturæ non poſſunt quidquam facere niſi per actionem eſſentialiter unitam alicui ſubjecto præſuppoſito. Hinc verò quomodo infertur illas non poſſe facere quidquam de novo quoad entitatem? Etiam iſtæ combinationes elementorum: iſta *ſic* & *ſic* nequeunt fieri niſi in ſubjecto aliquo. Et tamen cum non fuerint olim, ſimpliciter quoad ſuam qualem entitatem (non enim ſunt meræ larvæ) fiunt per vos à cauſis ſecundis.

18. Secunda derivatur ex illis non minus veris quam antiquis locutio-

Digitized by Google

cutionibus. *Rem creari eſt produci ex nihilo. Rem educi eſt produci ex ali-*
quo. Cumque illud *Ex* juxta priſcam latinam ſuam ſignificationem
Ad Rom. ſignificat cauſam phyſicè efficientem v. g. *Ex ipſo, & per ipſum & in ip-*
11. *ſo ſunt omnia*. Aut conſtitutivum intrinſecum ut cum dicimus hominem
componi ex corpore, & anima. Aut terminum à quo ut cum dicit Tri-
Seſs. 6. dentinum. *Homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus*. Aut mate-
cap. 7. riam qua conſtat corpus totum, ut cum dicimus hæc ſtatua facta eſt ex
argento, ex marmore, ex ligno. Et tria priora non conveniunt for-
mæ reſpectu materiæ; ideo inferunt adverſarii id quod nos vocamus for-
mam materialem, fieri, non quidem de novo quoad ſubſtantiam, & en-
titatem, nam ſic crearetur, ſed fieri ex materia, quatenus congeries quæ-
dam athomorum uno modo combinata eſt terra, & alio modo combi-
nata eſt lignum, & alio modo combinata eſt ignis &c. ſicut idem mar-
mor quoad ſubſtantiam ſub una combinatione exhibet figuram hominis,
ſub alia figuram canis, ſub alia figuram equi &c. Nempe quia alias
formæ materiales quas nos admittimus, fierent ex nihilo, & conſequen-
ter crearentur. Quod negamus. Suppoſita iſta intelligentia illius *Ex*
bene ratiocinantur; ſed intelligentia non eſt recta, quia in phraſibus
metaphoricis requirit primitivam proprietatem verborum. Igitur, *Fieri*
ex nihilo. Fieri ex aliquo quoad latinitatem ſunt in præſenti phraſes
metaphoricæ; quoad philoſophiam ſunt propriæ, & rigoroſæ. Pro-
prietas autem non ſtat in eo quod fiat, aut non fiat de novo quoad ſuam
entitatem res; alias cum tales, & tales noſtræ operationes vitales in-
tellectus, ac voluntatis bonæ, aut malæ, naturales aut ſupernatura-
les fiant, quidquid reclament contrarii, ſimpliciter de novo quoad ſuam
entitatem (niſi dicas illas nil eſſe: aut totas & omnes fuiſſe nobis con-
genitas quoad ſuam phyſicam, & realem entitatem in primo momento
noſtræ vitæ: aut merè paſſivè nos haberi ad actus noſtros vitales, me-
ritorios, & demeritorios) ſequetur illas non produci per eductionem,
ſed per creationem. Et cum nos illas verè agamus, ſequetur nos virtute
fungi creandi.

19. Stat igitur philoſophica proprietas in eo quod paulò ante dixi;
Nempe quod actio productiva rei uniatur per ſe eſſentialiter alii, tan-
quam ſubjecto præſuppoſito. Vel non. Si primum, res fit ex alio,
atque educitur ex illo in ſenſu præſente philoſophico. Si ſecundum
fit ex nihilo, & creatur. quamobrem, aut admittunt adverſarii hunc
ſenſum illarum phraſeon, *Fieri ex aliquo. Fieri ex nihilo*. Aut non ad-
mittunt. Si admittunt ego quoque admitto illas phraſes; ſed jam
vides quod ex illis non ſequitur quod in una gleba terræ ſint actu for-
maliter lignum, ignis, fructus, caro &c. quoad entitatem; & conſe-
quenter non ſequitur quod hæc non producantur de novo quoad ſuam
entitatem, & conſequenter non ſequitur quod creentur, & non edu-
cantur. Si non admittunt illum ſenſum, & illam quidditatem produ-
cendi ex *nihilo* producendi *ex aliquo*: neque ego admitto illas locutio-
nes ſine explicatione dicta. Profectò eſſet res mira quod antiqui Phi-
loſophi invehentes locutiones illas in ſcholas, voluiſſent ſignificari, non
aliter

Digitized by Google

aliter fieri herbam ex terra, & arborem ex herba, & florem ex arbore, & fructum ex flore, & carnes animalis ex fructu, quam beneficio acûs, ac forficis fit per Sartorem pallium ex panno, & tunica ex pallio, & femoralia ex tunica, & caligæ ex femoralibus. Scilicet combinando, & coordinando variis modis pannum eundem per additionem, per detractionem, per tranſmutationem, per circumvolutionem unius ejuſdemque rei.

20. Tertia difficultas derivatur ex illa voce *principium*, quam aptamus privationi formæ, præcedenti plerumque in materia: ajentes privationem eſſe *principium* entis naturalis in fieri per generationem quæ ſit mutatio, hoc eſt eſſe *principium mutationis*. Diſplicet valdè DD. contrariis quod privatio ſit *principium*. Et meritò diſplicet, ſi ea vox intelligatur juxta ſuam ſtrictam ſignificationem, immeritò autem ſi intelligatur juxta metaphoricam, quæ jam facta eſt propria in re præſenti. Igitur non dicimus 1. Privationem eſſe principium entis naturalis ſimpliciter talis, nempe entis naturalis in facto eſſe. Abſit. quia hoc eſt ſubſtantiale compoſitum ex ſolis, materia & forma ſubſtantialiter unitis reſultans. Item cum ens naturale ſimpliciter tale, ſit quoddam totum permanens plenèque exiſtens, quoad omnes ſuas partes eſſentiales, nequit componi gemino contradictorio nempè forma, & hujus ejuſdem privatione. Solum ergo dicimus eſſe principium entis naturalis cum hac modificatione. *In fieri per generationem quæ ſit mutatio*, hoc eſt eſſe unum e principiis *mutationis*: qui loquendi modus brevior eſſet, ac magis caſtigatus. Non dicimus 2. privationem eſſe principium efficiens hujus mutationis. Abſit; quia principium efficiens mutationem à ligno v.g. in ignem, eſt illud, quod phyſicè producit in materia formam ignis, cujus generatio eſt corruptio formæ ligni. Solum igitur dicimus privationem eſſe principium intrinſecum, ſive intimum conſtitutivum mutationis. Non dicimus 3. eſſe principium intrinſecum naturalis mutationis, *qua ipſum ens naturale phyſicè, ac formaliter, ac non merè denominativè mutetur*. Abſit, quoniam quod phyſicè, ac formaliter mutatur à privatione formæ ignis v.g. ad ipſam formam ignis, eſt *ſola materia*; non autem ens naturale, quod ſit lignum, aut ens naturale quod ſit ignis. Solum itaque dicimus privationem eſſe principium intrinſecum entis naturalis *in fieri per mutationem*, hoc eſt, eſſe principium intrinſecum mutationis *materiæ primæ ſolius*, quia hæc ſola phyſicè formaliter tranſit à non habendo formam ignis, ad habendum illam. In illo autem *non habendo*, ſignificantur duæ privationes una formæ ignis: altera unionis formæ illius cum ſubjecto. Et in illo, *Ad habendum*, ſignificantur duæ res poſitivæ: una eſt forma ipſa ignis, altera hujus unio, quocirca in hac mutatione quinque inveniuntur unumquodque in ſuo genere. Scilicet materia prima, quæ ſola phyſicè mutatur, quia ipſa ſola ex prioribus ſubſtantiis perſeverat phyſicè: & cum qua ſola identificatur capacitas habendi formam ignis, & quam capacitatem imbibit, vel connotat privatio illius formæ. Item duæ illæ privationes, à quibus mutatur: & duæ illæ res poſitivæ, ad quas mutatur. Vulgò tamen

ſolam formam, & hujus privationem meminimus, non quia excludamus à conſtituendo hæc alia; ſed quia hæc duo ſunt quaſi primaria, & trahunt ſecum reſpectivè, altera duo tamquam corollaria. Sicut trahunt etiam durationes ſuas reſpectivè; omnia tamen ſunt intima conſtitutiva, ut dicam infra num. 87. & ſeqq. Neque objicias *quod in carnem tranſit panis*. Iſta enim eſt converſio miraculoſa, de qua non loquor modo.

21. Non dicimus 4. privationem eſſe in ſenſu *phyſico*, & *entitativo* principium intrinſecum dictæ mutationis, ſicut eſt forma ipſa ignis: hæc enim eſt ens phyſicum, verum, & reale; privatio autem eſt purum nil. Solum ergo dicimus privationem eſſe *ſuo modo*, nempe inſtar nihili, principium dictæ mutationis. Utimur verò locutione illa, quia non ſuppetunt alia verba ad explicandum ſenſum quem mox dabo: & quia illi qui uti cœperunt illa, ſupponebant in auditoribus rectam illius intelligentiam, & quod non declinabant ad pravū ſenſum ex prava illius intelligentia. Non dicimus 5. dictam privationem, ſeu dictum nihilum eſſe in ſenſu *poſitivo* principium intrinſecum dictæ mutationis, quaſi ex parte rerum ſit aliquid quod in ſe ipſo ſit purum nil (ſicut hæc carta in ſe ipſa eſt aliquid) & tale purum nil, ſit principium mutationis. Abſit, quia jam vides implicationem in terminis quæ in hoc eſſet. Et quia in Prodromo diſp. ult. dixi, non eſſe cognoſcibile ab intellectu ullo objectum quod in ſe ſit nil, ſit carentia pura, ſit pura negatio, aut pura privatio, eò quia objectum intrinſecum terminativum omnis prorſus cognitionis humanæ, angelicæ, ac divinæ ſit res entitaſque phyſica, & realis quæ interdum cælatur unis terminis, interdum aliis. Solum ergo dicimus privationem eſſe principium mutationis *ex ſuppoſitione* quod ex parte rerum ſit objectum ſive poſitivum, ſive negativum, ut communis fert modus loquendi ob aliorum verborum inopiam, quod in ſe ipſo ſit privatio. Conſentaneè autem ad illam doctrinam Prodromi, negandum eſt ſuppoſitum hujus propoſitionis, ſi procedat in ſenſu prorſus abſoluto, & quem materialiter innuunt verba: *Privatio eſt principium mutationis*; quoniam, ut ibi dixi, non eſt cognoſcibile ab intellectu objectnm ullum quod in ſe ipſo ſit privatio, ſicut neque ullum quod in ſe ipſo ſit actu formaliter *eſſe*, *vel non eſſe*. Eſt tamen ſimpliciter vera illa propoſitio, ſi enuntiet formam ipſam in primo inſtanti ſuæ generationis, & etiam in proximè antecedente eſſe principium mutationis; ſed æquivocè. Nam in eo primo inſtanti eſt principium in ſenſu *poſitivo*, in proximè antecedente in ſenſu merè negativo, quatenus *Materiam mutari in inſtanti A*, imbibit eſſentialiter quod forma tunc exiſtat, & per ſe immediatè opponitur cum eo, quod illa eadem forma in inſtanti proximè antecedente extiterit in illo eodem ſubjecto. Sicut in loco citato dixi: Exiſtentiam rei eſſe verificativum formale propoſitionis affirmativę, quando hæc eſt vera: nec non verificativum formale propoſitionis negativæ, quando hæc fuerit vera; ſed aliter & aliter. Propoſitionis affirmativæ eſt verificativum in ſenſu *poſitivo*; negativæ autem in ſenſu *negativo*. Sed de hoc ibi.

22. Quid tandem dicimus, quando dicimus privationem eſſe principium

Digitized by Google

pium intrinſecum mutationis? quod rectè intellectum videtur innegabile. Nimirum hanc complexam rem (quæ utique non eſt purè Idealis, & Platonica) *Materiam non habuiſſe formam ignis in inſtanti A, & illam habere in inſtanti B*. Eſſe complexum quoddam conſtitutum reſpectivè, ac diſtributione accommoda per hæc duo *Non habuiſſe eam formam*. (Ecce quod vocatur privatio, nempe carentia rei in ſubjecto capace.) *Habere illam modo*. Sicut hæc res. *Hominem fuiſſe quondam peccatorem, & modo eſſe Sanctum*, conſtituitur accommoda diſtributione per hæc duo unumquodque in ſuo tempore. *Peccatum ante actum*. *Gratia ſanctificans præſens*: In hoc quæ difficultas? Huic pronuntiato cur adeò ſuccenſent adverſarii? Non aliud profectò detego motivum adoriendi tam atrociter pronunciatum illud Peripateticum, quàm intelligentiam illius penitus alienam à mente Peripateticorum. His præmiſſis, aggrediamur jam rem ipſam.

CAPUT SECUNDUM.

Athomos non eſſe Principia entis naturalis.

23. PRIMO. Non excludo athomos, quæ ſint puncta phyſicè indiviſibilia ſecundum longitudinem, latitudinem, ac profunditatem, quoniam his conſtare continuum, multi Peripatetici docent (& forſan merito cum ipſo Ariſtotele, ut dixi in Phyſica naturali diſp. 2. circa continuum) aſt puncta illa, ſive athomi hoc modo indiviſibiles, quibus conſtat continuum, conſtant indiviſibili athomo materiæ, & indiviſibili athomo formę ſubſtantialis, ſi illa non fuerit rationalis. Unde puncta quibus conſtat continuum phyſicum, quod ſit Ens naturale, non ſunt in hoc ſenſu indiviſibilia, quatenus non conſtent gemino alio puncto uno materiæ, & altero formæ illius. Sunt autem indiviſibilia in eo ſenſu puncta ſingula materiæ, & puncta ſingula formæ. Secundò. Non excludo compoſitionem ex athomis ſtantem in eo, quod omnia, vel pleraque entia hæc integraliter componantur ex innumeris athomis ſubſtantialibus, & etherogeneis, quæ invicem conglobatæ formant illud corpus. Experientia quippe Alambici patefacit humorem, ſpiritum, pinguedinem, ſalem, quę latebant in corporibus igne illo exercitis. Camini ignes oſtendunt vapidum humorem lignorum, qui abit in fumum, ſpiritus pingues, ex quibus fit flamma, & terram, quæ fit cinis: quorum omnium unumquodque conſtat innumeris particulis ſicut cętera continua. Verumtamen iſta omnia ſunt partes integrantes iſtorum corporum, & unumquodque conſtat ſuà formà ſubſtantiali ſpeciali, quæ præter iſta omnia, eſt aliquid aliud ſubſtantiale, quod iſtorum indiget conglobatione, & quod perit omninò quando iſta diſſolvuntur, &

Digitized by Google

quod eſt prima radix omnium ſpecificarum proprietatum entium iſtorum, & quod vocatur *forma ſubſtantialis*. Sic in homine eſt ſanguis Ordinarius, ſunt ſpiritus utrique, eſt lac, ſeu ſuccus nervorum, eſt pituita, & ſunt ambæ biles, & eſt aqua, & eſt abdomen, & eſt ſuccus pinguis, & ſunt multa alia; ſed omnia hæc conſtant ſua propria ſpecifica forma ut exponam cap. 5. & ſunt partes merè integrales hominis, & præter iſta omnia eſt aliquid aliud ſubſtantiale quod vocatur *anima rationalis*, iſtis omnibus indigens reſpectivè, ut informet corpus, & abiens in locum ſuum, quando iſta diſſolvuntur. Sic in quovis ædificio (& ſimiliter reſpectivè in cæteris toris artificialibus) eſt terra, eſt aqua, eſt calx, eſt ſaxum, eſt ferrum, ſunt trabes, ſunt lateres; ſed hæc omnia ſunt partes integrantes, & ſingula habent ſuam formam ſubſtantialem ſpecialem, & ultra ea omnia eſt quædam accidentalis forma: nempe artificialis coordinatio, & combinatio localis illorum, per quam illorum congeries conſtituit potius artificiale quoddam totum, quod vocatur *Domus*, quam congeriem indigeſtam rerum. Similiter in præſenti. Non nego entia hæc naturalia, quæ præ manibus habemus, componi integraliter innumeris particulis homogeneis unis, & etherogeneis alteris. Sed ſingulæ habent ſuam characteriſticam formam ſubſtantialem, & omnes iſtæ particulæ ſunt partes dumtaxat integrantes arboris v. g., & præter illas omnes eſt quædam alia ſpecialis forma ſubſtantialis (ſicut adverſarii dicunt eſſe ſpecialem aliam combinationem iſtarum particularum) quæ radix, & origo eſt proprietatum illius arboris potius, quam alius, & potius quam canis, potius quam aquilæ &c. Solum ergo excludo athomos, quas olim docuerunt vetuſtiſſimi quidam Græci validè refutati per Ariſtotelem, & modo recentiſſimi quidam latini. Nimirum athomos, ſeu indiviſibilia puncta ſubſtantialia non compoſita ex materia, & forma, quæ puncta indiviſibilia uno modo combinata, ſint eo ipſo ignis, & alio modo coordinata evadant eo ipſo aqua, ſub una combinatione ſint equus, & ſub alia ſint allium. Hujuſmodi athomos, & compoſitionem ex illis, & abnegationem materiæ, ac formæ ſubſtantialis negat præfixa concluſio. Præterea non dico eſſe *evidenter metaphyſicè impoſſibile*, quod in alio rerum ſyſtemate ita Deus condidiſſet mundanam machinam (non hanc individuam, ſed aliam huic ſimilem, licet ſpecie diſtinctam) ut eſſet congeries ex innumeris punctis phyſicè indiviſibilibus earum dumtaxat rerum, quas vocamus formas ſubſtantiales nulli ſubjecto inhærentium ſicut modo non inhæret ſubjecto quantitas euchariſtica, ſed miraculosè conglobatarum inter ſe. Ita ut in quovis fruſto illorum corporum (non utique viventium, quia de his eſſet ſpecialis difficultas) eſſent promiſcuè, ac confuſe innumeræ particulæ diverſarum formarum, quæ tali, aut tali motu, combinatione, aut extrinſeca operatione, ita expedirentur jam unæ, jam aliæ, ut jam apparerent unæ, jam aliæ. Ut modo contingit in vapore, in humore, in aqua, in ſpiritu, in ſale, in oleo, quæ beneficio alambici diſcerni ſolent, cum prius promiſcua ſint in illis herbis, aut liquoribus, quæ alambico exercentur.

Et

Digitized by Google

Et ſicut contingit in coloribus, qui videntur temerè ſparſi ſupra tabulam, qui tamen inſpecti ex uno latere exhibent figuram humanam v. g. & inſpecti ex alio exhibent equinam &c. Denique ſi Magiſtri Anathomiſtæ, præſertim Medici, dent iſta ſyſtemata (excepto Carteſiano ſapienter repulſo ex noſtris ſcholis) non *ut theſim*, ſed ut meram *hypotheſim* explicandi ergo medicas non paucas experientias, diſſentio quoque illis ob eaſdem fere rationes. Sed non ita contendo contra *hypotheſim*, ſicut contra *theſim univerſalem*.

24. Uſque ad hanc ſolam metaphyſicam poſſibilitatem non impugnatam evidenter (ut ſenſatè innuit Oviedo) poſſunt ad ſummum aſcendere iſta ſimiliaque exempla, quæ urgent Magnanus, & Caro infra citandi. Nec non poeticum illud. *Oviedo Cōtrov. 3. Phyſic. Punc. 4. num. 5.*

Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem *Metamorph. 1.*
Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.

Etenim non ſpondeo elicere ſub metaphyſica evidentia duo contradictoria ex eo, quod in illis mixtis non viventibus eſſent innumera puncta indiviſibilia ligni, non compoſiti ex materia, & forma: innumera alia aquæ ſimiliter non compoſitæ: innumera alia panis ſimiliter non compoſiti: innumera alia ferri ſimiliter non compoſiti &c. Hinc autem ſequerentur quidem hæc quinque 1. totam illam fabricam mundanam quoad mixta illa fore reſpectu noſtræ miraculoſam. 2. poſſibilem eſſe metaphyſicè terram, aquam, aurum, & ſimilia diſtincta ſpecificè, aut etiam genericè ab his quæ modo ſunt; eo, quia non ſint phyſicè compoſita ex materia, & forma. Sed omninò ſimplicia, ideſt ſint ſolæ formæ, & abſtracta earum rerum, quæ formæ, ut pote ſubſtantiæ incompletæ diſtinguuntur ſpecie à ſubſtantiis completis cum quibus identificantur, inadæquatè. 3. agentia naturalia, quæ tunc eſſent non aliter operatura, niſi quatenus aliter, & aliter combinarent, & diſponerent congeriem illam minutiſſimarum particularum. 4. non dandas tunc mutationes, ſive converſiones ſubſtantiales, neque ſubjectum commune harum. 5. non fore in eo ſyſtemate elementa ſtrictè talia, mixta ſtrictè talia, ideſt compoſita ex *materia* elementorum. Ex his autem, & ſimilibus, quæ hypotheſis illa afferret ſecum non polliceor inferre evidentià metaphyſicà duo contradictoria; quamobrem non dicam eſſe metaphyſicè evidens, entia naturalia componi ex materia, & forma ſubſtantialibus; imò nec phyſicè evidens, quia cum ſola accidentia materialia percipiamus ſenſibus, nullo horum percipimus materiam, aut formam ſubſtantialem. Addo tamen. Quot, & quanta abſurda pullulabunt ex eo, quod de facto ſint, quæcumque ſunt metaphyſicè poſſibilia? quot & quanta ex eo, quod ſint metaphiſicè poſſibilia indiſcriminatim omnia illa, in quibus non probantur per evidentiam metaphyſicam duo contradictoria. Oſtende illa evidenter in ſpecie equorum, qui ex ſuamet eſſentia ſint phyſicè ſaltem determinari ad conatum calcitrandi ter in die, & ter in nocte, & non pluries. Oſtende illa in ſpecie animalium, quæ ex ſuamet eſſentia ſint determinata phyſicè ad dormiendum duodecim horas quotidie. Oſtende illa in ſpecie

cie

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cie quadam animalium rationalium, quæ ex ſuamet eſſentia ſint determinata phyſicè, ſicut ignis reſpectu caloris, ad conatum ſaltem canendi, & ſaltandi ſemel in ſingulis horis. Ideò ne ſunt poſſibiles ridiculæ hæ ſpecies? Nempe humani diſcurſus, & conclusiones non ſunt regulandæ per ſola, & ſola *principia metaphyſica*, ſed per *prudentialia*, etiam ut ſupra dixi: & ſicut eſt ignorantiæ refragari principiis metaphyſicis: ita eſt pervicaciæ declinare à principiis Prudentię aliorumve habituum intellectualium.

25. Igitur DD. omnes athomiſtæ conveniunt 1. in excludendo ab entibus naturalibus, quæ experimur, compoſitionem ex materia, & forma ſubſtantialibus invicem diſtinctis, in agnoſcendoque ſolas athomos, ſeu puncta indiviſibilia (indiviſibilitate rejiciente compoſitionem eam) quæ jam unis, jam aliis conglobata, & combinata modis efficiunt, & efformant, jam una, jam alia entia naturalia. Porrò hæc combinatio ſtat phyſicè ex parte rerum in quatuor conceptibus, quod bene nota, quia paſſim loquemur de illa. Primo, eixſtentia talium, & taliun athomorum. 2. carentia talium aliarum. 3. talis locus ſitus, & præſentia unarum. 4. carentia talis alius loci, ſitus, & præſentiæ ipſarum, & aliarum. Et quidem hæc omnia importantur in recto. At ſitus, & præſentia ſunt accidens diſtinctum adęquatè à ſubſtantia: & carentiæ illæ ſunt purum nil. Ergo iſtæ combinationes ſunt phyſicè à parte rei partim accidens, partim nil. Conveniunt 2. hi Authores in non explicando quid ſint ex parte rerum athomi iſtæ, iſta puncta, quod nomen, quod vocabulum ſpecificum, & particulare habeant in aliqua ex linguis notis præter illud valdè genericum, & abſtractum *athomus*. *Punctum &c.* Unde vel illæ athomi ſunt reverа particulæ minimę illius, quod nos vocamus *materiam primam*, quę ſanè conſtat athomis, ſive, punctis phyſicè indiviſibilibus quoad extenſionem, ac compoſitionem, vel regeritur in ipſos idem quod nobis objiciunt, nimirum nos recurrere *ad formas neſcio quas, & gratis confictas*: nec non *ad ignotam* materiam loco *notiſſima materia elementaris*, ut loquitur Magiſter Saguens: quaſi Salomon ipſe non ſatis apertè innuerit non eſſe notum ſenſibus illud ex quo formavit Deus hanc fabricam mundanam. *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa*. Ergo quod materia illa quam dicimus eſſe unum è primis principiis horum entium naturalium ignota ſit ſenſibus, ſeu *inviſa*, non probat Deum non fabricaſſe ex illa machinam hanc. Dicent igitur ſimiliter Peripatetici. Quę ſunt athomi iſtę? quam notionem, quod ſpecificum, ac particulare habent vocabulum, ut mentem figere poſſimus? & maximè in ſententia hujus Magiſtri, qui licet doceat athomos eas elementares eſſe; aſt non ex his ſolis quatuor elementis notis, nam *multa alia admittimus, ac tuemur*, inquit, nempe elementa. Iſtud ergo de re *ignota* videtur ęquè ferire omnes. Et meritò, quia in hoc ſtatu accidentia ſola materialia, & quidem non omnia percipimus ſenſibus; nullam autem ſubſtantiam, ut ſępè dixi: quia hęc neque eſt lux, neque color, neque odor, neque durities, neque mollities &c. ſed habet

Diſp. 1. phyſic. ar. 4. n. 9. & 10. Sapien. 11.

Ibid. n. 19.

habet hęc ſibi adiacentia. Unde quod attinet ad ſenſus, tam ignotæ ſunt athomi athomiſtarum, quam materia, & forma Peripateticorum. Conveniunt 3. in negando cauſis ſecundis omnem activitatem, vim, & cauſalitatem præter artificialem. quia juxta illos nil aliud faciunt cauſæ ſecundæ, quam diverſimodè combinare particulas ſubjecti cui applicantur: & ex illa diverſa combinatione naſcitur jam ſaxum, jam ignis, jam lignum, jam vinum &c. quia vel tota quidditas harum ſpecierum ſtat in athomis diverſimodè combinatis. Vel in quovis ſubjecto ſunt quaſi ſemina rerum harum, & cauſæ ſecundæ nil aliud faciunt, quam evolvere, atque explicare ſemina illa.

26 Differunt autem inter ſe prædicti DD. quod uni docent athomos, quas judicant eſſe principia entium naturalium, eſſe homogeneas, ejuſdemque penitus ſpeciei, efformari tamen ex eis diverſa entia naturalia, prout illæ dilatantur, condenſantur, emolliuntur, indurantur, coadunantur, diſperguntur, ornantur unis, & ſpoliantur aliis qualitatibus. Ita Petrus Gaſſendus vir ſatis litteratus, ſecutus (ſobriè tamen & ſub terminis merę probabilitatis, & abjectis erroribus contra fidem) Democritum, Epicurum, Lucretium, & ſimiles antiquiſſimos Philoſophos. Non bene audientes ſuper immortalitate animæ, atque exiſtentia Deitatis; meminiſſe autem debuerant hi ſequaces illorum *ſuſpecta dona Minervæ*. Et *timeo Danaos, & dona ferentes*. Alii fatentes athomos prædictas eſſe entitativè, quoad ſubſtantiam ſpeciei ejuſdem, dicunt ab initio accepiſſe à Deo æquabilem motum, unas circa unum centrum, alias circa diverſum: item figuram cubicam, vel pyramidalem, ex hiſque athomis, ſic motis, ac figuratis ab initio productis per Deum reſultare, ac componi totam diverſitatem entium naturalium, quæ experimur. Ita Renatus Carteſius, quem nec pauca, nec obſcura ingenia ſequuntur. Alii demum docent athomos eas eſſe etherogeneas invicemque diſtinctas ſpecie, & particulas elementorum, non quidem horum præcisè quatuor vulgarium, ſed aliorum multorum, quæ ſolum in genere dicuntur à ſuis authoribus, & unamquamque ex his athomis identificari, cum ſua vi, ac facultate ad ſuos motus, ita ut licet poſſit dici ſingulas componi ex materia, & forma, compoſitio hæc non ſit phyſica, ſed metaphyſica, quoniam materia eſt entitas ipſa athomi; forma verò ſua facultas, & vis intrinſeca, ut loquitur Magiſter Saguens. ex innumeris autem combinationibus prædictorum elementorum tum notorum, tum anonymorum in quibus combinationibus jam prævaleant una, jam alia, jam unum, jam aliud elementum, coaleſcere cuncta entia naturalia. Ita docti duo Magiſtri ex Minimis Emmanuel Maignanus, & Joannes Saguens, qui duo priſcam elementariorum ſententiam purgarunt, & renovarunt; ajentes, Deum ab initio creaſſe non quatuor ſola, ſed plurima elementa, & ex illorum particulis mira varietate temperatis, ac combinatis jam unorum, jam aliorum incremento, reſultare tanquam ex principiis intrinſecis, ac conſtitutivis (hoc quippe ſolum eſt, quod diſputatur) omnia entia naturalia: quam ſententiam non parum illuſtrat M. Anduè ex Cappucinorum Familia infra citandus. Nul-

Saguens diſp.1. Phyſic. ar.4.n. 11. & 15.

§. II.

27. NUllum ex his tribus placitis Athomiſtarum mihi probatur, non quidem propter ullam rationem ſtrictè à priori; (ægrè namque excogitabis aliquam, quæ id generis videatur, quam Authores hi non negent conſequenter ad ſuam doctrinam mutantem illa, quę aliis ſunt prima principia) Sed 1. propter rationes ex Prudentiæ principiis erutas à num. 5. & ſeq. 2. quia cùm iſta ſyſtemata Carthesiana, & ſemi carthesiana originem habuerint, ut jam dixi in Prologo, in Hiſpania à duobus præclaris Philoſophis Hiſpanis, Valles, & Percyra, in libris de Sacra Philoſophia, & Margarita Antoniana, rem obliteratam renovare volentibus, in nulla totius Monarchiæ Univerſitate (excipe Neapolitanam) ſive Europæ, ſive Americæ, ſive Aſiæ, ſequaces habent, aut habuerunt; cùm tamen aliàs magni habeantur illi duo Authores. 3. quia Medicis credere debemus in ſua Philoſophiæ parte, nimirum ad valetudinem corporum ſpectante; ſed non eo ipſo in ſpeculativa, quia vetus Proverbium vetat. 4. Propter nonnulla quæ abſurda videntur non levia, & inferri videntur etiam ex illa ſententia. Et primò non invenio fructum tanti ſtrepitus, atque laboris, quo diſceſſerunt à Peripateticis, neque pretium tanti certaminis. Etenim portiones iſtæ Athomorum entitativè ſubſtantialium, quæ ſine ſui generatione ex aliis, & ſine ſua unquam corruptione, & ſine ſua compoſitione ex materia, & forma principiant jam unum mixtum, jam aliud: jam unum ens naturale, jam aliud v. g. jam terram, jam herbam, jam arborem, jam florem, jam fructum, jam carnem illius animalis, quod veſcitur eo fructu, ſeu herbâ. Portiones, inquam, ipſæ, re benè perpenſa, ſunt portiones illius, quod nos vocamus materiam primam, & ex qua *inviſa*, juxta Salomonem nuper citatum, creavit Deus cuncta entia naturalia, quibus conſtat machina hæc materialis. Quoniam illa conſtat tota athomis, hoc eſt punctis phyſicè, aut moraliter indiviſibilibus, tum quoad locum, tum quoad compoſitionem ex materia, & forma; eſtque ſubſtantia per ſe indifferens ad principiandum jam una, jam alia entia naturalia. Eſſe autem *puram potentiam*, & neque *quantam*, neque *qualem*, non ſignificat, illam non habere verè, phyſicè, realiter ullum actum; ſed ex ſua natura non habere determinatè ullum determinatum, quia ad omnes indifferens eſt; unde ſolvitur dubitatio Valleſii. Solum itaque eſt diſcrimen inter hos Doctores, & Peripateticos, quòd hi in unaquaque ſpecie entium naturalium agnoſcunt formam propriam ſubſtantialem diſtinctam ab iſtis Athomis, quæ ſit principium ſtabile, activum operationum, & proprietatum illius ſpeciei. Saguens autem dicit, eam formam, aut quaſi formam eſſe indiſtinctam ab eis Athomis, ſeu Elementis prævalentibus in ſingulis entibus naturalibus. Gaſſendus verò cum Baſſone poſt

Valles cap. 69. de Sac. Phyloſ. Facile dicitur; non ita tamen &c.

Valles ubi nuper.

poſt Pereyra eſſe indiſtinctam à figura, coordinatione, & combinatione earum Athomorum, & conſequenter eſſe accidentalem. Carteſius eſſe indiſtinctam à motu earumdem circa idem, aut circa diverſum centrum, & à figura quadrata, cubica, aut pyramidali illatum.

28. Ergo, quidquid ſit de verbis, omnes hi Doctores admittunt realitatem illius, quod nos vocamus materiam primam (nempe rem ſubſtantialem corpoream, neque generabilem, neque corruptibilem compoſitam ex plurimis punctis phyſicè indiviſibilibus utrovis modo dicto, & per ſe indifferentem ad principiandum entia naturalia ſpecificè diſtincta) & admittunt formam in genere: nempe rem, quæ indifferentiam illam determinet, ſitque principium proprietatum entis naturalis. Et motivum totum contentionis, atque ſtrepitoſæ diſceſſionis à Peripateticis, nec non prodigioſæ multiplicationis elementorum, quam docent Maignanus, & Saguens, eſt hęc forma ultimò determinans per ſe formaliter eam indifferentiam, ſitne ſubſtantia, an purum accidens? ſitne diſtincta an indiſtincta ab illis particulis materiæ? quæ ergo magna lux oborta eſt humanis mentibus: quod magnum lucrum adeptæ ſunt illæ, (perſpicuitas, brevitas, & facilitas explicandi naturam, de quibus iſti gloriantur, videbimus mox, quanta eſt) ex eo, quod forma illa non ſit diſtincta ab athomis, ſive particulis materiæ, ut docet Magiſter Saguens contra Peripateticos ajentes eſſe diſtinctas. Aut ex eo, quod forma illa ſit mera combinatio, aut mera figura, ut contendit Baſſon contra PP. Conimbricenſes, aut merus motus illarum partium materiæ, ut docent Carteſius, ac Gaſſendus contra Peripateticos ajentes illam formam eſſe ſubſtantialem? Aut ex eo, quod elementa non ſint ſola iſta quatuor; ſed triginta alia non explicata per Saguens quoad nomina, effectus, & quidditatem? Aut ex eo, quod agentia naturalia, non ſecus, ac illi qui latrunculis ludunt, nil aliud faciant, aut facere poſſint, quam tranſmutare, evolvere, atque explicare, ſeu contrahere, & condenſare particulas, ſitum, & coordinationem ſubjectorum, quibus applicantur? quod inquam magnum lucrum, ut tanto impetu, ac ſtrepitu facta ſit diſceſſio à priſco ſcholarum more? quæ aliæ difficultates læviganrur, quæ naturæ phænomena ſimpliciùs, clariùs, & faciliùs explicantur per id, quod *forma ſubſtantialis* non diſtinguatur à materia, in quod tandem venit Saguens num. illo 15. aut per id, quod formæ entium naturalium ſint accidentia, nempe ſitus, coordinatio, figura, aut motus? ita ut ens naturale ſit compoſitum ex ſubſtantia, & accidentibus, nempe illis combinationibus, cum nos dicamus eſſe compoſitum ex gemina ſubſtantia, ſcilicet ex materia, & forma? Tarditatem meam fateor. Non aſſequor ſublime illud, optatiſſimum illud, quod Philoſophi nunquam invenerunt per viam *formæ ſubſtantialis diſtinctæ à materia*; & invenerunt hi Doctores tandem per viam *formarum accidentalium*, quales ſunt coordinatio, & combinatio, ſeu motus partium, aut per viam formarum ſubſtantialium, ſed indiſtinctarum à materia. Et eandem multitudinem, conſequenter confuſionem, ac difficultatem video in 30. illis elementis

Saguens n. 15.

Baſſon lib. 3. de Forma.

Sague-

Saguenii, ac innumeris combinationibus aliorum, quam illi pertæſi ſunt in formis ſubſtantialibus.

29. Secundo. Vel loquuntur DD. hi in ſenſu omninò abſoluto, & omnibus penſatis, & ſine præciſionibus ab hoc, vel illo argumento, quod nequeant congruè ſolvere. Vel loquuntur in ſenſu conditionato, atque præſcindendo à tali, & tali veritate, quam negare nequeant, ut aliqui ſolent tergiverſari, quando premuntur aliquo principio Fidei, quaſi principia Fidei eſſent res frivola, & inepta ad indagandum multas etiam res naturales. Si hoc ſecundum dicant: quod voluerint. tum quia, quivis defendet quidquid voluerit, præſcindendo tamen ab argumentis, quibus ſatisfacere nequeat. Tum quia, quod præſcindendo ab experientiis poſſimus dicere, aquam non humectare, ignem non calefacere, Solem non lucere, & ſimilia, non tollit quod abſolutè, & ſimpliciter ſit verum aquam humectare, ignemque calefacere. Ergo quod præſcindendo à tali, & tali argumento v. g. eruto ex principiis fidei, poſſit dici non dari formas ſubſtantiales diſtinctas à materia non tollit, quod abſolutè, & ſimpliciter, omnibuſque penſatis dentur à parte rei ejuſmodi formæ. quod ſolum dico in præſenti. Si primum. Tunc ſic. In homine datur forma ſubſtantialis diſtincta ab athomis earumdemque combinatione, atque motu, ut fide, & naturali ratione conſtat. Et tamen ſi ſenſibili attendamus reſolutioni hominis factæ per ignem ſicut in alambico, deprehendemus illum reſolvi in ſolos cineres, humorem, ſpiritus, oleum, & athomos. Ergo quod cætera entia naturalia corporea in hæc, aut his ſimilia reſolvantur quoad ſenſum, non probat illa componi his *ſolis*: & aliud non eſſe abſolutè, atque omnibus penſatis, in terra, aqua, arbore &c. quàm athomorum congeriem ſic vel aliter combinatam. Profectò non aſſequor quo argumento ex principiis naturalibus eruto cohibere poſſint hi DD. hominem proclivem in animæ humanæ mortalitatem, & poſtea in atheiſmum, & utentem, vel abutentem ad hoc probandum, & explicandum exemplis eiſdem alambici, & machinarum artificialium quibus utuntur illi.

30. Igitur quanquam pleraque ex illis, quæ apparent poſt reſolutionem entis naturalis verè, & ſimpliciter præceſſerint actu formaliter in ea mole corporea, quæ prius videbatur v. g. vapor, ſpiritus, oleum &c. unumquodque tamen ex illis habebit ſuam formam ſubſtantialem, quæ apparet quando partes illæ invicem diſcernuntur vi ignis, aut cauſæ alius, ita ut moles illa corporea hominis v. g. ſit complexum ex innumeris particulis materiæ primæ, & formarum ſubſtantialium diverſarum diſtributione accommoda ſparſarum per illas particulas materiæ, quod complexum quaſi reflexè informat, animat, & vivificat forma ſubſtantialis, & rationalis, ut exponam infra cap. 5. num. 149. & ſeqq. Et ſimiliter reſpectivè de aliis entibus naturalibus (ſicut in ſententia docente ſubſiſtentiam eſſe formam poſitivam abſolutam, ſuppoſitum, aut perſona, eſt complexum reſultans ex materia, & forma ſubſtantialiter unitis, nec non ex ſubſiſtentia reflexè afficiente illud

totum

rum ex materia, & forma.) Raró profectò, aut nunquam invenietur ullum ens naturale diſtinctum ab elementis puris, ac ſimplicibus qualia non ſunt hæc quibus utimur, ut adverti Diſp. 1. Phyſicæ naturalis cap. 1.) quod non componatur ex forma ſubſtantiali, quæ primariè apparet in ipſo, & ex innumeris aliis formis partialibus (ſaltem tanquam ex partibus integrantibus) informantibus diverſimodè particulas materiæ componentes molem illam corpoream, quæ particulæ materiæ, atque formarum incipiunt apparere quando incipit diſſolvi illa machina corporea, maximè per ignem cujus activitas penetrat uſque ad intimas particulas illius molis. Et hac etiam de cauſa elementa pura, & ſimplicia, ubi fuerint, ſunt verè elementa; quia licet componantur ex materia, & forma diſtinctis, quæ ſola duo ſunt elementa incompleta omnium Entium naturalium completorum; aſt non componuntur ex aliis elementis completis, ut aliqua ſaltem mixta componuntur. Hæc enim non ſunt elementa, quia componuntur ex ſua ſpecifica forma, & inſuper ex materia per multas alias, & diverſas formas partiales informata, quoad diverſas ſuas partes, prout popoſcerit natura illius mixti.

31. Neque dicas unumquodque componi ex eis *ſolis* in quæ reſolvitur quoad ſenſum. Licet enim iſtud valeat in totis artificialibus (ruente namque domo, perſeverant materialia quibus extructa fuerat) item in entibus naturalibus, quando ſermo fit de conſtitutione integrali, qualis eſt humana v. g. ex capite, manibus, pedibus &c. Aſt non ſemper valet in entibus naturalibus, *quoad compoſitionem eſſentialem*. Tum quia cauſæ ſecundæ ſaltem, quæ diſtinguuntur ab Angelis, nequeunt, ita purificare, depurare, ac reſolvere ullum ens naturale, ut perveniatur ad pura, & pura elementa, quibus conſtat: non enim dantur ſub Cœlo hæc pura elementa, quoniam cum tot circumdent agentia naturalia mixtum, quod deſtruitur, producunt illico aliquam formam in partibus manentibus poſt deſtructionem, aut ſaltem unaquæque harum retinet formam partialem, quam prius habebat. Tum quia homo componitur ex anima rationali, & non reſolvitur in hanc, quoad ſenſum, quandoquidem illa, ut pote ſubſtantia ſpiritualis, non eſt perceptibilis per ſenſum, quando homo corrumpitur. Tum quia ex ſententia athomiſtarum infertur, entia naturalia intrinſecè componi ex illa coordinatione, ſive combinatione athomorum, quin permiſſum ſit recurrere ad connotationem, juxta ea quæ dixi à num. 6. Si enim aqua v. g. diſtingueretur adæquatè ab ea, quam habet combinatione partium, & adæquatè identificaretur cum ſolis athomis illis, omnis caſus poſſibilis, in quo exiſterent athomi illæ, eſſet caſus, in quo exiſteret aqua illa (cum repugnet exiſtere omnia penitus conſtitutiva rei nullo penitus dempto, quin res exiſtat) quod tamen apud contrarios eſt falſum, quoniam illæ individuæ athomi poſſunt exiſtere quin habeant illam combinationem, & conſequenter quin ſint illud, quod vocamus aquam. Ergo juxta hos Authores, etiam naturalia conſtituuntur intrinſecè per illas combinationes partium. Et tamen

D 2 non

Digitized by Google

non reſolvuntur in has combinationes, quoad ſenſum, quoniam hæ non perſeverant deſtructo eo ente naturali. Ergo. Idem dico de unione partium, quæ ſanè conſtituit ens naturale, & tamen hoc deſtructo non perſeverat illa, & conſequenter non reſolvitur in illam, in ſenſu quem intendunt Adverſarii. Idem de concreto ex ſubjecto, & forma accidentali, quamvis hæc non ſit aliud à combinatione partium. Nam certè hoc concretum intrinſecè conſtituitur per illam formam, & quando deſtruitur, ob deſtructionem hujus, non reſolvitur in hanc, ſiquidem hæc non perſeverat. Ratio autem eſt. Nil reſolvitur in illud quod non perſeverat in rebus, quando illud deſtruitur. At quoties deſtruitur conſtitutum, neceſſe eſt, quod aliquod conſtitutivum deficiat, ſeu non perſeveret, quoniam ſi omnia penitus perſeverant, perſeveraret quoque conſtitutum, & defectus connotati, conditionis, aut cujuſvis actus, eatenus facit quod deficiat conſtitutum, quatenus facit quod deficiat aliquod conſtitutivum; ergo nunquam reſolvitur conſtitutum *in omnia* ſua conſtitutiva, quandoquidem eſt neceſſarium, quod unum ſaltem deficiat, ergo falſum eſt, quod unumquodque ex eis *ſolis* componatur in quæ reſolvitur. Quamobrem adagium iſtud: *unumquodque componitur ex eis in quæ reſolvitur*, & illud alterum. *Ultimum reſolutivum eſt primum conſtitutivum*, quibus maximè inſiſtunt Magnanus, & alii, ſuis experientiis alambici, quibus chimicas addit Carus, nec fuit dictum in ſenſu univerſali poſitivo, quaſi omnia quæ perſeverant deſtructo compoſito, compoſuerint illud, quia hoc patet eſſe falſum; alias Sol perſeverans poſt mortem hominis compoſuiſſet hominem. Neque in ſenſu univerſali negativo, quaſi non componat rem, niſi id quod perſeverat poſt rem deſtructam, quia hoc etiam eſſe falſum nuper oſtendi. Solum igitur fuit dictum in ſenſu particulari, & hypothetico: ſcilicet, ſi diſſoluta unione inter A, & B, ambo perſeverant in rebus, & formaliter ob defectum illius unionis deficit aliquod complexum, hoc componitur ex utroque. Certè ſoluta compage humanorum membrorum hæc perſeverant; & tamen homo non conſtat eſſentialiter, ſed tantum integraliter illis.

Magnan. diſp.1.c.1. Carus lib. 1. Philoſ. diſp. ult. diſqu.1.& lib.3.diſp. 4.diſqu.1.

32. Tertiò. Magnus conatus horum Doctorum eſt, quod cauſæ ſecundæ nil prorſus faciant de novo, quoad entitatem, quoad ſubſtantiam, quia putant hoc eſſe *creare, & facere ex nihilo*, quod *ſolius Dei ejuſque verbi, & ſapientiæ eſt*, ut docet Athanaſius: quocirca non aliud eis concedunt miniſterium quam diverſimodè combinare dictas athomos quoad figuram, quoad ſitum, quoad virtutes illis intrinſecas, quoad decrementum unarum, & incrementum aliarum &c. quatuor rogo ab ipſis. 1. Hæc eadem combinatio, coordinatioque eſtne aliquid phyſicum, reale, entitativum, his, vel illis voculis coarctatum, & modalizatum, & diſſimulatum. Vel eſt aliquid phantaſticum, purè ideale, & titulus ſine re, & merum ludibrium. Si primum: cum illa individua *combinatio* athomorum, quæ modo eſt in hoc ente naturali, quod modo appa et, non fuerit prius: & agentia naturalia cauſent hanc *combinationem*, habebimus, agentia naturalia cauſare ſimpliciter abſo-

Serm. 3. contra Arian.

Digitized by Google

abſolutè, & de novo entitatem, & relationem ſaltem accidentalem, & modalem, quæ prius non erat, & habebimus in quo hebetentur, ac retorqueantur cuncta argumenta horum Doctorum contra vim cauſarum ſecundarum ad faciendum de novo *aliquid*. Et rogo. Ideòne creant, ſeu producunt combinationem illam ex nihilo? Abſit. Ergo ex eo, quod producant de novo entitatem ſubſtantialem, quæ ſit forma ſubſtantialis non ſequitur fore, ut illam creent, ſeu faciant ex nihilo, ſeu non educant illam ex potentia materiæ, in recto ſenſu hujus locutionis explicatæ num. 16. *Secundum eſt*, quando Angelus, quando anima ſeparata à corpore intelligunt, diſcurrunt, judicant, amant, oderunt, deſiderant, ſperant, cæteraſque operationes vitales purèque ſpirituales eliciunt, quæro: quas athomos combinant, coordinant, vel adiungunt, ut formentur illi actus intellectus, & voluntatis? Videtur plana reſponſio negativa. Et tamen non creant, non producunt ex nihilo illas ſpirituales operationes in ſenſu philoſophico. Ergo ſine iſtis combinationibus, & cum nova productione rei, quoad ſuam entitatem ſtat, quod cauſæ ſecundæ non creent, & non producant ex nihilo. Nempe ut loco citato dixi: creare, & producere ex nihilo in ſenſu philoſophico, eſt producere rem per actionem *non unitam per ſe eſſentialiter alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito*. Sicut annihilari eſt deficere in nihil, hoc eſt, in nullum ſubjectum præſuppoſitum ad actionem naturalem rei. Educere autem eſt producere rem per actionem *unitam per ſe eſſentialiter* alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito. Et in hoc ſolo ſenſu eſt facere, ſeu producere *ex aliquo*. Sicut corrumpi eſt deſinere in aliquid, quod ſit ſubjectum præſuppoſitum. Et actio corruptiva ligni v.g. eſt illa, qua producitur forma ignis. v.g. in ſubjecto in quo erat forma ligni. Terminum quippe corrumpi, non eſt quid phyſicum, ſed carentia, & purum nil: unde actio corruptiva eſt, vel mera ceſſatio à conſervatione rei olim eductæ de ſubjecto, vel productio alius oppoſitæ cum ea in eo ſubjecto. At quamquam Angeli, animæ, & reliquę cauſæ ſecundæ producant ſimpliciter, quoad entitatem, ac de novo tales, aut tales effectus: ſubſiſtit quod non producant illos per actionem eſſentialiter unitam alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito ad illam actionem, quia ſi hæc fuerit immanens, unitur per ſe eſſentialiter ſuo agenti creato, quod ſane eſt ſubjectum præſuppoſitum ad ipſam; Si verò tranſiens unitur per ſe eſſentialiter illi ſubjecto in quo operatur cauſa ſecunda. Ergo quanquam cauſæ ſecundæ producant ſimpliciter quoad entitatem, ac de novo tales, aut tales effectus, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, ſubſiſtit quod non producant illos per creationem, ſed eductionem, non ex nihilo, ſed ex aliquo in præſenti phyloſophico ſenſu.

33. Rogo *tertium* de homine nunc concepto, & victuro 60. annos. Hic habetne jam in primo hoc inſtanti ſuæ vitæ, quoad entitatem realitatemque accidentalem (& modalem etiamſi volueris) omnes penitus actus intellectûs, atque voluntatis bonos, malos, indifferentes quos habiturus eſt, quoad entitatem, decurſu totius ſuæ vitæ (non lo-

quor

quor de ſpeciebus, aut de aliis diſtinctis à prædicta realitate) vel non habet. Primum videtur difficile (ne dicam repugnans doctrinæ catholicæ de libero arbitrio) & longè difficilius, quod fiat diſceſſio à communi tot gravium Peripateticorum ſenſu, tametſi occurrat barathrum hoc. Si ſecundum: quæro iterum. Vel hic homo decurſu temporis eliciet prædictos actus, quoad entitatem, & realitatem; Vel non, ſed aliunde habebit illos. Si primum: ergo producet illos ex nihilo, & creabit illos juxta athomiſtas hoc diſcurſu impugnantes entitatem formæ ſubſtantialis diſtinctæ à materia, atque de novo factæ, quoad entitatem, & realitatem ſuam: cumque ſequela illa ſit nulla, videtur nullus quoque eſſe eorum Authorum diſcurſus. Si ſecundum: homo hic habebit ſe merè paſſivè in proceſſu toto ſuorum actuum intellectus, & voluntatis bonorum, & malorum, nempe accipiendo illos aliunde, & nil agendo, quoad entitatem, & realitatem adhuc modalem. quo ergo jure dicetur vivere, mereri, aut demereri actibus illis? Et hæc deglutire eſt, *facilius, clarius, & expeditius* explicare res naturales? non facilè credam. Repete principia prudentialia explicata num. 5. & ſeqq.

34. Rogo *quartum*. Illud ens naturale, quod vocatur canis, & ad quem ſignificandum utuntur omnes hac voce *canis*, vel identificatur plenè adæquatè, ac totaliter cum illis ſolis athomis quibus concreſcit illa moles corporea. Vel cum eis, & inſuper cum ea coordinatione, & combinatione. Si primum: omnis caſus poſſibilis, in quo dantur athomi illæ, eſt caſus, in quo datur canis, quia ut ſæpè dixi, defectus connotati, conditionis, obliqui, prærequiſiti, termini &c. tunc ſolum trahit ſecum defectum compoſiti phyſici, quando trahit ſecum defectum omnium, vel alicujus conſtitutivi eſſentialis compoſiti: Hoc quippe deficere, quando omnia penitus conſtitutiva illius nullo dempto exiſtunt, & in eo ſenſu, in quo ſunt conſtitutiva, videtur chymęra. At non omnis ille caſus &c. quoniam individuæ illæ athomi poſſunt exiſtere deficiente accidentali ea combinatione ipſarum: & tunc non exiſteret canis, ergo hic non identificatur plenè adæquatè, ac totaliter cum eis. Ergo dicendum eſt ſecundum, nempè illum identificari etiam inadæquatè cum ea combinatione, & coordinatione athomorum. Sed hæc combinatio, & coordinatio conſiſtit phyſicè à parte rei in illis quatuor, quæ notavi num. 24. quorum duo ſunt purum nil, alterum entitativè accidentale, & unum ſolum entitativè ſubſtantiale. Ergo totus plauſus, utilitas, ſpecialitas, & veritas dictæ diſceſſionis à Peripateticis conſiſtit in eo, quod canis, leo, arbor, ignis, reliquaque entia naturalia intrinſecè, quoad phyſicam eſſentiam conſtituantur per multa nihila, per multaque accidentia, in quibus ſtat multitudo combinationum athomorum ſimilium, aut diſſimilium. Et quod Peripatetici abſolvunt unica ſimplici forma (ſimplicitate utique excludente compoſitionem eſſentialem ſecus integralem) v. g. forma ignis, forma aquæ, forma leonis, Doctores iſti explicant combinatione reſultante ex unarum athomorum exiſtentia ex innumerarum

alia-

Digitized by Google

aliarum carentia, ex unis unarum præſentiis, & ſitibus, & aliis aliarum præſentiarum, & locorum carentiis. Atqui combinationes factibiles ex his ſunt pluſquam ſufficientes ad ſcindendum caput, vel marmoream, ſi non contentum illa ſola voce, *talis*, *& talis combinatio*, ſcire velit, quid ſub illa lateat, & quodnam ſit illius ſignificatum. Ergo Doctores hi affectantes, & ſpondentes brevitatem, & perſpicuitatem, videntur dare illo verbo, *talis*, *& talis combinatio*, rem ſatis ineſtabilem, & inapprehenſibilem. Non eſt digna tanto labore diſceſſio à Peripateticis. Rogentur hi: quid ſit ignis v.g. & reſpondebunt illicò, eſſe compoſitum quoddam ex duabus ſubſtantiis phyſicè unitis, quarum una eſt indifferens ad multas ſpecies, & vocatur *materia prima*; altera verò eſt origo proprietatum illarum quas in omni experimur igne. Et dicitur *Forma ignis*: quæ reſponſio brevis eſt, & ſufficiens intellectui docili memorique ſe eſſe in carcere obſcuro. Rogentur contrarii. Reſpondebunt ignem eſſe *compoſitum*, *in quo dantur tales*, *& tales athomi* (quot? quales? dicatur ſaltem numerus. Ad minimum dicantur nomina juxta aliquam linguam Europæ, ut rem, quæ facillima dicitur, capere poſſimus) *ſic & ſic configuratæ* (quid, quodnam, quale eſt iſtud *ſic*, *& ſic*?) *& in quo non datur tale aliud elementum, tales, & tales aliæ athomi.* Quot? quænam, quales ſunt iſtæ? Non enim eſt moroſitas importuna id quærere. Aſt non reſpondetur, niſi redeundo ad *ſic*, *& ſic*: ad *tales*, *& tales*. Et hoc eſt, clariùs, ac feliciùs, explicare naturam. Non credo.

§. III.

35. ARguo 4. In homine datur forma ſubſtantialis diſtincta a materia, ut jam memini: ergo in cæteris omnibus entibus naturalibus, niſi poſitivè oſtendatur ratio exceptionis. Exceptiones quippe, ſicut privilegia, & onera, debent poſitivè probari, & non intrudi ad libitum, eò quod ſint metaphyſicè poſſibilia, aut eò quod non impugnentur metaphyſicè evidenter, aut eò quod ſint res pulchræ, quia novæ, aut alio ſimili motivo, ut dicebam ſupra à num. 5. & 23. Sed nulla oſtenditur poſitiva efficax ratio exceptionis, ac diſparitatis. Probo ſolvendo rationes contrarias. Prima eſt conſtare ex principiis fidei hominem, ſecus verò entia alia naturalia, fungi forma ſubſtantiali diſtincta à materia. Sed contra. Ergo etiam vos in re philoſophica, & naturali, qualis eſt compoſitio entis naturalis humani, recurritis ad templum fidei, quem recurſum exprobraris Peripateticis. Ergo 2. ſtando ſolis principiis naturalibus, homo non gaudet anima ſubſtantiali, & immortali (& conſequenter nec libero arbitrio) ſed eſt congeries quædam athomorum *ſic*, *& ſic* combinatarum, quæ congeries, ut ſic combinata edit tales, & tales operationes, ſicut ſoletis dicere de aliis animalibus adducentes exemplum horologiorum, aliarumque machinarum artificialium. Ergo ſi occurreret vobis homo ignorans, aut negans

gans

Digitized by Google

gans Scripturas Sacras, & negans inſuper ſe habere liberum arbitrium, & animam immortalem diſtinctam à corpore, & inquiens omnes operationes humanas provenire à materia athomorum, ſecundum modum rationemque eſſendi, ideſt, combinationem notabiliter diverſam ab ea, quæ eſt in brutis. Si, inquam, occurreret vobis, deberetis ſilere, quandoquidem rationibus omnibus erutis ex ſola philoſophia naturali poterat ille ſatisfacere veſtrâ eadem doctrinâ, veſtriſque exemplis; negando ſcilicet animam diſtinctam ab athomis humanis, & conſequenter liberum arbitrium, & conſequenter opera quæ digna eſſent præmio, aut ſupplicio in altera vita, & conſequenter alteram vitam, & conſequenter, dicere poſſet, attenta ſola ratione naturali: *comedamus, & bibamus; cras enim moriemur*. Quæ Iſaiæ verba cum protuliſſet Paulus, ſapienter ſubjunxit. *Nolite ſeduci*, & Poetæ Græci protulit teſtimonium, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Et monet. *Evigilate juſti, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor*. Ubi tonitru illo, *Evigilate*, monere videtur Apoſtolus periculum non leve. Profectò Auguſtinus præſcindendo etiam à principiis fidei ſupponit notam unicuique ſuam animam, à corpore diſtinctam. *Reſpondet omnis qui vivit; qui autem hoc non poteſt reſpondere, neſcio ſi vivit. Quid reſpondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de ſpiritu meo*. Dicendum ergo videtur quod ſi ex principiis ſolis naturalibus conſtat, hominem conſtare corpore, & anima, hoc eſt forma ſubſtantiali diſtincta à materia: bruta, & reliqua entia naturalia non ſunt excipienda à ſimili proportionata conſtitutione: Aut hominem nil aliud eſſe quam congeriem ex athomis ſpecialiter combinatis, attentis ſolis principiis naturalibus; ſi bruta, & reliqua entia naturalia ſunt ſimilis congeries. Neque juvat ſolutio Magiſtri Anduè ajentis cogitationes, ratiocinationes, & diſcurſus non poſſe eſſe à materia. Quoniam, ſicut ipſe dicit de aliis compoſitis, ita dicet pervicax negator animæ rationalis, operationes illas non poſſe eſſe à materia præciſa, ac ſecundum ſe; poſſe tamen eſſe à materia *ſub tali modo: ſub tali ratione eſſendi*: ſub tali actu, & determinatione: quæ omnia nil aliud ſignificant, quàm talem determinatam combinationem particularem materiæ, quæ combinatio non eſt forma ſubſtantialis diſtincta à materia..

Iſai. 22. — *1. ad Corint. 15.* — *S. Auguſt. tract. 26. in Ioan.* — *Anduè p. 1. phyſ. tract. 2. cap. 11.*

36. Secunda ratio contra eſt. Compoſitionem entium naturalium poſſe eſſe ex ſolis athomis dictis ſine ulla contradictione: & non probari evidenter à Peripateticis oppoſitum. Sed hanc rationem non eſſe congruam jam dixi ſupra num. 5. & 23. Tertia: hac ſpecie compoſitionis, facilius, brevius, & clarius explicari phænomena, ſeu experientias omnes naturales. Id nego, tum quia cum iſtud ſyſtema trahat ſecum rem (iſtam ſcilicet athomorum congeriem) ex ſe indifferentem ad formandum multiplicia entia naturalia: & rem alteram (nimirum iſtam combinationem, aut motum, quæ profectò non ſunt vocabula ſine re) diverſificantem entia naturalia: inde eſt quod ſyſtema iſtud trahit ſecum in genere, & quoad ſubſtantiam compoſitionem ex

illo

illo, quod Peripatetici vocant materiam primam, & ex illo quod vocant formam, ut notavi num. 27. Et tota differentia ſtat in eo, quod in ſyſtemate iſto expungantur omnes formæ ſubſtantiales diſtinctæ ab iſtis athomis, & in locum earum ſufficiantur tot aliæ formæ accidentales, figuræ, motûs, combinationis, coordinationis &c. Hinc autem quæ ſpecialis claritas, facilitas, utilitaſve, ut ibidem dicebam n. 28. tum quia videtur evenire hujus compoſitionis Magiſtris, quod ſæpè alias contingit pavidis ad umbram quamlibet hoſtium: nempe incidere in manus verorum aliorum hoſtium, quia *antra Carybdis adit, qui vult evadere Scyllam*. Etenim deglutire videntur 1. entia naturalia ſubſtantialia, & abſoluta intrinſecè, atque eſſentialiter componi ex accidentibus modalibus, quales ſunt motus, combinatio, coordinatio (vide quæ circa connotata, & conſtitutiva dixi ſupra num. 9. & 26.) 2. Angelos, homines, omneſque cauſas ſecundas, nil aliud agere, aut poſſe agere reſpectivè, quàm latrunculorum ludum: videlicet diverſimodè combinare, ac diſponere eaſdem penitus athomos (Imò neque hoc faciunt; alias ſimpliciter de novo facerent aliquam entitatem modalem nimirum iſtam combinationem, de qua relege num. 32. & in factura iſtarum combinationum, quæ factura eſt quid phyſicum, & non purum ſpectrum enervarentur omnia argumenta contraria) ob quam combinationum diverſitatem, jam fit equus, jam pepo, jam apparet aquila, jam teſtudo, jam fulget aurum, jam rudit aſinus (ſicut ludens latrunculis, jam vincit, jam vincitur, jam nec vincit, nec vincitur, ob ſolam varietatem combinandi figuras illas) ita ut Sol, carbo, canis, felis, ſtellæ, ac cimices, cuncta denique entia naturalia ſint prorſus idem entitativè, ac quoad ſubſtantiam, nimirum athomorum congeries, & ſolum differant accidentali figura, motu, coordinatione, pluralitate, aut paucitate earumdem, aut diverſatum athomorum. 3. Angelos, & homines non exerceri de novo, quoad entitatem actibus, intellectûs, aut voluntatis; alias producerent illos ex nihilo juxta ſolemnem illationem contrariorum, & conſequenter crearent. 4. non ſuppetere in tota natura ullam rationem congruam ad probandum homines frui anima diſtincta à corpore, & conſequenter, nec libero arbitrio, ut paulò ante dicebam. 5. Motus omnes, ſagacitatem, gemitus, alacritatem, & ſimiles operationes quas paſſim experimur in brutis, non procedere ab ullo principio ſubſtantiali vivificante illa membra, & belluas omnes *eſſe mera authomata omni ſenſu, & cognitione carentia*, quæ propoſitio non permittitur ingredi in ſcholas noſtras. Sed actiones dictas eſſe non vitales; ſed oriundas ex novis configurationibus, & combinationibus illatum earumdem athomorum. Et nil aliud à parte rei, quin unquam explicuerint hi Magiſtri, quænam ſint illæ aliæ prodigioſæ combinationes extrinſecæ, quæ inducunt has alias combinationes quando cantat Philomela, v.g., & rudit ille alius: quando una animalia ſagacitate mira capiunt alia: quando volucres multæ dexteritate tanta nidificant &c. quæ opera ſemper, & ubilibet provenientia ab his animalibus, licet non probent illa fungi diſcurſu; at

digito oſtendunt vivacem imaginationem aliquatenus ſimilem ei, quam nos habemus inter dormiendum. Igitur hæc, & alia parum credibilia, quæ conglobabo infra, & longè difficiliora, quàm formarum ſubſtantialium exiſtentia, quæ ſecum trahit ſyſtema athomorum, admittuntur ab his DD. quæ ſatis rationabiliter oſtendunt illo non explicari *facilius*, & *clarius* phænomena naturæ, ſed tale eſſe, ut declinandi ergo à levibus aliquibus umbris contra formas ſubſtantiales diſtinctas à materia prima, ad plures, & ſolidiores difficultates inducat, reddatque verum priſcum illud. *Incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim*: ſeu. *Antra Carybdis adit, qui vult evadere Scyllam*.

37. Quarta ratio contraria eſt. Peripateticos non ſatis proſpicere veritati antiquiſſimæ illius locutionis. *Formæ materiales educuntur ex potentia, ex ſinuque materiæ*. Item fore, ut illæ producantur ex nihilo, & conſequenter creentur ſi producantur de novo verè, ac ſimpliciter, quoad entitatem. Sed præterquamquod hæc duo non eſſe vera ſatis oſtenditur, tum in actibus intellectûs, & voluntatis ſaltem primis, & in ſpeciebus ſpiritualibus: tum in ipſis coordinationibus, combinationibus, ac configurationibus, quæ per hos Doctores ſufficiuntur in locum formarum ſubſtantialium, quandoquidem iſtæ modalitates, quæ utique non ſunt voces inanes, ac ſine re, ſimpliciter de novo fiunt, quoad ſuam qualemcumque entitatem, quin propterea creentur, aut deſinant educi ex potentia ſuorum ſubjectorum. Præter hoc, inquam, jam ſolvi nodum iſtum num. 17. & 18. ſola explicatione philoſophica, & ſcholaſtica iſtarum phraſeon, quidquid ſit de venuſtate metaphoræ latinæ. Quinta ratio eruitur ab his Magiſtris ex aliquibus experientiis oſtendentibus, aut non eſſe formam ſubſtantialem, ubi eſſe videbatur, aut latere illam, quæ de novo apparet: & conſequenter oſtendentibus agentia naturalia nil aliud egiſſe, quam foras trahere, quod intus latebat. Experientiæ autem ſolent eſſe 1. Calybe percutiente ſilicem, emicant ſcintillæ, quænam eſt cauſa creata phyſicè producens de novo, & quoad entitatem illam formam ignis? Non motus, non colliſio, non calor, quia hæc omnia ſunt accidentia, & accidens non eſt virtus productiva ſubſtantiæ, ut nos dicimus. Non calybs, aut lapis, quia hæc duo non continent formaliter formam ignis, cum diſtinguantur ſpecie ab illa: nec eminenter, quia non conſtat eſſe entitativè perfectiora igne. Ergo dicendum quod ignis ille actu formaliter erat in ſilice, & quod percuſſione evolvuntur particulæ componentes ſilicem, mutatur combinatio illarum, & educuntur particulæ ignis, quæ intus latebant. Idem quando duo pali fortiter perfricantur invicem.

38. Experientia 2. quando aqua aſpergitur calci, hæc ebullit, & magnum in illa æſtum experiri ſolemus. Quænam eſt cauſa productiva illius caloris? Non quidem aqua. Non calx ipſa. Ergo dicendum, quod ille calor non generatur de novo, ſed quod intus erat in calce illa, & quod aſperſione aquæ disjicitur coordinatio prior particularum calcis, & incipit alia, qua foras erumpit calor, qui intus latebat tacitus, ergo dicendum idem de aliis generationibus, nimirum non generari

rari de novo formas ſubſtantiales ; ſed fieri aliam combinationem particularum componentium illa corpora : & apparere quod prius latebat. Experientia 3. eſt ex alambico. Hujus namque activitate extrahuntur ſpiritus, ſales, olea, vapores reſolvendi protinus in aquas ex herbis, variiſque aliis mixtis alambico ſuperpoſitis. At nulla congrua aſſignatur cauſa, quæ producat de novo, quoad entitatem formas illas ſubſtantiales, ut ſatis probabile eſt : quandoquidem ignis, qui tunc eſt unica cauſa operans, non habet virtutem producendi aquam illam, & etherogeneos eos effectus. Ergo dicendum omnes illas actu formaliter præceſſiſſe in mixtis illis ; ea tamen combinatione, ac mixtione cum aliis, aut non apparerent, neque exercere poſſent ſuas vires : urgente autem activitate ignis, & diſſoluta illa combinatione apparent, quæ prius celabantur. Ergo idem dicendum in omnibus aliis generationibus, quæ apparent novæ. Scilicet non eſſe novas, quoad entitatem ullius ſubſtantiæ, quæ producatur de novo, ſed duntaxat quoad diſſolutionem unius, & formationem alius combinationis illarum earumdem athomorum, ſive particularum, quas Deus ab initio produxit. 4. experientiam afferunt machinæ artificialis. Vide quanta regularitate ſolent moveri rotæ horologii modò una ſola, modò omnes, modò tardè, modò velociter, modò ſonat, modò ſilet, modò ſonat toties, & non pluries, modò pluries, & non ſolum toties : quin ibi ſit aliqua ſubſtantialis forma diſtincta à combinatione rotarum, ponderum, & cæterorum, quæ artificium illud componunt. Cur ergo non poteſt contingere in totis naturalibus, ſive viventibus, quales ſunt canes, piſces, volucres, ſive non viventibus, idem, quod in artificialibus : Nimirum in illis non eſſe ullam formam ſubſtantialem diſtinctam à combinatione tali, & tali, & tali alia, particularum, quibus conſtant illa corpora, ita ut ex vi unius combinationis unæ athomi forment illud, quod vocatur canis, & quoties durant in ea combinatione eliciant operationes caninas : ex vi aliùs combinationis athomi eædem, vel aliæ ſimiles forment illud, quod vocatur arbor, & quoties durant in ea combinatione habeant operationes arboris &c. Deus autem fuerit quaſi Magiſter, & Doctor horum viventium horologiorum, ac ita combinaverit ab initio unas portiones athomorum, ut ſemper ſint arbores : alias, ut ſemper ſint canes : alias ut ſemper ſint aqua &c.

Caro lib. 1. philoſ. diſp. ult. diſqu. 1 & lib. 3. diſp. 4. diſquiſ. 1.

39. Pulchra ſunt iſta pro poemate fabricando. Item pro elegante diſcurſu Rethorico. Non eſt dubium. At non videntur habere totam eam ſoliditatem, quam deſiderant Philoſophi, parum, vel nil curantes venuſtatem. Primò. Quia ingens fraus videtur committi ab his Doctoribus. Agglomerant enim difficultates omnes, atque experientias naturæ, quarum ratio humanum captum ſuperat in quacumque ſententia, ut conſtat ex reflexa experientia, & ex concione Dei habita ad Jobum, & amicos à cap. 38. & quarum explicatio æquali premit obſcuritate, ſi non maiore, incedentes per iſtam viam innumerarum combinationum, neque nomine ſaltem notarum, innumerabilium athomorum æque ignotarum : atque Ariſtotelica explicatio ſpremit incedentes

cedentes per viam materiæ, ac formæ. Et nihilominus coacervantes multitudinem hanc experientiarum, ut facit Baſſon in ſuo libro contra Ariſtotelem, formant numeroſiſſimam phalangem, quaſi determinatè contra Ariſtotelé, cum & ipſi non aliter reſpondeant eidem niſi cantilenâ ſolitâ *ſic, & ſic. Taliter, & taliter* combinatæ athomi. Adoleſcentes autem videntes tot cuneos experientiarum ægrè ſolubilium, credunt actum eſſe de Ariſtotele, neſcientes illas difficultates æquè opprimere cunctas opiniones: & duntaxat evincere, quàm modicus ſit humanus intellectus. Fraus eſt, ſed nota, quia antiqua, imputare Adverſario nævum, quem à te abſtergere nequis. Secundò. Quia iſta probant ad ſummum non poſſe probari metaphyſicâ evidentia per ullum contradictoriorum ex iſto ſyſtemate (maximè ſi non extendatur ad viventia ſenſibilia) ſuper quo rationabiliter forſan queruntur Doctores contrarii, contra Peripateticos aliquos, qui fervore diſputationis correpti innuunt, tantâ evidentiâ metaphyſicâ eſſe falſum ſyſtema iſtud, quantâ eſt falſum, rem *ſimul eſſe, & non eſſe*. At ex hoc nullum argumentum ſolidum ſumi poteſt ad rem de facto, ut ſupra dixi num. 5. & 24. Tertiò. Paritates, & exempla ſunt bona ad explicandum res difficiles, quæ jam aliundè factæ ſint probabiles. At ex tribus, aut quatuor paritatibus, ideſt ex caſibus particularibus, in quibus, aut non datur forma ſubſtantialis ſpecialis, aut non producitur de novo, quoad entitatem, deducere canonem univerſalem pro omnibus prorſus entibus naturalibus, & quærere diſparitatem ſi negetur illatio: non videtur congruum. Nam ſimiliter poterat quis non tam philoſophari, quam ludere. Quatuor, imò plura animalia (nempe humana omnia) ſunt ex ſe ab intrinſeco apta ad habendam concionem. Ergo omnia, nempe canes etiam, & vulpes. Cedo diſparitatem. Item aliqua corpora, nempè ſyderea ſunt ex ſe idonea effundendo lucem. Ergo omnia, nempe carbones, & atramentum. Cedo diſparitatem. Item multa corpora inſerviunt nutritioni, & palato. Ergo omnia, nempe ſaxum, & ferrum. Cedo diſparitatem. Quemadmodum ergo in his, & ſimilibus ineptis, non eſt alia diſparitas inter illos caſus particulares, & cæteros omnes, niſi diſpar natura rerum per experientias nota nobis. Ita in exemplis iſtis non utique ſpernendis, non eſt alia diſparitas ad reliqua entia naturalia, quam diſpar natura unorum, & aliorum, quam diſparitatem aſſequimur partim per experientias iſtas, quæ objiciuntur, partim per rationes, & abſurda, jam producta. Egregiè profectò repulit Auguſtinus, licet rem gravioris momenti tractans, illos qui ex uno, vel altero caſu particulari formant regulas univerſales. *Quando Deus voluit*, ajebat, *etiam jumentum mutum rationabiliter eſt locutum. Nec ideò ſunt admoniti homines in deliberationibus ſuis etiam aſinina expectare conſilia.* (*Epiſt. 57. ad Dardanum.*)

40. Igitur reſpondens in genere iſtis, & ſimilibus experientiis particularibus permitto illas, & nego conſequentiam univerſalem, quam affectant hi Magiſtri. Diſparitas eſt, quia ex particularium iſtarum veritate experientiarum non ſequuntur decem abſurda, quæ protuli à

num.

Digitized by Google

num. 27. ex univerſali compoſitione omnium entium naturalium ex ſolis athomis ſic, vel ſic combinatis. Videlicet 1. quod tandem iſti Authores fatentur compoſitionem in ente naturali ex materia, & forma in genere: & tota diverſitas ſtat in eo, quod Peripatetici cenſent hanc formam eſſe ſubſtantialem diſtinctamque ab athomis, ſeu particulis materiæ. Carteſius verò, & Gaſſendus eſſe accidentalem utpote conſiſtentem in motu, figura, vel combinatione athomorum. Saguens autem cum Maignano eſſe ſubſtantiam indiſtinctam reſpectivè ab athomis. Hic autem videtur levis fructus, & non reſpondens tanto labori diſcedendi à communi judicio Philoſophorum, qui per tot ſæcula floruerunt. 2. quod ultra quatuor elementa communi mortalium judicio admiſſa, multiplicantur per hos duos Magiſtros ſaltem 30. alia (quæ etiam vocant ipſi elementa) ſine nomine, ſine explicatione ſpecificæ quidditatis tot novorum elementorum. 3. quod eandem multitudinem, & conſequenter confuſionem, quam Peripateticis exprobrant ob tot formas ſubſtantiales, quas hi defendunt, intrudunt ipſi in tot novis elementis, in tot *ſic*, *& ſic*: in tot *taliter, non taliter* combinatis athomis, in tot combinationibus athomorum (vide num. 25. & 34.) quot neceſſarias putant ad multiplicatem entium naturalium, quæ experimur. 4. quod cum caro canina, felina, equina, lupina creſcat, & augetur pane, carne, herbis, quibus illæ beſtiæ, & nos etiam veſcimur: ſi illud incrementum non aliter contingat, quam excitando, & movendo particulas caninas, & felinas, quæ actu formaliter latent in eis alimentis, ſequetur nos ali pane, carne, herbis refertis magna quantitate particularum caninarum, felinarum, vulpinarum &c. 5. quod aquila, & teſtudo, vinum, & aqua, aurum, ſtannum, Sol, & Titio, omnia demum mixta non plus differant invicem, quam harum earumdem rerum picturæ, ac effigies. Nimirum accidentaliter dumtaxat ob diverſas combinationes eorumdem colorum, aut motuum, aut partium. 6. quod cum ens naturale humanum non conſtet ſolis athomis iſtis; ſed forma ſubſtantiali, etiam ab illis diſtincta: & non proferatur poſitiva efficax ratio pro exceptione aliorum, dicendum eſt idem de aliis. 7. quod admiſſa iſta Philoſophia univerſali, non reſtat ratio ulla naturalis ad probandum hominem gaudere anima rationali diſtincta à materia, & conſequenter gaudere libero arbitrio, & anima immortali. Quæcumque enim dicunt hi Doctores, negandi ergo, alias formas peripateticas, prorſus impune dicere poteſt quiſquis neget animam rationalem ſtando ſolis principiis naturalibus. 8. quod agentia naturalia nunquam facerent aliquid aliud, quam ludere athomis, ſic, & ſic combinando illas, ſicut pueri ludunt lapillis, & viri latrunculis ſic, & ſic combinando illos. Et iſtud *ſic*, *& ſic*: iſta combinatio, quæ paulò ante non erat, modò autem eſt verè, ac ſimpliciter, à quo fit? Quod poſitivum efficax profertur argumentum, ut non fiat ab illa cauſa creata, à qua fieri teſtantur oculi, ſicut profertur in aliis caſibus in quibus oculi verè fallantur: Si autem iſtæ combinationes fiunt à cauſa creata, cum illæ non ſint purum nil, retorquentur in eis rationes contrariæ. 9. quod plæ-

Saguens ubi ſup.

raque

raque argumenta iſtorum Doctorum inſtantur in actibus intellectus, & voluntatis, quos de novo quotidie eliciunt, quoad entitatem abſolutam, vel modalem Angeli, & homines. 10. quod entia naturalia ſubſtantialia componentur intime eſſentialiter, ac non purè de connotato, per accidentia quædam, nimirum per iſtos motus, combinationes, & configurationes. Demum quod expungendus eſſet conceptus viventis huc uſque admiſſus, nempe *movere ſe ab intrinſeco*, ſeu *Operari à ſe, in ſe, & per ſe*. Vel dicendum animalia terreſtria, volatilia, aquatica, quorum unaquæque ſpecies, & unumquodque individuum, tam multas, & diſpares habet operationes ſuæ vitæ decurſu, non eſſe viventia nullatenus cognoſcitiva, ſicut non eſt horologium. Sed machinas quaſdam, ut multi ex his Magiſtris docent cum illo Medico Pereyra Galleio, inanimes, ita ut, quando canis currit alacer ad ſibilum heri, quando ipſi caudâ blanditur; quando videns elevari virgam ſe ſternit, quando videns puerum inclinari ad ſaxum, fugit, quando videns panem lætatur &c. iſta inquam omnia, & altiora alia, quæ fiunt à Vulpe, à Simia, ab Elephante, fient ab illis corporibus ſine ulla prorſus cognitione, appetitu, timore, gaudio, & non aliter quam motus rotarum fit à pondere horologii. Quod grande lucrum provenit Philoſophiæ, aut Theologiæ, aut Reipublicæ civili ex iſto aſſerto. Quod ponderoſum argumentum erutum ex metaphyſica, ex phyſica, ex Prudentia, ex aliiſve dignis Principiis, producitis ad iſtud probandum? Certè, quod non ſequantur evidenter duo contradictoria: quod ſit metaphyſice poſſibile, nihil probat, quia ut jam dixi, multum probat. Hæc igitur abſurda, quorum abſurditas, & illatio licet non ſint, tam metaphyſicè evidenter, ſicut, *quodlibet eſt, aut non eſt*, ſunt tamen ſatis prudentiales (quod ſufficere debet ingenuo, & probo Philoſopho ad formandum judicium rationale) Hæc, inquam, legitimè inferri videntur ex univerſali compoſitione ſolarum athomorum, ſed non inferuntur ex iſtis tribus, aut quatuor experientiis particularibus. Ergo ratio, quæ impugnat illam univerſalitatem, non impugnat hanc ſingularitatem. Ergo eſt diſparitas inter utramque.

41. Sed ex ſuperabundantia evolvamus ſingulas iſtas experientias. Ex ſpeciali duritie, ac puritate Calybis, ex ſpeciali etiam duritie ſiccitate, & acuminatione ſilicis provenit, quod ſi illo tantilla vi percutiatur hic, in ſubtiliſſimum pulverem redigantur hujus portiunculæ aliquæ ſulphureæ (fœtor ſolet indicare ſulphur ſparſum per ſilicem ſpecialiter) Hæ portiunculæ calefiunt perfricatione, ſeu percuſſione illa repentina. Hic calor non ſufficeret in alio ſubjecto pro forma ignis; aſt in ſubtiliſſimo illo ſicco, & ſulphureo pulvere ſufficit. Tunc ſic. Peripatetici pars judicant accidentia eſſe virtutem phyſicè productivam ſubſtantiæ. Ecce juxta hos cauſam illius ſcintillæ, nempe calorem in ſubjectulo illo diſpoſito. Pars exiſtimant accidentia, quippe, quæ nec formaliter, nec eminenter continent phyſicè perfectionem ſubſtantiæ, non eſſe virtutem productivam hujus neque nomine proprio, neque nomine alieno, quia hæ nominationes valent quidem pro rebus

civi-

civilibus, & politicis; non pro phyſicis. Quocirca hi ajunt Deum, ut pote authorem naturalem producere illas particulas formæ ignis indulgendo naturali connexioni illius caloris in illo ſubjecto diſpoſito. Quod nam hinc abſurdum? Nonne ſolus Deus ultimò efficaciter deſtruit quemcumque effectum naturalem, qui deſtruitur; ſiquidem poſtquam cauſæ naturales fecerunt omne quod poſſunt in ordine ad deſtruendam rem, adhuc poteſt Deus illam conſervare, & tunc demum corrumpitur, quando Deus ceſſat ab illius conſervatione indulgendi ergo cauſis contrariis conſervationi ei? Nonne Deus concurrit immediatè cum omni cauſa ſecunda ad hujus effecta? quid mirum quod interdum ipſe ſolus producat illa, nempe quando ex una parte datur naturalis connexio cum illis, & ex alia non adeſt cauſa creata proportionata. Quæ principia metaphyſica, aut phyſica, aut moralia collabentur?

42. Non eſt profecto Philoſophi recurrere ad Deum ſolum indiſcriminatim pro quovis effectu naturali. Eſt tamen Philoſophi Chriſtiani recurrere ad ſolum Deum, quamdo concurrunt hæc tria. Videlicet novus aliquis effectus. Connexio naturalis cum illo. Et abſentia cauſæ ſecundæ proportionatæ. At facilius eſſe, ajunt, recurrere ad particulas ignis ſparſas per ſilicem, & evocatas per Calybem. Non video iſtam majorem facilitatem reclamantibus rationibus ſupra datis. Sed eſto. Num propterea quando ignis comburit lignum, nil aliud facit, quam evocare particulas, & athomos ignis ſparſas prius in ligno? Num quando tot myriades herbarum, & arborum convertunt terram, & aquam in propriam ſubſtantiam, nil aliud faciunt quam avocare frumentum v. g. hordeum, uvas, ficum, pyrum, ceraſum &c. ſparſa per illam maſſam ex terra, & aqua? Num quando canis, equus, & bos, & aſinus convertunt alimentum in propriam ſubſtantiam, nil aliud faciunt quam extrahere carnes caninas, equinas, bovinas, aſininas actu phyſicè formaliter in minimis particulis ſparſas per alimenta illa, quibus nos etiam veſci ſolemus? Caſus particulares impares eſſe fundando regulas philoſophicas univerſales, ſæpe oſtendi.

43. Ad ſecundam experientiam de aqua aſperſa calci, reſpondeo cauſam illius majoris æſtûs poſſe eſſe particulas ipſas caloris ſparſas per totam illam glebam, comparataſque, vel in viſceribus terræ, ex qua abſciſſa eſt calx, vel in fornace cujus diuturno igne fuit cocta: quæ particulæ excitatæ adventu hoſtis exardeſcunt per antiperiſtaſim, ſicut ipſe ignis fornacis ob eandem rationem exardeſcit, quando aſpergitur aqua. Et ſicut animalia rationalia, & irrationalia naturaliter contrahuntur, & uniunt magis ſuos ſpiritus reſiſtendi ergo illi inimico per quem invaduntur. Poteſt item major ille æſtus provenire ab interna commotione particularum calcis, quæ ob ſpecialem rationem amicitiæ, vel inimicitiæ, quam habent cum aqua (experientia quippe docet calcem multò magis idoneam eſſe quàm gypſum ad fabricas expoſitas aquæ) excitantur, commoventur, perfricationeque unarum cum aliis excitant illum calorem. Abundat enim calx, ſpiritibus ſalis, aut vitriolis, aut utriuſque quoniam facili negotio corrodit, & abſumit car-

nes,

nes cadavericas, & vivas. Spiritus illi excitati per aquam poſſunt ciere æſtum illum. Hinc autem quomodo infertur viventia, quæ alimentis creſcunt ſubſtantialiter, nil aliud facere, quam excitare, commovere, & educere carnes caninas v. g. lupinas, vulpinas, taurinas actu formaliter minutatim ſparſas in alimentis illis? Neque prodeſt dicere cum Saguens ejuſmodi entia naturalia fieri proximè immediatè ex ſemine, remotè autem ex athomis primitivis, quoniam de iſto ſemine redit eadem difficultas: ſiquidem nil eſt aliud à parte rei juxta ſententiam contrariam, quam congeries ex primitivis athomis initio mundi creatis per Deum, & *ſic*, aut *ſic*, aut *ſic* combinatis.

44. Ad tertiam, & quartam conceſſis præmiſſis, nego ultimam conſequentiam; quoniam ut jam dixi num. 39. ſi ex uno, vel altero caſu particulari elicere valeret canones univerſales poſſet quipiam ſic arguere, aut potius jocari. Magnes habet congenitam virtutem dirigendi acum nauticam in polos ergo etiam omnes lapides. Cedo diſparitatem. Item aurum pollet intrinſeco valore, ut 4. v. g. ergo etiam plumbum. Cedo diſparitatem. Caro gallinacea eſt ſalubris. Ergo etiam canina, & aſinina. Cedo diſparitatem. Idem dico de horologio aliiſque machinis artificialibus, quibus abutuntur aliqui ad probandum animalia irrationalia, nil aliud eſſe, quam maſſas athomorum *ſic*, & *ſic* diſpoſitarum, de quo relege num. 40. Exemplum alambici probat, quod dicebam num. 40. videlicet pleraque ne dicam omnia entia naturalia, quæ experimur, eſſe moles quaſdam, ſive maſſas, ſive completa coalita *integraliter*, ex multis etherogeneis particulis, quarum unaquæque habet ſuam formam ſubſtantialem, aut elementi, aut mixti (v. g. formam aquæ, formam ſpiritus vitalis, ſpiritus animalis, formam abdominis, formam lactis, formam humorum corporis) & inſuper ex forma ſubſtantiali totali, atque completa propria omnium mixtorum illius ſpeciei (ſola enim quatuor elementa, ubi fuerint pura, & ſimplicia, conſtant materia, & una ſola forma ſubſtantiali informante omnes, & ſingulas partes illius materiæ) & coadunante omnes illas formas partiales. Deſtructa autem hac forma totali per activitatem ignis alambici v.g. penetrantis uſque ad intima viſcera rei ſuperpoſitæ, ſolvitur unio, hoc eſt exſiccatur ſuccus, & viſcus illorum mixtorum, quæ componebant integritatem corporis illius, & incipiunt ſingula apparere. Ubi adverte exemplum iſtud, & ſimilia alia duntaxat valere ad oſtendendum reſolutionem entis artificialis, nec non entis naturalis, *quoad partes integrantes*; ſecus, *quoad partes eſſentiales*, juxta num. 31. Sic ex eo, quod homine dilaniato reſtent viſcera, oſſa, & ſimilia non ſequitur illum componi *eſſentialiter*; ſed *integraliter*, duntaxat his rebus.

Hinc

§. IV.

45. HInc 1. elicitur reflexus diſcurſus, non quidem juxta principia metaphyſica, ſed juxta prudentialia in favorem Peripateticæ ſcholæ. Quoties contra ſententiam per multa ſæcula habitam, non à vulgo, ſed à ſummis viris, inducitur de novo alia docens non meram metaphyſicam poſſibilitatem, ſed actualem exiſtentiam factumque ipſum; quæ alia ex una parte habet eandem difficultatem, quam exprobrat antiquæ: Ex alia non affert ſecum ſpecialem utilitatem humano diſcurſui, & ſpeculationi. Ex alia affert ſecum ſpecialia abſurda. Et demum nil demonſtrat contra illam veterem: hæc vetus præponenda videtur juxta tectam rationem, quia pro Ipſa ſtat poſſeſſio: & altera, quæ de novo inducitur, aut ſuſcitatur, deſerenda videtur. Hoc non eſt principium metaphyſicum. Fateor. Aſt jam notavi initio abſurda, quæ honorem adiment intellectui non acquieſcenti, niſi evidentiis metaphyſicis, aut phyſicis. Sed ſententia Peripatetica circa principia entis naturalis per multa ſæcula fuit habita à ſummis viris, ut conſtat. Iſta verò de novo inducta, aut reſuſcitata, laborat quatuor his vitiis. Nam in primis eandem multitudinem, imò longè majorem, ut dix num. 34. & conſequenter confuſionem, ac difficultatem, quam exprobat antiquæ ſuper tanta, & tanta multiplicitatè formarum ſubſtantialium patitur ipſa in multitudine, & conſequenter confuſione elementorum: triginta enim quibus fortè hanc rem componi poſſe putat Saguens ſufficientia ſunt, cum ſuis combinationibus ad gignendum ſufficientem confuſionem, nec non in multitudine combinationum, & configurationum athomorum, quæ ſanè anonymæ, & conſequenter inexplicabiles combinationes, tot eſſe debent, quot eſſe dicuntur formæ ſubſtantiales, & in unaquaque ſunt illa quatuor, quæ notavi n. 25. & 34. uno cum diſcrimine, quòd Peripatetici uno verbo explicant formam ſubſtantialem, v. g. arbor, fructus, ſaxum &c. Contrarii autem *athomi ſic, & ſic diſpoſita, aut mota faciunt arborem*. Quodnam eſt iſtud *ſic*, & *ſic*, quo nomine latino, aut græco, aut hebræo, aut ſaltem arabico, explicant illud nobis? Neſcitur. Item athomi *ſic*, & *ſic* combinatæ, aut motæ faciunt canem, ſic autem, & ſic faciunt felem. Quodnam eſt iſtud *ſic*, iſtud *aliter*? Si non ſuppetunt verba latina, explicetur Hiſpanicè, explicetur Gallicè, explicetur Italicè, explicetur Germanicè: nam per viam *ſic*, & *ſic*, *aliter*, & *aliter* non aſſequimur rudiores iſtam magnam claritatem explicandi phenomena naturalia. Sed explicari neſcitur. Si dixeris, unum *ſic*, & *ſic* vocari canem, & alterum *taliter*, & *taliter* vocari felem: habebo, majorem claritatem promiſſam reduci ad hanc. Hoc ens naturale eſt canis, & non eſt felis, quia athomi habent combinationem, quæ faciunt canem, & non quæ faciunt felem. Magnus exceſſus perſpicuitatis? Item, *tot*, & *tot ele-*

Saguens diſp. 1. phyſic. art. 4. n. 21.

Digitized by Google

menta faciunt Solem, tot autem, & tot veſpertilionem. Quænam ex illis 30. ſunt iſta elementa? quot ſunt iſta *tot*, *& tot*? Neſcitur. Quatuor elementa omnes ab infantia novimus. Iſtud autem quintum, quodnam eſt? quomodo propriè vocatur, & quodnam eſt ſeptimum ex iſtis elementis? quod nomen proprium habet, quas virtutes vigeſimum primum? explicetur quidditas decimiquinti. Quid eſt à parte rei vigeſimum nonum elementum? Neſcitur. Hoccine eſt clarius, felicius, & brevius explicare entia naturalia? ex mixtione quinti, ſeptimi, noni, ac trigeſimi iſtorum elementorum quodnam ens naturale reſultat? Si prævalet ſextum elementum, ſileat vigeſimum octavum, creſcat decimumquintum, & decreſcat vigeſimum, quid fiet? Certè neque adverſarii, neque nos reſpondere poſſumus. Idem dico de opinione Carteſii. In formationibus vulpis, & gallinæ, lupi, ovis, philomelæ, & Corvi, quot, & quæ athomi adhærent ſibi antrorſum? quot, & quæ dextrorſum? quot, & quæ moventur hac? quot, & quæ illac? Neſcitur. Et nihilominus utrique hi DD. *clarius*, *ſimplicius*, *& brevius*, explicant entia naturalia? quando canit philomela, & rudit ille alius, quæ & quorſum moventur athomi unæ, quæ & quorſum moventur aliæ. Non poſſum credere Syſtema iſtud facilius, & felicius explicare phænomena naturalia. Ergo iſta opinio eodem laborat nævo, quem ſugillat in vultu æmulæ ſuæ, & videtur renovare caſum feſtucæ, ac trabis. Trahit ſecum præterea, quod tota compoſitio non ſolum externa, & accidentalis, qualis eſt figura; ſed intrinſeca etiam ſubſtantialis, & eſſentialis entium naturalium fiat potius per formas accidentales, quales ſunt iſtæ combinationes athomorum ſimilium, vel diſſimilium, quam per ſpecificas formas ſubſtantiales. Nullam inſuper ſpecialem affert ſecum utilitatem humano diſcurſui, ut explicui num. 28. Rurſus opinio iſta affert ſecum ſpecialia illa abſurda, quæ propoſui ab eodem num. 28. & conglobavi num. 40. Demum nil objicit ſententiæ antiquæ, quod aut ſola explicatione illius grammaticæ philoſophicæ. *Fieri ex aliquo*. *Fieri ex nihilo*. *Educi de potentia ſinuque materiæ*. Non ſolvatur ſufficienter, ut ſolutum eſt num. 16. & ſeqq. Aut oſtendendo non eſſe bonam conſequentiam à tribus, quatuor, vel pluribus experientiis particularibus ad Canones penitus univerſales pro cunctis penitus entibus naturalibus, ut oſtendi à num 39. Aut explicando, quænam ſit, & quænam non ſit illa reſolutio, quam experimur entium naturalium, ut explicui num. 30. & 44. Ergo juxta rectam rationem, & omnibus penſatis vetus ſententia Peripatetica circa compoſitionem intrinſecam, & *eſſentialem* entium naturalium præponenda videtur iſti de novo inductæ, aut reſuſcitatæ.

Matth. 7.

46. Hinc 2. refellitur ſimiliter ſententia chimicorum ajentium. Prima principia omnium entium naturalium eſſe hæc ſola tria. *Sal*, *Sulphur*, *& Mercurius*: eò quià, ut conſtat formaliter, aut arguitivè ex alambico, quando corrumpuntur entia naturalia in hæc ſola tria reſolvuntur. Sanctum verò eſt his omnibus Philoſophis prima principia phyſicè conſtitutiva eſſe illa in quæ ultimò reſolvitur res, quoad ſenſum.

Porrò

Digitized by Google

Porrò *ſalem* intelligunt rem illam fixam, concretam, & duram, quæ reſtat poſt reſolutionem entis naturalis, & quæ eſt quaſi terra. Et hanc vocat P. Cabeus materiam primam non *chymericam*, qualis docetur à Peripateticis, ſed phyſicam. Sulphur intelligunt partem illam vivacem, quæ activitate ignis v. g. disjungitur à parte altera terrea, & abit in auras, vel fumos, & vocari ſolet ſpiritus ob ſuam ſubtilitatem, & illam vocat idem author formam phyſicam, cumque hæc ſit multiplex juxta multiplicitatem entium naturalium, ideo non eſt idem, ſed multiplex ſulphur in toto numero illorum. Denique mercurium intelligunt humorem illum, quaſi craſſum, & pinguem, qui alias dici ſolet *humidum radicale*, ſine quo res in pulverem, & auram redigerentur quo ſulphur inhæret ſali, ideſt forma materiæ, & hunc humorem vocant unionem. Conſtat igitur juxta hos authores omne ens naturale materiâ, forma, & unione; ſed his verbis dant ſignificationem longè diverſam ab ea, quam eiſdem dant Peripatetici, cum aliqua tamen Analogia ad ſalem, mercurium, & ſulphur verum: item ad materiam, formam, & unionem veram.

P. Nicolaus Cabeus 1. meteor. text. 40.

§. V.

47. Refellitur inquam. Tum quia, ut ſæpè dixi aliud eſt reſolutio in partes integrantes (& hæc non venit ad rem præſentem, quia non has, ſed partes eſſentiales, eſſentialiterque conſtitutivas diſputamus.) Et hæc eſt reſolutio, quam ſenſu experimur fieri per alambicum ſimiliaque inſtrumenta, unde ſolum habebitur entia naturalia componi *integraliter* ſale, ſulphure, ac mercurio iſtis, ſicut animal componitur manibus, pedibus, hepate, corde &c. Aliud verò reſolutio in partes eſſentiales, eſſentialiaque conſtitutiva, vi quorum unum ens naturale ſpecificè diſtinguitur ab altero, & non tantum ob accidentalem combinationem athomorum; ſed eſſentialiter omninò, ut hæc carta diſtinguitur à Sole, canis ab Aquila &c. Hanc diſputamus, & hanc non experimur ſenſu, ſed ratione deprehendimus. Sicut non experimur ſenſu, ſed ratione quoque naturali deprehendimus reſolutionem hominis in corpus, & animam ſpiritualem, & immortalem, quam ſanè non experimur ſenſu, poſtquam homo mortuus eſt. In hac autem reſolutione non perſeverat omne, quod eſſentialiter componit rem, ut dixi num. 31. Si enim omnia penitus perſeverarent, perſeveraret quoque res ipſa, & conſequenter non corrumperetur. Ergo ex eo, quod poſt reſolutionem entium naturalium experiamur iſta tria, & non formam ullam ſubſtantialem (quam immeritò vocat ille author rem metaphyſicam cum ſit res phyſica, & realis) quia hæc ſi fuerit ſpiritualis non poteſt percipi ſenſu, ſi materialis non poteſt naturaliter perſeverare ſeparata à materia: ex hoc inquam, neque ſequitur illa tria eſſe conſtitutiva eſſentialia, neque ſequitur formam ſpecialem

 phyſi-

Digitized by Google

phyſicam, & ſubſtantialem non eſſe principium intrinſecum entium naturalium. Argumentum hoc petitum ex his, quæ perſeverant poſt reſolutum ens naturale, eſt magna quædam res paſſim objecta ab omnibus contrariis Ariſtotelis, quoad compoſitionem entis naturalis: & ideò oportet eſſe benè notam. Reſolutio namque iſta eſt in partes integrantes, ſine quibus nequit naturaliter exiſtere ens naturale. Aſt non eſt in partes eſſentiales, quoniam ſine iſto ſulphure, aut ſpiritu, qui avolat, ſine iſto mercurio, ſeu humido radicali poterat Deus miraculosè, abſque omni contradictione conſervare quidditatem iſtius ejuſdem entis naturalis v. g. humani. Unde ſicut ex eo, quod illo membratim diſcerpto reſtent manus, pedes, caput, digiti &c. Non arguitur illum componi *eſſentialiter*, ſed ſolum *integraliter*, ex his, ita in aliis entibus naturalibus evenire ſolet.

48. Tum quia, quando homo ceſſat à ſuis actibus intellectus, aut voluntatis ſpiritualibus, ſive bonis, ſive malis, quod ſulphur, quis ſal, quis Mercurius reſtat ex illis, & eorundem intrinſecè conſtitutivis? & tamen illi corrumpuntur, quia cum non fuerint producti per creationem non annihilantur. Ergo ſtat corruptio ſine reſolutione in iſta tria. Ergo iſta reſolutio non eſt univerſale indicium corruptionis, & conſequenter neque conſtitutionis intrinſecæ illius, quod corrumpitur. Cur ergo debet eſſe indicium conſtitutionis entium naturalium, quæ modo diſputamus? Tum quia admiſſa iſta Philoſophia eur non dicet homo negans immortalitatem animæ rationalis, aut de illa dubius, contingere idem in morte hominis. Nimirum reſtare ſalem, ideſt terreum corpus, abire in auras ſulphur, & exiccari mercurium, ideſt humidum radicale. Et conſequenter hominem mori omninò, ſicut canem, & componi ſimililer ex ſale, ſulphure, ac mercurio ſolis; cum hoc tantum diſcrimine, quod ſulphur humanum ſit nobilius canino. Quo argumento naturali compeſcemus hunc? Ergo admiſſa iſta philoſophia non reſtat argumentum philoſophicum ad probandum hominem conſtare anima pollente libero arbitrio, atque immortalitate. Tum quia iſte ſal, iſtud ſulphur, iſte mercurius, aut ſunt res compoſitæ ex materia, & ſpecifica forma ſubſtantiali, aut non, ſed res prorſus expertes hujus compoſitionis. Si primum, id eſt, quod dicunt Peripatetici. Si ſecundum, rogo iterum. Iſta ſulphura ſunt omnia ejuſdem penitus ſpeciei, vel diverſæ. Si primum, relabimini in ſententiam Carteſii, & Gaſſendi componentium totam diverſitatem entium naturalium per diverſitatem combinationum, & configurationum rerum, ſeu athomorum ſimilium, quæ combinationes tot eſſe debent, & conſequenter tantam, ut ajunt, confuſionem gignent, quot ſunt formæ ſubſtantiales componentes innumeras ſpecies entium naturalium. Si ſecundum, itis in ſententiam Magnani, & Saguens, & multiplicatis ſupra quatuor nota elementa, tot alia, quot ſunt formę ſubſtantiales Peripateticæ. Utrovis autem modo obnoxii eſtis decem illis abſurdis, quæ ſupra elicui, ex utrorumque illorum DD. ſententia. Mitto textus aliquos Ariſtotelicos objici ſolitos contra formas ſubſtantiales, & ſic indirectè ſaltem in favorem athomorum, jam harum,

rum, jam illarum. Quia illos explicatos invenies apud P. Benedictis, & actum agere non juvat. *P. Benedictis lib. 1. Phyſic. c. 7.*

49. Hinc 3. reſolvuntur argumenta contraria. Videlicet. Formæ materiales educuntur è ſinu, ex potentia materiæ. Ex nihilo nihil fit. Rem creari eſt produci ex nihilo. Hæc jam ſunt ſoluta num. 16. & ſeqq. Item primarium aliud ſcilicet, unumquodque componitur ex eis, in quæ reſolvitur explicatum eſt num. 31. & rurſus 47. Objicit alia Magiſter Saguens. Multis illis ideſt 30. elementis initio conditis convenit notio primorum principiorum. Non latuit eum falſitas ſuppoſiti, qua laborabat hæc propoſitio, quippe, quæ ſupponit multitudinem illam elementorum, quorum unumquodque conſtaret indiviſibilibus particulis (& hanc phyſicam indiviſibilitatem ego quoque admitterem in continuo) quarum unaquæque haberet intrinſecè virtutem, & activitatem, quam Peripatetici dant formis ſubſtantialibus: & hanc ſuppoſitionem nego ob decem illa abſurda. Hac de cauſa ſubjungit ſe loqui conditionatè, ſcilicet eas elementares particulas, *ſi dantur*, eſſe phyſica rerum naturalium principia. Sint conditionatè; at modo non diſputamus *quod eſſet* in alia rerum periſtaſi, ſed *quod eſt* in præſenti. Cumque cætera hujus authoris argumenta procedere debeant juxta hanc ſuppoſitionem idcircò Peripateticis non officiunt, donec poſitivè efficaciter probetur, Deum ab initio creaſſe illam elementorum multitudinem, cujus uniuſcujuſque particulæ habeant reſpectivè illam virtutem, quam nos damus formis ſubſtantialibus contra quam multitudinem ſunt decem illa abſurda. *Saguens diſp. 1. phyſic. art. 4. n. 11.*

50. Objicit 2. Res naturales ex eis fiunt tanquam ex principiis intrinſecis, in quæ ſola reſolvuntur. At in ſola elementa reſolvuntur. Quoniam ſi reſolvuntur in alia, quæ poſſint ulterius reſolvi hæc erunt mixta. Unde neceſſe eſt, quod reſolvantur in alia, quæ nequeant ulterius reſolvi, & quæ eo ipſo ſint elementa. Reſp. argumentum prout jacet, non eſt contra nos fatentes ens naturale componi ex duobus elementis, ſeu primis principiis, quorum unum vocatur materia prima, alterum forma ſubſtantialis, & conſequenter in hæc duo divinitus ſaltem poſſe reſolvi ens naturale, ſi videlicet Deus ſoluta unione animæ equinæ, cum materia, ambas ſic præcisè conſervaret: & demum fatentes hæc duo non poſſe ulterius reſolvi in aliud, quod ſit materia, aut forma. Sed quia Author hic loquitur non de his, ſed de ſuis plurimis, hoc eſt triginta elementis, quarum combinatione putat fieri entia naturalia, diſtinguo majorem doctrinà toties datà: ex principiis intrinſecis *integrantibus* concedo majorem in eo ſenſu, in quo homo intrinſecè componitur ex carne, oſſibus &c.; ſed hæc principia non diſputamus modo. Ex principiis *eſſentialibus*, in quæ ſola reſolvitur, nego ſuppoſitum majoris. Quoniam non eſt conceſſum cauſis ſublunaribus, aut experientiæ reſolvere ullum ens naturale in *ſola* ſua principia eſſentialia, nempe in ſolam materiam, & ſolam formam. Quoties enim deficit unio hujus cum illa deficit ipſa quoque, ſi fuerit materialis, ſicut contrarii ajunt, deficere priorem combinationem athomo-

morum; ſin verò ſpiritualis perſeverat quidem, ſed non cadit ſub ſenſu, & inſuper materia, vel aquirit illam novam formam (ſicut ajunt aquirere novam combinationem) cujus generatio fuit corruptio prioris: vel retinet priorem formam partialem, & ſubordinatam, quam prius habebat. Cum ergo nunquam experiamur ultimam reſolutionem, uſque ad primas partes eſſentiales, idcircò experientia reſolutionum, ſeu corruptionum entium naturalium, licet juvet ad cognoſcendum partes, ſeu principia, ſeu elementa intrinſeca *integralia*, non juvat, ut cognoſcamus ſenſu *eſſentialia*. Poterat inſuper negari abſolutè illa major, quia non ſemper rerum reſolutio eſt exhibitio eorum quibus conſtant, ut dicit hic Magiſter. Quia ipſa combinatio athomorum cum non ſit chymæra, res aliqua eſt, ſive abſoluta, ſive modalis. Et tamen quando deſtruitur non exhibentur omnia quibus conſtat. Si enim omnia exhiberentur, nullum deficeret; ergo perſeverarent omnia omninò illius conſtitutiva, ut quod, ut quo, ſecundum rectum, ſecundum obliquum, ſecundum explicitum, & demum ſecundum totam catervam terminorum qui ſolent intrudi. Ergo perſeveraret ipſa combinatio. Ratio autem eſt, quam dedi ſupra. Nil exhibetur caditque ſub ſenſu, quando deficit. Sed aliquod eſſentiale conſtitutivum rei velut *quod*, vel ut *quo* deficere debet quoties res deficit. Ergo aliquod conſtitutivum eſſentiale rei non poteſt exhiberi quoties deficit res. Ergo hujus defectus, ſive reſolutio non ſemper eſt exhibitio eorum omnium quibus conſtat.

51. Objicit 3. Elementa ſufficiunt ad mixtorum phyſicam compoſitionem, ergo ad phyſicam rerum naturalium conſtitutionem. Antecedens, inquit, concedi ab omnibus Peripateticis. Nego utrumque. Quoniam vel ſermo eſt de his ſolis quatuor elementis notis. Vel de plurimis illis, quæ docet ipſe author cum ſuo Magiſtro Magnano. Si hoc: Peripatetici negant iſtam multitudinem, & qualitatem elementorum; Si illud: Peripatetici ajunt eſſe multas formas ſubſtantiales conſtituentes mixta naturalia diſtinctas à quatuor elementis. Quod ſi voce illa *elementa* utatur hic author in genere, præſcindendo ab hoc, quænam ſint talia elementa, antecedens eſt verum, nam materia, & forma ſufficiunt ad mixtorum phyſicam compoſitionem. Sed difficultas eſt quænam ſint elementa? Objicit 4. Varietas, & multitudo mixtorum non poſcit tot elementa, quot aliqui objiciebant illi, ſed fortè ſufficiunt 30. elementa juxta regulas combinatorias. At cur non admittat 30. ſaltem formas ſubſtantiales pro ſimili multitudine mixtorum? Triginta iſta elementa, quo poſitivo efficace argumento probantur contra communem mortalium ſenſum, ante Carteſium? Cur triginta, & non triginta unum? quale eſt decimum tertium, ut ſupra quærebam? quam naturam habet vigeſimum? quas proprietates habet decimum? quod proprium ſaltem nomen habet octavum, præter hoc valdè commune? Ex iſtis 30. elementis, quod novum lumen verum, quæ utilitas ſpecialis derivatur in Philoſophos, ut ratione illius deſeratur Philoſophia, quæ per tot ſæcula ſummis viris viſa fuit conſentanea veritati? Igitur con-

concludo eàdem ſententiâ, à qua ſum exorſus. Nimirum ſi hi Doctores tradant hoc ſyſtema, ut purè metaphyſicè poſſibile in alia rerum periſthaſi, annuo. Si, ut de facto abſolutè exiſtens renuo propter rationem datam num. 45. recapitulantem priores.

52. Objicitur 4. Poſſibile eſt metaphyſicè, quod omnes illi motus, & actiones, quas notamus in cane, in ſimia, in elephanto, & in cæteris beſtiis ſint ſicut motus regulares horologii, & ſimilium machinarum, oriundi ſanè ex ſola tali, ac tali combinatione talium, & talium partium, ac inſtrumentorum. Ergo poſſibile eſt, quod omnes beſtiæ, nil aliud ſint, quam talium, & talium partium combinatio, & coordinatio. Ergo dicendum, quod ita contingit, & negandum ibi eſſe formam ullam ſubſtantialem ſpecialem, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Permiſſis prioribus, nego ultimam conſequentiam. Tum quia repugnat ſcriptura, inquiens. *Producant aquæ reptile animæ viventis*. Item. *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem*, & paſſim alibi docens animalia, & volatilia &c. eſſe viventia: & conſequenter non eſſe machinas quaſi artificiales. Tum quia poſſet idem dicere quiſpiam alius de homine, ſtando ſoli rationi philoſophicæ, videlicet humanas omnes operationes non eſſe oriundas à ſpeciali forma ſubſtantiali; ſed à ſpecialiſſimis combinationibus ſpecialium quarumdam athomorum, & poterat explicare phænomena cuncta humana iſtis eiſdem exemplis. Ergo iſta multum probant. Ergo nil. Tum quia quot, quam ridicula, & quam adverſa reipublicæ humanæ ſequerentur abſurda ex eo, quod admitterentur, ut de facto exiſtentia, quæcunque ingenium ſolum dicit eſſe metaphyſicè poſſibilia? Quæ duo contradictoria ſequerentur ex eo, quod non ſit in rebus iſte Sol, quem nobis videmur cernere, ſed tota viſio hæc naſcatur ex quadam combinatione rerum, ſicut viſio colorum Iridis, & colorum ſimilium, per vitrum triangulare? Relege num. 24. nec non 5. & ſeqq. tum quia ſicut non ſunt multiplicanda entia: ita neque virtutes, ac perfectiones ſine neceſſitate. Quæ ergo neceſſitas urget, ut ponamus 30. illa prima elementa, quæ ponit Saguens, aut, ut ſoli accidentali combinationi, & figuræ athomorum adſcribamus virtutem, ac perfectionem faciendi tot, ac tam miros effectus diverſos, quos experimur in brutis? Tum quia entia iſta, ut talia, atque ut ſpecificè diſtincta mutuo, conſtitui debent per ſpecialem formam *ſubſtantialem*, aut per ſpecialem combinationem athomorum. Non per hanc, quia ut pote conſiſtens in tali figura, ideſt diſtantia partium, eſt entitativè accidentalis cum entia iſta ſint ſubſtantialia. Ergo per illam. Objiciunt demum phalangem illam rationum, quibus probari ſolet, repugnare creaturæ vim creandi. Sed illas omnes explicui in Prodromo diſt. 4. à num. 94. Et addo illas non venire ad rem præſentem: quia facere de *novo* non eſt *creare*, ut iſti credunt, & ego toties refelli explicatione ſolà vocum. *Gen.* 1.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Quænam ſint prima principia entis Naturalis.

53. DUPLICITER conſiderarunt, quia voluerunt, Philoſophi ens naturale. Primò *in facto eſſe*, & hoc eſt, quod abſolutè, & ſimpliciter eſt ens naturale v. g. homo ipſe, lignum ipſum, ignis ipſe &c. Secundò *in fieri*. Et hoc non tam eſt ens naturale, quam fieri, ſive *produci*, ſive *generari* ens naturale. Hoc *fieri* poteſt conſiderari tripliciter. 1. in fieri *per generationem præcisè*, quando nimirum in eodem primo inſtanti, in quo producitur materia, in ipſa, & ex ipſa (in ſenſu tamen expoſito num. 17.) producitur forma, ut contigit initio mundi, nam in eodem momento, in quo Deus creavit materiam Cœli empyrei, terræ, ac aquæ, produxit horum trium formas per actionem eſſentialiter alligatam eis vaſtis portionibus materiæ primæ. Tum quia non occurrit fundamentum, ut dicamus illas immenſas portiones materiæ fuiſſe per ullum tempus orbas omni forma ſubſtantiali. Tum quia non dixit Moyſes. In principio creavit Deus materiam Cœli, & materiam Terræ; ſed: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*. Quod ſi hæreas ad illam vocem *creavit* quaſi doceamus per illam fuiſſe creatam non verò eductam formam horum corporum, memineris voce illa dumtaxat ſignificari ibi productionem in genere præſcindendo à creatione, ac eductione. In eodem namque capite ſcribit Moyſes, *creavitque Deus cete grandia*; cum tamen certum ſit, apud Peripateticos formam immanium illarum beſtiarum, ut pote materialem, corruptibilem, atque mortalem, non fuiſſe productam per creationem, ſed productionem. Hæc generatio præciſè, abſque mutatione, ac converſione contingit quoque non rarò de facto, quando videlicet corruptis ſpeciebus Sacramentalibus generantur vermes. Cum enim non proferatur fundamentum, ut dicamus deſtrui vicinum aliquod ens naturale, ut in materia illius producatur anima illius vermis, dicendum videtur cauſam primam præſentem, & promptam ad indulgendum concurſui cauſarum naturalium, derepente producere, quando adeſt ultima diſpoſitio ad vermes, illam materiam primam in eodemque momento(& conſequenter abſq;illius mutatione,ac converſione)producere formam vermis illius, actione eſſentialiter annexa ei materiæ, tanquam ſubjecto præſuppoſito, ideſt, tanquam ſubjecto non producto per illam actionem, ſed præſuppoſito ad ipſam, præſuppoſitione non temporis, ſed cauſalitatis paſſivę. Sicut Sol qui cępit fulgere, quando cępit eſſe, præſuppoſitus fuit ad ſuam lucem non præſuppoſitione temporis, ſed cauſalitatis efficientis.

Geneſ. I.

Secun-

54. Secundò ſolet conſiderari illud *Fieri* per generationem, quæ fit mutatio. Nimirum quando non in eodem primo inſtanti, in quo producta fuit materia, producta quoque fuit forma, quam modo habet, ſed potius illa præceſſit. Poſtea vero adveniente hac forma mutatur materia, quia mutatio eſt *Tranſitus ſubjecti à non habuiſſe hanc formam ad habendum illam*. Et hæc eſt mutatio poſitiva, quia eſt ad *habendum*. Poteſt quoque eſſe negativa nimirum, quando ſubjectum tranſit ab habendo formam A, *Ad illam non habendam*. Hæc ſecunda paſſim contingit, quoniam paſſim ob adventum formæ contrariæ v. g. formæ ignis, expellitur forma prior v. g. forma ligni. Sed mutatio materiæ primæ, quoad formas ſubſtantiales, quæ præcisè ſit mutatio, & non converſio, numquam contingit. Eſto quod poſſit divinitus contingere. Quia nuſquam præcedit materia privata omni forma, & conſequenter numquam tranſit præcisè à non habendo ad habendam formam ſubſtantialem; ſed ab habendo unam, & non habendo aliam, ad habendum hanc aliam, unde mutatio de facto ſemper contingit ſimul cum converſione. Rurſus hæc mutatio poteſt contingere dupliciter. 1. quatenus forma ad quam mutatur ſubjectum, ſit accidentalis, ut quando manus tranſit de frigida ad calidam. Hoc non diſputatur modo, quamvis de illo philoſophandum ſit eodem reſpectivè modo. 2. quatenus illa forma ſit ſubſtantialis. Et hoc etiam dupliciter. 1. quatenus illa producatur generatione ſtricta, ut producuntur formæ ſubſtantiales materiales. 2. quatenus producatur creatione, ut anima rationalis. Sicut enim materia mutatur à privatione ad formam ignis v. g. ita à privatione ad formam rationalem cui antea non erat unita. Tertia conſideratio illius *Fieri*, eſt fieri per converſionem; quod contingit quando materia prima tranſit ab habendo unam formam v. g. ligni, ad habendam aliam v. g. ignis. Converſio enim eſt *tranſitus ab una forma ad aliam*. Ubi jam notaveris duo. Unum: quod mutatio, & converſio non ſunt ipſius entis naturalis, ut jam monui num. 20. ſed ſolius materiæ primæ, quia non lignum v. g. ſed materia ligni, eſt id, quod tranſit à non habendo formam ignis, ab habendoque formam ligni, ad habendum illam, & non habendum hanc. Alterum quod licet ſonet in recto ens ipſum naturale, quando dicimus: *Ens naturale in fieri præcisè*. *Ens naturale in fieri per mutationem &c.* Verumtamen ſignificatum harum locutionum non eſt ipſum ens naturale caſtigatè loquendo; ſed *fieri* ipſius, *mutatio* & *converſio*, non ipſius, ſed materiæ primæ, ut jam monui. Cum ergo de his quatuor acceptionibus procedat præſens quæſtio, ſenſus eſt, quænam ſunt prima conſtitutiva principia, ſeu elementa, quibus conſtat hæc carta v. g. & quodvis aliud ens naturale? quænam illa quibus conſtat non jam illud, ſed illius generatio, quæ ſit talis præcisè? quænam illa quibus conſtat generatio, quæ ſit mutatio non illius, ſed materiæ primæ. Quænam demum illa, quibus conſtat converſio ejuſdem materiæ primæ.

55. Duo rurſus conſiderant Philoſophi in mutatione atque converſione: terminum ſcilicet quem dicunt *à quo*, & alium quem dicunt

ad quem. Terminus *à quo* eſt ille qui deficit per adventum alterius: & hic alter eſt, qui dicitur terminus *ad quem*. v. g. quando activitas ſeminis convertit in ſe materiam primam terræ, forma hujus eſt terminus à quo, & forma arboris eſt terminus ad quem, quia materia illa tranſit ab habendo formam terræ, ad habendum formam arboris. Et quando arbor accenditur, forma arboris eſt terminus à quo, & forma ignis eſt terminus ad quem. Et quando ignis tranſit in cinerem, forma ignis eſt terminus à quo, & forma cineris eſt terminus ad quem. Similiter in aliis mutationibus, & converſionibus. Hæ mutationes, & converſiones dupliciter contingere poſſunt. 1. per accidens omninò, & impropriè. Nimirum quando in eodem inſtanti, in quo advenit una forma, deficit altera, non ex vi illius, ſed aliunde, ac per accidens omninò. 2. ſtrictè ac per ſe. Videlicet quando prior forma deficit *ex vi alterius, ſeu per adventum alterius*. Eo quod ſint invicem oppoſitæ: & nequeuntes coire in eadem parte ſubjecti, una trudat alteram, ſicut duo corpora, quia nequeunt ſimul eſſe in eodem penitus loco, ideò unum prævalens, & præpotens movet illud ab eo loco; hoc tamen diſcrimine, quod cum corpus A, non ſit ſuapte natura alligatum ei loco, ideò quando truditur, non perit, ſed tranſit ad locum alium; forma verò individua ſubſtantialis ligni v. g. cum ſit ſuapte natura alligata materiæ, & per nullum agens naturale transferatur ad materiam vicinam aeris v. g., ideò quando expellitur ex illa materia, perit omninò.

56. Hæc ſtricta mutatio, & converſio etiam ſubjecti ab uno ad aliud poteſt eſſe triplex. Nempè adæquatè ſubſtantialis, ut quando ſubjectum, quod mutatur, & formæ, & uniones, omnia hæc, ſunt ſubſtantiæ v. g. mutatio materiæ à forma ligni, ad formam ignis. Vel adæquatè accidentalis, ut quando quantitas hujus cartæ v. g. mutatur à nigredine ad albedinem. Vel mixta, ut quando ſubjectum eſt ſubſtantia, & formæ ſunt accidentales v. g. mutatio animæ à nolitione ad volitionem, aut quando ſubjectum unionis eſt accidens, & termini ſunt ſubſtantiæ, ut quando quantitas, quæ nunc eſt in Euchariſtia, quando conſecratio fit, mutatur à ſubſtantia panis, ad ſubſtantiam corporis Chriſti. Et hic eſt alia ſpecies mixtionis, quoniam termini primarii ſunt hæ duæ ſubſtantiæ; ſecundarii verò ſunt unio quantitatis cum ſubſtantia panis, & unio ejuſdem cum ſubſtantia corporis Chriſti, quæ duæ uniones, utpote adæquatè diſtinctæ à ſuppoſito ſunt entitativè accidentales. Rurſus unaquæque ex his tribus poteſt eſſe, vel ratione oppoſitionis metaphyſicę unius cum altero, ut ſi homini habenti lethale in inſtanti A, largiretur Deus hypoſtaticam unionem in B. Quia tunc mutaretur à filio Diaboli, ad filium v. g. Dei, quæ duo metaphyſicè opponuntur. Vel ratione oppoſitionis tantum phyſicæ, atque naturalis, ut quando materia tranſit à forma ligni, ad formam ignis, quia hæc duo non metaphyſicè, ſed duntaxat phyſicè opponuntur. Vel ratione oppoſitionis ſolius moralis, ut quando acciperes grande aliquod beneficium à tuo inimico, quia tunc tranſires ab inimicitia, ad obli-

obligationem gratitudinis, non quia hæc duo opponantur metaphyſicè, aut phyſicè, ſed quia opponuntur moraliter.

57. Ex his infertur, quod licet in mutatione *qua præciſè ſit mutatio*, detur duplex ſolus terminus à quo, alter primarius, alter ſecundarius; ſcilicet *non habere* in inſtanti immediatè antecedenti mutationi formam, quam modo habet ſubjectum (quod *non habere*, dicitur privatio, cum ſit *non habere* ſubjecti, quod eſt capax habendi, & inſuper dicit carentiam formæ, ac carentiam unionis) & unus tantum terminus ad quem primarius, ſcilicet forma de novo aquiſita, & alter ſolus ſecundarius, ſcilicet unio hujus formæ cum eo ſubjecto. Item licet in mutatione negativa, dentur duo ſoli termini à quo, unus primarius nempe forma quæ amittitur, & alter ſecundarius nempe unio hujus formæ cum ſubjecto: & duo ſoli termini ad quem, unus primarius videlicet carentia, ſeu privatio illius formæ, & alter ſecundarius videlicet carentia, ſeu privatio unionis inter ſubjectum, & illam formam: Licet, inquam, hoc contingat in mutatione, quæ præciſè ſit mutatio, aſt in mutatione, quæ ſit converſio plura ebulliunt: quoniam in converſione materiæ primæ à forma ligni v. g. ad formam ignis ſunt quatuor termini à quo: duo poſitivi, oppoſiti naturaliter dumtaxat cum terminis, etiam primariis ad quem: & duo negativi oppoſiti metaphyſicè cum terminis ad quem ſibi reſpondentibus. Etenim quando evenit dicta converſio, materia prima tranſit à forma ligni hujuſque unione (en duos terminos à quo poſitivos) item à privatione formæ ignis, nec non à privatione unionis cum hac (ecce alios duos terminos à quo negativos) ad formam ignis, & unionem cum hac (en alios duos terminos ad quem poſitivos etiam) nec non ad privationem formæ ligni privationemque unionis cum illa (en alios duos terminos ad quem negativos, & invicem diſtinctos) Deteguntur itaque in converſione dicta octo termini, quatuor à quo, & quatuor ad quem, licet uni primarii, alteri ſecundarii, uni poſitivi, alteri negativi, uni invicem oppoſiti metaphyſicè, ut ſunt formæ, & ambarum uniones cum ſuis reſpectivè privationibus, alteri oppoſiti dumtaxat phyſicè, ut ſunt una forma, & unio, cum altera forma, & unione. Quorum ratio eſt, quia materia prima in inſtanti immediatè antecedenti converſioni habebat ſibi unitam formam ligni, & non habebat ſibi unitam formam ignis; in inſtanti autem converſionis habet ſibi unitam formam ignis, & non habet ſibi unitam formam ligni. Sed illud primum eſt terminus *à quo* tranſit, ſeu mutatur materia, in eoque imbibuntur quatuor: duo poſitiva, & duo negativa. Item ſecundum illud, eſt terminus *ad quem* tranſit, ſeu mutatur materia, & in eo imbibuntur alia quatuor: duo poſitiva, & duo negativa; ergo in converſione ab una forma poſitiva intrinſeca ad alteram imbibuntur quatuor termini à quo, & quatuor ad quem.

58. Dixi 1. *in inſtanti immediatè antecedenti* converſioni, quoniam licet ſubjectum olim habuerit illam eamdem numero formam, quam iterum recuperat, ſi tamen illam non habeat in inſtanti immediatè antecedenti, illud in quo dicitur recuperare illam, verè, & ſimpliciter

 mu-

mutatur convertiturque ad illam. Sic quamvis noſtra corpora recuperatura ſint in reſurrectione eamdem numero animam qua prius informabantur, verumtamen cum non ſint habitura illam in inſtanti immediatè antecedenti reſurrectioni, verè, ac ſimpliciter mutabuntur tunc, converteturque à forma, vel formis ſub quibus diſperſa ſint noſtra membra, ad formam rationalem. Dixi 2. in converſione ab una forma poſitiva *intrinſeca*, quoniam ſi converſio ſit à forma extrinſeca, vel morali, vel ſimili, tunc non datur unio phyſica illius cum ſubjecto; dicendum tamen eſt de unione morali, vel quaſi morali, quod dicebam de phyſica. Contrapoſui demum mutationem, & converſionem. Nam licet omnis converſio à forma intrinſeca A, ad formam intrinſecam B, eſſentialiter imbibat mutationem à privatione hujus ad hanc; ſed non omnis mutatio imbibit eſſentialiter converſionem ad unam formam intrinſecam ab alia. Ratio primi eſt. Omne imbibens tranſitum ſubjecti à privatione formæ intrinſecæ B, ad ipſam formam B, imbibit mutationem ſubjecti, in hoc quippe ſtat mutatio: tranſitus videlicet à privatione formæ ad formam. Sed omne converti à forma intrinſeca A, ad formam intrinſecam B, imbibit tranſitum à privatione formæ B, ad ipſam formam B. Quoniam ſi hæc extitiſſet in inſtanti immediatè antecedenti, aut non exiſteret in præſenti, ſubjectum non converteretur à forma A ad B, quæ enim converſio eſt *ad hanc*, ſi hæc etiam erat prius, aut ſi hæc non eſt modo? Ergo omnis converſio &c. Ratio ſecundi eſt, quoties ſubjectum tranſit à non habendo formam ad habendum illam mutatur. Sed abſque converſione ab una forma poſitiva intrinſeca ad aliam, poteſt ſic tranſire divinitus. Probatur: eſto Deum conſervare in inſtanti A materiam abſque omni forma ſubſtantiali, ut poſtea dicam. Et quod in B, uniat illi formam aliquam ſubſtantialem. In hoc caſu materia tranſibit à non habendo illam formam in A, ad illam habendum in B, & tamen non converteretur ab una forma poſitiva intrinſeca (nullam quippe habebat) ad aliam, ergo abſque converſione &c.

§. II.

59. HIs præmiſſis, variæ hic excitantur quæſtiones. 1. an mutatio ſit de conceptu generationis? Secunda, quiſnam ſit terminus formalis mutationis, formane de novo producta? an ipſius unio cum ſubjecto? an utralibet? Tertia, an mutatio ſubſtantialis diſtinguatur ab alteratione? Ideſt, an productio formæ ſubſtantialis diſtinguatur à productione ultimæ diſpoſitionis ad illam? Quarta, an converſio requirat per ſe abſolutam deſitionem termini à quo, & novam productionem termini ad quem? Sed his quatuor quæſtionibus jam reſpondi diſp. 1. Phyſicæ naturalis cap. 8. & 9. Primaria inpræſentiarum quæſtio eſt, quam initio propoſui: ſcilicet quænam ſint elementa, ſeu prima principia intrinſeca, ſeu conſtitutiva eſſentialia pri-

Digitized by Google

primaria entis naturalis , tum in facto eſſe , tum in fieri per generationem præciſè , tum in fieri per generationem , quæ ſit mutatio , tum in fieri per generationem , quæ inſuper ſit converſio . Concluſio , atque Syſtema , quod longè veroſimilius reor , eſt : Elementa , ſeu prima principia intrinſeca , quibus conſtat omne ens naturale, quod in proemio dixi eſſe materiam præſentis controverſiæ, ſumptum in *facto eſſe*, ſunt ſola materia , & forma ſubſtantialis (non excludo unionem ; ſed quia hæc potius videtur eſſe principiatio , quam principium , conſtitutio quàm conſtitutum ut quod , eò quia eſt actuale , formale , abſolutum, & immediatum exercitium , quo materia , & forma principiant conſtituuntque ens naturale . Item quia prima principia ea ſola dici ſolent in quæ ultimò reſolvuntur res, in ſenſu toties dicto , ideſt quæ perſeverant , aut perſeverare poſſunt divinitus , quando diſſolvitur nexus , & compago partium rei ; unio autem , nec divinitus poteſt perſeverare , quando reſolvitur , ſeu corrumpitur ille nexus , ut patet . His de cauſis non memoro illam ; non multum tamen refragabor , ſi illam principiis intrinſecis annumerare volueris . Rurſus prima principia intrinſeca *generationis præciſè* nulla ſunt, *Mutationis* autem ſunt materia , forma , & privatio hujus , ubi intellige inſtar principiationis ſaltem , unionem formæ cum materia , & unionis privationem . *Converſionis* demum ſunt materia , forma prior , quæ amittitur , & forma de novo aquiſita , ubi etiam intellige reſpectivè cætera , quæ dixi num. 57. Ecce totum ſyſtema circa quatuor dictas acceptiones entis naturalis . Priuſquam autem unamquamque partem hujus concluſionis probem, ſtabilire oportet materiam, & formam ſubſtantiales non eſſe duo phantaſmata , ut Doctores Athomiſtæ putant; ſed duas veras, & reales entitates, quæ licet non percipiantur immediatè per ſenſum, eo quod ſint ſubſtantia, & ſenſus percipiat dumtaxat immediatè accidentia materialia , & ſanè non omnia ; percipiuntur tamen ratione. Et eſt congruum declinare ſententiam illam tritam Auguſtini ſapienter notantis . *In homine carnali tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi: quod ſolent videre credunt, quod non ſolent , non credunt .*

Aug. ſerm. 147. de temp.

60. Dico 1. Sunt in rebus duæ quædam claſſes entitatum quarum unæ vocantur *Materia prima* . Alteræ , *Formæ ſubſtantialis* . Explicatur . Tametſi Ariſtoteles ſecutus ſuum Magiſtrum aliquando dixerit . *Materia non eſt quid* (nempe compoſitum ipſum ſubſtantiale) *nec quantum* (nempe quantitas ipſa : nam alias quantum eſt , ſiquidem habet quantitatem , ſicut ſubjectum eſt album , quando habet albedinem) *nec aliquid eorum quibus ens determinatur* , nempe non eſt forma ulla ſubſtantialis , aut accidentalis , quia his ſolis determinatur ens , v. g. ens humanum , ens aqueum , ens album , ens viride &c. Verumtamen S. Auguſtinus explicationem adiungit , *non tamen omninò nil* . Inquiens . *Non ne tu Domine docuiſti me , quod priuſquam iſtam informem materiam formares , atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura , non corpus , non ſpiritus , non tamen omninò nil* . Et rurſus . *Eumdemque tranſitum de forma in formam per informe quiddam fieri ſuſpicatus ſum non per omninò nil* . Et addit . *Noſſe cupiebam , non ſuſpicari* .

Plato in Thymæo Ariſt. 7. metaph. c. 3.

Confeſ. lib. 12. c. 3. & 6.

Ubi

Digitized by Google

Ubi obiter arguo. Hoc quod Ariſtoteles (cuius ſententiam imò & phraſim hic ſequitur Auguſtinus, & quidem non Juvenis, ſed Senior jam & provectus in doctrina Chriſtiana) vocat materiam primam, eſt, vel non eſt figmentum. Si primum; ſolemniter decepit ſe, & nos Auguſtinus, quando Deo tribuit doctrinam materiæ primæ. *Nonne tu Domine docuiſti me &c.* qui modus loquendi, licet videatur, ambiguus non eſt, ſed aſſertivus, non obſtante illo *ſuſpicatus ſum*, quia hoc cadit ſupra informitatem, non ſupra aliquitatem, & realitatem materiæ, Non enim ſuſpicax, ſed certus dixit ſemel, & iterum. *Non omninò nihil*, Si ſecundum: decipiuntur authores qui negant materiam primam, quoad ſubſtantiam, quidquid ſit de veritate negandi unum, vel alterum ex eis, quæ Peripatetici ſolent illi tribuere. Cæterum nec Ariſtoteles ipſe hæſit in illis negationibus *non eſt quid &c.* Sed poſitivè, ac clarius definivit materiam primam, inquiens. *Materia eſt primum cujuſque ſubjectum è quo quippiam eo fit pacto, ut non per accidens inſit.* Ex quibus verbis eruta eſt vulgaris, & ſatis congrua definitio materiæ nempe. *Primum ſubjectum ex quo fit aliquid cum inſit primo, & per ſe, ac non ſecundum accidens.* Unde obiter habes quidditatem, ſive eſſentiam metaphyſicam materiæ ſtare non *in extenſione externa, & actuali*, ut aliqui putabant rejecti ab ſcholis noſtris; ſed in eo quod ens naturale fiat ex ipſa intrinſecè conſtitutivè (& hoc eſt genus, quod ipſi convenit cum forma) tanquam ex primo ſubjecto (& hæc eſt differentia ſua à forma, & cæteris aliis) ideſt tanquam ex illo, quod aptum natum eſt ad recipiendum, vel formam, vel hujus unionem, vel ſaltem diſpoſitiones ad hanc, cum tamen illud non præſupponat ſuapte natura quippiam, in quo recipiatur. Nec obſtat, quod divinitus contingeret actu oppoſitum: quia verba in definitione non ſignificant actum; ſed aptitudinem naturalem.

Phyſ. cor. cap. 6.

61\. Igitur materia prima juxta Peripateticos eſt res quædam habens hæc attributa. 1. non eſſe omninò nil, ut nuper dicebat Auguſtinus. 2. eſſe ſubſtantiam, ſeu ens per ſe, ut ſuis athomis concedere videntur adverſarii. 3. eſſe ſubſtantiam incompletam, eò quod non ipſa ſola, ſed ſimul cum alio (quod nos putamus formam ſubſtantialem, athomiſtæ verò formam accidentalem, ideſt meram contemperationem, & combinationem athomorum, ſeu triginta illorum elementorum, quæ docet Saguens) Conſtituat ens naturale. 4. eſſe ex ſe indifferentem ad hoc, vel illud ens naturale componendum, quam indifferentiam agnoſcunt, etiam illi authores in congerie athomorum, ſiquidem illæ quibus conſtat hæc carta non ſunt per ſe eſſentialiter determinatæ ad illam elementorum, aut figuræ combinationem, quam modo habent. 5. eſſe corpoream, quia per ſe reſiſtit penetrationi cum alia quantitate, vel ratione identitatis cum propria quantitate, ut volunt aliqui, vel ratione intimæ determinationis ad habendam quantitatem, ſicut ignis ad habendum calorem, ut alii malunt, quam etiam corporeitatem concedunt eis athomis. 6. non componi ex alia materia, & forma, quia cum ſit unum è primis principiis entis naturalis, non poteſt principiari ex alio in eo ſenſu, in quo ex ipſa principiatur ens naturale. Et hoc

Saguens ſupra.

etiam

Digitized by Google

etiam colligitur de illa congerie athomorum. 7. eſſe compoſitam ſicut quodvis aliud continuum ex innumeris particulis punctis ſive athomis tametſi phyſicè finitis. Et hoc etiam verificatur de illa congerie. 8. eſſe eamdem, quoad ſpeciem, quamvis non quoad iudividuum in omnibus enribus naturalibus ſaltem ſublunaribus. Et hoc de athomis illis ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè ſumptis verificari poteſt. 9. eſſe ingenerabilem, & conſequenter incorruptibilem. Et hòc verificatur de iſto complexo athomorum. Neque diſſonat rationi, quod res omnium *imperfectiſſima* philoſophicè loquendo producatur per creationem (& conſequenter à ſolo Deo) qui eſt modns exiſtendi omnium *perfectiſſimus* philoſophicè. Tum quia id provenit ex eo, quod materia ptima ob ſuam ipſam imperfectionem nulla egeat prævia diſpoſitione ornante, ac præparante ſuum domicilium. Unde non producitur ex alio: & hoc ob ſuammet imperfectionem. Tum quia illnd probat materiam eſſe perfectiorem forma v. g. ſecundum quid, &, in aliquo. Aſt non probat eſſe abſolutè magis, aut æquè perfectam: quia prudens comparativum iudicium inter duo non eſt formandum ex uno, vel alio titulo; ſed ex omnibus, ut ſæpè monui. Si autem omnia inſpiciantur, multò perfectior eſt forma, quam materia, cum ſit radix, & origo omnium proprietatum ſpecificarum compoſiti ſubſtantialis.

62. 10. Eſſe in genere ſubjectum receptivum formarum, vel ſaltem unionum præſcindendo modo ab eo, quod ſint formæ ſubſtantiales, aut accidentales. Et hoc iſti conglobationi athomorum convenit, quia cum illarnm coordinatio, & configuratio ſit accidens ſecundum poſitivum, quod dicit, nempe habere talem, & talem diſtantiam localem inter ſe, talem ſitum, talem præſentiam, neceſſe videtur, quod recipiatur in aliquo ſubjecto; Et in nullo melius, quam in ipſis athomis reſpectivè. 11. eſſe ſubjectum, in quo fiunt mutationes entium naturalium corruptis unis, & generatis aliis, ita ut tranſeat à componendo una, ad componenda alia, & rurſus his corruptis ad componendum alia. Hoc etiam competit iſti maſſę athomorum, quę jam eſt ſub una, jam ſub alia, & rurſus ſub alia combinatione, atque coordinatione. Demum habere appetitum innatum hoc eſt naturalem connexionem cum aliqua forma, ita ut per nullum agens naturale ſpoliari poſſit omni forma. Et hoc convenit iſti maſſæ, quia non poteſt carere omni combinatione ſuarum athomorum. Cumque omnia hæc phyſicè ex parte rerum conveniant ei, quod vocamus materiam primam, ſequitur hanc non eſſe quid purè metaphyſicum, ut ſolet objici; ſed rem phyſicam, & realem. Tota ergo difficultas reducitur ad formam ſubſtantialem in ordine ad quam explicant Peripatetici pleraque ex his prædicatis (ficnt adverſarii in ordine ad meram combinationem) à qua tamen modo præſcindo. Atqui res habens attributa hæç in genere, ac præſcindendo nunc à formis ſubſtantialibus, non eſt phyſicè figmentum ullum, aut phantaſma; ſed res verè exiſten, à parte rei: quandoquidem hæc omnia attributa ſumpta in genere, ac quoad ſubſtantiam præſcindendo à dictis formis, conveniunt, juxta ipſos Adverſarios, iſti maſſæ, congeriei, ſeu con-

conglobationi athomorum, ſive ſimilium entitativè, juxta Carteſium, & Gaſſendum, imò juxta Aureolum docentem idem, apud Oviedo controv. 8. de generat. punct. 4. ſive implentium numerum 30. elementorum, juxta Saguens. Et conſtat inſuper ex frequentibus, ac quotidianis mutationibus, ac converſionibus ab una combinatione in aliam, vel ab una forma ſubſtantiali in aliam. Ergo ſi loquamur cum præciſione à formis ſubſtantialibus, materia prima, quoad ſubſtantiam non eſt figmentum ullum, ſed res verè, ac ſimpliciter exiſtens adhuc juxta ſententiam contrariam, totaque præſens difficultas, ut jam advetti num. 27. detorquetur in formas ſubſtantiales, & hinc indirectè contra materiam primam ob ſpeciales relationes, quas dicunt Peripatetici habere cum eis formis.

63. Atqui etiam datur in rebus, & non eſt merum figmentum, aut quid purè metaphyſicum, ut objiciunt DD. contrarii, forma ſubſtantialis diſtincta realiter à materia, ut fuſius oſtendo Diſp. 1. de Anima cap. 8. contra negantes animas beſtiarum. Ergo ſunt in rebus duæ illæ claſſes entitatum quas ſtatui num. 60. quarum unæ vocantur *materia prima*, & alteræ *forma ſubſtantialis*. Antecedens cujus contrarium reſtrictum etiam ad formas ſubſtantiales corporeas, non permittitur in noſtris ſcholis, à quibus exulat illa propoſitio. *Nulla ſunt formæ ſubſtantiales corporeæ à materia diſtinctæ*. Duabus maxime rationibus probant ſeniores. 1. ſumitur ex mutationibus ſubſtantialibus, quas paſſim experimur, in quibus ſemper manet aliquid, quod erat prius. 2. ex jugi tenore operationum, quas ſemper experimur in omnibus individuis cujuſvis ſpeciei. Sed quia ambæ ſunt obviæ, & quia ſuper illis novas inſtituunt difficultates contrarii, remiſſo prolixiore examine ad Diſputationem illam primam de Anima: modò arguo ſic. Tum quia datur phyſicè, & non purè metaphyſicè anima rationalis, quæ ut pote ſpiritualis, realiter diſtinguitur à materia corporea, eſtque forma illius, ut conſtat ex Conciliis Viennenſi, & Lateranen. Valerent autem rationes negantes formas alias ſubſtantiales, nulla ſubſiſteret naturalis, & purè philoſophica ratio ad probandum dari in homine animam rationalem, ut jam ſupra notavi num. 35. homo namque ſuo abdomini deditus, & ex fæce ajentium, *comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*, uti poſſet attentà ſola naturali ratione, iſtis eiſdem rationibus, & exemplis ad probandum in corpore humano non eſſe ullam formam ſubſtantialem diſtinctam à combinatione etherogenearum athomorum componentium illa membra. Tum quia hoc ens naturale in ſpecie v. g. aquila. non identificatur adæquatè plenè, ac totaliter cum eis athomis, ſpecificativè, ac ſolitariè ſumptis, alias omnis caſus poſſibilis, in quo darentur illæ athomi, eſſet caſus, in quo daretur aquila; quod tamen eſt falſum: ſiquidem illæ eædem poſſent eſſe ſub alia combinatione, & tunc non daretur aquila, ſed vel teſtudo, vel pomum, vel aliud. Ergo ſi non habet ſpecificam ſuam formam ſubſtantialem, identificatur cum eis athomis, *ut ſic, & ſic* combinatis, coordinatis, ac diſpoſitis, ut exemplo formarum artificialium explicans

Baſſon. lib. 3. de Formis. Viennen. ſub Clem. V. Lateranē. ſub Leone X. Iſai. 22.

cant DD. contrarii, & præſertim Baſſon contra Conimbricenſes, ergo identificatur inadæquatè cum hac combinatione, ac coordinatione. Sed hæc eſt entitativè accidentalis; quia ſtat ſaltem inadæquatè in figura, & forma, quam reciprocè habent athomi illæ: & inſuper hæc combinatio imbibit innumeras carentias aliarum athomorum, & combinationum, ergo hoc ſpecificum ens naturale Aquila, vitandi ergo formam ſpecificam ſubſtantialem diſtinctam ab elementorum combinatione, identificabitur inadæquatè cum forma ſpecifica accidentali: nempe cum iſta ſpecifica combinatione ſuarum athomorum, nec non cum innumeris carentiis athomorum aliarum, per quas carentias conſtituitur hæc individua combinatio. At forma illa ſpecifica ſubſtantialis non eſt tantum abſurdum, ut illius vitandi gratia hoc alterum devorari debeat, nimirum entia naturalia *ſubſtantialia* conſtitui intrinſecè, ac eſſentialiter per rem entitativè accidentalem, ita ut aquila v. g. arbor, ignis non aliter differat ab aliis ſpeciebus, quam album à viridi, calidum ut tale, à frigido ut tali. Item conſtitui eſſentialiter per innumeras carentias; ergo rationabilius videtur admittere formam illam ſubſtantialem, characteriſticam, & propriiſſimam in unaquaque ſpecie horum entium naturalium, quam immenſam iſtam farraginem carentiarum combinationum aliarum, quibus aliæ athomi combinarentur cum his, aut cum aliis athomis. Omnis quippe combinatio ſolius A cum ſolo B importat eſſentialiter carentiam combinationis cum B, aliorum omnium, quæ diſtinguuntur ab A, & carentiam combinationis rei A cum omnibus, quæ diſtinguuntur à B. Tum demum. Quia cum formæ ſubſtantiales non aliter excludantur à DD. contrariis niſi per recurſum ad varias, & varias combinationes athomorum ſimilium, aut triginta illorum diſſimilium elementorum: & hunc recurſum refutaverim ſupra, fundamentiſque illius ſatisfecerim non tam principiis phyſicis, & directis (quia hæc negantur ad Adverſariis) quàm moralibus, & reflexis, ideo diutius hic immorari non juvat. Diſputatione autem 1. de anima cap. ult. tractabo ex profeſſo rem hanc.

64. Stet ergo, eſſe moraliter certum, ſtabile illud atque univerſale principium proprietatum, atque operationum, quas *ſemper* experimur in *cunctis* individuis cujuſvis ſpeciei non eſſe accidentalem commixtionem, & combinationem athomorum ſimilium, aut diſſimilium; ſed ſubſtantialem quandam rem (quippe quæ eſt eſſentiale conſtitutivum ſuppoſiti) indigentem quidem ad operandum talibus, & talibus combinationibus talium, & talium particularum, jam ſimilium, jam diſſimilium (ut conſtat præſertim in viventibus ſenſibilibus poſceutibus talem, & talem membrorum organizationem, ac temperiem) ſicut ignis v. g. indiget ad comburendum applicatione diſpoſitioneque paſſi. Vim autem effectricem operationum illarum non ſtare phyſicè immediatè in ea organizatione athomorum; ſed in ſubſtantia illa. Hanc vocamus formam ſubſtantialem, quia eſt entitas ſubſtantialis incompleta, quæ alteram compartem ex ſe indifferentem ad componendum ens naturale hujus, vel alius ſpeciei, determinat per ſui unionem cum illa, ad com-

ponendum ens hujus potius, quam illius ſpeciei, tamquam prima radix, & origo proprietatum ſpecificarum illius entis naturalis. Et in hoc ſenſu eſt complementum alterius compartis. Et eſt actus potentialitatis illius. Et non eſt quid metaphyſicum, ut ajunt adverſarii, ſed quid phyſicum, & reale phyſicè, & realiter exiſtens, ac diſtinctum à materia. Et totum hoc, quod dicitur de forma ſubſtantiali debent dicere contrarii de illis combinationibus excepto illo prædicto *ſubſtantialis*. Quo circa totus fragor præſentis controverſiæ oritur ex hoc. Sit, nec ne *ſubſtantia*, & conſequenter ſit, nec ne diſtincta ab organizatione, combinatione, configurationeque membrorum, hoc eſt, particularum ſimilium, aut diſſimilium ex illis 30. elementis, res illa quæ ultimò formaliter, ac immediatè determinat compartem alteram ad componendum unum potius ens naturale, quam aliud ſpeciei diverſæ: quæque eſt prima origo proprietatum illius entis. Per multa ſæcula arbitrati ſunt ſapientes omnes eſſe ſubſtantiam, & conſequenter eſſe diſtinctam ab ea combinatione, ac organizatione. Ut hæc opinio à poſſeſſione deturbetur opus eſt validiſſimo aliquo impulſu, oriundo, aut ex principiis metaphyſicis, aut ex phyſicis, aut ex moralibus, aut ex abſurdis, aut ex authoritate &c. Hunc impulſum non videntur DD. contrarii impreſſiſſe adhuc, neque deprompſiſſe ſpecialiſſimam ullam utilitatem, aut ſpecialiſſimum ullum lumen pro ſcientiis ex ſubverſione priſcę illius opinionis juxta ſupra dicta. Conſentaneum ergo rationi eſt, quod poſſeſſio ſtet pro formis ſubſtantialibus, de quibus longior erit ſermo Diſp. 1. de Anima cap. 8. contra illos, qui negant animas brutorum.

§. III.

65. SEd objicies 1. Inexplicabile eſt quomodo, vel ex quo ſubjecto producatur nova ea ſubſtantia, quæ dicitur forma. Nam, vel ipſa entitas materiæ tranſit in entitatem formæ. Vel aliqua pars materiæ tantum. Nego utrumque: nam ex non legitima intelligentia provenit phraſis illius. *Fieri ex materia*, quaſi forma ſubſtantialis fiat ex materia, ſicut pallium fit ex panno, ſtatua ex marmore, domus ex terra, lapidibus &c. Igitur iſtæ combinationes eorumdem diverſorumve elementorum, vel ſunt aliquid phyſicum verum, & reale, ſive modale, quas ſpecies modo non curo inſiſtens ſoli realitati quaſi in genere. Vel ſunt quid fictitium, & phantaſticum. Si hoc ſecundum, cum entia omnia naturalia, & phænomena cuncta naturæ componatis per iſtas combinationes, ſequetur omnia hæc componi per phantaſmata, & res fictitias. Si illud primum, iterum rogo. Iſta individua combinatio, aut erat olim ſecundum omnia prorſus conſtitutiva, concnotata, conditiones, ac prærequiſita. Aut non. Si primum: cur non erat prius eodem penitus modo quo nunc eſt hic equus qui modo naſcitur, hæc arbor, hic panis &c. Si ſecundum: ergo illud con-

Anduè por. 1. Phyſic. tract. 2. c. 10. & 11.

conſtitutivum, ſeu connotatum ejus combinationis, quod olim non erat, & modo eſt, fuit factum ſimpliciter, & abſolutè de novo. Idem argumentum facies ad probandum fieri ſimpliciter de novo actus intellectûs, ac voluntatis, quos modo elicit anima bonos, aut malos liberè, ac vitaliter: Cur igitur, ita exhorrent hi Magiſtri hanc vocem. *Formæ ſubſtantiales fiunt de novo, quoad ſuam entitatem*. Si admittunt, vel admittere debent juxta rectam rationem illas combinationes verè, ac ſimpliciter fieri de novo, quoad ſuam realitatem modalem, quin propterea creentur, quoad hanc realitatem modalem, fiantve ex nihilo in ſenſu, in quo fit noſtra anima? Ratio autem eſt. Formam ſubſtantialem fieri ex materia (& idem de omnibus aliis, quæ dicuntur fieri ex alio in ſenſu præſente) nil aliud eſt à parte rei coram Deo, & veritate, quàm produci per actionem eſſentialiter unitam ei, tanquam ſubjecto præſuppoſito, ideſt non producto per actionem illam. Omnis & ſolus caſus, in quo id contingat, eſt caſus, in quo unum fit ex alio, ſeu educitur, ſeu generatur ex illo in ſenſu præſente. At quamquam nulla pars materiæ tranſeat in entitatem formæ, qui tranſitus verè eſt impoſſibilis, ſtare, & apprehendi poteſt, quod hæc producatur per actionem eſſentialiter unitam materiæ, tamquam ſubjecto præſuppoſito, ergo quamquam nulla pars materiæ tranſeat in entitatem formæ, ſtare, & apprehendi poteſt hanc fieri, & educi ex illa in ſenſu præſente, ideſt philoſophico, non autem materiali, & vulgari, quo dicimus ſtatuam fieri ex marmore. Relege num. 14. & 16. ubi adverti hos Magiſtros aliqua non levi irretiri æquivocatione, ob illud *ex materia*; metaphoramque illam. *Educi ex potentia, è ſinu materiæ*.

66. Inſtat idem Magiſter. Ex incorruptibili, & conſequenter immutabili ſecundum eſſentiam, nulla ſubſtantia nova produci poteſt. Sed materia eſt incorruptibilis, ergo ex illa non poteſt produci ulla ſubſtantia nova. Ergo forma ſubſtantialis non poteſt produci ex materia. Ergo non ex ſubjecto præſuppoſito, ergo producitur ex nihilo. Ergo creatur. Cur non applicat eumdem diſcurſum illis novis combinationibus, quæ paſſim fiunt, quando nova fiunt entia naturalia? Cur poſſunt fieri combinationum entitates reales, licet modales ex athomis incorruptibilibus, & non entitates ſubſtantiales abſolutæ ex materia incorruptibili? Sed confirmat 1. Forma ſubſtantialis non poteſt educi à materia, aut produci dependenter ab ipſa; quia non producitur ex ipſa, & eſt ab ipſa diſtincta. Etiam combinatio athomorum, quæ aliquid reale modale eſt, diſtinguitur ab illis, & tamen producitur ex illis, ſeu dependenter ab illis. Sed Confirmat 2. Omnis ſubſtantia eſt ens per ſe formaliter exiſtens, ac nullo alio indigens ad exiſtendum, ac per ſe ſubſiſtere poteſt naturaliter, & conſequenter ſeparata etiam ab alio. Ergo ſi forma corporea eſt ſubſtantia realiter diſtincta à materia, poterit exiſtere naturaliter ſeparata à materia. Cur non dicit idem de congerie athomorum, quæ cum ſint ſubſtantia, ſubſiſtere, atque exiſtere poterunt per ſe, ideſt ſeparatæ ab omni penitus combinatione ſui ipſarum, quæ combinatio innumeras imbibit caren-

Digitized by Google

tias, exiſtentias, præſentias, diſtantias, & indiſtantias, ut notavi num. 25. Confirmat 3. Si daretur forma dicta, illa eſſet ſubſtantia incompleta. At repugnat ſubſtantia incompleta. (cum bona pace animæ noſtræ rationalis dictum ſit) Probatur: quodlibet eſt, vel non eſt. Vel igitur illa forma eſt ſubſtantia, vel non. Si hoc: habetur intentum. Si illud, forma debet eſſe una, & verâ ſubſtantia, atque ei convenire debet tota definitio ſubſtantiæ cum ſuis proprietatibus, ergo debet eſſe completa. Unde concludit omnem ſubſtantiam eſſe abſolutè completam, quamvis multæ ſint relativè incompletæ, ut anima rationalis. Eandem completionis, ac incompletionis ſpeciem damus formæ materiali, nempe eſſe abſolutè completam in ratione ſubſtantiæ quatenus fruitur tota definitione hujus; relativè autem incompletam, nempe reſpectû illius entis naturalis, quod conſtituit ſiquidem eſt pars intrinſeca illius. Sed confirmat 4. Dicta forma nequit eſſe corporea, & impenetrabilis, neque diviſibilis. Probatur. Si eſt impenetrabilis, non poterunt penetrari cum ipſa, & conſequenter, nec informari per ipſam, omnes partes compoſiti. Præterea, ut ſit diviſibilis, oportet, quod partes habeat impenetratas. Cur non impugnat eodem modo illam combinationem, quam vocat etiam modum, ſeu rationem eſſendi, actum, ſeu determinationem materiæ. Iſtæ namque voces non ſignificant figmentum, ſed realitatem phyſicam modalem. Omnis autem phyſica realitas, licet modalis, eſt vel corporea, vel ſpiritualis, diviſibilis, vel indiviſibilis, & fiet iſtud idem argumentum.

67. Igitur diſtinguo majorem inſtantiæ. Nulla ſubſtantia nova produci ex incorruptibili poteſt, in ſenſu materiali, & vulgari, permitto. In ſenſu præſente philoſophico, nego. Quoniam in hoc ſenſu, A fieri ex B. Nil eſt aliud à parte rei quam A produci actione per ſe eſſentialiter unita rei B. aliunde exiſtenti. At quamvis B. ſit incorruptibilis, & immutabilis ſecundum eſſentiam (licet mutabilis accidentaliter) ſtat quod ſimpliciter de novo producatur A, actione eſſentialiter unita rei *B*. aliunde exiſtenti. Anima enim rationalis eſt incorruptibilis, & tamen ſimpliciter de novo, quoad ſuas realitates producuntur ab ipſa ſui actus intellectûs, boni, & mali, naturales, & ſupernaturales, quippe qui ſunt actus vitales illius ad quos non ſe habet merè paſſivè: & inſuper cum ſint actus immanentes fiunt per actionem eſſentialiter unitam ipſi animæ; ergo item iſta combinatio, iſte modus, ſeu, ratio eſſendi, iſte actus, ſeu determinatio materiæ cum ſit aliquid non chymericum juxta vos, & non fiat per creationem; ſequitur, quod fiat ex iſta materia cujus eſt combinatio. Vel aſſigna aliud ex quo fiat. Et tamen ſimpliciter de novo fit, quia illa individua combinatio vi cujus modo habemus hanc individuam arborem, non fuit ſemper in hac materia. Si ergo accidens hoc combinationis fit de novo ex materia incorruptibili in ſenſu dicto, cur non poteſt fieri ſubſtantia? Ad 1. confirmationem diſtinguo ſimiliter: non poteſt educi à, &, ex materia in ſenſu philoſophico jam dato, nego: in ſenſu materiali, & vulgari aliarum rerum, permitto. Plerumque offendunt hi DD. ad

illud

Digitized by Google

illud *ex materia à materia &c.* & conſequenter neceſſe eſt explicare frequenter philoſophicum ſenſum illarum phraſeon, quæ metaphoricæ ſunt, quoad latinitatem, licet propriæ, quoad Philoſophiam. Ad 2. diſtinguo antecedens. Eſt per ſe perſeitate independentiæ ab omni alio, nego. Tum quia in definitione ſubſtantiæ non ſignificat illud *per ſe* hanc univerſalem independentiam. Tum propter exemplum, quod ibi adjungo. Eſt per ſe perſeitate ſuppoſiti, quam explicui diſp. 4. logicæ capite de ſubſtantia, concedo antecedens,& ſimiliter ad reliqua.

68. Illud per ſe ſignificat ſubſtantiam non diſtingui adæquatè à ſuppoſito: eo quia, vel eſt adæquatè ſuppoſitum, vel conſtitutivum eſſentiale ipſius. Si ſit primum, poteſt naturaliter exiſtere, imò debet, quin uniatur alii ſubſtantiæ. Si ſecundum, non poteſt ſaltem ſemper: quia interdum contingit, quod una pars alicujus compoſiti nequeat exiſtere naturaliter abſque altera. Et hoc evenit formæ ſubſtantiali materiali reſpectu materiæ. Ad 3. diſt. major. eſſet ſubſtantia incompleta in ratione ſubſtantiæ, nego: & hoc bene impugnatur ratione contraria quoniam tota frueretur definitione ſubſtantiæ. In ratione entis naturalis, ſive relativè ad ens naturale, quod modo diſputatur, concedo: ut concedit arguens de anima rationali. Ad 4. reſpondeo ex doctrina, quam fusè explicui diſp. 4. logicæ cap. de quantitate. Corpus *primariè* eſt ſola quantitas, quia hæc ſola formaliter ratione ſui ſolius eſt impenetrabilis cum alia quantitate. Corpus *ſecundariè* eſt omne illud, quod ex ſe ab intrinſeco eum dicit ordinem ad quantitatem, ut ſine miraculo non poſſit carere unione phyſica mediata, vel immediatà cum ipſa. Hinc cum materia, & forma ſubſtantialis corporea, ſint corpora, ſecundariè, ut pote diſtincta à quantiate, non ſunt invicem impenetrabiles niſi quando habent quantitates numero diſtinctas. At pars A, formæ ſubſtantialis, quæ unitur parti A, materiæ, eamque informat, habet eandem numero quantitatem ſub qua eſt pars A materiæ, & habet diverſam particulam quantitatis ab ea, quam habent pars B, ejuſdem formæ, & pars B, ejuſdem materiæ. Ergo licet pars A formæ nequeat penetrari cum parte B, materiæ, quam partem non informat, penetrari poteſt, atque penetratur de facto cum parte A materiæ, quam actu informat. Hinc etiam fit, quod forma ſubſtantialis corporea ſit phyſicè diviſibilis integraliter, quia partes ipſius, ut pote exiſtentes ſub dictis particulis quantitatis ſunt invicem impenetratæ,atque impenetrabiles. Hæc accuratam poſcunt explicationem corporis, & ſpiritûs, quam loco citato dedi. Et hactenus de Magiſtro Anduè Ordinis Capucinorum.

69. Baſſon aliam carpit viam: nempe negativam: ſubvertendo ſcilicet ingenioſè fundamenta illa communia pro formis ſubſtantialibus, ſumpta partim ex mutationibus naturalibus, partim ex varietate accidentium, & proprietatum, quas experimur in entibus naturalibus: pro quibus exigitur aliquod ſtabile principium reſpectivè in ſingulis ſpeciebus, atque individuis. Et hoc principium cum non ſit materia ſola, eſt illud, quod vocatur forma ſubſtantialis. Cæterum cum hic *Baſſon lib. 3. de formis.*

author

author exemplis compoſitorum artificialium, nec non diverſitatis organorum, operationumque ejuſdem animæ in eodem corpore; nec non diverſitatis complexionum, virium, inclinationumque in hominibus ejuſdem ſpeciei (quæ diverſitates non probant diverſitatem formarum, ſed diverſitatem organorum, diſpoſitionum, atque temperamenti, quæ diverſitas eſt cauſa ſufficiens diverſarum inclinationum in diverſis hominibus, ob notam ſimpatiam animæ cum corpore, cujus paſſionibus quaſi echo ſubitò reſpondet in anima) cum his, inquam, exemplis, nil aliud evincat, quàm diverſitatem mutationum naturalium, nec non diverſitatem operationum, ac proprietatum poſſe loquendo genericè provenire ex ſola diverſitate combinationum, earundem athomorum. Cum hoc, inquam, ita ſit, refutandus eſt rationibus, & abſurdis ſupra datis determinatè contra univerſalem virtutem ad omnia effecta naturalia ſtantem in ſola combinatione particularum corporum. Disjecto autem hoc univerſali aſylo adverſariorum obnoxius manet Baſſon duobus illis argumentis PP. Conimbricenſium, quæ ille reſcindere conatur. Et inſtaurantur ſic. Ideò per te argumentum ſumptum ex mutationibus naturalibus, item, ex diverſitate accidentium, operationumque quas experimur in diverſis ſpeciebus, non probat formam ſubſtantialem diſtinctam à materia, quatenus omnia hæc naſcuntur (non enim diſputamus modo, quod eſt metaphyſicè poſſibile, ſed quod de facto contingit, ut initio monui) ex ſola diverſitate combinatione eorundem membrorum, ſive earundem athomorum. Sed hoc eſt falſum. Et probatur abſurdis prolatis num. 40. & rationibus datis à num. 27. & diſcurſu reflexo expoſito num. 45. Ergo. Vide Diſp. illam de Anima paulò ante citatam.

Maig. diſp 1. c. 1. 70. Objicit. Denique Magiſter Maignanus. Non poteſt fieri unico inſtanti corruptio tota ignis: quia juxta Peripateticos requiritur alteratio ſucceſſiva. Sed extinctio ignis ſolet fieri in inſtanti, nempe unica exſufflatione candelæ, ergo illa extinctio non eſt corruptio, ſed inſtantanea diſſipatio athomorum, maximè agilium, quibus conſtat illa flamma. Nego majorem, quia ſi unico inſtanti fit corruptio combinationis athomorum, ideſt ſi hæ unico inſtanti diſſipantur, cur forma ignis informans particulas materiæ olei, aut ceræ, quæ ob ſuam ſubtilitatem, ac pinguedinem aptæ ſunt ad eam formam ſuſcipiendam, non poteſt unico inſtanti corrumpi? Neque probatio urget. Quoniam licet frequenter alteratio fiat ſucceſſivè, non tamen ſemper, ac neceſſariò, ut diſp. 1. phyſicę naturalis dixi. In primo nempe inſtanti congreſſûs, agens producit in paſſo diſpoſito ſimul, ac ſine ſucceſſione aliquos ſaltem gradus ſuæ qualitatis, & horum graduum productio eſt alteratio: Item in primo inſtanti exardeſcit nitratus pulvis miſſus in fornacem. Repentinus itaque flatus extinguit candelam, quia impetu ſuo diſcontinuans leviſſimas ardentes particulas ab aliis nondum accenſis, facit ut flammæ deficiat cauſa conſervans, nempe ſuccus quem extrahebat à corpore candelæ: deficiente autem cauſa conſervatrice deficit naturaliter effectus. Item ſuppreſſione, ſive ſuffocatione aeris corrumpitur

ea

Digitized by Google

ea forma, quia relapſu exhalationum, aut accurſu aliarum athomorum componentium atmoſphæram, in qua degimus, & in qua eſt flamma illa, aut congreſſu aliorum corporum deficit ſubtilis illa tenuitas, in qua conſervabatur illa forma ignis. Ergo hæc naturaliter debet deficere.

71. Ex huc uſque dictis habes primarias baſes ſententiæ contrariæ formis ſubſtantialibus diſtinctis à materia: motivaque ſtrepitoſæ diſceſſionis à priſca Peripateticorum ſententia, eſſe locutiones illas non minus veras, quàm antiquas. 1. *Forma materiales debent educi, fierique ex materia, ex potentia, è ſinu illius.* Explicatur hoc num. 16. & 17. Secunda. *Ex nihilo nihil fit.* Explicatur num. illo 17. Tertia. *Rem creari eſt produci ex nihilo.* Explicatur num. 18. Quarta. *Unumquodque componitur ex eis, in quæ reſolvitur.* Explicatur num. 31. His additur experientia quadruplex propoſita à num. 37. & ſoluta in genere à num. 40. atque in ſpecie à num. 41. Habes 2. dari in rebus ſubjectum commune mutationum novarumque generationum, nec non, in quo operantur agentia contraria, quod ſubjectum eſt *materia prima*, & hoc juxta ſententiam quoque contrariam, quoniam congeries illa athomorum, ſive elementorum eſt ſubjectum commune mutationum *combinationum* novarumque earundem generationum: quandoquidem ipſæ eædem athomi, jam ſic jam aliter combinantur.

§. IV.

72. STatuto, materiam primam, & formam ſubſtantialem ab ea diſtinctam, non eſſe figmenta; ſed veras, & reales entitates, redeo ad concluſionem ſcriptam num. 59. & dico 2. Prima principia horum entium naturalium, quæ in Proæmio memini ſumptorum in facto eſſe ſunt materia, & forma dictæ. Probatur, tum quia eatenus non eſſent quatenus hæc entia naturalia in facto eſſe conſtituerentur per ſolas athomos ſic, & ſic combinatas juxta ſententiam hactenus refutatam. Sed non ſic conſtituuntur, ut explicatum eſt. Ergo, tum quia prima elementa, ſeu prima principia intrinſeca ſunt illa, quæ ex una parte intrinſecè conſtituunt ens naturale, v.g. ignem: & ex altera non fiunt ipſa, hoc eſt, non conſtituuntur ex ullo alio *in eo ſenſu*, ſeu *in eo genere*, in quo ipſa conſtituunt ens naturale: non enim diſputamus in præſenti (ut ſemel, & iterum adverti propter adverſarios, qui hujus reſtrictionis immemores videntur) principia quæ abſolutè, ac inſtar Dei, qui in nullo genere eſt ab alio, *ſint prima*; Sed quæ ſint prima reſtrictè in genere componendi eſſentialiter, ſive conſtituendi, ut ſupra adverti. At ſolæ materia, & forma dictæ habent hæc duo reſpectu entis naturalis in facto eſſe. Probatur. In primis conſtituunt intrinſecè ens naturale ſic ſumptum, quia hoc, nil aliud eſt à parte rei, quam compoſitum, ſeu totum, quoddam reſultans ex materia, & for-

ma

Digitized by Google

ma ſubſtantialibus (ſuppoſito , imò probato jam , quod hæ duæ entitates ſint in rerum natura) ſubſtantialiter unitis. v. g. Homo quoad eſſentialia phyſica eſt quoddam totum ex corpore , & anima rationali ſubſtantialiter unitis. Arbor quoad eſſentialia eſt quoddam complexum ex materia , & forma pyri , v. g. Ignis quoad eſſentialia nil eſt aliud , niſi quoddam totum ex materia, & forma , quæ dicitur ignis &c. Dico *quoad eſſentialia* : nam entia naturalia v. g. arbor , homo , quoad integralia , multa alia imbibunt v. g. humores , ſpiritus , ſalem , numerum , coordinationem , temperamentumque partium , ac membrorum.

73. Deinde hæ duæ *ſola* entitates (de unione jam locutus ſum n. 59.) conſtituunt eſſentialiter dictum ens , quoniam multitudo illa formarum partialium quibus ſcatent corpora viventium , v. g. forma ſanguinis , forma carnis , forma oſſis , forma humoris , forma aquæ , forma terræ , quæ omnes videntur poſt deſtructam formam viventem , & non apparet cauſa naturalis producens illas de repente , ſunt partes integrales non verò eſſentiales illorum viventium. Unaquæque enim ex his formis partialibus informat partes materiæ ſibi reſpondentes. Complexula reſultantia ex his formis partialibus , & ex particulis materiæ conglobata , & unione continuativa proportionatè unita conſtruunt integraliter corpus viventis (ſicut multa compoſita ſubſtantialia conſtruunt molem domus , v. g. aqua , terra , lignum , ferrum &c.) & demum huic corpori ſic integraliter conſtituto unitur forma viventis , ſicut enti naturali conſtituto ex materia , & forma ſubſtantialibus unitur quaſi reflexè ſubſiſtentia juxta ſententiam docentem illam eſſe formam adæquatè poſitivam ; quamobrem ſubſiſtit , quod licet entia naturalia mixta imbibant multas , & etherogeneas formas ſubſtantiales , & quidem eſſentialiter , ſi loquamur de illis reduplicative , ut mixtis ; verumtamen ſpecificativè ſumpta non includunt illas eſſentialiter , ſed tantum integraliter ſicut homo includit cerebrum , jecur , cor , &c. quia tota eſſentia phyſica illorum ſalvari poteſt divinitus in complexo ex forma ſua , & uno puncto materiæ ſubſtantialiter unitis. v. g. tota eſſentia phyſica hominis ſubſiſtere poteſt ſine contradictione ſi anima rationalis uniretur ſubſtantialiter uni puncto materiæ. Tunc enim daretur ens naturale , nempe compoſitum ex materia , & forma ſubſtantialibus , & ſubſtantialiter unitis. Sed non aliud ens naturale , quam humanum , quoad eſſentialia. Ergo hoc , & alia conſtituuntur phyſicè , per ſolas materiam , & formam unitas. Et quidem per utrumque in recto. Tum quia homo non eſt *corpus unitum animæ*. Nec eſt *anima unita corpori* ; ſed corpus , & anima , & utriuſque unio. Tum quia eſſe in recto philoſophico , quidquid ſit de recto grammatico ſtat in eo , quod de illo affirmetur , aut negetur adæquatè , vel inadæquatè , quod enuntiatur de ſubjecto , & ſimiliter reſpectivè eſſe in recto ex parte prædicati. At quidquid enuntiatur de homine , v. g. enuntiatur inadæquatè de materia , & de forma hominis. Nam eſſe animal rationale , eſſe capacem amicitiæ cum Deo &c. enuntiantur *inadæquatè*

de

de corpore, quia hoc verè eſt pars eſſentialis illius, quod eſt animal rationale &c. & ſimiliter anima, ergo.

74. Denique materia, & forma non fiunt ex ſe ſe, aut ex ullo alio (ideſt non conſtituuntur eſſentialiter, nam in præſenti hic ſolus eſt modus eſſendi ex alio) in eo genere, in quo ens naturale eſt ex ipſis. Probatur ignis, v. g. eſt ex materia, tanquam *ex primo ſubjecto* ex quo fit aliquid, nempè ipſum compoſitum ſubſtantiale, *cum inſit primò, & per ſe*: in hoc enim ſtat eſſentia materiæ primæ. At quamvis ipſa multifariam ſit ex alio nimirum *ex Deo*, tanquam cauſa ſua efficiente, item *ex nihilo*, quia producitur per creationem item ex ſuo genere, ac differentia, tanquam ex partibus metaphyſicis, item ex particulis indiviſibilibus, tanquam ex partibus integrantibus. Verumtamen neque ex forma, neque ex ullo alio eſt phyſicè conſtitutivè tanquam *ex primo ſubjecto*, quoniam materia prima eſt omninò ſimplex ſimplicitate excludente conſtitutiva phyſica, quæ ſint materia, aut forma. Ergo materia prima non fit, aut eſt, ex alio, in eo genere, in quo ignis fit, atque eſt ex ipſa. Similiter forma. Quoniam ens naturale fit ex ipſa, tanquam ex phyſico intrinſeco conſtitutivo, quod formaliter immediatè per ſui unionem cum materia reſolvit hujus indifferentiam ad compoſita diverſarum ſpecierum, eſtque radix, & origo proprietatum compoſiti ſubſtantialis. At quamquam forma multifariam ſit ex alio, ut nuper dicebam de materia, & debet etiam dici de congerie athomorum ad quas confugiunt contrarii authores, nihilominus non eſt ex materia, aut ex ullo alio, tanquam ex phyſico conſtitutivo, quod formaliter immediatè per ſui unionem cum materia reſolvat hujus indifferentiam, ſitque prima origo proprietatum ipſius formæ: quoniam etiam forma, quam dicimus ſubſtantiam diſtinctam à materia, eſt omninò ſimplex ſimplicitate excludente compoſitionem eſſentialem phyſicam ex materia, & forma. Ergo his duabus, & ſolis convenit definitio primorum principiorum entis naturalis.

75. Hac ſola explicatione noſtræ concluſionis ſatis fit argumentis contrariis. Nam 1. licet in entibus naturalibus præſertim viventibus dantur multæ formæ ſubſtantiales ſubordinatæ ipſi primariæ formæ viventis, v. g.; hæc non componitur intrinſecè ex illis (ſicut nec ſubſiſtentia in ſententia dicente eſſe formam adæquatè poſitivam, componitur ex forma entis naturalis, ſupra quod cadit, quodque facit ſuppoſitum, aut perſonam) ſed unitur enti naturali partiali, ut ita dicam, coalito ex materia, & formula illa ſubſtantiali partiali, quod ſolum ens naturale eſt intrinſecè ex formula illa. v. g. ſubſtantialis forma hominis, leonis &c. non componitur intrinſecè ex forma ſubſtantiali carnis, & forma oſſis, & forma ſanguinis, & forma jecoris, & forma lactis, & forma aquę, & formis cęteris componentibus illam maſſam, ſeu illud corpus cui toti unitur forma hominis, aut leonis, ſed hoc ſolum ens naturale partiale, & ſubordinatum *Caro* componitur intrinſecè ex forma carnis. Hoc ens naturale partiale, ac ſubordinatum *Os* componitur intrinſece ex forma oſſis. Forma vero hominis, imò & leonis,& ſi-

Digitized by Google

miles quamvis materiales poſſunt divinitus exiſtere unitæ materiæ quæ non habeat ullam ex eis formis partialibus, ſicut ignis poteſt divinitus exiſtere quin habeat ullum calorem, tametſi, ita connectatur cum illo, ut per nullum agens creatum poſſit illo orbari. *Secundo*: quod ait Magiſter Saguens innumeras formas quotidie, ac ſingulis momentis *oriri ex ſinu materiæ*, & paulo ante, formas juxta Peripateticos *fieri ex materia*, quod ſufficit ad dignoſcendum formam habere potius rationem principiati, quam principii. In primis relabitur in non juſtam intelligentiam illius. *Ex*, illius *educi*, quæ verba toties movent Adverſarios, & quorum philoſophicum ſenſum toties inculcavi tum num. 17. tum alibi ſæpè. Deinde cum ſuæ athomi, ſeu triginta ſua anonyma, & conſequenter inexplicata elementa, quorum combinatione putat componi omnia entia naturalia, etiam ſint ex Deo, tamquam ex Creatore, licet, non tanquam ex parte eſſentiali, ſequeretur illa non tam habere rationem principii, quam principiati, ſicut ibidem dicit de Abel, quamvis hic non fuerit compoſitus eſſentialiter ex membris Adæ. Denique jam monui non diſputari modo principia entis naturalis, quæ abſolutè, ac ſine ulla reſtrictione ſint prima: hoc namque modo unum ſolum eſt illorum principium, Deus nimirum. Sed prima principia *intrinſeca*, ideſt ea quæ in illo ſenſu, in quo componunt ens naturale, non componantur ex ullo alio, ſint, nec ne in aliis ſenſibus ex ſe ſe, vel ex aliis. At quamvis formæ ſint ex materia, & quotidie oriantur ex illius ſinu, (in ſenſu tamen legitimo) non ſunt, aut componuntur ex ullo alio, in eo ſenſu, in quo ex ipſa eſt, & componitur ens naturale, ut paulo ante dixi. Ergo. *Tertio*. Reſolutiones, exaltationes, evaporationeſque chymicæ quas ibidem objicit non ſunt in partes primas, & eſſentiales illius mixti, ſed in partes integrantes, ut ſæpè dixi à n. 31.

Saguens Phyſic. diſp. 1. art. 1. n. 13.

Idem ibid. n. 14.

76. Nam homo quoque ſi alambico reſolveretur videretur abire in vapores, fumos, ſpiritus, pinguedinem, ſalem &c. & tamen non eſſentialiter, ſed integraliter dumtaxat componitur ex his. Præterquam quod cum neceſſe ſit deficere aliquod conſtitutivum rei, quando hæc deficit, ſeu reſolvitur, ideo ex eo, quod reſoluto aliquo ente naturali non perſeveret forma, ideſt, ex eo quod non ſemper reſolvatur in formam, quoad ſenſum non ſequitur hanc non eſſe illius conſtitutivum. Vide locum citatum; quamobrem, vel agit hic author de reſolutione compoſiti ſubſtantialis *in ſua componentia integralia* (& ſic concedo illi totum; aſt non diſputamus modo componentia integralia, qualia ſunt ſanguis, ſpiritus, jecur, viſcera &c. in homine) vel in ſua *componentia eſſentialia*. Et ſic nego ſuppoſitum, quia nunquam experti ſumus hanc reſolutionem. Quod & ipſi dicere tenentur, nam juxta ipſos ignis, v. g. componitur ex talibus, & talibus elementis (ſpecificativè utique, & ſecundum ſe) ex una parte ſumptis, atque ex altera parte tali, & tali coordinatione eorundem. Et quando ignis extinguitur non experimur illa elementa nuda, & ſpecificativè ex una parte, atque coordinationem ex altera, ſed hæc prorſus deficit, & elementa illa nuſpiam comparent, ſed dicuntur abire neſcio, & etiam neſciunt

illi

illi, quò. Idem dico de forma ſubſtantiali materiali. *Quarto*. Falſum eſt, fore, ut forma non diſtinguatur adæquatè à materia *ſi fiat* ex ipſa. Nam omne, inquit, ibidem num. 17. quod fit ex aliquo habet in ſe illud aliquod, ex quo fit, & conſequenter non diſtinguitur adæquatè ab illo, alias non fieret ex illo, ſed ex nihilo. Si diſcurſus hic valeret quidquid eſt ex Deo, aut ex Diabolo, non diſtingueretur adæquatè ab alterutro. Relabitur illud in ſolemnem æquivocationem illius *ex*. *Fieri ex aliquo*. *Fieri ex nihilo*. Quaſi hæ phraſes philoſophicè ſignificarent formam ignis, v. g. fieri, aut eſſe ex materia, aut ex aliquo nihilo objectivo, ſicut pallium ex panno, aut ſtatua ex marmore. Igitur ut ſæpè monui illud *ex*, nil aliud ſignificat, & in nullo alio ſenſu admittitur, niſi quatenus forma materialis ſuapte producitur per actionem eſſentialiter unitam phyſicè intrinſecè immediatè materiæ, tanquam ſubjecto præſuppoſito. Hinc autem quo jure infertur illam non diſtingui adæquatè à materia, aut illam, creari fierive ex nihilo, ideſt illam produci per actionem non unitam eſſentialiter alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito, in quo ſtat quidditas creationis? Diſtinguenda itaque eſt illa propoſitio. Omne, quod fit ex aliquo, tanquam ex intrinſeco principio, & conſtitutivo, habet in ſe illud, & non diſtinguitur adæquatè ab illo, concedo. Ex aliquo, tanquam ex cauſa efficiente, aut finali, aut motiva, aut materiali, & paſſiva nego. Et hoc ultimo modo fit forma ex materia.

77. *Quintò*. Satis perceptibile eſt diſcrimen inter productionem animæ rationalis, & productionem formæ materialis, ob quod illa ſit creatio, & productio ex nihilo; hæc verò ſit generatio, & productio ex aliquo. Quod diſcrimen cum non detegat laudatus author abſorptus totus in illo *ex nihilo*, & in illo *ex aliquo*, redit ad antiquam cantilenam adverſariorum: videlicet fore, ut formæ materiales crearentur, ſeu producerentur ex nihilo, ſi exiſterent à parte rei. Crebrò dixi, quid non ſit, & quid ſit à parte rei iſtud *ex nihilo*, *ex aliquo*, quid non ſignificent, quid ſignificent phraſes illæ philoſophicæ. Sed coguntur Peripatetici repetere, ac ingeminare eadem, ſicut ille alius ſenior, cogebatur à juniore. *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra. Nec mora, nec requies, quam multa grandine nimbi &c.* Igitur productio animę rationalis eſt ex nihilo, & eſt creatio purè, ac prę́cisè, quia actio ea non habet ex ſua eſſentia uniri intrinſecè immediatè ulli alii rei, tanquam ſubjecto præſuppoſito, hoc eſt, per ipſam non producto. Nil aliud; Quia hoc omni, & ſoli creationi convenit. Rurſus productio formæ materialis eſt ex aliquo, eſt generatio, eſt paſſio, eſt receptio, eductio purè, ac præcisè, quia ex ſua eſſentia habet uniri intrinſecè immediatè alii rei, nempè materiæ, tanquam ſubjecto præſuppoſito. Nil aliud. Hoc enim omni, & ſoli id generis generationi convenit. Hoc ſtatuto diſcrimine ſatis perceptibili, quomodo objicitur formam materialem creandam fore, aut producendam ex nihilo? Diſtinguendæ itaque ſunt iſtæ phraſes, quas toties objiciunt hi Magiſtri. Creari eſt produci, ſive fieri ex nihilo, per actionem non unitam ex ſua eſſen- *Æneid. 5.*

tia alii rei, tanquam ſubjecto præſuppoſito, concedo. (ſed hoc non probatur convenire formis materialibus) Eſt fieri, ſeu produci ex nihilo per actionem ex ſua eſſentia unitam phyſicè, intrinſecè, immediatè alii rei, tanquam ſubjecto præſuppoſito, nego. Et hæc eſt ſpecies eſſendi ex nihilo, quæ convenit formis materialibus. Similiter diſtinguendæ alteræ. Educi, generari, eſt produci, eſt fieri, eſt eſſe ex aliquo per actionem ei eſſentialiter unitam phyſicè, intrinſecè, immediatè, concedo. (& hic eſt concurſus paſſivus, quem habet materia reſpectu formæ materialis: unicuſque ſenſus, quo hæ fiunt, ſuntque ex illa) Eſt produci, eſt fieri ex aliquo, ſicut ex marmore, aut ſicut domus ex lapide, & trabe, aut in alio æquè improprio ſenſu, nego.

Saguens ubi ſupra n.25. 78. Hinc demum abs jure inſimulat Magiſter Saguens Peripateticos, quaſi pro rerum naturalium phyſica compoſitione induxerint principia, quæ independenter ab intellectu, nil habent realitatis, & experientiæ: concludens num. 28. hanc eſſe radicem errorum, qui ſubrepſerunt in Philoſophiam Peripateticam. Etenim attributa illa materiæ, ac formæ, quæ recenſui num. 61. & ſeqq. non ſunt purè imaginaria, aut ſolius rationis, ſed phyſica, & realia, phyſicè exiſtentia non cum multiplicitate inter ſe, ſed quoad verba noſtra, eo quia non habemus unicum ſimplex verbum ad explicandum totam eam rem, ut paſſim nobis omnibus contingit. Deinde aliud eſt principia aliqua eſſe metaphyſica. Aliud eſſe *purè* metaphyſica. Hoc ſecundum ſolet eſſe diverſum ab actuali exiſtentia, & realitate; ſecus illud primum. Alias cum homo ſit metaphyſicè animal rationale, ſequeretur non eſſe verè ſimpliciter à parte rei animal rationale. Item cum 30. illa elementa, quæ ſine nomine, ſine explicatione ipſorum introducit hic author expellendi ergo formas ſubſtantiales diſtinctas à materia, ſint capacia, quæ metaphyſicè definiantur (ſi non ſunt tot entia rationis) nec non eorundem combinationes, ſequetur has, & illa nil habere entitatis, ac realitatis: & conſequenter ens naturale, quod ex illorum combinatione componi dicit, componeretur ex principiis non habentibus ullam realitatem. Ratio autem eſt. Definitiones metaphyſicæ non aperiunt figmenta, & entia rationis in ſuis objectis; ſed breviſſimè explicant realitatem, quidditatem, entitatemque illius; alioquin non eſſent definitiones, ſed deceptiones. Jam materia, & forma dictæ, ſunt quidem res metaphyſicæ, quatenus metaphyſicè definiuntur; non tamen ſunt res *purè metaphyſicæ*.

§. V.

79. DIco 3. Principia intrinſeca entis naturalis in fieri per generationem præcisè, ideſt principia intrinſeca generationis præcisè, quæ ſit talis reſpectu formæ, aut reſpectu unionis, ob quam generationem, ens ipſum naturale generari dicitur. Hujus, inquam

Digitized by Google

quam', generationis principia intrinſeca ; nulla ſunt. Opus tamen eſt diſtinctione. In primis quanquam rariſſimè detur de facto generatio ulla, quæ ſit *præcisè generatio*, ſiquidem in omni ferè generatione mutatur materia à privatione formæ ad formam ipſam; verumtamen poſſibilis eſt *generatio præcisè*, quia poſſibile eſt, quod in eodem primo inſtanti, in quo Deus creat materiam producat formam in ipſa. Ergo tunc non mutabitur materia, neque tranſibit à non habendo *poſitivè* formam ad habendum illam, ſiquidem non exiſtebat in rebus ea materia ante formam; ſed ſolum tranſibit à non habendo illam *negativè*, quatenus certè non habebat illam in inſtanti antecedente ad generationem formæ, quandoquidem in eo inſtanti neutra exiſtebat in rebus. Hic autem tranſitus, ſeu mutatio merè negativa non obſtat generationi præcisè. Talis autem fuit, ut jam dixi generatio formarum quatuor elementorum, aut ſaltem terræ, & aquæ initio mundi: nam in eodem inſtanti, in quo Deus creavit materiam produxit has formas in illa. Dicit enim Moyſes. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Non materiam ſolam Cœli, & Terræ. Et cum materia non niſi per grande miraculum poſſit exiſtere ſine forma, abſonum videtur, quod author naturalis mundanæ machinæ inciperet ſuum opus à violatione appetitûs naturalis rei naturalis. Item, ut dixi num. 53. generatio vermium, quando corrumpuntur ſpecies Sacramentales, etiam eſt generatio præcisè. Nam in eodem inſtanti, in quo generantur illæ formæ creat Deus de novo illam materiam. Deinde, vel loquimur de forma materiali indiviſibili, qualem aliqui putant animam brutorum perfectorum, nempe, quæ in partes diviſa in nulla eliciunt operationem vitalem. v. g. equus, canis &c. Vel diviſibili (diviſibilitate utique integrali non eſſentiali ex materia, & forma: nam alias non eſſet illa forma primum principium entis illius naturalis) qualis eſt anima brutorum imperfectorum, nempe, quæ in partes diviſa eliciunt in illis operationes vitales, ut plerique vermes, colubri, & ſimilia. Quorum partes invicem ſeparatæ fugiunt, ſentiunt, & ſe ſe contorquent, qui motus non poſſunt eſſe à ſolis ſpiritibus vitalibus. Rurſus ſi loquamur de forma diviſibili. Aut loquimur de diviſibili in partes homogeneas, ut eſt diviſibilis forma ignis, aquæ, arboris. Aut de diviſibili in partes etherogeneas, nam pars animæ lacertæ, v. g. quæ eſt in capite, & in corde, forſan eſt perfectior quam pars, qua eſt in cauda, aut pede. Dico ergo Generatio formæ indiviſibilis eſt quoque indiviſibilis; & conſequenter nulla habet principia intrinſeca; quoniam cum actio omnis ſit per ſe connexa metaphyſicè cum ſuo termino, repugnat generatio merè partialis, quippe, quę non eſt per ſe metaphyſicè connexa cum termino. At eo ipſo, quod generatio ſit indiviſibilis nulla habet principia intrinſeca phyſica, ut conſtat. Ergo. Et in hoc ſenſu procedit concluſio. *Geneſ. 1.*

80. Non ita philoſophandum videtur de generatione unionis, qua compingitur ens naturale; quoniam unio hæc eſſet entitativè diviſibilis integraliter; unio namque, qua anima, etiam rationalis unitur dextrę, eſt diſtincta ab illa, qua unitur ſiniſtræ, & ſic reſpectivè de aliis partibus

bus corporis, ſi quidem deficiente unione cum uno membro, perſeverat unio cum aliis; ergo unio, qua anima, etiam indiviſibilis unitur toti materiæ eſt integraliter compoſita ex multis partialibus unionibus. Ergo generatio hujus totalis unionis, etiam eſt diviſibilis, ideſt, conſtat ex multis generationibus, quarum ſingulæ licet ſint partiales reſpectu unionis totalis, ſed non reſpectu illius uniunculæ, cujus eſt generatio: quo circa hæc generatio unionis adæquatè ſumpta intrinſecè componitur integraliter, ex generationibus uniuncularum formæ, cum partibus primariis illius entis naturalis. Cumque unaquęque ex his generatiunculis non componatur ex aliis generationibus: inde fit, quod adæquata generatio unionis, licet ſit generatio præciſè, habet ſua prima principia intrinſeca integralia nimirum generatiunculas dictas. Hæc enim adæquata generatio unionis eſt, quoad hoc, ſicut intenſio caloris, v. g. quæ intrinſece componitur ex ſingulis octo gradibus, & hi ſunt prima principia intrinſeca phyſica illius, ſiquidem horum ſinguli non componuntur intrinſecè ex alio, aut aliis gradibus caloris. Aſt ſicut tota eſſentia caloris ſalvatur in unico gradu: ita tota eſſentia unionis in una ex uniunculis illis: & conſequenter generatio illius eſt indiviſibilis non habens ulla principia intrinſeca phyſica. Rurſus cum ſolius formæ generatio, non ſit generatio entis naturalis, quia poteſt illa generari divinitus, quin uniatur materiæ, in quo caſu non dabitur generatio illius entis naturalis. Ideò generatio entis naturalis, hoc eſt compoſiti ſubſtantialis tametſi ſit generatio præciſè, abſque ulla mutatione materiæ (hoc enim innuit illud *præciſè*) videtur componi intrinſecè phyſicè, atque eſſentialiter ex generatione unionis, & generatione, vel creatione formæ. Ex alia parte, hæc duo non ſunt ex aliis, aut ex alio, in eo ſenſu, in quo ex ipſis eſt generatio præciſè entis naturalis:quoniam hęc eſt ex illis,tanquam ex totalibus productionibus formę, atque unionis, quoad eſſentiam, & ſubſtantiam. Et neutra ex his duabus eſt ex ullo alio, tanquam ex totali productione formæ, aut unionis. Ergo *generatio præciſè* in hoc ſenſu, ideſt entis naturalis, ut talis, habet prima principia intrinſeca nimirum totalem productionem formæ, totalemque productionem unionis. Neque in hoc igitur ſenſu intelligere debes tertiam hanc concluſionem.

81. Rurſus ſi forma fuerit diviſibilis in partes homogeneas, v. g. forma aquæ, terræ, hujus ligni &c. tota eſſentia, perfectioque intenſiva illius ſalvatur in unico puncto phyſicè indiviſibili, ita ut reliqua, quæ agglomerantur ſpectent ad extenſivam perfectionem illius formæ. At generatio unius puncti indiviſibilis, eſt quoque indiviſibilis. Ergo generatio illius formæ, quoad eſſentiam perfectionemque intenſivam eſt indiviſibilis, tametſi generatio illius, quoad integralia ſit diviſibilis, etiam integraliter. Ergo illa non habet ulla principia phyſica intrinſeca; quocirca de generatione hujus formæ ratiocinandum eſt, ſicut de generatione unionis paulò ante dicebam. Sin forma fuerit diviſibilis in partes etherogeneas, & perfectione diſpares, videtur non ſalvari totam illius eſſentiam in uno ſolo puncto indiviſibili ſicut nec

tota

tota eſſentia phyſica hominis ſalvatur in ſola materia, aut ſola anima, quamvis ſalvetur in complexo ex anima, & unico puncto materiæ unitis, in quo caſu verè, & ſimpliciter daretur homo, quoad eſſentialia quamvis non quoad integralia, ergo eſſentia illius formæ, v. g. equinæ, ſi hæc ſit diviſibilis includit intime, ac eſſentialiter partem, quæ informat cor, v. g. & partem quæ informat caput. (includit, inquam, ſed non tanquam primam radicem omnium proprietatum equi, quia cum in hoc genere forma ipſa totalis equina, ſit primum principium intrinſecum equi nequit eſſe ex alio in eo genere, in quo equus eſt ex ipſa: & conſequenter nequit eſſe ex parte informante caput, v. g. tanquam ex prima radice proprietatum equi) Ergo generatio illius formæ conſtituitur intrinſecè per duas partiales generationes, unam partis informantis caput, & alteram partis informantis cor equinum. At hæc duæ partiales generationes non conſtituuntur intrinſecè per alias, nam loquor de indiviſibilibus. Ergo hæ duæ ſunt prima principia intrinſeca generationis præciſè formæ illius.

82. Hinc elicies, quo ſenſu ens naturale in fieri per generationem præciſè, hoc eſt, quo ſenſu *Generatio præciſè*, habeat principia intrinſeca, & quo ſenſu non habeat. Generatio præciſè formæ indiviſibilis, item formæ diviſibilis in partes homogeneas, ſi hæc ſumatur, quoad eſſentiam, non habet ullum principium intrinſecum. Generatio præciſè formæ diviſibilis in partes etherogeneas: item generatio præciſè totius ipſius entis naturalis adæquatè ſumpti habet principia intrinſeca jam dicta. Generatio præciſè unionis, quoad integralia, nec non formæ, quoad integralia etiam, habet ſua prima principia intrinſeca. Objici ſolet vetuſtum ſophiſma ad probandum generationi etiam, quæ dicitur generatio præciſè, intervenire privationem formæ. Unde illa generatio præciſè, vel repugnat, vel conſtituitur, etiam per privationem formæ. Etenim ideò dicemus mox, ens naturale in fieri per mutationem conſtitui, per privationem formæ, quia materia tranſit ab hac privatione ad illam formam. Sed idem contingit in generatione præciſè. Probatur. Materia eſt cauſa paſſiva formæ ignis, v. g. etiam quando hæc producatur in eodem primo inſtanti, in quo creatur materià, ergo eſt in ſigno priore ad illam, etiam in hoc caſu. Ergo eſt in ſigno priore ad illam etiam, quando illa dicitur generari præciſè. Sed in eo ſigno prore ad formam, non datur ipſa forma, ut patet, & datur in ſigno poſteriore. Ergo etiam quando datur juxta nos generatio, præciſè tranſit materia à non habendo formam in eo ſigno priore, ad habendum illam in ſigno poſteriore; ergo etiam tunc datur mutatio materiæ; & conſequenter repugnat, quod detur generatio præciſè. Item. Ergo privatio formæ eſt principium intrinſecum illius genetationis, tanquam terminus *à quo*. Quia non habere formam in eo priore eſt habere carentiam formæ in eo priore. non enim datur medium inter duo contradictoria. Et ſicut quodlibet eſt, vel non eſt in uno inſtanti temporis, & in uno loco, & hac de cauſa repugnat, quod duo contradictoria deficiant ſimul in eodem tempore, aut loco. Ita quodlibet eſt, vel non eſt in uno aliquo in ſigno natu-

naturæ, & conſequenter repugnat, quod duo contradictoria deficiant ſimul in eodem ſigno naturæ, quia deficere unum in aliquo tempore, loco, aut ſigno naturæ, eſt formaliter exiſtere alterum in eo tempore, loco, aut ſigno naturæ.

83. Hoc ſophiſma compactum ex abuſu terminorum ſolvi in Prodromo diſp. 1. num. 15. Aliud eſt, quod materia pro priori ad formam non habeat illam in ſenſu merè negativo. Aliud, quod non habeat illam in ſenſu poſitivo, quaſi pro priori ad formam daretur aliquid, ſive poſitivum, ſive negativum, quod in ſe ipſo eſſet *non habere formam*. Si contingeret hoc ſecundum, mutaretur materia; at non contingit; ſed duntaxat illud primum, quod non obſtat generationi præcisè, ut jam adverti num. 79. quoniam mutatio, quæ excluditur per illa verba, *Generatio præcisè*, eſt mutatio ſtans in eo, quod materia tranſeat à non habendo poſitivè *in uno tempore* reali, vel poſſibili formam, ad habendum illam in alio tempore. At materiam non habere in ſenſu merè negativo, ſive præciſivo formam in eo ſigno priore, & habere illam in ſigno poſteriore; non eſt tranſire à non habendo illam in uno tempore ad illam habendam in alio tempore, ſiquidem illud prius, & poſterius (ideſt cauſa, & effectus, quia hoc, & nil aliud ſignificant illæ voces) ſunt, & exiſtunt in eodem penitus tempore. Ergo iſtud, quod objicitur non officit generationi præcisè, quam modo diſputo; quamobrem cæteris conceſſis, nego illam conſequentiam. *Etiam quando detur generatio præcisè tranſit materia &c.* quoniam tranſitus, & mutatio in præſenti alludit ad tempora diverſa. Ergo quoties non dentur diverſa tempora, ſive inſtantia realia, aut poſſibilia, quæ ſolent dici tempus imaginarium, non dantur tranſitus, & mutatio, de quibus modo. At per te ipſum non dantur in iſto caſu inſtantia, ſed tantum ſigna naturæ diverſa. Ergo. Ad appendicem, nego illam conſequentiam: & ipſius probationem. Etenim unum eſſe in ſigno priore ad aliud (ut jam initio monui diſp. 1. Dialecticæ num. 199. ob frequentem uſum, & abuſum hujus phraſis Scholaſticæ) ſtat in eo, quod ſit cauſa, aut prærequiſitum ex parte cauſæ ad illud; hoc enim ſignificat priſca iſta phraſis. Ergo quidquid, neque eſt cauſa, neque prærequiſitum ex parte hujus reſpectu formæ non eſt in ſigno priore ad formam. At ex eo, quod materia non habeat formam pro priori ad ipſam, ideſt ex eo quod forma non ſit cauſa ſui ipſius non ſequitur, quod *habere carentiam formæ* in inſtanti A. v. g. ſit cauſa, vel prærequiſitum ad habendum illam in illo eodem inſtanti, ut patet. Ergo ex eo, quod materia non habeat formam pro priori ad hanc, non ſequitur, quod pro priori ad hanc habeat carentiam formæ. Sic pro priori ad equum, neque datur hæc carra, neque datur poſitivè carentia hujus carræ. Pro priori ad gratiam ſanctificantem, neque datur poſitivè equus, neque datur poſitivè carentia equi. Et totum hoc pendet ex intelligentia optimæ illius phraſis. *Dari pro priori. Non dari pro priori*, qua interdum abutuntur aliqui, cum nil aliud ſignificet, quam eſſe, aut non eſſe cauſam, prærequiſitum.

Non

84. Non diffiteor, quod habere carentiam formæ, quandoque ſit ſuo modo cauſa, aut prærequiſitum ad habendum illam, ut contingit quando habere carentiam formæ eſt motivum ad obtinendum illam: item, ut contingit in caſu generationis per mutationem, quoniam ad hanc requiritur, quod in inſtanti immediatè antecedenti extiterit carentia formæ. Sed hoc eſt ſemper reſpectivè ad inſtantia diverſa. In eodem autem, nequit fieri, quod forma, aut ipſius privatio, ſit cauſa, vel prærequiſitum ad formam ipſam: & conſequenter ex eo, quod pro priori ad formam in A non detur forma, male arguitur, quod carentia, ſive privatio formæ, ſint in eo inſtanti pro priori ad formam. Tria illa principia, quæ probationi contrariæ inſeruntur videlicet inter duo contradictoria non datur medium; quodlibet eſt, vel non eſt. Deficere unum contradictorium eſt exiſtere aliud; ſunt vera in ſenſu alibi dato; ſed nego conſequentiam ex illis ad rem præſentem, ob ſenſum quem habent phraſes illæ. Exiſtere pro priori. Non exiſtere pro priori. Ex eo namque, quod aliquid, neque ſit cauſa, neque prærequiſitum ad rem A, non ſequitur contradictorium, ſive carentiam illius eſſe cauſam, aut prærequiſitum ad eandem rem A.

§. VI.

85. DIco 4. Prima principia intrinſeca entis natrualis in fieri per mutationem, hoc eſt prima principia intrinſeca *mutationis*, non utique entis ipſius naturalis, ut jam adverti; quippe quod non tranſit à privatione formæ ad formam, cum deficiat ſimpliciter in inſtanti immediatè antecedenti ad primam generationem formæ, & fiat de novo, quando de novo incipit eſſe hæc forma; ſed *mutationis*, qua materia ipſa mutatur: hujus inquam principia ſunt materia, forma, & hujus privatio pro inſtanti antecedente ad hujus primam productionem (aut reproductionem ſi hæc olim corrupta, de novo nunc divinitus reproducatur) Communis hæc concluſio explicatione etiam indiget. Mutatio materiæ, ſive, *mutari hanc*, & tranſire à non habendo formam ignis, v. g. ad habendum illam, ſive quod idem eſt: ens naturale in fieri per generationem, quæ ſit mutatio, bifariam diſputari poteſt. 1. in abſtracto. 2. in concreto. Mutatio in abſtracto conſiſtit phyſicè in his ſolis duobus. *Formam eam non fuiſſe in materia. Et modo eſſe in materia*. Quoniam mutatio in abſtracto eſt forma illa, vel quaſi forma, per quam formaliter immediatè materia mutatur. Sed forma hæc ſtar in eis duobus præciſè. *In eis duobus*, nam materia per ſe ſolam indifferens eſt, ut mutetur, vel non mutetur. Illud autem per quod formaliter immediatè mutatur preſsè loquendo, eſt. *Non habuiſſe hanc formam in inſtanti antecedente*. Et. *Illam modo habere*. Ergo complexum ex his duobus eſt forma per quam immediatè formaliter mutatur materia. Deinde *præciſè*. Nam licet non poſſint verificari quin

materia, & antea, & modo exiſtat, hoc probat connexionem horum cum materia; ſecus quod hæc conſtituat phyſicè formam, per quam formaliter immediatè mutatur. Sicut quod color, & cæteræ ſimiles formæ, nequeant eſſe abſque ſubjecto, probat connexionem illarum cum hoc; non tamen probat ſubjectum conſtituere phyſicè illas formas. Ratio autem eſt. Omnis denominatio phyſica, ut diſtincta à denominationibus metaphyſicis, importat formam diſtinctam adæquatè à ſubjecto denominato, & conſequenter non conſtitutam phyſicè eſſentialiter per ſubjectum ipſum, v.g. denominatio *albi* importat albedinem diſtinctam adæquatè à ſubjecto albo. Denominatio phyſica parietis *viſi*, dicit viſionem, diſtinctam adæquatè à ſubjecto viſo &c. At omnis mutatio materiæ à non habendo ad habendum aliquam formam phyſicam, eſt denominatio phyſica, ut conſtat. Ergo importat formam diſtinctam adæquatè à ſubjecto denominato, nempe à materia, quæ ſola eſt ſubjectum, quod mutatur, & conſequenter non conſtitutam phyſicè per hanc. Sed mutatio ſumpta in abſtracto eſt forma ejus denominationis. Ergo diſtinguitur adæquatè à materia, ergo conſiſtit phyſicè in eis ſolis duobus, & quidem in recto, ut mox explicabo.

86. Sumpta verò in concreto includit præter illa duo, ex quibus componitur forma mutationis, ſubjectum ipſum, quod mutatur: quoniam omnis denominatio phyſica ſumpta in concreto imbibit eſſentialiter ſubjectum denominatum, & formam denominantem. At ſubjectum, quod denominatur mutatum, eſt materia prima, quoniam hæc eſt, quæ prius non habebat, & modo habet formam ignis, v.g. Forma autem eſt complexum dictum. Ergo mutatio ſumpta in concreto imbibit eſſentialiter materiam, formam, quam de novo habet, hujuſque carentiam, quam antea habebat. Cumque hæc carentia ſit privatio, quia eſt carentia formæ in ſubjecto capaci habendi eam: hac de cauſa mutatio ſumpta in concreto dicitur, conſtitui per ea tria; æquivocè tamen, & proportionatè ad uniuſcujuſque naturam: per materiam tanquam per id, quod mutatur: per complexum ex illis duobus, tanquam per formam mutationis. Et rurſus in his duobus, eſt etiam diſparitas: nam mutatio in concreto conſtituitur per privationem tanquam per terminum *à quo* tranſit, & mutatur materia; per formam autem tanquam per terminum ad quem tranſit, ac mutatur. Et ambo ſunt termini extrinſeci reſpectu materiæ, quippe, quæ diſtinguitur adæquatè ab eis; intrinſeci verò reſpectu mutationis, quia hæc non diſtinguitur adæquatè ab illis. Rurſus hæc tria non ſunt utcumque conſtitutiva mutationis ſumptæ in concreto; ſed conſtitutiva in recto, ita ut omnia, quæ enuntiantur de mutatione in concreto, enuntientur (inadæquatè utique) de ſingulis eorum, ideſt enuntientur affirmativè, aut negativè de toto quodam, cujus ſingula illorum ſunt partes eſſentiales in eo ſenſu, in quo ſupra dixi animal rationale enuntiari verè de corpore, aut de anima; quamvis enim in concretis accidentalibus formæ ſint obliqua quædam, reſpectu *ſubjecti*; aſt reſpectu *concreti ipſius*, hoc eſt reſpectu *tertii coaliti ex ſubjecto, & formæ*, non ſunt mera obliqua, ſive con-

connotata, ſed ſunt non minus intima eſſentialia conſtitutiva, quam ſubjectum, quia complexum ex pariete, v. g. & albedine illi unita, non minus eſſentialiter imbibit albedinem, quam parietem. Ergo licet formæ concretorum accidentalium ſignificentur in obliquo, atque ut *quo*, reſpectn ſubjecti; aſt non reſpectu ipſius totius concreti; quamobrem quando dicuntur conſtitutiva, ut *quo* in obliquo &c. ſit alluſio ad ſubjectum, atque ad concretum; ſed æquivocè; reſpectu hujus, tam intima eſſentialia, *quod*, & *rectum* ſunt, quàm ſubjectum ipſum. Reſpectu verò ſubjecti ipſius, nec ſunt conſtitutiva, ſed connotata, nec ſunt *quod* denominatur, ſed *quo* denominantur, nec ſunt rectum, ſed obliquum. Unde habes, quo ſenſu prædicta tria ſint, & non ſint conſtitutiva in recto mutationis ſumptæ in concreto.

87. Rurſus nec utcunque ſunt conſtitutiva in recto; ſed ſunt inſuper elementa, hoc eſt prima principia ejuſdem; quoniam licet ſingula multifariam ſint ex aliis, & conſequenter licet non ſint principia *Prima* abſolutè, & ſimiliter principia inſtar Dei, ſicut nec athomi, nec quodcunque aliud aſſignabile, ſiquidem omne illud, ut pote creatura, debet eſſe ex alio, & ab alio in multiplici ſenſu; attamen neque ex ſe ipſis, neque ex ullo alio ſunt *in eo genere*, in quo mutatio eſt ex ipſis; quoniam hæc eſt intrinſecè conſtitutivè ex materia, tanquam ex ſubjectò, quod mutatur: materia autem ex nullo alio componitur eſſentialiter, tanquam ex ſubjecto, quod mutatur, ut conſtat. Rurſus mutatio eſt intrinſecè conſtitutivè ex privatione, tanquam ex termino *à quo*, non utcunque, ſed *negativo*; ex forma verò tanquam ex termino ad *quem*, non utcunque, ſed *poſitivum*. At neutra eſt in hoc genere ex alio, ut conſtat. Nam licet privatio poſſit eſſe terminus ad quem, & forma terminus *à quo*, nimirum in mutatione inverſa, quando materia tranſit ab habendo formam ignis ad non habendum illam. Hæc mutatio in primis non eſt quam modo diſputamus, quia non eſt generatio, ſed corruptio entis naturalis. Deinde adhuc in iſto caſu, neutra eſt intrinſecè conſtitutivè ex altera, ſiquidẽ forma diſtinguitur adæquatè à ſua privatione, & hæc ab illa. Et demum mutatio eſt ex privatione, tanquam ex termino *à quo* negativo (in quo ſenſu forma nunquam poteſt eſſe terminus à quo) & eſt ex forma, tanquam ex termino ad quem poſitivum, in quo ſenſu nunquam poteſt privatio eſſe terminus ad quem. Ergo tria dicta non ſunt utcumque conſtitutiva mutationis in concreto; ſed elementa, primaque principia ejuſdem, non utique primatu abſoluto repugnante creaturis; ſed primatu reſpectivo, quippe ſolus diſputari poteſt inpræſentiarum.

88. Cæterum unumquodque ex his tribus oportet expendere introſpiciendi ergo omnia, quæ ſunt, & quæ non ſunt prima principia mutationis. Ens naturale generari per *mutationem*, ſtat phyſicè ex parte rerum, in eo quod. *Materia non habeat intrinſecè in inſtanti immediatè antecedenti formam ſubſtantialem, quam modò intrinſecè habet per ipſius formæ, aut ſaltem connaturalium diſpoſitionum generationem, ita ut per illam perficiatur, aut deterioretur.* Mutatio enim quæ

neutra ſit, , & tamen ſit intrinſeca ſubjecto, eſt repugnans; quia hoc & non aliud eſt, mutari intrinſecè. Unde licet materia prima mutetur poſitivè, quando ex non habendo animam rationalem tranſit ad illam habendam, tanquam ſubjectum connaturale: *ipſius* quidem quoad ſolam unionem; prævia rum verò *connaturalium diſpoſitionum*, quoad earundem receptionem, & generationem. Et mutetur negativè, quando ob mortem hominis tranſit eadem materia ab habendo modo dicto formam rationalem ad illam non habendam; Item licet natura creata intrinſecè mutaretur ſi poſt aliquod inſtans ſuæ exiſtentiæ aſſumeretur à perſona divina. Hæc tamen non mutaretur, quia licet prius non eſſet intrinſecè unita illi naturæ, & modo eſſet; tam non mutaretur intrinſecè, quàm non mutatur per id quod olim non fuerit intimè præſens huic mundo: nempe quando nondum creaverat illum, modo autem ſit intimè præſens, penetreturque cum illo ob ſuam immenſitatem. Nempe, quia hic effectus formalis. *Eſſe intimè præſentem huic mundo*, conſtituitur per præſentiam quoque hujus mundi. Ergo hac ſola mutata, mutatur etiam ille effectus formalis. Similiter. *Eſſe intrinſecè humanitati unitum verbum*, conſtituitur per unionem. Ergo illa ſola mutata mutatur ille effectus. Ratio autem eſt. Omne mutari intrinſecè haſtenus notum, & ad quod ſignificandum eſt inſtituta hæc vox *mutatio intrinſeca*, importat quod mutatum recipiat in ſe id quo mutatur, aut connaturales diſpoſitiones ad illud, aut ſaltem quod illo perficiatur, vel deterioretur. Ergo omne, quod nil ex his habet, non eſt mutari intrinſecè. At quanquam materia non ſit ſubjectum receptivum, ac paſſivum animæ rationalis, ſed unionis cum illa; eſt tamen ſubjectivum paſſivum connaturalium diſpoſitionum ad illam, nec non per illam perficitur intrinſecè (& ſimiliter natura creata per perſonam divinam à qua aſſumeretur) Perſona verò Divina, neque naturam illam, neque connaturales diſpoſitiones ad illam reciperet in ſe, ut conſtat, neque per illam naturam intrinſecè perficeretur, aut deterioraretur, ut etiam conſtat. Ergo quanquam in duobus prioribus caſibus detur mutatio intrinſeca, non tamen in tertio, quidquid ſit de mutatione extrinſeca.

89. Igitur illud, in quo dixi ſtare generationē per mutationem ſumptam utique in concreto, includit eſſentialiter phyſicè, tanquam prima principia, ideſt, tanquā non facta ex ullo alio in eo ſenſu, in quo mutatio eſt ex ipſis, hæc decē (quæ profectò non excluſi, quando ſcripſi mutationē conſtitui per materiam, formam præſentem, & hujus anteriorem privationem, quinimò incluſi illa, ut pote imbibita adæquatè, vel inadæquatè in aliquo illorum) 1. ipſam materiam primam, & conſequenter omnia, quæ cum ipſa identificantur, ut capacitas radicalis intrinſeca non habendi, & ſimilis capacitas habendi formam, ſecus vero capacitas proxima, & expedita, quia hæc conſtituitur etiam, per diſpoſitiones extrinſecas materiæ prærequiſitas proximè ad formam. Unde licet identificetur inadæquatè cum materia, non eſt, quod hæc capacitas proxima ſit pars eſſentialis materiæ, ſed è contrario, quia materia eſt pars eſſentialis unumque è primis principiis intrinſecis illius proximæ capacitatis. Tum etiam

etiam, quia ſi Deus miraculosè uniret materiæ non diſpoſitæ in A formam, ſine qua illa exiſtebat in inſtanti immediatè antecedente mutaretur materia intrinſecè, & tranſiret verè à non habendo ad habendum formam; & tamen non eſſet proximè capax habendi illam, ſiquidem pono, quod non eſt proximè diſpoſita ad illam. 2. Durationem, ſive exiſtentiam materiæ in inſtanti ipſo mutationis; quoniam materiam *nunc* phyſicè mutari, identificatur inadæquatè cum eo *nunc*, ideſt cum ea præſente duratione ob diſcurſum ſimilem ei, quem jam ſubjicio. 3. Durationem, ſive exiſtentiam materiæ in inſtanti immediatè antecedenti (inſtanti, inquam, utrobique intrinſeco, quod eſt, durationes ipſę; non autem extrinſeco, quod conſiſtit in tali determinato motu cœlorum, quoniam licet hi non moverentur, & conſequenter nullum eſſet tempus extrinſecum poterat dari hæc individua mutatio) ſi enim mutatio identificaretur adæquatè cum ſolis materia, & forma, & antecedente hujus privatione, omnis caſus poſſibilis, in quo verificarentur hæc trias eſſet caſus, in quo verificaretur mutatio materiæ. Chymæra enim eſt verificari omnia prorſus conſtitutiva in eo ſenſu, in quo ſunt conſtitutiva, & non verificari conſtitutum; defectus autem conditionis, connotati, prærequiſiti, & ſimilium non aliter poſſunt inducere defectum conſtituti, niſi quatenus inferunt defectum alicujus conſtitutivi.

90. At non omnis caſus, in quo verificantur illa tria, eſt caſus in quo verificatur mutatio materiæ. Ergo hæc non identificatur adæquatè cum illis tribus ſolis. Ergo etiam cum aliquo alio. Hoc dico eſſe durationem, ſive exiſtentiam materiæ immediatè antecedentem, nam quodcunque aliud inferas formabitur contra illud argumentum idem. Probo primam minorem. Eſto quod in primo inſtanti exiſtentiæ materiæ producat Deus formam in illa. In hoc caſu non datur mutatio prima materiæ, ut jam adverti. Et tamen in hoc caſu verificantur illa tria. Dices non verificari privationem, quia hæc eſt carentia formæ in *ſubjecto capace* habendi illam; quod non verificatur in caſu hoc, quia cum in inſtante antecedente ad productionem formæ illius non extiterit materia, inde eſt, quod tunc fuit quidem carentia formæ, ſed non privatio, quia illa carentia non fuit in *ſubjecto capace*. Contra tamen quoniam carentia in ſubjecto capace, vel conſiſtit plenè adæquatè in ſola carentia. Vel in hoc, & ſimul in exiſtentia ſubjecti capacis. Si primum, omnis caſus poſſibilis, in quo detur illa carentia, eſt caſus, in quo detur in *ſubjecto capace*, quod per te eſt falſum. Si ſecundum. Ergo ſi mutatio conſtituitur intrinſecè per carentiam in ſubjecto capace, & carentia in ſubjecto capace conſtituitur per ipſius ſubjecti exiſtentiam, habetur mutationem conſtitui intrinſecè per aliquid intrinſecè conſtitutum per præcedentem illam exiſtentiam ſubjecti. Sed omne intrinſecè conſtitutum per aliquid intrinſecè conſtitutum per A, intrinſecè conſtituitur per ipſum A, ut patet: oſtenditque perſona humana, quæ eſſentialiter imbibit animam humanam, quia imbibit naturam humanam, quæ natura intimè conſtituitur per humanam animam. Ergo mutatio eſſentialiter imbibit durationem,

ſive

Digitized by Google

ſive exiſtentiam materiæ immediatè antecedentem. Ubi adverte; tametſi A, v. g. eſſe immediatum rei B, conſtituatur intrinſecè per carentiam cujuſvis alius rei mediantis inter utrumque; verumtamen cum durationes, quæ immediatæ ſibi ſunt, habeant per ſolam ſuammet eſſentiam eſſe ſibi immediatas, ut ſuo loco dicam, eo quia ſunt rationes formales diſtandi, aut indiſtandi temporaliter, ſicut præſentiæ ſunt diſtandi localiter. Idcircò mutatio in inſtanti A, non conſtituitur per carentiam aliam durationis, quæ concipi poteſt medians inter A, & inſtans immediatè antecedens; ſed per ipſamet duo poſitiva inſtantia, quæ ex ſua eſſentia habent eſſe ſibi ipſis immediata, ſi ambo exiſtant, & inſtans medians inter ipſa eſt omninò impoſſibile.

91. Conſtituitur 4. Mutatio per formam denuo advenientem materiæ, tanquam per terminum *ad quem* primarium ob rationem num. 85. datam. 5. per unionem hujus cum materia, tanquam per terminum ad quem ſecundarium. Non enim tranſit materia à privatione formæ ad formam utcunque, ſed à *non habendo* ſibi unitam phyſicè formam ad illam *habendam* per phyſicam unionem cum illa. 6. per ambarum præſentes durationes; quia mutatio non eſt ad illas utcunque, atque abſtractè; ſed ad habendum *nunc in hoc inſtanti* præſente formam per unionem. Atqui habere illam nunc in hoc inſtanti intrinſecè conſtituitur per illud *nunc*, per illud inſtans ob rationem ſimilem ei, quam dedi num. 90. Ergo hæc mutatio intrinſecè conſtituitur per illa *nunc*, per illa inſtantia intrinſeca, hoc eſt per durationem præſentem formæ, & per durationem præſentem unionis; quod ſi hunc diſcurſum detorqueas ad probandum mutationem conſtitui, etiam per loca. Contra eſt 1. quia in eodem loco poteſt mutari materia à privatione formæ ad habendum illam per unionem; aſt non in eodem tempore, quia repugnat, quod in eodem tempore habeat materia privationem formæ, & formam. 2. quia vel loqueris de mutatione materiæ à privatione formæ *in loco A* ad formam *in loco B*. Vel de mutatione præſcindendo à locis, ut communiter loquimur de illa. Si primum, dicam iſtam determinatam mutationem à privatione *in loco A* ad formam *in loco B*, intrinſecè conſtitui per ipſa loca ob rationem ſimilem illi jam citatæ. Si ſecundum tibi ipſe das diſparitatem, quoniam nil, præſcindens ab aliquo, conſtituitur intrinſecè per illud. At mutatio de qua loqueris, & loquimur omnes communiter præſcindit ab iſtis locis. Ergo. Aſt cum non loquamur de mutatione præſcindente ab inſtantibus, ſed determinatè, ac expreſsè de mutatione à non habendo formam *in uno inſtanti* ad habendum illam *in immediatè ſubſequente*. En diſparitas.

92. Ubi adverte. Pars Philoſophorum ponunt durationem rerum in earundem productionibus, eo quod conſervatio, ſeu duratio ſit continuata productio. Pars in modo alio diſtincto. Si ſequaris primos, conſequenter dices mutationem conſtitui eſſentialiter per productiones formæ, ac unionis, ſi conſtituitur eſſentialiter per utriuſque durationes. Si ſecundos, oportet diſtinguere. Vel loquimur de mutatione materiæ ſpecificè, ac determinatè *per generationem* formæ, aut ſaltem

per

per generationem unionis. Et hæc ſpecies mutationis conſtituitur eſſentialiter, præter dicta, & dicenda per generationem illam. Nam ex terminis ipſis eſt evidens, mutationem per generationem, ſeu generationem, quæ ſit mutatio, importare intrinſecè, & eſſentialiter generationem, aut formæ, aut unionis ſaltem. Cumque inpræſentiarum loquamur de generatione entis naturalis, per mutationem, ſeu de mutatione, quæ eſt generatio, idcirco hæc annumeranda eſt inter conſtitutiva phyſica mutationis, de qua modo. Vel loquimur de mutatione in genere inſpecto eo ſolo, quod ſufficit, ut materia abſolutè, ac ſimpliciter mutetur phyſicè à privatione ad formam. Et hæc non conſtituitur phyſicè per productionem formæ, aut unionis; quoniam licet per eas conſtituatur mutatio à privatione formæ ad *productiones*, ſeu *ſuſtentationes*, ſeu *paſſiones*, & *receptiones* alterutrius, ſiquidem hæ ſunt termini ad quem illius mutationis; cæterum mutatio præciſa ad *habendum formam per unionem* non conſtituitur phyſicè per illas, ſed per hæc duo intimè connexa cum illis. Unde non poteſt hic formari diſcurſus, quem dedi num. 90. quia poſſibilis non eſt caſus, in quo exiſtant hæc duo, quin exiſtant ſuæ productiones; quò circa hæ ſunt connotata, ideſt termini connexionis, non autem conſtitutiva mutationis ad habendum formam per unionem.

93. Conſtituitur 7. dicta mutatio per mutationem formæ ob rationem datam num. 85. Sed hoc intelligendum juxta explicationem, & doctrinam datam num. 20. & ſeqq. hic repetendam. Cum enim materiam eſſe privatam formà importet intrinſecè duas privationes, unam formæ: alteram unionis cum forma, dari poteſt carentia unionis, ſine carentia formæ, licet non è converſo; idcircò mutatio dicta intimè conſtituitur in ſenſu illo num. 20. per duas privationes: unam formæ, alteram unionis. Unde hoc ſeptimum conſtitutivum re vera eſt duplex, & evadunt octo conſtitutiva. Conſtituitur 9. & 10. per duas alias carentias nimirum durationis immediatè antecedentis formæ, & ſimilis durationis unionis; quia materia non tranſit utcunque, atque abſtractè à non habendo ad habendum formam, ſed à non habendo *in inſtanti A*. v. g. ad *habendum in inſtanti B*. Ergo ſicut hic tranſitus, ſeu mutatio conſtituitur, tanquam per terminum ad quem, non ſolum per formam, & unionem, ſed etiam per illud *in B*, hoc eſt per ambarum durationem poſteriorem. Ita non ſolum conſtituitur, tanquam per terminum *à quo* per carentiam, ſive privationem formæ, atque unionis; ſed etiam per carentiam *in A*, hoc eſt per carentiam durationum, quibus ambæ poterant prius eſſe in A. Unde habes ſigillatim explicata omnia conſtitutiva phyſica *Mutationis*, nimirum decem. Cæterum cum privatio differat à carentia, quia hæc eſt merus defectus formæ præſcindens à capacitate, & incapacitate ſubjecti ad habendum illam, privatio autem ultra illam defectum importat poſitivam capacitatem ſubjecti; & differat à negatione, quia hæc eſſentialiter dicit ultra illum defectum, incapacitatem ſubjecti: Unde carentia eſt quaſi genus; Privatio autem, & negatio ſunt, quaſi duæ ſpecies eſſentialiter oppoſitæ,

tæ, quia homo cæcus dicitur habere privationem, non verò negationem viſûs, cum illius eſt capax; lapis autem dicitur habere negationem viſûs; quia illius eſt incapax. Cum hoc, inquam, ita ſit, rogabis. Mutatio conſtituiturnè eſſentialiter per ſtrictam privationem, ideſt per carentiam formæ, ac unionis in inſtanti immediatè antecedenti, & inſuper *per capacitatem* ſubjecti habendi illas? An per illas ſolas præſcindendo ab hac capacitate? Reſpondeo. In primis non conſtituitur per privationem involuentem capacitatem *proximam* ſubjecti ab ea, quæ dixi num. 89. & inſuper, quia capacitas proxima ſubjecti conſtituitur, & completur per ultimam diſpoſitionem ad formam ignis, v. g. Sed hæc ultima diſpoſitio eſt connexa phyſicè cum ea forma, ut vulgò cenſetur, & meritò, ergo ea proxima capacitas ſubjecti conſtituitur per aliquid phyſicè connexum cum forma. Ergo ipſa proxima capacitas eſt phyſicè connexa cum forma. Ergo ſi privatio includeret *proximam* capacitatem ſubjecti includeret aliquid phyſicè connexum cum forma, & quidem, ut extiturâ pro illo eodem inſtanti, quia ultima diſpoſitio connectitur phyſicè cum forma, ut extiturâ non quidem poſt, ſed in eodem inſtanti reali, in quo eſt ipſa ultima diſpoſitio. Non ergo conſtituitur mutatio per formæ, ac unionis privationes, ut dicentes *proximam* capacitatem ſubjecti ad illas.

94. Rurſus neque omnis vera mutatio conſtituitur per eas privationes, ut dicentes ſolam capacitatem radicalem naturalem; quoniam ſi homini peccatori, aut exiſtenti in pura natura infunderet Deus, ut poteſt, gratiam ſanctificantem verè mutaretur ille homo, tranſiretque à non filio, & non amico, ad filium, & amicum Dei. Imò de facto paſſim contingit, quod homini nil tale cogitanti de repente infundit Deus auxilium ſupernaturale, quô ille mutatur, & tranſit à non illuſtrato ad illuſtratum. Et tamen in neutro caſu præcedit ille cum privatione doni ſupernaturalis, ut dicente in homine capacitatem radicalem naturalem ad illud: quandoquidem capacitas, quam habemus ad hæc dona non eſt naturalis, ſed obedientialis. Ergo non eſt de ratione omnis veræ mutationis, quod præcedat privatio formæ dicens in ſubjecto capacitatem radicalem naturalem ad eam formam. 3. Nec eſt de ratione mutationis naturalis (ſi loquamur in ſenſu formali, & ſolo inſpecto conceptu metaphyſico illius) quod ſubiectum præcedat in inſtanti antecedente cum ulla capacitate ad formam; & conſequenter privatio ſtricta, ideſt carentia formæ cum ſubjecti capacitate ad illam, non eſt de conceptu mutationis in ſenſu formali; quoniam eo ipſo, quod ſubjectum creatum exiſtat in A, ſine forma ſibi unita, & eam habeat ſibi unitam in B, verè mutatur phyſicè. At præſcindendo mentaliter ab eo, quod habeat capacitatem habendi formam in inſtanti A, apprehendi poteſt, quod illam non habeat in A, & nanciſcatur illam in B, quoniam neceſſitatem fruendi ea capacitate in A, ſi ea fruitur in B, non deprehendimus ex his ſolis terminis: *Habere in B, formam quam non habebat in A*; ſed ex his, & aliis, nimirum *ejuſmodi capacitatem identificari adæquatè cum ſubjecto*; ergo præſcindendo mentaliter ab

eo,

eo, quod ſubjectum habeat, nec ne capacitatem illam, poſſumus apprehendere mutationem ſubjecti. Ergo hæc in ſenſu formali, & metaphyſico non conſtituitur per eam capacitatem, & conſequenter, nec per privationem conſtitutam ea capacitate. Sicut neque homo conſtituitur in ſenſu formali per riſibilitatem, tametſi hæc neceſſariò identificetur cum rationalitate, per quam conſtituitur homo in ſenſu formali, & metaphyſico. 4. Itaque mutatio conſtituitur in ſenſu reali, & phyſico per privationem dicentem capacitatem ſubjecti ad habendum formam, quam non habebat in inſtanti immediatè antecedente. Conſtituitur namque in ſenſu reali per ſubjectum ipſum, ut dixi num. 86. Sed hoc ſubjectum eſt ſua capacitas (radicalis utique, atque remota) ad habendum modò formam, quam modò habet, & ad habendum illam antea, quam antea non habebat. Ergo conſtituitur in ſenſu reali, & phyſico per dictam capacitatem ſubjecti. Deinde conſtituitur per carentiam formæ in inſtanti antecedente, ut dictum eſt n. 85. Ergo conſtituitur per carentiam formæ in ſubjecto capaci habendi illam. Hæc eſt quæ vocatur privatio. Ergo licet non in ſenſu formali; aſt in ſenſu phyſico, & reali conſtituitur per privationem. Hęc ſunt prima principia intrinſeca mutationis, ſive entis naturalis in fieri per generationem, quæ ſit mutatio, ſigillatim expoſita, & ideò plura juſto apparent. Sed duplo plura dabo principia converſionis, & tam hæc, quam illa videntur admittere omnes (ſaltem, ut connotata) ſolum autem eſt diſcrimen, quod propter rationem, qua ſæpè uſus ſum contra Connotatores (nempè defectum connotati, eatenus præcisè inducere defectum conſtituti, quatenus inducit defectum alicujus conſtitutivi, eo quia neceſſe prorſus eſt exiſtere conſtitutum, nempe rem non utique ſimplicem, ſed compoſitam, quoties exiſtunt omnia penitus conſtitutiva, eo modo, quo ſunt conſtitutiva) reor ego eſſe conſtitutiva intrinſeca multa ex illis, quæ ipſi putant eſſe mera connotata extrinſeca.

§. VII.

95. JAm contra id, quod dixi, videlicet privationem eſſe principium intrinſecum mutationis, præter illa, quæ ſolvi n. 20. & ſeqq. inter explicandum hoc, quod adeò diſplicet Magiſtro Sagueas, objicies. Omne conſtitutum ex gemino contradictorio, eſt chymæra. At mutatio conſtitueretur ex gemino contradictorio, nimirum ex forma, & hujus privatione, ergo. Si reſpondeatur mutationem componi ex gemino contradictorio diviſim, non autem ſimul exiſtente, in qua ſola ſimultate ſtat impoſſibilitas. Contra eſt; quoties nullà potentià poſſunt exiſtere omnia conſtitutiva alicujus totius, ſed duntaxat modò una, modò alia; illud totum, ut tale, eſt chymæticum, quia totum, ut tale, non eſt una, vel altera pars eſſentialis ipſius, ſed omnes ſimul. At ſi mutatio conſtitueretur ex forma, & hujus privatione in *diſp.* 1. *phyſic. art.* 1. *n.* 17.

diverſis inſtantibus exiſtentibus, nullâ potentiâ poſſent exiſtere ſimul omnia conſtitutiva ipſius, ut patet. Ergo mutatio, ut talis, atque in ratione mutationis contradiſtinctæ ab una, vel unis ſuis partibus, eſſet Chymærica. 2. Privatio non principiat mutationem, quando ipſa eſt, quia cum tunc ſubjectum non nanciſcatur formam, tunc non mutatur. Rurſus, nec quando non eſt: quia mutatio non poteſt principiari actu abſolutè per id, quod actu abſolutè non eſt. Ergo privatio nuſquam principiat mutationem. Hæc adoriuntur ſimiliter omnia tota ſucceſſiva (nempe quæ conſtant partibus, quæ eſſentialiter ſunt unæ poſt alias) & probant omnia hæc tota eſſe chymærica, v. g. prioritatem diei hodiernæ ad craſtinam, ſenectutem, præteritionem, fututitionem, juſtificationem peccatoris, tempus, quod definitur, numerus motuum ſecundum prius, & poſterius; quoniam omnia hæc conſtant eſſentialiter partibus, eſſentialiter oppoſitis, quoad ſimultaneam exiſtentiam, & nullum ex his poteſt unquam exiſtere, quoad omnia ſua conſtitutiva; ſed duntaxat, quoad unā, vel altera. Igitur, ſicut non omni corpori aptatur eadem veſtis, nec omni manui chirotheca eadem: ita non debemus metiri eâdem regulâ rerum omnium poſſibilitates, ſed inſpicienda eſt uniuſcujuſque, de qua diſputamus, natura, ut adverti in Prodromo diſp. de poſſibili. Omne illud, quod *modo ſuæ quidditati proportionato*, non poteſt exiſtere adhuc divinitus, eſt impoſſibile: & quia modus proportionatus quidditati chymæræ eſt ſimultas duorum contradictoriorum, quæ ſimultas, nec divinitus poteſt contingere: ideò chymęra eſt abſolutè, & ſimpliciter impoſſibilis.

96. Cæterum ſi A, modo ſuæ naturæ proportionato poſſit ſimpliciter exiſtere, & non includat duorum contradictoriorum ſimultatem, ſed diviſionem, A eſt abſolutè, ac ſimpliciter poſſibile, tametſi nullâ potentiâ poſſit exiſtere modo proportionato aliis rebus, ſed non ſibi, quia id, ſolùm probabit A, eſſe impoſſibile non quidem abſolutè, ſed ut ſibi adverſum, & improportionatum; hæc autem ſpecies impoſſibilitatis omni poſſibili competit. Sic animal humanum nullâ potentiâ exiſtere poteſt, eo modo, quo equinum, ideſt identificatum cum irrationalitate, quia ut patet, hic modus eſt contra ipſius eſſentiam. Sic quia prioritas diei hodierni ad craſtinum ſtat ex ſua eſſentia in eo, quod unus non ſit quando eſt alter, ſed ante illum, modus exiſtendi conſentaneus naturæ prioritatis hujus eſt, quod unus dies ſit ante alterum, & non ſimul cum illo; atqui hoc poteſt contingere. Ergo quanquam ea prioritas non poſſit exiſtere, eo modo, quo exiſtit hæc carta, & quo exiſtunt tota permanentia, quia hic modus eſt contra ipſius eſſentiam; poteſt tamen exiſtere modo proportionato ſuæ naturæ. Idem dico de juſtificatione peccatoris. Idem de ſenectute &c. Idem etiam de mutatione. Hæc ex ſua eſſentia ſtat in his duobus intelligendis juxta num. 88. Primò, quod ſubjectum in A, v. g. non habuerit formam ignis. Secundò, quod illam habeat in B, id quippe eſt mutari phyſicè. Sed hoc ſine dubio poteſt contingere. Ergo mutatio, quæ eſt totum quoddam ſucceſſivum, poteſt exiſtere modo ſuæ naturæ proportionato, tametſi

nullà

nullâ potentiâ exiſtere poſſit modo, quo exiſtunt alia tota, eò quia hic modus ſit contra naturam ipſius mutationis. Hinc ad objectionem reſpondeo, quod ibi refellitur; ad primam impugnationem diſtinguo majorem. Alicujus totius, quod non ſit ex ſua eſſentia ſucceſſivum, concedo: quod ſit ex ſua eſſentia ſucceſſivum, ſubdiſtinguo: illud totum eſt chymęricum, ſi unum conſtitutivum illius poſſit exiſtere poſt aliud, nego: ſi ſecus, concedo. Verum eſt, quod totum, ut tale, non eſt una, vel altera pars eſſentialis, ſed omnes. At ſicut hæc carta, verè, & ſimpliciter eſt in loco, quoad ſuas partes integrales, tametſi non omnes illæ ſint in eodem loco, modò ſint in diverſis, quia id ſolum probat illam non eſſe totam in eodem loco. Ita quod non exiſtant ſimul omnia conſtitutiva mutationis, probat non eſſe totam mutationem in eodem tempore: aſt non probat non exiſtere in tempore totam illam, divaricatam nimirum, ſicut ſunt in loco pedes hominis. Ad ſecundam: reſpondeo privationem principiare, ſeu conſtituere mutationem, quando deſinit eſſe; quia licet nil poſſit actu abſolutè principiari per A, tanquam per terminum *ad quem*, quando deſinit eſſe ipſum A, poteſt tamen, tanquam per terminum *à quo*. Eſſe namque terminum *à quo*, eſt eſſe illud, quod deſinit eſſe. Ergo per illud, quod deſinit eſſe, poteſt mutatio principiari, tanquam per terminum *à quo*. At privatio principiat, ſeu conſtituit mutationem, tanquam terminus *à quo*, ergo. Memineris ſemper, non omnia eſſe ſemper regulanda per principia aliarum rerum; ſed uniuſcujuſque naturam inſpiciendam eſſe. Mitto leviora alia contra privationem paſſim obvia.

§. VIII.

97. DIco demum. Prima principia intrinſeca converſionis, ſeu entis naturalis in fieri per generationem, quæ non ſolum ſit mutatio, ſed etiam converſio, ſunt. Materia, forma ligni, v. g. quæ perit ob adventum formæ ignis, & forma hæc ignis. En ultimam partem ſyſtematis circa illas quatuor acceptiones entis naturalis num. 59. Probatur. Converſio eſt tranſitus ſubjecti ab una forma poſitiva ad alteram, v. g. à forma ligni ad ignem: ſicut mutatio eſt tranſitus à privatione unius formæ ad ipſam. Sed principia intrinſeca hujus tranſitus (& quidem prima, quia nullum eſt ex ullo alio in eo ſenſu, in quo converſio eſt, & conſtituitur ex ipſo) ſunt tria dicta. Probatur. Et utor diſcurſu eodem quo uſus fui circa mutationem n. 84. & ſeqq. Aut loquimur de converſione ſumpta pro ſubſtracto. Aut ſumpta in abſtracto. Aut ſumpta in concreto. Converſio enim eſt, quædam phyſica denominatio, ubi aſſignandum eſt ſubſtractum, nempe ſubjectum, quod eſt, ac dicitur converſum, nec non abſtractum, nempe forma, qua formaliter, & immediatè convertitur. Et denique concretum, nempe totum illud coaleſcens ex ſubjecto, & forma. Si pri-

Digitized by Google

mum: illa non habet ullum principium intrinſecum, quia eo modo ſumpta conſiſtit in ſola materia prima (quandoquidem hæc ſola eſt, quæ tranſit, & convertitur ab una forma poſitiva in alteram; non verò formæ ipſæ, aut entia naturalia reſultantia ex ſingulis earum, & materia, quia licet lignum, v. g. convertatur *in ignem*, at non convertitur *à formæ ligni, ad formam ignis*, quarum converſionum diverſitatem notavi diſp. 1. Phyſicæ naturalis) at materia non habet ullum principium intrinſecum phyſicum, quia eſt ſimplex ſimplicitate excludente compoſitionem ex partibus eſſentialibus; quamvis non ex integralibus, neque ex ipſa, & accidentibus. Ergo converſio ſumpta pro ſubſtracto, ſive ut quod, atque in recto, ut alii dicunt, non habet ullum principium intrinſecum. Sed ſic ſumpta non diſputatur modo.

98. Si ſecundum, videlicet: ſi loquamur de converſione ſumpta in abſtracto pro forma, qua formaliter immediatè materia convertitur, conſiſtit illa in his duobus, & ſolis. *Materiam habuiſſe in A, v. g. formam ligni, non autem ignis*. Et. *Illam habere in B, formam ignis, non verò ligni*. Conſiſtit in eis *duobus*; quia cum materia ex ſe ſit indifferens, ut convertatur, vel non convertatur ab una forma in alteram, illud per quod formaliter immediatè convertitur ab una in alteram, eſt forma conſtitutiva hujus converſionis. At complexum ex eis duobus eſt id, per quod formaliter immediatè convertitur ab una in aliam, nam eo præcisè, quod intelligatur materiam in A habuiſſe formam ligni, non autem ignis, & in B, habere hanc, & non illam, à quovis alio præſcindendo, intelligitur materiam converſam, ſive tranſiiſſe à forma ligni, ad formam ignis. Ergo forma conſtitutiva hujus converſionis ſtat in eis duobus. Cumque unumquodque ex his duobus imbibat alia duo, unum poſitivum, ſcilicet *habuiſſe formam ligni in A*, alterum negativum, ſcilicet *non habuiſſe tunc formam ignis* (ſi enim tunc miraculosè habuiſſet ſimul ambas formas certè con converteretur in B, *ad formam ignis*) Item; *habere in B, formam ignis*, & alterum negativum, ſcilicet *non habere in B, formam ligni*, quia ſi hæc miraculosè conſervaretur in materia, hæc non diceretur converti à *forma ligni*, ad formam ignis: inde fit, quod forma, ſeu abſtractum converſionis conſiſtit phyſicè in quatuor: quorum duo ſunt poſitiva, & duo negativa: duo item ſunt terminus *à quo*, & duo ſunt terminis *ad quem*. Conſiſtit deinde in eis *ſolis*; quoniam licet illa verificari nequeant abſque multis aliis, v. g. quod forma ligni corrumpatur, quod forma ignis de novo generetur, quod materia ipſa exiſtat in A, & in B &c. hoc probat intimam connexionem dictæ formæ cum eis, non tamen illam intrinſecè conſtitui per ea.

99. Si tertium denique, hoc eſt, ſi loquamur de converſione ſumpta in concreto, prout inpræſentiarum loquimur de illa: dico conſtitui per materiam, formam ligni, tanquam per terminum *à quo* intrinſecum, & formam ignis, tanquam per terminum *ad quem* intrinſecum; quoniam omnis denominatio phyſica ſumpta in concreto imbibit eſſentialiter ſubjectum denominatum, & formam denominantem. At ſub-

jectum

jectum. quod convertitur quodque denominatur converſum ab una forma ad alteram, eſt ſola materia prima, ut dixi. Forma verò denominans eſt complexum ex forma ligni, tanquam ex termino *à quo* tranſit, & convertitur, nec non ex forma ignis, tanquam ex termino *ad quem* tranſit, & convertitur Ergo hæc ſunt principia intrinſeca ejus converſionis. Et unumquodque in recto licet partialiter duntaxat, ob rationem in ſimili datam num. 86. Et quidem ſunt principia prima, quia nullum conſtituitur ex ullo alio, in eo genere, in quo ex ipſo conſtituitur converſio; quoniam licet forma ligni fit etiam ex ſua privatione, & ex forma terræ, tanquam ex terminis à quo (lignum enim fit ex terra) & converſio ex ligno ad ignem fiat ex ipſa, tanquam ex termino *à quo*, unde videtur ipſam eſſe ex alio in eodem genere, in quo converſio ex ipſa eſt. Verumtamen eſt diſcrimen. Forma ligni fit ex ſua privatione, atque ex forma terræ, tanquam ex terminis à quo *extrinſecis*, cum certum ſit illam non conſtitui phyſicè eſſentialiter per ullum ex illis duobus. Converſio autem à forma ligni, ad formam ignis, fit, atque eſt ex forma ligni, tanquam ex termino à quo *intrinſeco*, quoniam hæc converſio intimè eſſentialiter conſtituitur per formam ipſam ligni, ut nuper probavi. Ergo licet ipſa ſit ex aliis, tanquam ex termino *à quo*; ſed non in eo ſenſu, & genere, in quo ex ipſa eſt converſio. Ergo ipſa eſt unum ex primis principiis converſionis. Ut enim ſæpè monui non ſtatuimus in hac controverſia principia, quæ abſolutè, ac ſine ulla modificatione ſint *prima*; ſed quæ ſint prima reſtrictè, ideſt, quæ non ſint ex ullo alio in eo ſenſu, in quo ens naturale eſt ex ipſis. Ubi ne confundas *formam ignis* cum *converſione* ad illam. Reſpectu hujus converſionis, non verò reſpectu formæ ignis eſt unum è principiis forma ligni. Ergo quod ignis fiat ex ligno, tanquam à termino à quo extrinſeco, in quo genere lignum fit ex terra, v. g. probabit lignum non eſſe primum principium *ignis*; aſt non probat, non eſſe primum principium *converſionis* à ligno ad ignem.

100. Cæterum ſicut philoſophabar num. 89. de principiis mutationis, ita in præſenti. Sub his tribus latent multa alia principia intrinſeca converſionis, quæ non excludo, ſed includo, ut pote imbibita adæquatè, vel inadæquatè in aliquo ex his tribus. Nam 1. cum in omni converſione ſubjecti ab una forma ad aliam, intimè imbibatur mutatio à privatione hujus ad ipſam (quia ſi non præceſſiſſet ſua privatio, ſed forma ipſa, non daretur converſio ad ipſam, & ſanè non ob aliam cauſam præſcindentem à non præcedentia privationis) inde eſt, quod omnia illa decem conſtitutiva phyſica mutationis, quæ ſigillatim explicui à num. 89. & ſeqq. Sunt quoque intima eſſentialia conſtitutiva converſionis. Omne namque eſſentialiter conſtitutum per A, quod eſſentialiter conſtituitur per B, eſſentialiter etiam conſtituitur per B. 2. Inter privationem, quæ eſt terminus *à quo* mutationis, & formam poſitivam ligni, v. g. quæ eſt terminus *à quo* converſionis, eſt hoc diſcrimem: quod licet illa principiet, quatenus deficit per adventum termini ad quem; cum tamen hic ſit contradictorium formale ſuæ caren-

rentiæ, quæ imbibitur in ea privatione, idcircò hujus privationis defectus non multiplicat conſtitutiva mutationis, quia hic defectus eſt re ipſa, exiſtentia ipſa termini *ad quem*. At verò cum terminus *ad quem* poſitivus converſionis, ſcilicet forma ignis, v. g. non ſit defectus formalis *à quo* poſitivi, nempe formæ ligni: hac de cauſa inter conſtitutiva converſionis non ſolum datur exiſtentia termini *ad quem* in inſtanti converſionis: item non ſolum exiſtentia termini *à quo* in inſtanti immediatè antecedente; verum etiam defectus formalis, & immediatus termini hujus *à quo*, vel ſaltem unionis cum ſubjecto pro inſtanti ipſo converſionis; quoniam ſi non daretur hic defectus, ſeu quod idem eſt, ſi perſeveraret forma ligni in ſubjecto, ſubjectum non converteretur à *forma ligni*, ut patet; ergo deficeret aliquod eſſentiale conſtitutivum hujus converſionis. Repugnat enim quidquam deficere, perſeverantibus omnibus prorſus conſtitutivis ſuis; quodnam ergo eſſet illud conſtitutivum eſſentiale, quod deficeret, niſi defectus ipſe formæ ligni in ſubjecto? Nam certè reliqua omnia perſeverare poſſent. Ergo ille defectus, ut diſtinctus à termino *ad quem*, eſt unum è conſtitutivis eſſentialibus converſionis. Reliqua alia ſtatuenda, & exponenda ſunt eodem modo, quo ſtatui, & expoſui ſimilia inter explicandum mutationem num. illo citato 89. & ſeqq. quæ omnia ſi bene evolvas, & reſpectivè applices termino *à quo* poſitivo, & termino *à quo* negativo, & termino *ad quem* poſitivo, & termino *ad quem* negativo converſionis: nec non unionibus phyſicis illorum cum ſubjecto, deprehendes conſtitutiva eſſentialia converſionis eſſe longè plura, quam quæ vulgò ſignificantur eis ſolis verbis: *Materia, forma antiqua, & forma nova.* Converſio namque intimè, ac eſſentialiter imbibit tres tranſitus. Unum utrinque poſitivum à forma ligni, v. g. ad formam ignis. Alium poſitivum ex parte termini à quo, & negativum ex parte termini ad quem, nempè tranſitum à forma ligni ad hujus privationem; & alium poſitivum ex parte termini ad quem, & negativum ex parte termini à quo, nempe tranſitum à privatione formæ ignis ad hanc eandem. Cumque in unoquoque ex his imbibantur uniones harum formarum, quia non ſunt tranſitus abſtracti; ſed *ab habendo*, ad *non habendum*, ubi innuitur unio; item cum imbibantur durationes, quia ſunt tranſitus ab habendo *in uno inſtanti* ad non habendum *in alio inſtanti*, & vice verſa. Cum hoc ita ſit à parte rei, jam vides catervam rerum, quæ hic ebulliunt. Sed ſufficit inſinuaſſe.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De Materia Prima.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

101. SUPPOSITO materiam primam cujus definitionem dedi ex Ariſtotele num. 60. non eſſe quid purè ideale, atque phantaſticum, ut graves, quidam Philoſophi putant, immeritò ducti illis phraſibus *Pura Potentia*. Neque *quanta*. Neque *qualis*, quaſi hæc verba ſignificarent actualem carentiam omnis prorſus actûs, & non potius carentiam ſolam connexionis determinatæ cum ullo determinato actu, & carentiam identitatis cum illo, quia procedunt de materia *ex ſe*, ac *ſecundum ſe*. Suppoſita itaque ſuà exiſtentià in rebus; ſuppoſitis quoque illis duodecim proprietatibus illius, quas notavi num. 61. & 62. excitantur quæſtiones duæ primariæ ſuper illa, ex quibus aliæ pullulant. Prima eſt. *An habeat exiſtentiam diſtinctam, ab exiſtentia formæ?* Negant Thomiſtæ ſecuti varias locutiones S. Thomæ, quibus videtur apertè negare hanc diſtinctionem. Sed probabilius mihi eſt, S. Doctorem loqui non de exiſtentia entitativa, & incompleta, quam modo diſputamus; ſed de exiſtentia completa, atque in tali, aut tali ſpecie determinata, quam fateor habere materiam per exiſtentiam formæ ſibi unitam. Cum enim materia ſit ex ſe indifferens ad lignum, v. g. & ignem, determinatur ad componendum lignum potius, quam ignem per exiſtentiam formæ ignis. Unde quando docet (idem dic de Ariſtotele, ac Boetio quorum textus objici ſolent) effectum formalem formæ eſſe, quod per illam exiſtat materia: intelligitur de exiſtentia materiæ completa, & perfecta in tali, aut tali determinata ſpecie: ſicut ſubjectum conſtituitur in tali ſpecie accidentali Albi, nigri, calidi &c. formaliter immediatè per formas illas accidentales; ſed non in ratione exiſtentis ſimpliciter abſolutè. Similiter quando docet Humanitatem Chriſti Domini; non habere propriam exiſtentiam; ſed exiſtere per exiſtentiam verbi, non negat animæ Chriſti exiſtentiam propriam phyſicam, & entitativam; alias jam concederetur aliqua materia, nimirum ex qua conſtituitur humanitas Chriſti, non exiſtens per exiſtentiam formæ, ſcilicet per exiſtentiam ſacræ illius animæ: & inſuper cum exiſtentia Verbi ſit communis toti Trinitati, ut explico ad tractatum de Trinitate, ubi dico tranſcendentalia non multiplicari in Divinis, ſequeretur Humanitatem formaliter immediatè phyſicè, atque entitativè exiſtere per rem non quidem characteriſticam Verbo; ſed toti Trinitati Communem.

3.p. q. 17. art. 2.

102. Sumit ergo S. Doctor exiſtentiam pro ſubſiſtentia, meritoque docet, Humanitatem non habere exiſtentiam, hoc eſt, ſubſiſtentiam

pro-

Digitized by Google

propriam, ſed exiſtere, hoc eſt ſubſiſtere per Verbum. Unde infertur hanc vocem *Exiſtentia* ambiguam eſſe: ex adjunctiſque habendum eſſe ſuum ſenſum; quandoque enim ſignificat ſubſiſtentiam, ut in nupero exemplo; quandoque inhærentiam, ſeu unionem formæ cum ſubjecto, quæ dicitur eſſe, ſeu exiſtere in illo; quandoque actum completum ſpecificum, & ſic dicitur materiam exiſtere, ideſt compleri in tali, aut tali ſpecie per ſolam formam; quandoque tandem pro actu entitativo eſſendi abſolutè, ac ſimpliciter in rebus, & non eſſendi purè poſſibile, & non eſſendi nil, ſed aliquid. Et in hoc ſolo ſenſu diſputatur modò. Et in hoc ſenſu Noſtrates communiter dicunt materiam primam habere propriam exiſtentiam, & non exiſtere actu in rebus per exiſtentiam formæ. Et hoc non ſolum abſolutè quatenus, cùm eſſentia, & exiſtentia paſſivè ſumpta identificentur realiter, neceſſe eſt exiſtentias materiæ, ac formæ eſſe diſtinctas, ſiquidem eſſentiæ diſtinctæ ſunt; Verum etiam præſcindendo ab hac ratione imò admiſſa falſa hypotheſi de diſtinctione inter eſſentiam, & exiſtentiam. Cui tamen ultimæ parti diſſentit P. Oviedo.

Oviedo cō-trov. 2. de mat. prima puncta 5.

103. Rationem communem in favorem hujus ſententiæ ad hanc formam redigo. Omne intimè imbibitum intra proximam phyſicam capacitatem ad ſuſtentandum phyſicè, ac realiter exiſtentiam formæ: item omne eſſentialiter imbibitum in hoc, quod eſt: *actu phyſicè ſuſtentat prævias diſpoſitiones ad formam*, diſtinguitur realiter ab exiſtentia formæ; (quia etiamſi hæc foret cauſa materiæ, eo quod inter utramque daretur mutua cauſalitas; at nequit eſſe cauſa materialis ſui ipſius, aut prærequiſitum phyſicum ex parte cauſæ hujus: & omne eſſentialiter imbibitum alterutro illo modo eſt immediatè, aut mediatè cauſa materialis, aut prærequiſitum phyſicum ex parte hujus reſpectu exiſtentiæ formæ) ſed aliqua entitativa exiſtentia materiæ intimè ac eſſentialiter imbibitur intra proximam phyſicam capacitatem ad ſuſtentandum phyſicè, ac recipiendum exiſtentiam formæ, ſi hæc fuerit materialis quandoquidem hæc phyſicè recipitur cum ſua exiſtentia in materia, educiturque ex ipſa, in ſenſu ſupra explicato. Item imbibitur, in eo quod eſt *actu phyſicè ſuſtentare prævias ſaltem diſpoſitiones ad formam*, licet hæc fuerit ſpiritualis, quoniam licet anima rationalis non recipiatur in materia, tanquam in ſubjecto paſſivo, recipiuntur in illa diſpoſitiones præviæ ad animam rationalem. Ergo aliqua entitativa exiſtentia materiæ diſtinguitur ab exiſtentia formæ. Ergo materia non exiſtit per hujus exiſtentiam ſuperfluè, namque exiſteret per duas exiſtentias. Probo minorem. Materia prima aliquando eſt proximè phyſicè capax ſuſtentandi phyſicè formam, aut ſaltem prævias diſpoſitiones ad illam; quia aliquando facit hoc, & ex actu phyſicè cauſandi activè, aut paſſivè, legitimè infertur proxima phyſica capacitas ad alterutrum. Item aliquando actu phyſicè recipit, ac ſuſtentat prævias diſpoſitiones ad formam quæcumque ſit hæc. Sed aliqua exiſtentia materiæ intimè, ac eſſentialiter imbibitur in ea capacitate, atque in hoc, quod eſt *actu phyſicè ſuſtentare diſpoſitiones illas*; nam quod nil eſt, quod eſt merè poſ-

ſibile,

Digitized by Google

ſibile, quod non eſt in rebus, nequit actu phyſicè ſuſtentare aliquid, aut eſſe proximè phyſicè capax ſuſtentandi quidquam; alias paries merè poſſibilis ſuſtentaret nunc actu phyſicè albedinem, aut eſſet actu phyſicè proximè capax recipiendi prævias diſpoſitiones ad illam. Ergo in unoquoque ex his duobus objectivis conceptibus. *A, v. g. eſſe proximè phyſicè capax ſuſtentandi phyſicè aliquid. A, actu phyſicè ſuſtentare aliquid*, intimè imbibitur aliqua entitativa rei A exiſtentia. Ergo in utroque verificato de materia prima reſpectu formæ, imbibitur intima aliqua exiſtentia entitativa materiæ primæ. Sed omne intimè imbibitum in utroque diſtinguitur ab exiſtentia formæ. Ergo aliqua ſaltem exiſtentia entitativa materiæ diſtinguitur ab exiſtentia formæ. Si ergo ſemel habet materia unam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ, ut quid debet per hanc etiam exiſtere? Recognoſce, quæ dixi in Prodromo diſp. 4. num. 194.

104. *Reſpondebis* 1. More ſolito connotatorum. Sufficere quod illa proxima capacitas connectatur cum exiſtentia materiæ, & neceſſe non eſſe, quod per illam intrinſece conſtituatur. Sed contra more etiam ſolito; quoties deficit conſtitutum ſtrictè tale, ideſt, compoſitum ex multis, deficit aliquod conſtitutivum intrinſecum ipſius. Eatenus quippe defectus connotati trahit ſecum defectum conſtituti, quatenus ſecum trahit defectum alicujus conſtitutivi: exiſtentibus namque omnibus prorſus conſtitutivis rei, eſt impoſſibile, quod res deficiat. At quoties deficiat exiſtentia materiæ primæ, deficit hoc, quod eſt, *illam eſſe actu phyſicè proximè capacem ſuſtentandi phyſicè*. Et hoc, quod eſt, *Illam actu phyſicè ſuſtentare aliquid*. Ergo quoties deficit illa exiſtentia, deficit aliquod conſtitutivum intrinſecum illius proximæ capacitatis; quodnam eſt illud, niſi actualis ipſa exiſtentia materiæ? Cætera enim poſſunt divinitus ſaltem exiſtere. Ergo hæc exiſtentia non eſt merum connotatum, ſeu terminus connexionis capacitatis illius, ſed intimum conſtitutivum. Unde reiicitur alia ſolutio, in quam vergit Oviedo. Videlicet ſufficere, quod in illo eodem inſtanti reali detur exiſtentia materiæ, ad hoc, ut verificetur illam eſſe proximè phyſicè capacem ſuſtentandi formam. Ratio quippe noſtra probat proximam eam capacitatem non debere utcunque coexiſtere illi exiſtentiæ, ſed debere inſuper intimè conſtitui per illam. Nam quoties deficit conſtitutum &c. repete Syllogiſmum. *Reſpondebis* 3. In ipſa proxima capacitate materiæ ad ſuſtentandum formam imbibi eſſentialiter diſpoſitiones ad illam, quæ, utpote accidentia, intimè connectuntur cum exiſtentia materiæ; unde hac deficiente deficiunt illæ, & conſequenter deficit aliquod conſtitutivum illius proximæ capacitatis. Sed contra. In proxima phyſica capacitate ſuſtentandi ipſas diſpoſitiones, neque imbibuntur hæ, quippe quæ nec cauſa phyſica, nec prærequiſitum ſunt reſpectu ſui ipſarum; Neque imbibuntur aliæ, quaſi reflexæ diſpoſitiones ad has. Et inſtauratur argumentum; quoties deficit res, aliquod ſaltem ipſius conſtitutivum deficere debet. At quoties deficiet exiſtentia materiæ deficit hujus proxima phyſica capacitas ſuſtentandi prævias diſpoſitio-

Ovied. ſup. n. 10. & 12

nes. Ergo quoties deficit illa exiſtentia aliquod ſaltem conſtitutivum illius capacitatis deficere debet; quodnam eſt hoc, niſi ipſa exiſtentia materiæ? Ergo ſubſiſtit, hanc exiſtentiam eſſe conſtitutivum; illius capacitatis. Præterea cum diſpoſitiones ad formam, licet ſint accidentia, non connectantur metaphyſicè, ſed phyſice duntaxat cum exiſtentia materiæ, ſicut ignis cum calore, fieri poteſt ſaltem divinitus, quod deficiente dicta exiſtentia perſeverent illæ diſpoſitiones. Ergo, quod perſeverent omnia, quæ putas conſtitutiva illius proximæ capacitatis. Ergo, quod perſeveret ipſa phyſica proxima capacitas materiæ. Ergo divinitus contingere poterit, illud quod nil eſt, quod eſt merè poſſibile, quod non eſt in rebus, eſſe actu proximè abſolutè, ac phyſicè capax ſuſtentandi phyſicè aliquid. Difficilius eſt hoc, quàm quod materia gaudeat propriâ exiſtentiâ, non obſtante æquivoca ſua potentialitate.

105. *Reſpondebis* 4. Illam proximam capacitatem conſtitui per illud, quod eſt exiſtentia materiæ: nimirum non per exiſtentiam formæ de novo advenientis; ſed per exiſtentiam formæ prioris, quam retinet materia, donec nova adveniat. Contra. Omne conſtitutivum proximæ dictæ capacitatis coexiſtit, tum formæ novæ, tum diſpoſitionibus ad illam: quia omne tale, aut eſt cauſa phyſica materialis utriuſque, aut phyſicum prærequiſitum ex parte cauſæ. Omne autem, quod eſt cauſa, aut phyſicum prærequiſitum coexiſtit effectui. Ergo omne, quod non coexiſtit formæ novæ, aut ultimis diſpoſitionibus ad illam, non conſtituit dictam proximam capacitatem. Sed exiſtentia formæ prioris non coexiſtit formæ novæ, ut patet, neque ultimæ diſpoſitioni ad hanc, quia cum diſpoſitio hæc ſit phyſicè connexa cum hac, hæc debet exiſtere in eodem inſtanti, in quo exiſtit illa ultima diſpoſitio, niſi Deus faciat miraculum. Ergo exiſtentia formæ prioris non conſtituit illam proximam capacitatem. Ergo ſi hæc imbibit eſſentialiter exiſtentiam materiæ, exiſtentia hæc, neque eſt exiſtentia formæ prioris, neque exiſtentia formæ novæ. Ergo aliqua alia diſtincta ab utraque, nempe exiſtentia propria materiæ ipſius. 2. Ea proxima capacitas non conſtituitur phyſicè per illud, quod non datur in rebus, quando datur plenè, ac perfectè ipſa phyſica capacitas. At exiſtentia formæ prioris non datur in rebus, quando datur plenè, ac perfectè ipſa phyſica capacitas proxima, quia tunc, & in eodem temporis momento dantur omnes diſpoſitiones ad formam novam (alias materia non eſſet proximè abſolutè capax ſuſtentandi formam novam) & conſequenter ipſa forma nova cum qua connectuntur illæ diſpoſitiones. In inſtanti autem, in quo hæc omnia dantur non datur exiſtentia formæ prioris. Ergo.

106. *Reſpondebis* 5. Etiam materiam eſſe actu phyſicè proximè capacem ad unionem cum ſua exiſtentia, poſito, quod ab hac diſtinguatur; & tamen in ea capacitate non imbibitur exiſtentia alia materiæ diſtincta ab illa ſua; quam inſtantiam ex reſpectu materiæ ad ſuam exiſtentiam, poſito, quod ab illa diſtinguatur, non ſemel objicit Oviedo

loco

loco citato. Contra. Admiſſo, quod materia diſtinguatur realiter à ſua exiſtentia, non poteſt eſſe cauſa paſſiva, ac multo minus efficiens illius, ob rationem ſimilem ei, quam dedi num. antecedenti: nimirum, quod deberet habere proximam phyſicam capacitatem ad illam ſuſtentandam: in qua capacitate neceſſariò deberet imbibi eſſentialiter exiſtentia materiæ diſtincta ab illa ſua: undę haberet duas exiſtentias. Et de illa prima rediret argumentum idem. Quamobrem in ea hypotheſi, materia, ipſius exiſtentia, hujuſque unio cum illa, producerentur per unicam creationem (quòd ſi difficile tibi videatur, difficultatem adſcribito hypotheſi diſtinctionis eſſentiæ ab exiſtentia) & conſequenter nullus inter illa daretur phyſicus ordo cauſalitatis ullius; ſed mentalis ad ſummum, quatenus apprehenderemus materiam per ſpecies ſubjecti ſuſtentantis ſuam exiſtentiam, & hanc inſtar formæ materiæ. Sicut apprehendimus Angelos inſtar juvenum, & Æternum Patrem inſtar ſenis. Sed ex modis noſtris apprehendendi malum deſcendit argumentum circa realitates ipſas. Item in ea hypotheſi proxima abſoluta capacitas materiæ ad unionem cum ſua exiſtentia non eſſet *phyſica*, ſicut eſt capacitas ad recipiendum formam, aut diſpoſitiones ad hanc: ſed purè *logica*, ſicut eſt capacitas proxima abſoluta, quam habet homo, ut componatur phyſicè ex corpore, quia ab hoc non diſtinguitur adæquate. Neque dicas exiſtentiam illam fore accidens, & conſequenter recipi debere in aliquo ſubjecto. Tum quia exiſtentia ſubſtantiæ non eſt accidens. Sed exiſtentia illa ſuperaddita eſſet exiſtentia ſubſtantiæ nimirum materiæ primæ. Ergo tum quia licet foret accidens deberet creari conſequenter ad hypotheſim diſtinctionis à materia, quia ob rationem datam num. 103. ſi materia foret ſubjectum paſſivum illius, capacitas proxima phyſica materiæ ad ipſam ſuſtentandam deberet conſtitui per aliam exiſtentiam, de qua fieret idem argumentum, & abiremus in infinitum. Eſt ergo conſequens ad hypotheſim iſtius diſtinctionis, quod creetur exiſtentia iſta, etiamſi accidens eſſet. Neque eſt res nova; quoniam creationes ipſæ, quæ de facto dantur, Angeli, animæ rationalis, & materiæ primæ, ſunt entitativè accidentales; & tamen in nullo ſubjecto recipiuntur; ſed duntaxat uniuntur per ſemetipſas immediatè terminis per ipſas productis, unde non uniuntur illis tanquam ſubjectis præſuppoſitis. Ergo. Et hinc ſolves rationem à prioris, qua Oviedo num. 8. probat eſſentiam, & exiſtentiam materiæ, poſito, quod ſint diſtinctæ, non produci unicâ indiviſibili actione. Nimirum. Ubi eſt diverſitas terminorum, poteſt eſſe actionum diverſitas. Solvitur, inquam; quia ſi iſta propoſitio eſt particularis, vera eſſe poteſt, ſed non contra nos. Si univerſalis, eſt falſa; quoniam etiamſi eſſentia, & exiſtentia diſtinguantur, debent produci unica actione. Nam alias eſſentia eſſet actu phyſicè capax ad iſtam exiſtentiam ſuſcipiendam; in ipſa autem actuali phyſica capacitate imbibitur exiſtentia illius, quod actu phyſicè proximè eſt capax. Repete diſcurſum datum num. antecedente.

107. Reſpondebis demum, dari mutuam prioritatem inter materiam,

riam, & formam, quia ſi illa eſt cauſa materialis hujus, hæc eſt cauſa formalis illius. Unde licet materia exiſtat pro priori ad formam; attamen in eo priori, jam eſt pro poſteriori ad formam eandem. Ergo poteſt exiſtere per hujus exiſtentiam. Et huc intrudunt quidam quemdam ſtatum pendulum, ſeu vialem, quem ajunt habere materiam in ipſo egredi, & quædam alia ſimilia, quæ libenter deglutiunt ad vitandam quaſi horrendam voraginem; quod materia habeat propriam exiſtentiam. Contra 1. Quoties in ſenſu reali datur exiſtentia, exiſtit res in ſenſu reali, & quoties non datur, non exiſtit res. At juxta iſtam ſolutionem pro priori ad materiam daretur realiter ipſius, exiſtentia ſiquidem daretur formæ exiſtentia, quæ per te eſt realiter exiſtentia ipſa, & unica materiæ. Item pro priori ad formam non daretur exiſtentia materiæ, quia non daretur exiſtentia ipſa formæ, quæ exiſtentia eſt per te unica exiſtentia materiæ. Ergo juxta iſtam ſolutionem materia non exiſteret pro priori ad formam, & conſequenter non eſſet cauſa illius: & inſuper materia exiſteret pro priori ad ſe ipſam, & conſequenter eſſet cauſa ſui ipſius. Major videtur firma; licet enim in aliis formis non ſit idem dari eam formam, ac ſubjectum ſubire illius denominationem, v. g. non eſt idem dari animam, & corpus eſſe animatum: aut dari albedinem, & ſubjectum eſſe album. Hoc ideò eſt, quia in his denominationibus imbibitur exiſtentia ſubjecti, atque unionis, ultra exiſtentiam illarum formarum. Cæterum cum nihil habeat aliam exiſtentiam ultra unam propriam exiſtentiam, etiamſi ponatur ab illa diſtinctum: videtur omninò neceſſarium, quod res exiſtat in omni caſu, tempore, ac ſigno, in quo datur ſua exiſtentia, & quod non exiſtat realiter (quidquid ſit de mentalibus noſtris præciſionibus, quæ frivolæ omninò ſunt, quando agitur de realitatibus) in caſu, tempore, aut ſigno, in quo non datur ſua exiſtentia. 2. Tametſi inter materiam, & formam eſſet reciproca cauſalitas in diverſo genere phyſico; aſt ſubſiſtit exiſtentiam formæ non poſſe eſſe cauſam phyſicam paſſivam ſui ipſius, aut prærequiſitum, præviamque conditionem ad ſe ipſam. Ergo ſubſiſtit illam non imbibi eſſentialiter in proxima, phyſica, abſoluta, & reali capacitate ad ſuſtentandum ipſam exiſtentiam formæ diſpoſitioneſque ad illam. Ergo ſubſiſtit illam exiſtentiam diſtingui ab omni intimè eſſentialiter imbibito in illa capacitate. At aliqua phyſica entitativa exiſtentia materiæ intimè, atque eſſentialiter imbibitur in ea capacitate, ob rationem datam num. 104. Ergo admiſſa mutua illa cauſalitate, ſubſiſtit adhuc exiſtentiam formæ diſtingui ab aliqua exiſtentia phyſica entitativa materiæ. Ergo vel hæc habet duas exiſtentias, vel non exiſtit per exiſtentiam formæ. Et ſic manet diſſectus ſtatus ille pendulus, ſeu exiſtentia vialis.

Digitized by Google

§. II.

108. Contra hanc ſententiam multa objiciunt DD. contrarii. 1. pura potentia, qualis eſt materia prima, nullum habet actum, qualis eſt exiſtentia. Explicui jam in Prodromo adagium hoc diſp. 4. num.193. In primis ſi accipiatur, ut ſonat, eſt manifeſtè falſum, ſicut ſi diceres: *hæc carta nullum habet atramentum*, eò quod non identificetur realiter, aut determinatè connectatur cum illo. Materia namque verè, & realiter habet actum, quia non eſt orba omni forma. Debet igitur intelligi nullum habet *ex ſe*, atque *ſola ſua inſpecta natura* determinatum actum. Sed hoc etiam, prout jacet, eſt falſum, ſi excludat actum metaphyſicum, aut logicum, quia materia ex ſe habet differenriam ſpecificam imbibitam in ſua definitione, quæ differentia eſt actus metaphyſicus: item identificatur cum ſua differentia individuali, quæ etiam eſt actus: Item ex ſe identificatur cum ſua abſoluta exiſtentia paſſivè ſumpta, ſicut quodcumque aliud, juxta dicta in Prodromo diſp. de ente, & non ente; exiſtentia autem eſt actus logicus, ideſt non diſtinctus realiter à capacitate, ſeu poſſibilitate exiſtendi. Debet ergo adagium illud intelligi de actu phyſico ſubſtantiali informativo, ideſt, de illis, qui vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales. Sed neque hoc eſt indiſcriminatim verum, quoniam nil ſuapte natura vage connexum cum aliqua forma ſubſtantiali, caret, ſeu præſcindit ſuapte natura ab omni forma ſubſtantiali. At materia prima, ut mox dicam, ſuapte natura vagè connectitur cum aliqua forma ſubſtantiali, ergo. Senſus itaque iſtius proverbii eſt. Pura potentia nullum habet ex ſe ratione identitatis, aut connexionis terminativè determinatæ actum phyſicum ſubſtantialem ex eis, quæ vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales. Hinc autem, quo jure infertur non habere ex ſe propriam exiſtentiam? Hæc enim, ſi admittatur diſtincta ab eſſentia, eſt quidem actus phyſicus ſubſtantialis, & quaſi informativus materiæ; eſt non ex eis, qui ab Ariſtotele, atque vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales. Hinc poteſt negari adagium propter abuſum ipſius, ſi detorqueatur in aliquem ex eis ſenſibus falſis, quos notavi. Vel potius illo admiſſo in ultimo ſenſu, debet negari prætenſa conſequentia.

109. Objic. 2. Ex duobus entibus in actu non poteſt fieri unum per ſe, ut conſtat in ſubſtantia, & accidente, ex quibus coaleſcit unum non per ſe, ſed per accidens. Etiam hoc adagium, prout jacet, eſt falſum. Hanc enim papyrum eſſe albam per ſuperadditam albedinem, non tollit, quod verè, & ſimpliciter ſit alba. Ergo materiam eſſe in actu per alienam exiſtentiam formæ, non tollit, quod verè, & ſimpliciter ſit in actu. Ergo ideò ex ipſa, & ex forma non poſſet reſultare unum per ſe? Igitur ſenſus eſt. Ex duabus materiis, quarum unaquæque habeat actum illum, qui vulgò dicitur forma ſubſtantialis, non poteſt re-

ſul-

ſultare eſſentialiter unum per ſe; quod omninò eſt verum, etiamſi dentur formæ ſubſtantiales ſubordinatæ in eadem materia, v: g. forma viventis, & forma carnis, quæ perſeverat abeunte illa: unde non reſultaret unum per ſe ex duabus materiis habentibus diverſas formas, ſed ex eadem materia habente duas formas ſubſtantiales, quarum una eſſet prævié requiſita ad alteram. Rurſus adagio illo non negatur reſultantia integralis, quoniam ex una parte materię cum forma carnis, & ex altera cum forma oſſis, & ex altera cum forma medullæ, & ex altera cum forma cartilaginis &c. reſultat, & fit integraliter homo; qui eſt quoddam unum per ſe. Negatur ergo ſola reſultantia eſſentialis phyſica, nempe ex materia, & forma ſubſtantialibus. Et meritò, quia ſi coeant duæ materiæ unaquæque cum ſua forma ſubſtantiali, neutrum complexum eſt materia, aut forma ſubſtantialis reſpectù alterius. Hinc autem quomodo infertur, materiam non habere propriam exiſtentiam? quo circa, vel nega adagium in ſenſu penitus univerſali, vel illo expoſito de actu, qui vulgò dicitur forma ſubſtantialis, nec non de reſultantia eſſentiali, nega conſequentiam prætenſam. Nega item exemplum illud de ſubſtantia, & accidente. Ratio enim ob quam ex utroque non fit unum per ſe, non eſt, quia utrumque ſit in actu exiſtendi; ſed quia uſus, & ſignificatio illius vocis *unum per ſe* eſt compoſitum ex materia, & forma ſubſtantialibus; compoſitum verò ex ſubſtantia, & accidente non eſt ex materia, & forma ſubſtantialibus.

110. Objic. 3. *Eſſe* eſt propter operari, ergo quod nullam habet operationem, nullum habet eſſe. At materia nullam habet operationem, ergo nullum habet eſſe, aut exiſtentiam. Confirmatur 1. Si materia ex ſe habet actum, ideſt exiſtentiam, habet ex ſe eſſe ſubſtantiale, & completum. 2. Si ex ſe habet actum, eſſet per ſe cognoſcibilis ſine relatione ad formam. 3. Si ex ſe haberet actum, non penderet à forma, ſi quidem non haberet exiſtentiam ab illa. Jam notaveris in ferè omnibus his argumentis omiſſa voce *exiſtentia*, uti adverſarios illa alia *actus*: cumque hæc frequentius ſignificet formam ſubſtantialem, ecce æquivocationem, qua videntur ſequi ex eo, quod materia fruatur propria determinata exiſtentia, abſurda, quæ ſequerentr ex eo, quod per ſe, atque ex ſe haberet aliquam formam ſubſtantialem determinatam: & ecce neceſſitatem diſtinguendi frequenter illam vocem *actus*, ne confundatur actualitas exiſtendi cum illis aliis actibus, qui frequenter, ac vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales. Ecce item, quod adeo conantur hi authores extenuare, & annihilare ſuis argumentis materiam, ut videantur obliti illius, quod ſemel, & iterum dixit ſupra S. Auguſtinus

Auguſt. 12. Confeſſ. c. 3. & 6. de illa. *Non tamen omninò nihil*. Ad objectionem reſpondeo. *Eſſe* eſt propter operari, in eis, quæ ſunt operativa; in eis autem, quæ ſunt merè paſſiva, *eſſe* non eſt propter operari, ſed propter pati. At materia dicitur eſſe merè paſſiva. Ergo ſuum eſſe eſt propter pati. Rurſus ſubjuncta minor non eſt firma, quia materia, ſicut res aliæ, producit ſuas proprietates, ac paſſiones. Denique nego ultimam conſequentiam, quia prævalere debet vox illa Auguſtini circa materiam. *Non tamen*

omninò

Digitized by Google

omninò nihil. Ad primam confirmationem, nego ſequelam, prout ibi expoſitam; quia eſſe ſubſtantiale completum ſonat actum ſubſtantialem ex illis, qui vulgò dicuntur formę ſubſtantiales. At quamvis materia habeat ex ſe actum determinatum entitativum exiſtendi, non habet ex ſe ullam formam ſubſtantialem determinatam, ſed ad omnes eſt indifferens. Ergo quamvis habeat actum determinatum exiſtendi, non habet ex ſe eſſe ſubſtantiale completum. Nego item ſecundam, quia ſicut forma, eò quod ſit entitas incompleta dicit intrinſecè ordinem ad materiam, & ideò non eſt per te cognoſcibilis, ſine relatione ad materiam, quamvis ex ſe habeat actum exiſtendi. Ita ob eandem rationem materia non eſt per ſe cognoſcibilis ſine forma. Intellige autem materiam, & formam ſub his propriis earundem conceptibus: ſub aliis namque ſingulæ ſunt per ſe cognoſcibiles. Nego demum tertiam; quia ſicut forma ipſa, tametſi non accipiat exiſtentiam à materia, pendet ab hac, tanquam à ſubjecto unionis, aut receptionis, aut utriuſque. Ita materia quamvis non accipiat exiſtentiam à forma, pendet ab hac, tanquam à ſuo complemento ſubſtantiali.

§. III.

111. QUæſtio 2. eſt ſuper appetitu materiæ reſpectu formarum. Hæc vox *appetitus* nonnullos decipit in præſenti. Cum enim ex primæva ſua inſtitutione ſignificet pondus, & inclinationem rerum cognoſcitivarum, & diſcernentium, aut ſpiritualiter, aut materialiter inter unum, & aliud: in præſenti autem ſignificet metam connexionem naturalem materiæ cum forma, ſiquidem materia non eſt diſcretiva, aut cognoſcitiva ſpiritualiter ſicut homo: nec adhuc materialiter ſicut beſtiæ: hac de cauſa vox illa in præſenti eſt metaphorica, ſicut illæ alteræ *prata rident*: *Viæ Sion lugent &c.* Et en radicem æquivocationum in junioribus, dum ſudant, & laborant, & anguntur, & vociferantur contendentes in voce metaphorica eadem omninò, quæ in voce propria. Igitur quoties philoſophamur de re inanimi, & minimè cognoſcitiva memineris eſſe metaphoricas omnes has voces: *Appetit, exigit, petit, conatur*, & ſimiles: & ſignificatum philoſophicum illarum eſſe metam connexionem phyſicam, & naturalem unius cum alio, qualem habet ignis cum calore, aqua cum frigiditate &c. Conati ſunt Magiſtri arcere hanc æquivocationem diſtinguentes appetitum *elicitum*, & appetitum *innatum*. Appetitus elicitus ſolus eſt propriè, ac ſimpliciter appetitus. Et eſt actus ille, ſeu pondus, ſeu inclinatio vitalis, qua cognoſcitiva ſubſtantia fertur in rem aliquam. Cumque hic actus poſſit eſſe, aut materialis, nempe quo bruta, & nos interdum inter dormiendum conamur in aliquam rem: aut ſpiritualis, nempe quo tanquam uſu, & exercitio rationis ferimur in objectum. Item cum poſſit eſſe per modum proſequtionis: aut per mo-

modum fugæ. Item cum poſſit eſſe ſimplex, atque incomplexus, ut amor, & odium purum: aut complexus, ut volitio, vel nolitio; item efficax, aut inefficax. Item tendens in rem arduam, ut ſpes, aut in rem aliam, ut ſimplex quodlibet deſiderium. Item naturale, ut appetitus comedendi: aut ſupernaturalis, ut appetitus fruendi noſtro ultimo fine. Et demum cum multæ aliæ ſint ſpecies actuum voluntatis, jam vides copioſam ſylvam appetituum elicitorum, quorum nullus diſputatur modo, quia materia prima eorum omnium eſt incapax.

112. Appetitus innatus, ſive exigentia connaturalis eſt, quæ nunc diſputatur. Et eſt naturalis, ſeu phyſica connexio unius cum alio, ut ignis cum calore, aquæ cum frigiditate &c. identificata realiter cum ipſa re appetente, & hac de cauſa dicitur appetitus *innatus*. Unde non producitur ſive elicitur ab illa re ſicut appetitus elicitus. Cumque hanc phyſicam, & naturalem connexionem poſſint habere res naturales, ut in nuperis exemplis: nec non res ſupernarurales quandoquidem Gratia ſanctificans, & reliqua ſupernaturalia chariſmata, ſuapte naturâ connectuntur cum ſubjecto cui uniantur, & in quo recipiantur, quippe quæ ſunt accidentia entitativa, inde eſt, quod apppetitus innatus, ſive naturalis exigentia verificari poteſt de rebus naturalibus, & de ſupernaturalibus. Ubi æquivocationem cave. Res ſupernaturales habent connexionem naturalem, appetitumque innatum, & exigentiam naturalem, non quidem naturalitate abſoluta, quaſi ipſæ, ipſarum connexiones, aut termini debeantur naturæ; ſed naturalitate reſpectiva, quia inſpectâ eſſentiâ, ideſt natura Gratiæ ſanctificantis, v. g., in ea deprehendimus connexionem intimam cum alia tali, aut tali re. Hinc res ſupernaturalis interdum appetit innatè, & connectitur naturaliter cum re ſupernaturali etiam, ut Gratia cum unione ſui ad ſubjectum rationale: Interdum cum re naturali, ut Gratia eadem connectitur ſuapte natura cum homine, aut Angelo, qui ſunt res naturales. Nunquam tamen res naturalis appetit innatè (multoties tamen elicitè) aut connectitur naturaliter cum re ſupernaturali; quia nil poteſt appetere innatè, ſive connecti naturaliter cum illo, cujus eſſentia ſtat in eo, quod ſuperet innatum appetitum, exigentiam, connexionem, atque vires adæquatas ipſius. At eſſentia rei abſolutè ſupernaturalis ſtat in hoc, quod ſuperet omnem appetitum innatum, connexionem, ac vires adæquatas totius naturæ, ut alibi probo. Ergo nil naturale poteſt &c. Hanc connexionem phyſicam, ſeu innatum appetitum fusè explicui in Prodromo diſp. 5. Et de hac procedit præſens quæſtio. *An ſcilicet, & quomodo materia prima appetat innatè formas, & quas formas ſubſtantiales?*

113. Sit concluſio. Materia prima ita innatè appetit formas ſubſtantiales, hoc eſt ita connectitur phyſicè cum illis, ut nullius agentis purè naturalis actione, poſſit omni penitus privari. Sed non propterea eſſet miraculoſa exiſtentia ipſa materiæ, caſu quo Deus miraculosè orbaret illam omni forma ſubſtantiali. Appetitus ille, ſive connexio non eſt cum unis formis potius quam cum aliis, cum perfectioribus potius, quam cum imperfectioribus; ſed ad omnes æquè extenditur. Ad

omnes

omnes, inquam, non diſtributivè, aut collectivè, aut determinativè, ſed disjunctivè, ac vagè, in qua disjunctione locum habent, etiam formæ corruptæ, ut corruptæ. Rurſus appetitus ille non habet analogiam cum appetitu elicito, qui ſit amoris ſtricti, aut gaudii; ſed cum eo, qui ſit deſiderium, ſeu volitio. En unicam reſolutionem totam quæſtionis. Agamus per partes.

114. Dico 1. Materia prima ita connectitur cum forma ſubſtantiali, ut nullius agentis purè naturalis actione, poſſit omni penitus privari. Poteſt tamen exiſtere ſpoliata miraculosè omni ea. Explicatur, & probatur prima pars, quam conſtanter negat Oviedo. Inter connexiones naturales multæ ſunt actu violatæ, ut conexiones omnium ſeparatarum animarum, quæ utique naturaliter connectuntur cum corporibus, cum illæ etiam ſint entitates incompletæ. Aliæ ſunt violabiles per actionem robuſtioris agentis, ut naturalis connexio aquæ cum frigiditate, qua orbatur per actionem ignis. Aliæ ſunt adeò validæ, ut nullius agentis naturalis, ideſt creati hactenus noti impetu violari poſſint, ut connexio ignis cum calore, Solis cum fulgore &c. Hujuſmodi cenſeo connexionem materiæ cum forma, qua licet divinitus poſſit privari, non tamen vi ulla creata ex his, quas novimus, quia nec de Angelis ſcimus pollere hoc prædominio ſupra materiam, tametſi, neque oppoſitum ſciamus; non eſt autem tribuenda, vel Angelis ipſis actualis facultas valdè extraordinaria, abſque poſitivo fundamento; quale eſt teſtimonium Joannis, quædam prorſus mirabilia tribuentis Angelis in Apocalypſi, ſupra Solem, & Lunam &c. Et inprimis. Omnis entitas incompleta naturaliter connectitur cum ſuo complemento. Sed materia prima de facto exiſtens eſt entitas incompleta; forma verò eſt ſuum complementum proportionatum. Ergo illa naturaliter connectitur cum hoc. Communis hæc ratio eſt valdè ſenſata; ſed quia illam inſimulare quiſpiam poteſt: nempe dicendo. Vel loqueris de incompletione phyſicâ connexa cum ſuo complemento, & de hac eſt quæſtio. Vel de incompletione non ſic connexa (non enim incompletio omnis connectitur phyſicè ex ſua natura cum altera comparte, qua compleri ſolet; alias parietes connecterentur ſuapte natura cum tecto, quo perficiuntur, & complentur in ratione domus, & terra connecteretur phyſicè ex ſua natura cum humido, & calido, quibus completur in ratione feracis &c.) hac de cauſa arguo ex principio generali.

P. Oviedo controv. 2. Phyſ punc. 7. n. 13.

Apocalyp. 6

115. Unde novimus ignem, ita validè connecti phyſicè cum calore in ſe ipſo, ut nullum agens creatum prævaleat in contrarium? Certè non aliunde niſi ex eo, quod nunquam experti ſimus, aut experiri ſperamus, ignem ſine ullo calore in ſe ipſo, cum tamen noverimus poſſe Deum ſpoliare illum omni calore. Unde novimus connexionem, & quidem inviolabilem per totam naturam, Solis cum ſplendore? certè non aliunde, niſi quia in tanta varietate, atque oppoſitione combinationum cauſarum naturalium nuſquam Sol caruit ſplendore in ſe ipſo; cum non dubitemus poſſe Deum privare illum ſplendore omni, vel ma-

Apocalyp. ibid.

gna ſplendoris portione. Perpes igitur, & inviolata experientia perpetuæ unionis rei A, cum B, in quibuslibet combinationibus cauſarum naturalium, eſt nobis unicum fundamentum (à poſteriori utique) ut prudenter judicemus A, ita connecti validè ex ſua natura cum B, ut nullius agentis naturalis ex his, quæ novimus impetu poſſit dividi à re B. Pro naturis namque rerum raro vel nunquam habemus rationem ſtrictè à priori, cum natura ipſa rei ſit illud, quod eſt prius reliquis omnibus, quæ neceſſariò competunt illi rei. Et conari in rationem ſtrictè à priori naturæ rerum perinde eſt, ac conari lac, & mel ſugere ex columna marmorea. Neque ex definitione, niſi forte immiſceatur illi id ipſum, de quo eſt quæſtio, depromi poteſt ſemper ratio ſtrictè à priori naturæ rei illius. Nam in caſu præſenti, v. g. metaphyſica definitio materiæ eſt illa, quam dedi, & explicui num. 60. videlicet *primum ſubjectum ex quo fit aliquid &c.* Ex hac bene infertur, differentiam eſſentialem materiæ à forma ſtare in eo, quod cum ſuapte natura non præſupponat ullum aliud, in quo recipiatur ipſa materia, aut ulla diſpoſitio ad ipſam, quia diſpoſitionibus non eget: ſuapte natura ſit idonea ad recipiendum, vel ipſam formam, vel hujus unionem, ut contigit in homine, vel ſaltem diſpoſitiones prævias ad utramvis, & conſequenter ad ipſum ens naturale: quia hæc ſpecies primatus, omni, & ſoli materiæ competit, & magis conſentanea videtur verbis Ariſtotelis, quam *eſſe primum ſubjectum receptivum unionis*, vel aliud quippiam ex eis, quæ alii Philoſophi ſolent docere explicandi ergo definitionem materiæ primæ. Verumtamen hinc quamvis inferatur *capacitas* materiæ ad habendum formam, quo jure inferri poteſt valida illa, & irreſiſtibilis connexio, quam in præſentiarum dicimus?

116. Redeundum igitur videtur ad ſolum principium illlud ex prudentia inſinuatum, nimirum quoties in nulla ex innumeris, & oppoſitis, & jugiter invadentibus combinationibus cauſarum naturalium experimur, aut experti ſunt antiqui A, ſine B, debemus dicere juxta rectam rationem A, ita validè connecti phyſicè cum B, ut nullius cauſæ naturalis actione poſſit illo privari. At in nulla ex innumeris, imò, & oppoſitis inter ſe, & materiam jugiter invadentibus combinationibus cauſarum naturalium quas experimur, ac majores noſtri experti ſunt, experimur, aut illi experti ſunt materiam primam privatam omni penitus forma ſubſtantiali, ſiquidem in quacumque reſolutione cujuslibet corruptibilis entis naturalis experimur materiam perſeverare ſub forma alia. Ergo juxta rectam rationem dicendum videtur, materiam non ſolum appetere, & connecti naturaliter phyſicè cum forma; ſed inſuper appetitum, ſeu connexionem, ita robuſtam eſſe, & validam, ut nullius cauſæ naturalis impetu, ex eis quas novimus violari poſſit. De cauſis aliis merè poſſibilibus neſcimus. Sicut neſcimus, ſitne poſſibilis cauſa creata, ita præpotens, ut totam lucem Solis extinguere poſſit. Patres quos profert Oviedo docentes initio mundi fuiſſe materiam informem, ſeu ſine ulla forma (eſt ſanè incredibile Deum exorſum fuiſſe fabricam mundanam à violatione intimæ connexionis

ma-

materiæ cum forma) exponit S. Thomas mox citandus de informitate *non ſecundum, quod excludit omnem formam; ſed ſecundum quod excludit iſtam formationem, & decorem, qui nunc apparet in corporea creatura*. Reſpondebis, quod materia nuſquam ſpolietur omni forma non provenit ex intrinſeca connexione illius cum hac; ſed ex defectu illarum cauſarum naturalium, quæ ipſam poterant ſpoliare, quas tamen Deus non produxit, ſicut, nec produxit infinita alia, quæ ſunt merè poſſibilia. Contra. Eadem licentia dici poteſt, ignem non connecti ex ſua natura phyſicè cum calorè in ſe ipſo; Solem cum luce &c. ſed jugem, atque conſtantem conjunctionem harum ſubſtantiarum cum eis accidentibus naſci, ex eo quod Deus non produxerit cauſas alias naturales, quæ poſſent ſpoliare ignem omni calore, ſolem omni luce &c. Unde ſic inſtauratur argumentum. Vel neganda eſt omnis connexio phyſica unarum rerum cum aliis, omniſque innatus appetitus, ſeu exigentia naturalis. Vel dicendum, A, ex ſua natura connecti phyſicè cum B, connexione irreſiſtibili toti naturæ præſenti, quoties A, ita ſemper habeat ſecum B; ut in nulla ex innumeris, & oppoſitis combinationibus cauſarum naturalium quas novimus, ſpolietur re B. At ita ſe habet materia reſpectu formæ, & negare omnem appetitum innatum, omnem naturalem exigentiam irreſiſtibilem toti naturæ præſenti, videtur res temeraria, ergo.

§. IV.

117. RESpondebis 2. Ea perpetua conjunctio materiæ cum forma naſcitur ex eo, quod cum non detur vacuum quælibet individua materia ſemper eſt circumdata agentibus naturalibus, jam unius, jam alius ſpeciei; quo circa, ubi primum deficit una forma producunt aliam, quia virtutem habent ad hoc, & ſunt applicata, & materia eſt capax. Ergo quin materia ex intrinſeca ſua natura connectatur cum forma ſubſiſtit, quod in nulla combinatione cauſarum naturalium orbetur omni forma. Explicatur exemplo vaſis ſuſcipientis fontanam aquam: illud namque ſemper eſſe plenum non oritur ex ullo appetitu innato, aut phyſica connexione cum illa aqua; ſed ex eo, quod cum ſemper ſit expoſitum fonti, egrediente ex vaſe una aqua ſuccedit alia ſemper. Contra 1. Innuit iſte diſcurſus agentia circumdantia materiam producere formam in illa ſaltem aliquando, quia in illa deficit prior forma, ita ut hujus defectus ſit cauſa generationis formæ novæ. Sed hoc eſt falſum, quia potius generatio unius eſt corruptio alterius; non autem corruptio unius eſt generatio alterius, ſi quidem formæ ſubſtantiales naturaliter perſeverarent in materia quotieſcunque non ingrueret hoſtis validior, qui deſtruens unionem, vel diſpoſitiones neceſſarias ad eas formas, has quoque deſtrueret. Ergo. Contra 2. Nil compoſſibile cum eo, quod materia ſit per ſe

ab intrinſeco determinata ad habendum aliquam formam, impugnat legitimè hanc determinationem. At determinatio iſta cauſarum naturalium circumdantium quamlibet individuam materiam ad producendum in ea aliquam formam (quam determinationem non nego) eſt compoſſibilis cum eo, quod materia etiam per ſe ab intrinſeco ſit determinata ad habendum aliquam formam, quia duæ diſtinctæ realiter determinationes ad idem non pugnant inter ſe, quinimò frequenter coeunt. v. g. quando ſubjectum eſt plenè diſpoſitum ad formam ignis dantur duæ determinationes, ſive connexiones naturales cum illa forma: una ex parte ipſius ſubjecti ultimò diſpoſiti, altera ex parte ignis A, applicati ſufficienter. Item quando cauſa neceſſaria fungitur omnibus penitus prærequiſitis ex parte naturæ ad operandum, concurrunt etiam duæ determinationes, ut Deus cum illa concurrat: una ex parte ipſius cauſæ neceſſariæ; altera ex parte Dei, *ut Authoris naturalis*, ergo iſta determinatio non impugnat legitimè aliam ſe habentē ex parte materiæ primæ. Nec propterea ſuperfluit, altera ex eis; quia licet attento ſolo fine hoc *materiam non privari omni forma* ſufficiat una ſola ex eis, attentis tamen omnibus, videlicet natura materiæ primæ, atque concurſu iſto cauſarum naturalium, duæ determinationes, ſive naturales connexiones videntur concedendæ rationabiliter: una ex parte materiæ, quippe quæ eſt entitas incompleta naturaliter, & non tantum artificioſè, ut parietes ſine tecto, nec tantum integraliter, ut corpus humanum ſine brachio, aut oculis, nec tantum in ordine ad pulchritudinem, & feracitatem, ut terra ſine humido, & calido. Et altera ex parte cauſarum circumdantium individuam illam materiam, quæ cum ſint operatrices, & ſint applicatæ materiæ iſti, & hæc ſit diſpoſita, naturaliter connectuntur cum operatione in materia ipſa. Argumentis quibus Oviedo impugnat hanc primam partem concluſionis reſpondebo mox. Hinc habe voces illas, *Pura potentia*. Neque *quanta*. Neque *qualis*, quibus aliqui adeò perterrefacti ſunt, ut fugerint à materia prima, tanquam à monſtro, & alia ſyſtemata commenti ſint, nil aliud ſignificare quam carentiam identitatis, & connexionis terminativè determinatæ cum actu ullo ex eis, qui vulgo dicuntur *forma ſubſtantialis*, *aut accidentalis*: quod ſtat bene cum actuali habitione alicujus, & cum connexione terminativè disjunctiva.

118. Probo ſecundam partem. Videlicet poſſe materiam exiſtere ſpoliatam miraculosè, ac de potentia Dei, omni forma ſubſtantiali. Non enim apparet major connexio materiæ cum forma, quam ignis cum combuſtione, aut Solis cum ſplendore, aut corporis humani cum corruptione. Si ergo ignis poteſt eſſe applicatus ſubjecto ex ſe diſpoſito, quin aliud comburat, ut contigit in fornace babylonica, *ambulabant in medio flammæ laudantes Deum*. Si exiſtet aliquando Sol mulctatus tertia parte lucis *percuſſa eſt tertia pars Solis*. Item. *Sol factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus*. Denique ſi humanum corpus natura ſua corruptibile *oportet induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Cur non poterit Deus conſervare materiam primam ſpoliatam omni

Daniel. 3.
Apocal. 8.
ibid. 6.
1. ad Cor. 15.

Digitized by Google

omni forma ſubſtantiali? Cur ponenda eſt metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexa cum forma? Reſpondent quia 1. exiſtit per exiſtentiam formæ (ſed hoc paulo ante negavi) quia 2. eſſet in actu, & non eſſet in actu. Hoc diſtinguo. In actu eodem nego; diverſo concedo. Eſſet namque in actu *exiſtendi*, qui actus vocari ſolet entitativus, & impletus: & non eſſet in actu *informationis* paſſivæ, ſeu non eſſet in actu componendi ens naturale; qui actus vocatur completus, & ſpecificus. Clarius. Exiſteret in rebus, ſed non cum forma, ex eis, quæ vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales (exiſtentia enim materiæ poſſet utcunque dici actus informativus ſubſtantialis) Hæc autem nec ſunt, nec inferunt contradictoria, quia ſunt ipſa formalis concluſio, de qua eſt quæſtio.

119. Neque contrarius eſt S. Thomas cujus eſt hoc ſecundum argumentum, & à quo deficere ſibi videntur in hac parte MM. Soto, & Bannez evidentiâ argumentorum convicti, ut dicunt. Statuit enim S. Magiſter, ut Auguſtinum conciliet cum tribus aliis Patribus, implicare contradictionem materiam eſſe ſine forma (unde non loquitur in corpore articuli de re, prout de facto, ſed etiam, prout de poſſibili) & dat rationem. *Ipſum autem, quod eſt actus, eſt forma*; atqui actus exiſtendi non eſt per adverſarios forma illa ſpecifica, & complens materiam, quæque vulgò dicitur forma ſubſtantialis, quia putant illam, hoc eſt illius eſſentiam, diſtingui ab exiſtentia. Videtur ergo S. Doctor, tam in titulo articuli, quam corpore, & in ratione, qua explicat Auguſtinum, loqui non de forma in ſpecie, quæ vulgò dicitur forma ſubſtantialis, ſed de forma in genere, prout complectente omnem actualitatem, tum entitativam, & incompletam, tum informativam, & completam. In hoc autem ſenſu jure dicit implicare contradictionem materiam ſine forma: ſiquidem actus ipſe exiſtendi eſt aliqua forma ſive actualitas. Et ſic explicat Auguſtinum docentem, quod *informitas materiæ corporalis non præceſſerit tempore formationem ipſius*. Eſſet quippe manifeſta implicatio, quod phyſicè extitiſſet ſine actu exiſtendi, & conſequenter ſine ulla forma. Nec redditur frivola quæſtio, quam ſibi proponit, niſi in ipſa quæſtione miſcere velimus ſolutionem (ſic autem omnis quæſtio eſſet ridicula) quærit in genere, & abſtractè. *An informitas materiæ tempore præceſſerit formationem ipſius*. Ad hoc reſpondetur ſapienter. Impoſſibile eſſe, quod materia præceſſerit informis omninò, ideſt, ſine ulla penitus forma, quoniam ipſa exiſtentia, ſeu actus exiſtendi, eſt aliqua forma. Unde optimè concludit. *Dicere igitur materiam præcedere ſine forma* (nempe ſine ulla penitus forma, quia negatio eſt malignantis naturæ) *eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem*. Nos autem in præſenti non diſputamus hanc ſpeciem formæ, ſed alias: nempe illas, quæ vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales, puta formam ligni, ignis, arboris, animalis &c.

1.p. q. 66. art. 1.
Soto 1.phyſ. q. 6. art. 2.
Bannez 1. p.q.66.art. 1.dub.2.

120. Hinc habes, quo ſenſu materia pendeat, & quo ſenſu materia non pendeat à forma. Pendet ab illa, tanquam à poſteriore, quia ſuapte natura connectitur cum illa, tanquam cum effectu; non in genere

nere

nere efficiente, ſed in genere paſſivo: non ſemper paſſivo reſpectu omnis formæ v. g. reſpectu animæ rationalis; ſed paſſivo, aut reſpectu formæ, aut ſaltem reſpectu præviarum diſpoſitionum ab ipſa. Pendet item à forma, tanquam *à comitante*: quia ita connectitur cum illa, ut ſimul cum illa æquè conſtituat ens naturale. Pendet etiam ab illa, tanquam *à priori*, non quaſi hæc exiſtat per illius exiſtentiam, quem ſenſum frequenter intelligunt adverſarii; ſed quia forma eſt unica ratio formalis à priori, ob quam materia hic, & nunc potius conſtituit totum unius ſpeciei, quam alius. Hinc 2. cum omne accidens ſit forma (etiam quantitas, ſi diſtinguatur à materia) ideò repugnat eſſe accidentale, ſine forma accidentali. Aſt non omnis ſubſtantia eſt forma. Non ergo repugnat eſſe ſubſtantiale, ſine forma ſubſtantiali. 3. Verum eſt, quod materia determinatur per formam ad ſpeciem phyſicè completam, hoc eſt determinatur, ut conſtituat ens naturale. Aſt non per formam, ſed per ſuammet eſſentiam determinatur ad ſpeciem talem metaphyſicè completam, licet phyſicè incompletam, ſicut eſt forma ipſa. Ergo materia poteſt exiſtere in rebus, & in ſpecie determinatè dicta, ſine forma.

§. V.

121. DIco 2. Poſito miraculo privationis omnium formarum, diſtinctarum ab exiſtentia materiæ primæ (hujus diſtinctionis ne obliviſcaris: quia cum tam formæ aliæ, quam exiſtentia vocentur *actus*, poteſt adverſarius aliquis minus cautus confundere unum cum altero: & putare nos perinde loqui de exiſtentia, ſive actu exiſtendi, ac de illis, quæ vulgò dicuntur formæ ſubſtantiales, dicunturque actus informantes, & complentes materiam) Poſito, inquam, eo miraculo, materia naturaliter exiſteret, ac ſine ullo novo miraculo conſervaretur. Hoc, & non aliud probare videntur argumenta illa, quibus Oviedo conatur, materiam nullam ex ſe habere connexionem cum formis, & conſequenter, neque pendere ab illis à poſteriore. Et poteſt eſſe regula generalis pro omnibus aliis rebus ſimilibus, quando privantur termino connexionis naturalis. Sed præſentiſſimam æquivocationem cavere oportet. Cum hic conceptus *Materiam exiſtere ſine forma* ſit copulativus, duo dicit. Unum poſitivum, ſcilicet *exiſtentiam materiæ*. Alterum negativum, nempè *privationem omnium formarum*. Hæc duo multifariam poſſunt combinari, & reſultabunt jam propoſitiones veræ, jam falſæ, jam æquivocæ, quibus facilè inter diſputandum irretitur inexpertus. Igitur non dico, exiſtentiam, aut conſervationem materiæ pro caſu privationis dictæ eſſe ſpecificativè, ac ſecundum ſe naturalem: quia hoc, vel eſt nimis verum, vel implicatio, abuſuſque terminorum *ſpecificativè pro caſu*. Neque dico complexum ex conſervatione materiæ, atque privatione eſſe natura-

turale; quia nil imbibens violationem connexionis toti naturæ hacte-
ctenus cognitæ irreſiſtibilis eſt naturale. Sed iſtud complexum imbibic violationem connexionis materiæ cum forma, quam connexionem nuper dixi eſſe irreſiſtibilem toti naturæ hactenus notæ, ergo. Quocirca non do nuperam concluſionem in ſenſu abſoluto. Præterea non dico, eſſe naturale, quod exiſtente materia, detur illa privatio; ſed è converſo poſſe eſſe naturale, quod data hac privatione, exiſtat ſive conſervetur materia. Unde *naturaliter* non appellat ſupra privationem ſuppoſita exiſtentia materiæ; ſed ſupra hanc ſuppoſita privatione. Quamvis enim videantur eſſe idem ſaltem connexivè, quod exiſtente A, exiſtat B, & quod exiſtente B, exiſtat A, eò quia omnis coexiſtentia eſt mutua; non tamen ſunt ſemper idem, ut alibi expono.

122. Quoniam nulla, quorum unum poteſt eſſe neceſſarium, & alterum contingens, ſunt ſemper idem adhuc connexivè connexione mutua. Sed talia ſunt iſta duo: ſiquidem eſt neceſſarium, quod exiſtente creatura exiſtat Creator; & eſt contingens, quod exiſtente Creatore, exiſtat creatura. Et ſimiliter in aliis. Ergo non ſemper ſunt idem, quod exiſtente A, exiſtat B: & quod exiſtente B, exiſtat A. Ergo licet non poſſit eſſe naturale, quod exiſtente materia detur illa privatio: poteſt eſſe naturale, quod data illa privatione exiſtat materia. Inſuper non dico exiſtentiam ſive conſervationem materiæ pro caſu privationis fore naturalem naturalitate poſitiva reſpectu aliarum rerum diſtinctarum à materia, quaſi eis foret debita illa conſervatio; ſed naturalitate tum negativà quatenus nulli agenti naturali inferret vim illa conſervatio: tum poſitiva reſpectu ipſius materiæ, quatenus ipſi, quæ etiam eſt res quædam naturalis, conſentanea foret ſua duratio. Igitur ſenſus concluſionis eſt ille ſolus quem præſefert. Nimirum poſito aliunde miraculo privationis omnium formarum, quæ privatio eſt contra connexionem phyſicam materiæ invincibilem à tota natura hactenus nota, nullum eſſet novum miraculum in eo, quod perſeveraret in rebus ipſa materia, cujus duratio, & conſervatio in eo ſtatu eſſet ſanè violenta, violentià cadente ſupra ſtatum illum privationis; ſed non ſupra ipſam durationem, ac conſervationem; quemadmodum miraculum quidem fuit, quod accenſa fornax babylonica non combureret tres Sanctos illos viros. Sed non fuit miraculum, quod poſita non combuſtione eorum, illa eſſet, ac duraret accenſa. *Fornax autem ſuccenſa erat nimis.* Nempe, quia barbarus ille. *Præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueverat.* *Daniel.* 3.
Unde exiſtentia incendii illius in eo ſtatu fuit violenta, & miraculoſa non formaliter in ſe ipſa; ſed miraculo, & violentia cadente ſupra ſtatum illum non comburendi, ſeu ſupra negativum imbibitum in hoc copulativo conceptu: *Ardere ſine combuſtione* paſſi applicati, & capacis, ſeu ſupra conditionatum hujus adverſativæ. Etiamſi ignis applicatus fuerit corporibus combuſtibilibus *non combuſſit illa*. Et quemadmodum etiam duratio, & conſervatio carnium beatarum in Cœlo miraculoſa *Homil.* 9. eſt. *Carnis enim locus proprius terra eſt, quæ quaſi ad peregrina ducitur,* *in Evang.*
dum

dum per Redemptorem noſtrum in Cœlo collocatur, ut inquit Gregorius; aſt miraculo cadente ſupra illud *in Cœlo*, non ſupra illam conſervationem, ut diſtinctam ab illo *in Cœlo*.

123. Concluſio ſic explicata probatur; Quoties perſeverat unica cauſa efficiens, ac conſervans rem. Et hæc non eſt de genere tranſeuntium, ut tempus, & motus, ſed de genere permanentium; & non deficit ſubjectum receptivum hujus, aut præviæ ullius diſpoſitionis ad ipſam. Et non adeſt contrarium exigens rei illius deſtructionem. Et finis ipſius non redditur naturaliter impoſſibilis, poteſt ea naturaliter perſeverare; tametſi deficiat ſibi terminus quocum phyſicè connectitur: ita ut ſi tunc res perſeveret, hæc actio conſervativa ſit ejuſdem ſpeciei cum actione, qua prius conſervabatur. Ob hanc rationem tametſi aquæ calidæ deficiat frigus quocum ſuapte natura phyſicè connectitur, actio, qua conſervatur eſt entitativè naturalis; & exiſtentia lapidis, etiam quando ſurſum projicitur eſt entitativè naturalis tametſi careat centro ſuo, quod innatè appetit, & conſervatio animæ rationalis ſeparatæ à materia eſt naturalis, licet innatè appetat materiam. Et ratio eſt. Ea perſeverantia rei, quando concurrunt dictæ circumſtantiæ in majore, contra nullius rei naturalis eſt exigentiam, & eſt poſitivè conformis exigentiæ rei ejuſdem illius, cui melius eſt, eſſe quamvis orba, quam ſimpliciter non eſſe per annihilationem, aut corruptionem. Unaquæque enim ex ejuſmodi rebus exigit naturaliter conſervari pro inſtantibus ſequentibus ad ſuam primam productionem. At quamvis individua materia A, privetur omni forma (non eſt neceſſe, quod omnes materiæ priventur omni forma) perſeverat Deus qui eſt unica cauſa totalis efficiens, atque conſervans materiam illam, quippe, quæ ſit per creationem. Deinde materia non eſt ex ſua natura tranſiens, ſicut motus, ſed permanens, ut conſtat. Rurſus non deficit ſubjectum ipſius, aut diſpoſitionum ad ipſam, quia cum producatur per creationem, nullum præſupponit ſubjectum paſſivum, aut diſpoſitiones prævias. Præterea non oſtenditur agens ullum naturale, exigens illius deſtructionem, nam quid intereſſet hujus ligni, quod materiam hujus papyri conſervaret Deus abſque ulla forma ſubſtantiali. Demum finis illius materiæ viduæ non eſſet naturaliter impoſſibilis, quoniam finis eſt compoſitum aliquod ſubſtantiale: & hoc eſt naturaliter poſſibile. Nam etiam ſi non eſſet, caſu quo omnes formæ ſubſtantiales corruptæ eſſent, eò quod reproductio communiter cenſeatur naturaliter impoſſibilis; at neceſſe non eſt loquendi de hoc caſu, ſed de caſu quo materiam A, poſtquam habuit aliquam, vel aliquas formas conſervet Deus illis ſolis corruptis, & non permittat, ullam aliam de novo ſubintrare in illam materiam. Ergo.

124. Objic. quando projicitur globus per terram aliquando deficit motus ille, quia aliquando finitur impulſus. Et tamen ſubſiſtunt omnia, quæ dixi in illa majore. Ergo in ſenſu compoſito illorum poteſt res naturaliter deficere. Ergo, & quod, ſi diutius perſeveret, perſeverantia non ſit naturalis. Confirmatur. Hæc eſt bona conſequentia

phy-

phyſica. *Exiſtit materia A, ergo habet aliquam formam.* Ergo ab oppoſito conſequentis, ad oppoſitum antecedentis eſt etiam bona in ſenſu phyſico, & naturali hæc. *Materia nullam habet formam.* Ergo *non exiſtit*. Ergo privatio omnium formarum eſt phyſicè connexa cum carentia materiæ; ergo ſi hæc tunc perſeveret, hæc perſeverantia non eſt naturalis. 2. quoties A, connectitur mataphyſicè, abſolutè, ac determinatè cum B, hujus contradictorium connectitur metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè cum carentia rei A, ut in Prodromo dixi diſp. 5. Ergo quoties A, connectitur phyſicè cum B, contradictorium hujus, connectitur phyſicè cum contradictorio illius. At materia connectitur phyſicè cum aliqua forma. Ergo contradictorium hujus disjunctivæ, ideſt privatio omnium formarum, connectitur phyſicè cum contradictorio materiæ. Ergo ſi hæc tunc exiſtat, exiſtentia erit contrra aliquam phyſicam, & naturalem connexionem. Ergo non erit exiſtentia naturalis. 3. Hæc eſt conſequentia metaphyſica. *Materia exiſtit naturaliter, ergo habet aliquam formam.* Quia licet exiſtentia ſola non connectatur metaphyſicè cum forma, aſt ſtatus naturalis materiæ ſic connectitur. Ergo ab oppoſito conſequentis hæc etiam eſt metaphyſica. *Nullam habet formam, ergo non exiſtit naturaliter.* Ergo impoſſibile eſt quod ſit naturalis conſervatio materiæ, quando nullam habet formam.

§. VI.

125. NEgo minorem objectionis: quoniam hoſtis validior obſiſtit ulteriori durationi impulſus illius. Nempe gravitas corporis, quod projicitur, ſoliditaſque terræ per quam projicitur: ambæ cedebant initio, quia impulſus tunc, ut pote vicinior projicienti, erat validior; in partibus autem remotioribus languidior eſt, quoniam omne agens naturale operatur uniformiter difformiter, ut in Prodromo explicui. Ergo ambæ illæ cedentes initio, reſiſtunt poſtea majori durationi impulſus. Ergo naturaliter ceſſat hic. Ergo etiam motus ex illo oriundus. Præterquam quod agens ceſſat à conſervatione impulſus in parte remotiore per quam rotatur globus, quia non vult, vel non poteſt in illa diſtantia impulſum conſervare. Ad primam confirmationem jam reſpondi diſp. 2. logicæ parvæ num. 38. conſequentiam illam reflexam non eſſe bonam ſemper, ac universè. Nil enim metaphyſicè connexum cum ipſo antecedente, eſt idoneum ad inferendum oppoſitum ipſius, ſed potius ad excludendum illud; atqui interdum oppoſitum conſequentis in conſequentia purè phyſica & naturali, eſt metaphyſicè connexum cum antecedente, v. g. decretum efficax divinum ſtatuens ignem exiſtere *abſque calore* eſt oppoſitum exiſtentiæ caloris, & metaphyſicè connexum cum igne, ex quo per naturalem, ac phyſicam conſequentiam infertur calor. Ergo. Ob hanc rationem dixi

dixi ibi · quod licet in ſenſu phyſico, & naturali bona ſit hæc conſequentia. *Exiſtunt abſolutè duæ quantitates, ergo non ſunt penetratæ.* Hæc tamen inverſa. *Sunt penetratæ, ergo non exiſtunt abſolutè in rebus* eſt implicatoria. Non ergo eſt bona conſequentia ex vi formæ ab oppoſito iſtius conſequentis ad oppoſitum antecedentis ipſius. Rurſus neque eſt bona ex vi materię præſentis, quia de hoc eſt quæſtio, & per Adverſarios non probatur. Ergo. Ob eandem rationem, nego conſequentiam ſecundæ confirmationis, quam etiam negavi in eo loco Prodromi. Nam certè penetratio duarum quantitatum opponitur metaphyſicè ſuo contradictorio, quo cum phyſicè connectuntur illæ, ut pote ſuapte natura impenetrabiles; & tamen non opponitur phyſicè, quinimò connectitur metaphyſicè cum illis, quia licet omnis oppoſitio metaphyſica ſit mutua, non tamen omnis phyſica, ut ibidem dixi. Ad tertiam, diſtinguo illud conſequens. Non exiſtit naturaliter naturalitate cadente ſupra exiſtentiam ipſam, nego conſequentiam ob ſępè dicta. Naturalitate cadente ſupra *non habere ullam formam*, concedo. Et ſimiliter explicandum ultimum conſequens. Jam monui vitandam eſſe æquivocationem hic facillimam. Hinc conceptus copulativus, *materiam exiſtere quin ullam habeat formam*, duo dicit. Unum poſitivum, videlicet materiam exiſtere, etiamſi careat omni forma. Alterum negativum, nimirum carere omni forma etiamſi exiſtat. Illud primum dixi, & explicui, eſſe entitativè naturale. Hoc ſecundum non eſt naturale, quia eſt contra connexionem phyſicam materiæ irreſiſtibilem toti naturæ de facto exiſtenti. Unde materiam exiſtere hoc ſecundo modo, nempe orbam omni forma dicitur eſſe *non exiſtere naturaliter* non naturalitate modi, ſeu non naturalitate ſecundum negativum, quod dicit hic conceptus; ſecus non naturalitate ſubſtantiæ ipſius exiſtendi, ſeu non naturalitate ſecundum poſitivum.

126. Inſtabis ſi vera eſt hæc doctrina, etiam eſſet naturalis exiſtentia, & conſervatio formæ materialis, caſu quo ſepararetur ab omni materia, non quidem naturalitate appellante ſupra ſeparationem, ſed ſed ſupra meram, & puram exiſtentiam, & conſervationem poſita ſeparatione. Sed aliquod agens naturale creatum poteſt facere id, qnod eſt naturale, ergo aliquod hujuſmodi agens poteſt conſervare formam materialem ſeparatam à materia. In majore abs jure univocantur exiſtentia, & conſervatio, ideſt, terminus productus per actionem, & actio. Exiſtentia illius formæ eſſet entitativè naturalis. Conſervatio illa entitativè ſupernaturalis, quia eſſet independens à ſubjecto præſuppoſito, & conſequenter contra innatum appetitum illius formæ, quæ non per ſe præcisè; ſed per aggregatum ſui, & catentiæ actionis ſibi connaturalis, connecteretur metaphyſicè cum ea conſervatione. Eſſet quoque illa conſervatio ſupernaturalis, quia, ut jam dico, nulla creatura poſſet illam facere. Minor item, prout jacet, eſt falſa. Nam certè Reſpublica tota Angelica eſt entitativè naturalis, & omnes etiam animæ rationales. Et tamen nullum agens naturale creatum poteſt illam, aut has facere, quia fieri nequeunt, niſi per creationem,

qua

Digitized by Google

qui modus faciendi repugnat agenti naturali creato, ſtando ſaltem authoritati, ut explico in Prodromo diſp. 4. Idem reſpectivè in præſenti. Nullum agens naturale creatum poteſt quidquam facere niſi actione eſſentialiter unita materiæ, ut ſubjecto præſuppoſito, alias poſſet agere per creationem. At quanquam exiſtentia, & conſervatio formæ materialis, etiam ſeparatæ per miraculum à materia (ſicut quantitas Euchariſtica ſeparatur per miraculum à ſubſtantia panis, & vini) eſſet entitativè in ſe naturalis, actio illa conſervativa non eſſet eſſentialiter unita materiæ, ut patet. Ergo quamquam eſſet entitativè naturalis nullum agens naturale creatum poſſet illam facere: ſicut neque poteſt facere primam actionem creativam, tametſi ea ſit entitativè naturalis. Ergo. Ex qua tota doctrina habes ſenſum quo multoties capienda eſt in aliis rebus propoſitio enuntians unum ita ex ſua natura connecti cum alio, ut nequeat naturaliter exiſtere ſine illo alio. Multoties namque illa, *non naturalitas* verificatur de ſolo negativo, ſcilicet, *ſine illo alio*, non autem de poſitivo, nempe *exiſtere*, *conſervari*. Interdum etiam de utroque. Ad quod diſcernendum, præſentes habeas titulos quibus incœpi numerum 121.

127. Jam ut ſolvam fidem datam ad finem num. 117. adverte P. Oviedo, nec paucis, nec mediocribus argumentis adoriri tum dependentiam à poſteriori in genere, tum connexionem naturalem, quam dixi materiæ cum forma. Sed illa probant, quod nuper dicebam. Aliud eſt materiam non connecti phyſicè ex natura ſua cum forma. Aliud longè diverſum exiſtentiam, aut conſervationem materiæ non fore entitativè in ſe ipſa naturalem, caſu quo deficiat forma. Recole rationem, & exempla, quæ produxi num. 123. Argumenta hujus Authoris impugnant hoc ſecundum, ſed non illud primum. Arguit itaque. Cauſa pendens à poſteriore ab aliquo ſuo effectu, ita ut ſine illo nequeat naturaliter exiſtere, poteſt illum producere per ſimplicem emanationem, ut inductione probat: & quia aliàs exigeret conprincipium creatum ad producendum illum, ſi non haberet ex ſe virtutem independenter ab alio conprincipio creatò ad eum effectum producendum. At materia non poteſt producere per ſimplicem emanationem formam, ergo non pendet ab illa à poſteriore, ita ut ſine illa nequeat naturaliter exiſtere. Major ad ſummum eſt vera de cauſa phyſicè efficiente (& neque hoc eſt firmum, quoniam ignis, ut in actu primo proximo ad comburendum, pendet à combuſtione, ideſt connectitur cum illa tanquam cum poſteriore, & tamen non producit illam per ſimplicem emanationem) ſecus de cauſa merè paſſiva, qualis eſt materia reſpectu formæ, quia ſi cauſa merè paſſiva quidquam ageret, eſſet, & non eſſet merè paſſiva. Nullum autem eſt abſurdum, quod hujuſmodi cauſa exigat non quidem *conprincipium efficiens*, ſiquidem ipſa non eſt efficiens; ſed principium creatum, vel increatum productivum formæ cum qua phyſicè connectitur ſicut quando eſt ultimò diſpoſita ad quamlibet formam in ſpecie determinata, exigit principium productivum illius formæ determinatæ in ſpecie.

Oviedo cōtrov. 2. phyſic. punc. 7. n. 6. & 13.

128. Arguit 2. Omnis cauſa eſt prior natura effectu, ergo antequam ſit effectus ſupponitur entitas cauſæ, ergo ſupponitur quidquid neceſſarium eſt, ut exiſtat. Ergo quocunque alio exiſtente, vel non exiſtente erit cauſa. Ergo hoc non poteſt pendere ab exiſtentia effectus. Et adducit S. Thomam ajentem manere in materia, poſt deſtructum compoſitum, illud quod erat ante formam, *quia remoto poſteriore remanet adhuc prius*. Notavi diſp. 1. logicæ Parvæ num. 202. non eſſe inſolitum abuſum optimæ Philoſophiæ ſignorum. Cauſam eſſe priorem natura reſpectu effectus non eſt cauſam exiſtere ante hunc anterioritatem temporis, in quam apprehenſio involare ſolet quando audimus *antequam*; ſed producere, aut recipere illum; quia verò illud, quod eſt cauſa alterius apprehendere ſolemus, tanquam prius poſitum ſuo eſſe, & inſuper loqui ſolemus, prout apprehendimus, ut ſapienter notavit S. Thomas. Idcircò invaluit illa phraſis, *cauſa eſt prior effectu*; ſed illam non debes intelligere prioritatem temporis, aut independentiæ, aut connexionis, ſed ſolam, & puram prioritatem cauſalitatis, quæ bene ſtat cum eo, quod cauſa non exiſtat, *antequam* exiſtat effectus, ſed potius hic exiſtat in eodem primo momento, in quo, incipit eſſe ſua cauſa. Sicut lux extitit in momento ipſo primo, in quo incœpit Sol, licet hic fuerit cauſa illius: & ſicut Æternus Pater nuſquam fuit, aut aut potuit eſſe ſine Filio, & conſequenter non potuit eſſe *antequam* exiſteret Filius, tametſi prior ſit hoc prioritate originis. Et idem dico de Spiratore (ideſt de Patre, & Filio, qui ſunt unus Spirator, ſicut unus Deus) reſpectu Spiritus Sancti. Nego itaque primam conſequentiam propter æquivocum illud, & in re præſenti præjudiciale, *antequam*. Si mavis diſtingue: ſupponitur entitas cauſæ interdum connexæ cum effectu pro primo quoque inſtanti ſuæ exiſtentiæ, concedo. Nunquam connexæ, & in hoc ſenſu dependentis ab effectu, nego primam conſequentiam; & diſſimulata ſecunda, nego tertiam: quia ſi cauſa eſt connexa cum effectu, hoc non exiſtente illa non exiſtit, ſi connexio fuerit metaphyſica; ſin purè phyſica interdum exiſtet, interdum non exiſtet juxta paulò ante dicta. Textus S. Thomæ mihi non adverſatur, quia incredibile videtur S. Magiſtrum docuiſſe remanere prius etiamſi ſit intimè connexum cum poſteriore, aut docuiſſe nullum prius, hoc eſt nullam cauſam poſſe intime connecti cum poſteriore, hoc eſt cum ſuo effectu. Diſtinguendum igitur eſt axioma. Et concedendum de priore non connexo cum poſteriore; negandum verò de connexo.

In 4. diſt. 44. qu. 1. art. 1.

Dico 3.

§. VII.

129. DIco 3. Appetitus innatus, ſive connexio materiæ ſpecificativè, ac ſecundum ſe ſumptæ non eſt cum unis formis potius quam cum aliis: cum perfectiore potius, quam cum perfecta, ſed ad omnes æquè extenditur. Dico *ſpecificative*: quoniam certum eſt, materiam ultimo diſpoſitam ad aliquam determinatam formam, connecti potius cum hac, quam cum alia; connexio tamen hæc non ſtat in ſola materia, ſed in complexo ex illa, & eis diſpoſitionibus. Probatur Concluſio. Tum quia forma omnium hactenus notarum perfectiſſima eſt rationalis. Ergo ſi materia prima innatè appetit, (hoc eſt phyſicè connectitur) formas perfectiores, connectetur phyſicè ad unionem cum anima rationali. Ergo cum innumeræ ſint materiæ à Cœlo Empyreo uſque ad centrum terræ, quæ neque habent, neque habuerunt, neque habebunt unionem cum anima rationali, ſequetur omnes illas eſſe phyſicè violentas, ut pote orbas termino, cum quo ſuapte natura connectuntur. Unde materiæ, quæ ſunt ſub forma leonis &c. non minorem patientur violentiam, quam ignis ſine calore, aut aqua ſine frigiditate. Authorque naturæ non potuerit condere, atque conſervare mundanam rempublicam compoſitam ex tot, ac tam inæqualibus formis, quin multarum materiarum jura, & connexiones phyſicas violaverit. Imò hæ ipſæ individuæ materiæ, quæ modo decorantur anima rationali, quam diſpares formas habuerunt ab initio mundi, & habebunt uſque ad finem? Ergo hæ quoque fuerunt, & erunt violentæ; quod ſine fundamento dicetur; tum quia juxta ſupradicta, connexio materiæ cum forma fundatur, vel in eo, quod cum ſit entitas incompleta naturaliter connectitur cum ſuo complemento, quod eſt forma ipſa (& ſic cum æquè compleatur per formam ſubſtantialem terræ, v. g. quam per formam ràtionalem, quia licet compoſitum reſultans ex utraque invicem comparatum, non ſit æquale, æquè tamen, atque univocè eſt compoſitum ſubſtantiale, ſicut licet homo, & canis non ſint animalia æqualia phyſicè, æquè tamen ſunt animal, & conveniunt univocè in hoc conceptu: inde eſt, quod æquè connectitur nempè disjunctivè cum una, & cum altera) Vel in eo, quod in tam innumeris, atque etherogeneis combinationibus cauſarum naturalium circumdantium ſingulas individuas materias numquam experti ſint mortales ullam, vel minimam portiunculam materiæ ſpoliatam omni forma ſubſtantiali. Et hoc probat ſanè materiam connecti cum *aliqua* forma, ſed non cum una potius, quam cum alia. Maxime quia nulla urget ratio in favorem prætenſæ iſtius connexionis maioris. Id verò intelligendum eſt de materia hactenus nota. Non tamen negabo poſſibilitatem metaphyſicam materiæ alius diſtinctæ ſpecificè ab hac, quæ ſuapte natura connectatur cum unis, vel una potius ſpecie formarum, quam cum aliis: ſi-

cut

cut nec poſſibilitatem materiæ, quæ ſuapte natura connectatur cum duplici, aut triplici forma ſimul; ſecus cum infinitis ob manifeſtam diſparitatem.

130. Objic. Unaquæque res appetit magis id, quod eſt melius. Confirmatur 1. Si materia appeteret elicitè, ideſt ſi haberet appetitum ſtrictè talem regulatum cognitione, potius appeteret eſſe cum anima Chriſti Domini, quam cum anima formicæ. Sed appetitus innatus aſſimilatur elicito, ergo. 2. Etiam forma ſubſtantialis æquè conſtituit compoſitum ſubſtantiale cum una, ac cum altera materia, ideſt cum materia bene, ac cum male diſpoſita. Et tamen potius connectitur cum materia uno modo, quam alio modo diſpoſita, & organizata. Nam certè anima rationalis ſuapte natura connectitur cum materia organizata modo humano, & ſuapte natura repugnat uniri materiæ organizatæ modo canino, vel felino. Ergo, quod materia æquè compleatur per unam, ac per aliam formam, æquè conſtituat compoſitum ſubſtantiale cum una, ac cum altera, non probat. 3. Cum unaquæque res magis appetat habere ſuas partes unitas, quam diſperſas, aut facilè ſolubiles, & materia ſub unis formis habeat ſuas partes magis unitas, v. g. ſub forma marmoris, auri &c. & ſub aliis magis diſperſas, aut ſolubiles, v.g. ſub formæ aquæ, aut cineris; conſentaneum videtur, quod magis appetat unas formas, quam alias. Demum materia, ut ultimò diſpoſita ad formam perfectiorem, hanc potius appetit, quam imperfectam. Et tamen æquè compleretur ſubſtantialiter, ſi Deus produceret in ea imperfectiorem aliam: Dicere autem ultimam illam diſpoſitionem connecti determinatè cum forma perfectiore, ſecus materiam, eſt majorem dare perfectionem illi accidenti, quam materiæ. Nego objectionem, ſi procedat in ſenſu abſoluto, & univerſali. Melior namque eſt abſolutè equus, quam aqua; ſitibundus autem magis appetit aquam, quàm equum. Magis appetunt ergo res id quod *ſibi* eſt melius; non quod abſolutè eſt melius. Atqui forma perfectior, quamvis in ſe abſolutè ſit melior, quàm equina, non eſt tamen melior reſpectu materiæ, quoniam tota bonitas formæ reſpectu materiæ eſt, hanc complere: & æquè una, atque altera complet materiam, quia æquè una, atque altera conſtituit cum illa unum compoſitum ſubſtantiale, licet non æquale compoſitum, & hæc inæqualitas ſe habet materialiter reſpectu materiæ, ergo.

131. Ad *primam* confirmationem reſpondeo appetitum innatum, qui metaphoricè tantùm, eſt *appetitus*, aſſimilari in aliquibus; ſed non in omnibus appetitui elicito, qui ſolus ſimpliciter eſt appetitus: nimirum in vi, ac energia trahendi terminum; aſt appetitus elicitus extendi ſolet ad multa non neceſſaria ad ſimpliciter eſſe; cum appetitus innatus hoc eſt naturalis phyſica connexio, ad id ſolum extendatur, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſimpliciter eſſe, quoad naturales proprietates. Atqui, ut materia ſimpliciter compleatur, ſufficit quælibet forma ſubſtantialis, quia, ut dixi, ex qualibet unita materiæ coaleſcit unum per ſe, ſive compoſitum ſubſtantiale. Ergo. Et quidem ſatis abſonum eſt

Digitized by Google

eſt materiam innatè appetere unionem potius cum anima Sanctiſſima, quam cum alia, quaſi materia non eſſet æquè felix, ac beata felicitate, ac beatitudine ſibi propriis, ideſt, exiſtendi in actu phyſico completo ſub anima rationali peſſima, & æternum arſura, atque cum illa beatiſſima. Sed hoc eſt unum è corollariis, univocandi appetitum innatum cum elicito, hoc eſt locutiones metaphoricas cum caſtigatis. Ad *ſecundam* cæteris conceſſis, nego conſequentiam. Diſparitas eſt. Forma præſertim vivens, & inter has præſertim rationalis, non ſolum connectitur ſuapte natura cum compoſito ſubſtantiali, quod ſimul cum materia conſtituit; verum etiam cum propriis, & ſpecificis operationibus, & perfectionibus habendis aliquando ſaltem, licet non in ſingulis momentis. Sed hæ connectuntur cum certis quibuſdam diſpoſitionibus, & organizationibus materiæ. Ergò connectitur phyſicè ſaltem mediatè cum eis diſpoſitionibus. Cæterum materia ſpecificativè ſumpta non connectitur cum ulla ſpeciali operatione propria, vel aliena unquam elicienda, quia non eſt principium activum, ſed merè paſſivum ſpecificarum operationum compoſiti, ut pote naſcentium phyſicè ex ſola forma. Ergo eſt diſparitas.

132. Ad *tertiam*: eſt quoque diſparitas. Res aliæ diſtinctæ à materia obnoxiæ ſolent eſſe aggreſſioni contrariorum agentium. Item ſolent eſſe ex ſua natura operativæ; atqui ad reſiſtendum, & operandum conducit valdè habere partes unitas, quia virtus unita fortior eſt diſperſa, ut in Prodromo explico. Ergo mirum non eſt illas melius ſe habere quando habent partes magis firmas, & unitas. Cæterum materia cum ſit incorruptibilis, à nulla cauſa ſecunda ſibi timet: & cum ſit principium merè paſſivum nullas habet operationes ſpeciales. Ergo non eſt cur melius ſit ei habere partes unitas, quam diſperſas. Et aliàs cum magis unitæ ſint partes materiæ in ferro, quam in homine, magis appeteret materia formam ferri, quàm hominis. Ad *quartam*. Reſpondeo ibi confundi materiam ſpecificativè, cum materia reduplicativè ut diſpoſita ad perfectiorem formam. Æquale complementum adductum fuit ad probandum materiam ſpecificativè ſumptam non connecti determinatè cum forma perfectiore; iſtic autem objicitur materia reduplicativè, ut diſpoſita. Præterea, quod ultima diſpoſitio ad formam perfectiorem connectatur cum hac, ſecus materia: non probat illam diſpoſitionem eſſe perfectiorem. Nam quamvis trahere ſecum majorem perfectionem, & non eſſe quavis vulgari contentum, ſit ex genere ſuo, atque cæteris paribus major perfectio; non tamen ſemper abſolutè, ac quando cætera ſunt impatia; alias ipſa materia prima, ut pote incorruptibilis, perfectior eſſet homine, qui corruptibilis eſt; quando quidem etiam incorruptibilitas immunitaſque ab aggreſſione cujuslibet cauſæ creatæ, eſt ex genere ſuo major perfectio. Oportet namque omnia, & ſingula unius, nec non omnia, & ſingula alterius inſpicere, quando confertur unum cum alio. At quamvis iſta ultima diſpoſitio habeat connexionem cum forma perfectiori, ſecus materia prima, quæ vulgari qualibet formâ eſt contenta; nihilominus cætera non ſunt paria,

paria, quoniam iſta diſpoſitio eſt accidens, materia verò eſt ſubſtantia: iſta diſpoſitio non eſt apta nata ad ſuſtentandum, ac recipiendum quancumque formam ſubſtantialem materialem (imò neque unam ſaltem) materia verò quancumque ſuſtentare poteſt. Ergo quamvis &c.

§. VIII.

133. Dico 4. Prædictus appetitus, hoc eſt naturalis connexio materiæ, extenditur æquè ad omnes formas ſubſtantiales, ſive materiales, ſive ſpirituales, non quidem diſtributivè, aut collectivè, aut determinativè; ſed disjunctivè, ac vage. Et in hac disjunctione habent locum, etiam formæ, jam corruptæ, ut corruptæ. Prima pars deſcendit ex prioribus. Nam materia ſuapte natura connectitur cum forma, ut dictum à num. 114. Sed non cum unà potius, quàm cum alia, ut dictum num. 129. Ergo æquè cum omnibus. Et quanquam magis perfici videatur per formas materiales, ut pote materiæ magis ſimiles, & quaſi conſanguineas, & ſupra quas exercet quaſi majorem authoritatem, ſiquidem eſt ſubjectum paſſivum ipſarum; nihilo tamen minus id materialiter ſe habet: quoniam æquè perficitur per formam rationalem immaterialem: quandoquidem æquè cum illa, ac cum aliis conſtituit compoſitum ſubſtantiale, in quo ſtat tota perfectio, quam materia accipit à forma. Ad omnes itaque æquè ſe extendit connexio, ſive appetitus innatus materiæ. Aſt non ad omnes *diſtributivè*, ut patet: quia cum ſit impoſſibile habere ſeorſim, ac ſucceſſivè omnes formas, quippe quæ infinitæ ſunt poſſibiles, appeteret innatè rem impoſſibilem. Neque ad omnes *collectivè*, quia cum multæ, aut pleræque ſint invicem inconjungibiles naturaliter in eadem materia, v. g. forma hominis, & forma leonis, appeteret rem impoſſibilem ſaltem naturaliter. Ergo hæc eſſet, & ſimul non eſſet naturaliter impoſſibilis, ut pote debita connexioni naturali materiæ primæ. Neque ad omnes determinatè, ſed confuſè. Ideſt, ſuapte natura connectitur cum hoc *habere per unionem formam aliquam ſubſtantialem* quæcumque illa ſit. Sicut ignis A, v. g. connectitur cum hoc *habere intenſum calorem*, ſive ſit calor A, ſive B; quorum individuorum determinatio pendet ex ſolo Deo. Unde connexio materiæ cum aliqua forma non ſtat in eo, quod aliqua determinata forma ſit terminus hujus connexionis, ſicut veritas hæc: *Aliquis homo currit*, poſcit, quod aliquis determinatè currat, atque idcircò hæc ſuppoſitio dici ſolet *determinata*; Sed ſtat in eo, quod materia per ſe repugnet privationi omnium formarum. Unde connexio hæc eſt cum omnibus formis *confuſè*, ſicut connexio equitationis cum equo, & navigationis cum navi. Objici poſſunt ſophiſmata, quorum ſemper eſt ferax ſuppoſitio confuſa, maxime quando univocatur cum disjunctiva ſtrictè tali. Vide quæ ſcripſi in logica parva diſp. 2. à num. 61. & ex ea doctrina elicies quomodo ſit confuſa,

quo-

quomodo determinata connexio materiæ cum forma.

134. Contra ſecundam partem, ſcilicet materiam etiam connecti cum formis corruptis, ut corruptis: connecti, inquam, vagè, & confusè, ſicut cum cæteris, non autem abſolutè, ac determinatè. Contra id, inquam, multa ſolent moveri, & meritò ob non bonas aliquorum explicationes. Reducamus mente omnes formas poſſibiles ad duas, A, jam corruptam, & B, nondum productam. Non dico materiam appetere abſolutè, ac determinatè formam A, *ut corruptam* (quia ſic nec formam non corruptam appetit) corruptione ſe hibente, ut circumſtantia objectiva, quaſi appetitus ille foret ſic explicabilis. *Detur mihi forma A, quamvis corrupta jam ſit*; quia id eſt connecti abſolutè, ac determinatè cum reproductione illius. Sed corruptione ſe habente, ut circumſtantia ſubjectiva, quatenus in ſenſu compoſito corruptionis materia connectitur cum eo, quod ſibi detur aut forma A, aut forma B, nam per quamlibet æquè complebitur ſubſtantialiter. Hæc autem diverſitas ſatis explicatur paritate libertatis indifferentiæ, quæ profecto in ſenſu compoſito ſilentii, v. g. eſt libertas ad loquendum; tametſi neque ſit, neque eſſe poſſit libertas *ad loquendum in ſenſu compoſito ſilentii*. Explicata appellationum diverſitate, quæ toties diſputationes conturbat ſcholaſticas, probatur illa ſecunda pars concluſionis. Quoties perſeverat materia, perſeverant omnia, quæ identificantur cum illa realiter, adæquatè. At corrupta forma A, atque in ſenſu compoſito hujus corruptionis, perſeverat materia. Ergo corrupta forma A, atque in ſenſu compoſito ejus corruptionis, perſeverant omnia, quæ identificantur cum materia prima. At connexio terminativè vaga, ſeu appetitus innatus vagans inter omnes formas, & conſequenter inter formam A, & B, identificatur cum materia prima; quoniam hæc per ſuammet naturam connectitur cum aliqua forma ſubſtantiali intrinſecè poſſibili, quæcumque illa ſit, nam quæcumque, & quomodocumque uniatur materiæ, ſive per miraculum, ſive citra miraculum; hanc complet, perficit, conſtituitque in actu completo. Ergo cum per corruptionem formæ A, non mutetur materia prima, ideò nec mutatur connexio hujus, ſive innatus appetitus, ſed idem eſt, qui erat prius. Ergo ſicut prius erat reſpectu etiam illius formæ, vagus utique, ac indeterminatus, ita poſt illius corruptionē.

135. Neque urget, quod terminus ipſius appetitus mutetur. Tum quia hic appetitus innatus non regitur cognitione, ſicut elicitus, & conſequenter non eſt variabilis ſicut hic. Ergo ſi ante mutationem iſtam termini appetitus, materia appetebat formam A, appetitu vago, poſt mutationem etiam appetit illam eodem modo, quia materia neſcit mutationem, quæ contigit; & non debemus fingere in materia cognitiones noſtras, & mutationes, quas nos experiri ſolemus ob mutationes caſuum, & circumſtantiarum quas nos cognoſcimus; tum quia ſubſiſtit eadem ratio; quoties perſeverat materia, perſeverant omnia, quæ realiter adæquatè identificantur cum illa. At poſt iſtam mutationem termini, ideſt poſt corruptionem formæ A, perſeverat materia. Ergo perſeverant illa omnia. Ergo adhuc poſt iſtam corruptionem,

atque in ſenſu compoſito illius , materia appetit formam A , & connectitur cum illa , eo & non alio modo , quo prius connectebatur . Et hoc ſolum intendo , nempe naturales rerum connexiones non pati mutationes illas , quas patiuntur noſtri appetitus eliciti , quia hi , ut pote gubernati cognitionibus , feruntur modo , & poſtea non feruntur in ſua objecta ob mutationem , quæ advertitur in hoc . Item feruntur in objectum *pro uno caſu* , & circumſtantiis ; & non *pro alio* , *& aliis* , quia ſubjectum appetens elicitè , diſcernit ſaltem materialiter ſicut bruta , inter caſum , & caſum , inter circumſtantias , & circumſtantias . Cæterum appetitus innati naturaleſque connexiones non diſcernunt ſignatè inter caſum , & caſum (quamvis diſcernant exercitè , eo quia connectuntur cum uno , & non cum alio , ut ignis connectitur cum calore , & non cum frigore) Sed nos diſcernendi aſſueti , apprehendere ſolemus naturales connexiones , quæ non ſunt completæ , ac abſolutæ per ſpeciem rerum diſcernentium inter caſum , & caſum , inter circumſtantias , & circumſtantias, ſicut apprehendimus Angelos per ſpeciem Juvenum . Et cum ex alia parte ſolemne ſit loqui , prout apprehendimus , hac de cauſa invaluit phraſis illa etiam quando loquimur de re , quæ neque eſt cognoſcitiva , neque exercitium rei cognoſcitivæ . *Connectitur res naturalis cum A , v. g. pro tali caſu* ; ſed non *pro alio* .

156. Caſtigatus autem ſenſus poteſt eſſe unus de duobus . 1. Rem illam per ſe ſpecificè non connecti cum A ; Complexum tamen ex illa re , & illo caſu , aut circumſtantiis connecti cum A , & hic ſolet eſſe verus . Secundus eſſe poteſt . Rem illam , quando coexiſtit unis circumſtantiis eſſe connexam naturaliter cum A ; ſecus quando coexiſtit aliis circumſtantiis ; & hic ſenſus ſemper eſt falſus , quia naturalis connexio non eſt ſicut index ventorum , qui mutatur his mutatis ; ſed prorſus intima per identitatem rei connexæ , ut dixi in Prodromo diſp. 5. Ergo omnis caſus poſſibilis , in quo exiſtat res illa , eſt caſus in quo habet connexionem naturalem , quam ſemel habuit ; quamobrem vox illa , materia connectitur cum forma pro caſu , quo non ſit naturaliter impoſſibilis , ſecus pro caſu , quo ſit naturaliter impoſſibilis , qualis eſt caſus , in quo jam fuerit corrupta . Hæc, inquam, propoſitio in ſenſu , quem præſefert , ſupponit falſum, ſi innuit appetitum materiæ diſcernere ſignatè inter caſum , & caſum . Si ſolam innuat diſcretionem exercitam , eſt purè falſa in utroque ſenſu , quia tam complexum ex materia , & poſſibilitate naturali formæ , quam complexum ex eadem materia , & naturali impoſſibilitate formæ connectitur cum forma A , connexione utique toties dicta , nimirum objectivè vagante inter omnes formas ; non verò terminativè determinata , & abſoluta reſpectu ullius. In utroque namque complexo imbibitur materia , cui intima eſt illa connexio . Rurſus materia , tam quando coexiſtit naturali impoſſibilitati formæ A , quàm quando coexiſtit naturali poſſibilitati , appetit illam vagè , ſeu connectitur cum illa ſicut prius . Eodem modo explico cæteras omnes connexiones naturales , ſive purè phyſicas , ſive metaphyſicas , nec non utraſvis oppoſitiones , quæ verbis conditionalibus pro-

proponi ſolent; v.g. ignis connectitur cum combuſtione *pro caſu quo ſit applicatus poſſo capaci*; ſecus *pro caſu contrario*. Scientia media connectitur metaphyſicè cum converſione Tyri, & Sydonis *pro caſu quo vidiſſent miracula Chriſti*; ſecus pro alio caſu; quapropter ſi ad has recurras connexiones, aut oppoſitiones, quæ dicantur conditionatæ, jam dixi ſenſum, in quo ſunt veræ, & ſenſum, in quo ſunt falſæ.

137. Probarur 2. concluſio ratione negativa. Eatenus materia non appeteret etiam formas corruptas, ut corruptas (in ſenſu tamen dato num. 135.) quatenus nil entitativè naturale poteſt naturaliter connecti cum eo, quod eſt naturaliter impoſſibile. Rehabere autem materiam formas jam corruptas eſt naturaliter impoſſibile, eò quia reſurrectio mortuorum, ut reſurrectio, ideſt, ex hypotheſi, quod corruptio, & mors præceſſerit, ſit penitus miraculoſa. Sed hæc ratio non eſt firma. 1. Quia licet repugnet ſupernaturalitati terminare abſolutam, ac determinatam connexionem naturæ, quia hoc foret eſſe illi debitum; Verumtamen non repugnat, quod res naturaliter impoſſibilis, ſive ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, vel quoad modum, terminet connexionem (& quidem prorſus inviolabilem) naturæ, quæ connexio ſit vaga, & indeterminata inter ſupernaturale, ac naturale; omnis namque anima, v. g. eſt metaphyſicè connexa cum eo, quod ipſa habeat, vel non habeat gratiam ſanctificantem, unionem hypoſtaticam, & ſimilia; quorum primum eſt intrinſecè ſupernaturale, ſecundum verò naturale. Si ergo natura poteſt connecti metaphyſicè, ſed vagè, ac disjunctivè cum re ſupernaturali connexione vagante inter duo contradictoria: nempe, quia rem ſupernaturalem eſſe terminum hujus vagæ connexionis, non eſt eſſe verè, & ſimpliciter debitam naturæ: cur non poteſt connecti merè phyſicè (ſed vagè tantum, ac disjunctivè) cum re, quoad modum tantum impoſſibili naturaliter, connexione vagante inter illam rem, & aliam naturaliter ei debitam? Sic omne corpus exiſtens eſt connexum cum ſua præſentia circumſcriptiva, vel definitiva, quarum illa eſt naturalis, hæc ſupernaturalis. Sic omne accidens eſt connexum cum ſuo modo inhæſionis in ſubjecto, vel perſeitatis, quorum ille eſt naturalis, hic naturaliter impoſſibilis.

138. Hoc in præſenti. Non dixi materiam connecti *abſolutè*, atque *determinatè* cum formis corruptis, ut corruptis, ſiquidem hoc modo, nequè cum non corruptis connectitur; ſed connecti vagè, & apetere innatè aliquam formam ſubſtantialem, quæcumque illa ſit, & quandocumque producatur, ſive per ſimplicem productionem, ſive per miraculoſam reproductionem, ſive per creationem, ſive per eductionem, quia quolibet horum modorum habeat formam, habebit illam, & ſubſtantialiter complebitur. Diſtinguenda igitur eſt major illa diſcurſus contrarij; & concedenda de connexione terminativè abſoluta, & determinata; neganda verò de connexione terminativè vaga, & indeterminata. Præterea neque explorata eſt minor argumenti contrarii, videlicet reproductionem formæ jam corruptæ (aliud eſt de reſurrectione hominis ſtante in reunione animæ illius individuæ ad idem corpus) eſſe natura-

turaliter impoſſibilem, ex ſe, ac per ſe. Non enim eſt impoſſibilis opinio P. Hurtado, & Oviedo cenſentis illam ſolum eſſe impoſſibilem per accidens, & ſuppoſita extrinſeca lege Dei nolentis concurrere cum agente creato ad ſecundam illius individuæ formæ productionem: illa namque forma, tam non erat in rebus, & tam nihil erat ante primam ſuam productionem, quam non eſt, & quàm nil eſt poſt ſui corruptionem. Sicut ergo agens creatum antequam illa produceretur fruitum eſt virtute adæquata ad illam producendam, & illam de facto produxit, quia Deus illam in individuo determinavit, potens utique determinare aliam, unde fit, quod prima illius productio ſit entitativè, ac quoad ſubſtantiam naturaliter poſſibilis. Ita agens creatum poſt illius formæ deſtructionem frui poteſt virtute adæquata ad illam producendam, ſicut fruitur ad producendum aliam ejuſdem penitus ſpeciei, & illam produceret, ſi Deus, qui aliam determinat in individuo, illam determinaret, ut poteſt. Non autem determinat illam, quæ fuit corrupta, ut perpetuo ſervetur generationum ſucceſſio, & locum habeant in mundo alia etiam individua, ne ſemper, ac perpetuò potiantur mundo individua eadem, & ille numquam liberetur ab eiſdem incolis.

Hurtado diſp. 2. phyſic. ſect. 3. n. 38. Oviedo cõtrover. 12. phyſic. puncto 5.

§. IX.

139. Dico 5. Prædicta connexio, ſivè appetitus innatus materiæ erga formas, non habet analogiam cum appetitu elicito amoris ſtricti, neque cum gaudio; ſed cum deſiderio, ſeu volitione. Jam adverti ſupra, connexionem phyſicam, ac naturalem eſſe metaphoricè duntaxat, & ob quamdam ſimilitudinem, appetitum, & exigentiam, quæ ſolis ſubjectis cognoſcitivis poteſt ſtrictè convenire. Atque idcircò connexionem illam vocari appetitum, ſive exigentiam *innatam*, qua voce abigi poterat æquivocatio. Dico ergo analogiam non eſſe cum appetitu elicito, qui ſit amor ſtrictus, nec cum appetitu elicito, qui ſit gaudium, ſed cum illo, qui eſt volitio, ſive deſiderium. Ad cujus intelligentiam memineris. Sicut intellectus duobus ſolis modis poteſt exerceri circa ſuum objectum: uno affirmativo, & altero negativo, quorum utervis ſubdividitur in tres alios nimirum apprehenſionem, judicium, & diſcurſum. Ita appetitus elicitivus, nimirum potentia illa, ex qua dimanat appetitus ipſe elicitus, ſive ſit purè rationalis, ut in Angelis, animabuſque ſeparatis, ſive ſit purè materialis, ut in brutis, ſive utерlibet, ut in homine, duobus ſolis modis genericis exerceri poteſt. Unus vocatur *Proſecutivus*, ad quem rediguntur omnes puri amores, ideſt meræ complacentiæ, & delectationes de objecto, ſive ſint ſimplices approbationes, ſive inſuper ſint illius objecti appretiationes ſupra aliud, aut alia, ſive intenſæ, ſive remiſſæ, ſive efficaces, ſive inefficaces. Item volitiones, quæ ſi tendant in objectum arduum, ſed poſſibile practicè, vocantur *ſpes*; in objectum facile, vel arduum,

duum; ſed præſcindendo ab arduitate dicuntur mera *deſideria*, unde fit quod ſpes, ac deſiderium ſimplex ſoleant eſſe res diſtinctæ. Item gaudia, quæ ſunt quædam delectatio, & quaſi congratulatio de re habita, vel valdè probabiliter, aut certò etiam habenda. Alter vocatur *averſivus*, ſeu *fugitivus* ad quem rediguntur omnia odia, diſplicentiæ, deteſtationes, ex quibus naſcitur dolor, ſi objectum extiterit, aut timor, ſi objectum immineat. Item omnes nolitiones. Item mæſtitiæ, atque animi dejectiones, ſi objectum illud præſupponatur exiſtens, aut certò, vel ſaltem probabilitate longè majore exiturum.

140. Eſt tamen diſcrimen inter actus illos proſecutivos (& idem proportione ſervata inter fugitivos) quod ſicut ſimplex apprehenſio præſcindit ab eo, quod exiſtat, vel non exiſtat ſuum objectum, quatenus etiamſi interdum ſit ſuaſiva, illud tamen, nec affirmat nec negat. Ita amor ſtrictus, ac purus præſcindit ex ſuo modo tendendi ab exiſtentia, ut tali, ſui objecti. Et hinc apparet appetitum innatum materiæ erga formas non habere analogiam cum amore ſtricto: quoniam appetitus ille non præſcindit ab exiſtentia illarum, ſed eſt phyſica naturalis connexio cum eo, quod aliqua illarum ſit in materia ipſa. Rurſus ſicut diſcurſus præſupponit præmiſſas, ita gaudium præſupponit, ut præſens, vel præteritum, vel futurum objectum, quia de unoquoque horum trium poſſumus, ac ſolemus gaudere. Et hinc etiam apparet appetitum materiæ non aſſimilari gaudio; quoniam nil impotens præſupponere ante ſe formam, poteſt eſſe gaudium illius, adhuc per analogiam juſtam cum gaudio elicito, ſeu verè tali. At appetitus materiæ, utpote innatus, & cum ipſa prorſus identificatus, eſt impotens præſupponere ante ſe formam, aut præſentem, aut præteritam, aut futuram, ſiquidem nulla ex his eſt cauſa illius appetitus, quinimò hic eſt, aut fuit, aut erit cauſa moralis ſaltem illarum. Ergo appetitus materiæ non aſſimilatur appetitui elicito gaudii. Demum ſicut judicium eſt intentionalis adſtructio objecti, aut deſtructio, quatenus eſt illius affirmatio, aut negatio. Ita volitio, ac deſiderium eſt affectiva adſtructio objecti, quatenus eſt conatus, & quaſi via, atque tendentia in ipſius exiſtentiam. Ergo ſpectat ad genus aliquod cauſarum illius objecti, ſaltem ad genus cauſæ moralis; atque ob hanc rationem tametſi dari poſſit prudens amor ſtrictus, nec non gaudium, de objecto ſimpliciter neceſſario quandoquidem hos duos actus exercemus erga perfectiones neceſſarias Dei; non tamen volitio, aut deſiderium, quia ſtultitia eſt conari in exiſtentiam illius, quod prænoſcitur exiſtens ſemper, ac neceſſariò, ſicut eſſet ſtoliditas velle, ac deſiderare, quod homo eſſet animal rationale.

141. Atque ob hanc etiam cauſam appetitus innatus materiæ aſſimilatur appetitui deſiderii; quoniam ſicut hoc eſt motus, & procuratio ſui termini aptumque natum ad movendum potentiam executricem, ut illam exequatur, & ſic eſt cauſa moralis illius. Ita naturalis connexio materiæ cum unione ad formam, tanquam cum effectu ſuo (ſi quidem unio illa etiamſi ſit animæ rationalis, recipitur in materia, tanquam in

in cauſa materiali) eſt motus, & procuratio habendi aliquam formam, aptaque nata, ut moveat cauſam primam univerſalem ad ponendum in materia aliquam formam, ſicut naturalis connexio ignis cum calore eſt apta ad movendum Deum, ut in ipſo conſervet calorem. Ergo utraque connexio eſt cauſa moralis ſaltem ſui termini, & inſuper eſt cauſa phyſica, ratione identitatis, quam una habet cum igne, qui eſt cauſa efficiens illius caloris, & quam habet altera cum materia prima, quæ eſt cauſa paſſiva formæ, aut ſaltem unionis cum forma. Neque obſtat connexionem illam materiæ, ſeu appetitum formæ coexiſtere cum hac. Videtur autem ſuperfluum appetere, ſeu deſiderare id, quod præſens eſt, quia de ratione deſiderii eſt. 1. Quod præcedat rei deſideratæ, ut pote cauſa ipſius. 2. Quod feratur in rem abſentem poſitivè, ſicut de ratione gaudii eſt, quod feratur in rem, ut poſitivè præſentem ſaltem intentionaliter. Non enim abs jure ſcripſit Apoſtolus. *Quod videt quis quid ſperat. Si autem quod non videmus ſperamus &c.* Non ergo poteſt dari ſpes, aut deſiderium, aut volitio rei præſentis. Atqui ſemper eſt materiæ præſens aliqua forma. Ergo nunquam habet appetitum illius, qui aſſimilari poſſit deſiderio. Hæc, inquam, non obſunt.

Roman. 8.

142. Non primum; quia ſæpè monui prioritatem naturæ, ac cauſalitatis, quæ vulgò dicitur *prioritas à quo*, poſſe ſubſiſtere prioritate temporis, quæ vocatur *prioritas in quo*. Sic in eodem momento, in quo peccator perfectè conteritur, adipiſcitur à Deo gratiam, tanquam effectum, non prorſus improprium illius contritionis; ſi enim moreretur in inſtanti immediatè ſubſequente, certè non damnaretur. In eodem inſtanti, in quo homo ſanctus elicit meritum condignum, obtinet augumentum Gratiæ, ut præmium ſtrictum, & conſequenter, ut effectum illius meriti. In eodem inſtanti, in quo graviter peccat homo, incurrit privationem gratiæ habitualis, odiumque divinum, tanquam effecta, vel quaſi effecta illius peccati. In eodem inſtanti, in quo Sol incœpit eſſe, fulgere incœpit. Æternus Pater, tametſi juxta latinam phraſim non ſit cauſa Filii, ut eſt juxta Græcam; attamen eſt principium phyſicè producens Filium, eſtque prior origine reſpectu illius, ſicut Spirator reſpectu Spiritûs Sancti. Et tamen nuſquam fuit, aut eſſe potuit Pater, abſque Filio, ſicut nec Pater, & Filius qui Spirator dicuntur, abſque Spiritu Sancto. Oportet ergo expungere, ut toties monui, vulgarem illam apprehenſionem: quod cauſa, ſeu principium debeat eſſe ſaltem per aliquod inſtans ante effectum. Et illud *ante*: *prius*, & ſimilia, quæ cauſis appingimus reſpectu ſuorum effectuum, intelligere de anterioritate ſola naturæ, ſeu cauſalitatis, non verò durationis, temporis, ſeu exiſtentiæ. Ergo ſtat deſiderium appetitum, ſeu connexionem coexiſtere formæ, & tamen eſſe cauſam moralem illius.

143. Non ſecundum; quia aliud eſt objectum eſſe abſens *poſitivè*, ideſt, non exiſtere ſimpliciter, quando exiſtit deſiderium. Aliud eſſe abſens *negativè*, ideſt, non exiſtere pro priori ad ipſum deſiderium. Illud primum non eſt de ratione deſiderii, quoniam in eodem inſtanti, in quo homo ſanctus deſiderat ex motivo ſupernaturali creſcere in ſanctitate

ctitate, creſcit, atque obtinet à Deo novos aliquos gradus ſanctitatis in præmium illius deſiderii, quippe quod eſt meritum condignum illorum. Adducere autem paritatem gaudii, quod ex ſuo conceptu fertur in rem, ut poſitivè præſentem, eſt arguere ex definitione unarum rerum ad definitionem aliarum, quæ argumentatio non valet, v. g. Homo ex ſuo conceptu eſt animal rationale. Ergo etiam canis. Cedo diſparitatem. Secundum eſt, quod eſt de ratione deſiderii, nimirum quod non præſupponat rem deſideratam. Et hoc ſignificat Apoſtolus, nam *quod videt quis quid ſperat*, ideſt, illius quod prævidetur, nequit dari ſpes prudens. Atqui appetitus materiæ non præſupponit formam: Ergo poteſt habere analogiam cum deſiderio illius. Neque eſt res futilis, ac aerea, ut aliqui putant eſſe, vel non eſſe in diverſis ſignis res, quæ ſunt phyſicè in eodem inſtanti reali. Nam quotquot modo ſumus in mundo, ſumus in eodem inſtanti reali. Et tamen, quia ſumus in diverſis ſignis, unæ entitates ſunt cauſæ talium, & non talium aliarum. Eſſe autem, aut non eſſe cauſam non eſt quid frivolum. In eodem inſtanti, in quo quis operatur liberè, datur neceſſitas, ut liberè operetur. Sed quia hæc neceſſitas, non eſt in ſigno priori ad eam operationem, ſed eſt ipſa operatio, ideò hæc eſt paſſivè libera. In eodem inſtanti, in quo ponis actionem, poteſt occurrere motivum honeſtum, & motivum turpe. Et tamen ſi non ponis illam *propter illud* motivum, non contrahes honeſtatem: ſi non contra, & non obſtante altero, non contrahes malitiam. In eodem inſtanti, in quo quis facit aliquid, poteſt actione ipſa excitari memoria prohibitionis actionis illius. Sed quia hæc memoria non fuit in ſigno priore ad eam actionem, ſed in poſteriore, ideò individua illa actio in eo individuo inſtanti non eſt peccatum, quamvis poſtea ſit peccatum, ſi non obſtante memoria prohibitionis, proſequaris. Non ergo eſt res merè ſpeculativa, & quaſi aerea, diverſitas illa ſignorum *pro priori, pro poſteriori*, etiam quando loquimur de rebus exiſtentibus in eodem inſtanti reali.

144. Demum. Quæres duo. Unum eſt. *An materia ſit potentia immediatè receptiva formarum*, ita ut identificetur realiter cum hac potentia. An potius hæc ſit materiæ ſuperaddita? Egi de hac re in Prodromo diſp. 4. inter explicandum identitatem animæ cum ſuis potentiis, & ſubſtantiæ cum virtute productiva alius ſubſtantiæ. Alterum eſt. *quanam ſit cauſalitas materiæ reſpectu formarum, & reſpectu totius*? Reſpondeo cauſalitatem reſpectu hujus eſſe phyſicam ſubſtantialem unionem cum forma; quoniam materia, & forma non aliter cauſant totum ſubſtantiale, niſi quatenus actu ipſum intrinſecè conſtituunt, tanquam prima principia intrinſeca illius. Ergo exercitium, quo abſolutè, formaliter, atque immediatè conſtituunt totum ſubſtantiale, eſt cauſalitas, ſive exercitium, quo abſolutè, ac immediatè cauſant illud. Sed dicta unio eſt exercitium, quo actu abſolutè, ac immediatè, conſtituunt totum ſubſtantiale: quia ſicut tota artificialia conſtituuntur actuali contiguitate, vel actuali continuatione ſuarum partium, ita totum ſubſtantiale actuali unione ſubſtantiali ſuorum conſtitutivorum. Ergo.

Cauſa-

Digitized by Google

Cauſalitas autem materiæ reſpectu formæ rationalis nulla eſt, quia licet illa ſit cauſa materialis diſpoſitionum ad hanc, non tamen eſt cauſa hujus, anima quippe noſtra eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Cauſalitas verò reſpectu aliarum formarum eſt earundem actio productiva (quæ, utpote accidens, diſtinguitur à ſubſtantiali unione formæ cum materia) quoniam materia eatenus cauſat formam ignis, v. g. quatenus patitur, recipit, & ſuſtentat ipſam. Ergo id quo ſuſtentat ipſam, eſt cauſalitas materiæ reſpectu illius formæ. Sed productio, hoc eſt, actio eductiva formæ, eſt id quo materia patitur, & ſuſtentat formam: quia ut poſtea dicam, eductio, & paſſio ſunt idem realiter, quidquid ſit de diverſitate formali, & quoad noſtros conceptus. Ergo.

CAPUT QUINTUM.

De Forma Subſtantiali.

145. HOC eſt alterum è primis principiis entis naturalis, quæ ſupra dixi: & cujus exiſtentiam in rebus ſatis rationabiliter oſtendunt, quæ protuli num. *63.* & quæ fuſius expono Diſp. 1. de Anima cap. 8. contra quemdam Gallegum Pereyra profeſſione Medicum (quem Gallegum multi exteri ſecuti ſunt, negantes Animas brutorum) & cujus explicationem dedit Ariſtoteles, inquiens, lib. 2. de Anima cap. 1. *Eſt autem materia quadam potentia. Forma verò actus, atque perfectio materiæ.* Et cujus eminentiam ſupra materiam aſſerit lib. 2. Phyſicorum cap. 1. Et cujus præcipuas partes in compoſitione entis naturalis non ſemel innuit vocans illam lib. 12. Metaphyſic. cap. 2. *hoc aliquid*; & lib. 7. *quod quid eſt rei*. Hoc eſt, illam vocat quidditatem, & eſſentiam entis, ſive compoſiti ſubſtantialis. Non quia in illa ſola ſtet adæquatè tota eſſentia phyſica entis naturalis, quandoquidem conſtituitur hoc etiam per materiam. Sed quia cum materia ex ſe ſit indifferens ad componendum hominem, vel aliud quippiam (hæc enim individua materia qua hic, & nunc conſtas, ſub quot, & quam etheregoneis formis fuit ab initio mundi? Quam multa, & etherogenea entia naturalia conſtituit?) ex illa ſola indagare nequimus quidditatem, eſſentiam, ſpeciem phyſicam compoſiti ſubſtantialis: ſicut neque ex ſolo prædicato generico poſſumus noſcere eſſentiam metaphyſicam; indagamus tamen, atque deprehendimus eſſentiam, & quidditatem *phyſicam* ex forma ſubſtantiali, quam, ut radicem ſuam, indicant nobis proprietates, & accidentia ſpecialia, quæ videmus in compoſito; ſicut *metaphyſicam* ex differentia propriiſſima. Et hac de cauſa non impropriè dicitur indefinitè forma ſubſtantialis eſſe *quidditas compoſiti*, nempe quoad noſtrum uſum in diſputationibus. Et cum non liceat in omnibus modis loquendi formare

mare

Digitized by Google

mare paritatem ex unis ad alios, ideò quamvis aliquando forma phyſica dicatur quidditas, & eſſentia phyſica compoſiti, uſus non eſt dicendi differentiam metaphyſicam prædicari de multis, tanquam totam eſſentiam metaphyſicam illorum: quia hoc reſervatur ſpeciei. Tene rem cum paucioribus, & loquere cum pluribus. Recole, quæ hac ſuper re ſcripſi in Prodromo diſp. 4. num. 192.

146. Igitur forma ſubſtantialis definitur. *Entitas ſubſtantialis incompleta*. (Huc uſque convenit cum materia prima, atque de illius appetitu, ſive naturali connexione cum illa poſſunt excitari eædem quæſtiones, quæ de appetitu illius, ſive connexione cum hac, & eodem modo ſolvendæ. Excepto quod appetitus formæ circa materiam non aſſimilatur deſiderio, ſed gaudio, quia forma ſupponit materiam. Et excepto etiam, quod anima rationalis violenter quidem; aſt ſine miraculo poteſt ſeparari ab omni materia) *quæ ex natura ſua eſt determinata ad componendum intrinſecè compoſitum ſubſtantiale unius potius ſpeciei, quàm alius, tanquam prima radix, & origo proprietatum, ſive accidentium illius ſpeciei*. Hinc 1. Habes diſtinctionem formæ à materia. 2. Non impugnatur hæc definitio, ex eo, quod forma etiam indifferens ſit ad componendum ens naturale cum hac, vel illa materia; tua enim individua anima potuit uniri materiæ meæ, & tunc reſultaret alius homo diſtinctus inadæquatè à nobis; cum enim omnes hæ materiæ ſint ejuſdem ſpeciei phyſicè, quia rationabile fundamentum ad oppoſitum non occurrit, inde eſt, quod ens naturale non variabitur ſpecie, ſed tantum numero, eò quòd forma conſtituat illud cum materia A, aut cum B, aut cum C. 3. Tametſi materia, reduplicativè ut diſpoſita ad formam rationalem, v. g. ſpecie diſtinguatur à ſe ipſa, reduplicativè ut organizata ad formam equinam; verumtamen forma non conſtituit compoſitum cum materia *reduplicativè ut organizata*, quia ſic includit organizationem, quæ ſtat pro formali in tali, & tali figura, atque diſtantia partium, & conſequenter in talibus, & talibus præſentiis, & conſequenter in talibus, & talibus accidentibus. At forma non conſtituit compoſitum ſubſtantiale cum accidentibus, quia hoc compoſitum non claudit intra ſuam phyſicam eſſentiam accidens ullum. Ergo neque cum materia, ut ſic, & ſic diſpoſita, & organizata. Connectitur itaque forma phyſicè cum eo, quod materia habeat eas diſpoſitiones organicas; at cum ea ſola & ſpecificativè ſumpta conſtituit compoſitum ſubſtantiale. Indifferentia verò, quam habet forma, ut uniatur, aut materiæ non diſpoſitæ, aut materiæ alius poſſibilis ſpeciei (puta materiam ſpiritualem) non eſt naturalis, ſed obedientia is, ſicut indifferentia quam habet ignis, ut miraculosè privetur omni calore. Omnes namque formæ hactenus notæ, ex ſe, atque ſuapte natura connectuntur cum materia corporea, quæ omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, & cum talibus, & talibus præviis diſpoſitionibus.

147. Hinc 4. Forma dicitur radix, & origo omnium proprietatum, ſive accidentium propriorum illius ſpeciei (non verò omnium prorſus, quæ ſunt in eo compoſito, v. g. motus extrinſeci, præſentiæ &c.) Sed

æquivocè. Unæ quippe præcedunt ipſi formæ, diſponentes nimirum, atque præparantes materiam ad formæ introductionem, ut organizatio in homine ſaltem imperfecta, propter infra dicenda. Alteræ ſubſequuntur, ut calor in igne, tales, & tales inclinationes, quas diverſas experimur in diverſis compoſitis ſubſtantialibus. Utrarumque radix, & origo eſt forma; phyſica quidem, & efficiens *harum*: nam qui dat formam, eatenus dicitur dare conſequentiam ad formam, quatenus dat virtutem phyſicè productivam horum conſequentium, & cum ipſis connexam, nimirum formam ipſam, ut in Prodromo explicui. *Illarum* verò eſt origo, & radix minus propriè. Nempe quatenus forma ſuaptè natura nequit introduci in materiam carentem illis diſpoſitionibus, v. g. forma ignis ſuapte natura nequit poni in ſubjecto habente frigus. Cum ergo forma non antecedat, ſed ſubſequatur has diſpoſitiones, idcircò non eſt, ſi caſtigatè loquamur, origo, ſeu radix illarum. Sed duntaxat quatenus ſuaptè natura prærequirit illas determinatè in ſpecie. Adverte tamen. In multis ſpeciebus experimur una accidentia, proprietates, & operationes, quæ *omnibus* individuis illius ſpeciei conveniunt ſemper. Alia quæ *aliquibus* tantum, ſed ſemper illis conveniunt. V. g. homo qui ſemel eſt niger, ſemper eſt niger, & equus qui ſemel varius, ſemper varius eſt colore. Forma ſubſtantialis eſt radix illorum primorum; quoniam aſſignare oportet ſtabile, ac univerſale principium illorum ſtabilium, & univerſalium effectuum. Sed tale principium non eſt materia ſola, quia hæc eſt indifferens: non combinatio athomorum ob ſupradicta. Ergo forma ſubſtantialis. Aliorum verò effectuum ſemper comitantium talia, aut talia ſola individua illius ejuſdem ſpeciei, radix ineſſe ſolet materiæ primigeniæ acquiſitæ ex Parentibus per generationem, vel alicui alii incidenti ſupervenienti illis, & non aliis individuis. Hinc 5. Quamvis data definitio conveniat omni formæ ſubſtantiali ſecundo-intentionaliter ſumptæ, ideſt, ut confuſæ ſub hoc amplo generico conceptu. *Forma ſubſtantialis*; non tamen eſt adæquata definitio ſpecifica infima omnis formæ primò intentionaliter ſumptæ, v. g. formæ hominis, formæ ignis, formæ leonis &c. quoniam unaquæque ex his habet ſuam propriam ſpecificam infimam definitionem, quæ repugnat alii, & unaquæque diſtinguitur ſpecie infima, aut etiam ſubalterna ab aliis. Unde ſolum habebitur formas ſubſtantiales ſecundò intentionaliter ſumptas non diſtingui ſpecie; ſecus primò intentionaliter, quia ad hoc erat neceſſarium, quod tota ſpecifica infima definitio unius conveniret alii, ut dixi in logica majore diſp. 2. cap. de ſpecie. Ergo ex eo, quod omnes illas definierim unica definitione generica, non ſequitur illas non diſtingui ſpecie phyſica. Ergo non ſequitur, quod non habeant ſingulæ ex ſua natura componere intrinſecè compoſitum ſubſtantiale unius potius ſpeciei, quàm alius, ut dicit definitio. Ergo hæc non deſtruit exercitè, quod ſignatè adſtruit. 6. Tametſi omnis anima ſit forma ſubſtantialis; non tamen è converſo; quia hæc vox *anima* ſtat communiter pro ſolis formis viventibus, &

non.

Digitized by Google

non omnis forma eſt vivens. Ergo forma ſubſtantialis latius patet quam anima. Ergo aliqua poſſunt convenire uni, quæ repugnant alteri.

§. II.

148. HIs poſitis duæ primariæ ſuper forma excitantur quæſtiones. Prima. *An de facto dentur plures formæ ſubſtantiales in eadem materia*. Et cum hæc non ſit phyſicè indiviſibilis, quæritur an in ſingulis punctis materiæ dentur de facto multæ formæ ſubſtantiales, ſicut dari ſolent multæ accidentales. Juxta ea quæ ſcripſi diſp. 3. & 4. philoſophię naturalis, nullum forſan eſt elementum purum in tota mundana fabrica, excepta aqua, quam Deus conſervat ſupra Cœlum ſtellatum. Terram quippe ſatis mixtam experimur humiditate, ſine qua in minutiſſimum pulverem redigeretur, nec non vaporibus aſcendentibus ſine intermiſſione ex ſubterraneis ignibus, & halitibus vagantibus per ſuperficiem terræ. Aqua hæc, quam potamus, referta eſt qualitatibus, & corpuſculis, ſeu athomis, quas rapit ex terra, & aere, quæ lambit jugiter. Aer hic quem reſpiramus, eſt atmoſphæra circumdans globum terraqueum, plena halitibus, vaporibus, & exhalatiunculis vibratis ex inferioribus fornacibus ſparſis per tota viſcera hujus globi. Superior ille, qui ob ſuam majorem puritatem, vocatur æther, forſan etiam eſt repletus totus vaporibus, fumis, & exhalationibus tum Planetarum, tum Stellarum fixarum; nam utroſque hos globos mittere ex ſe ejuſmodi partus, haud incongruè ſuadetur cometis interdum viſis ſupra Lunam, & inter ipſos altiores Planetas, nec non novis ſtellis, quæ aliquando apparuerunt inter fixas ipſas, harum motus, diſtantias, & reliqua phænomena juſtè imitantes. Unde ſicut terraqueus globus continuè emittit vapores, qui vocantur nubes, & nonnunquam in tanta copia, ut fiant denſiſſimæ magnæque nubes, & multum durantes. Ita eſt valdè probabile, omnia corpora cœleſtia, & errantia, & inerrantia emitterere, ob continuam ſuam agitationem, magnam vaporum copiam complentem æthereas illas regiones, & quandoque in tanta copia, ut addenſati, atque agglomerati, luceque Solis, aut aliorum aſtrorum perfuſi, ſpectabiles fiant nobis jam ſub hac, jam ſub illa figura accidentali (ut contingit etiam nubibus) & ſic formantur cometæ illi, qui aliquando viſi ſunt altiores Sole, imò & Saturno ipſo, imò & inter fixas ipſas, qui cometæ ob ſummam diſtantiam à nobis, non oſtendebant ſuos angulos, atque inæqualitates: atque idcircò apparebant rotundi, ac inſtar ſtellarum. Demum neque ignem eſſe purum conſtare videtur ex fumis, maculis, umbris, & caligine, quæ ineſſe ſolent Soli, interdum in majore, interdum in minore copia. Videtur ergo ſatis prababile, ſolas aquas ſupercœleſtes eſſe puras, quia contra ipſarum ſimplicitatem, atque puritatem non habemus ullam rationem, aut experientiam, ex eis, quæ ſæculorum

decurſu detectæ ſunt contra puritatem elementorum aliorum. Si autem elementa ipſa, quibus fruimur, pura, & ſimplicia non ſunt: multò
1. ad Cor. 3. minus mixta. Sicut enim in re graviore *uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*, juxta Paulum; ita in rebus naturalibus, ignis Alambici probat, & patefacit quale ſit unumquodque ex mixtis, & quàm etherogeneis rebus componantur res illæ, quæ ad ſenſum apparebant prorſus homogeneæ. Negandum igitur eſt ſuppoſitum argumentis contrariis loquentibus *de totis homogeneis*. Non enim dantur ſub Luna hæc tota, ut probat ignis alambici, nec non artes aliæ inventæ ad extricandum, & eviſcerandum res, quæ videbantur homogeneæ, quæ tamen igne probatæ oſtendunt, quod intus habebant.

149. Dico ergo. Sicubi elementum ſit omninò purum, in ea materia, non eſt niſi unica forma ſubſtantialis; quia ex una parte hæc ſufficit ad ſatisfaciendum naturali connexioni materiæ, cum ſufficiat ad ipſam complendam, ad faciendumque ens naturale integrum, & perfectum, quoad eſſentialia. Et ex alia parte, nulla ex rationibus mox dandis urget, ut in elemento puro dentur plures formæ. Cæterum ſi de mixtis loquamur, probabile valde eſt, ibi dari multas formas ſubſtantiales. Et multo probabilius, ſi loquamur de animalibus. Veroſimilius ergo eſt dari formas ſubſtantiales partiales, & ſubordinatas aliis primariis; ſubordinatas, inquam, non in ordine ad hoc, ut unaquæque componat ſuum ſpecificum compoſitum ſubſtantiale, quod eſt pars integralis compoſiti mixti; nam ſive perſeveret, ſive abeat forma animalis, v. g. poſſunt perſeverare, & ſolent hæc compoſita ſubſtantialia *caro, os, cartilago, nervus &c.* ſed in ordine ad componendum mixtum animale illud: componendum autem, non quoad eſſentialia, quaſi animal eſſentialiter phyſicè conſtet multis formis ſubſtantialibus; ſed quoad integralia, quatenus homo, cujus tota eſſentia phyſica ſalvari poteſt in complexo ex anima rationali, & unico puncto materiæ unitis, poſcit ad ſui integritatem, atque ad functiones proprias obeundas, multas partes materiæ, quarum unaquæque informetur ſua forma ſubſtantiali oſſis, carnis &c. diſtincta ab anima: ſicut poſcit multas partes quarum ſingulæ fruantur diverſo temperamento accidentium. Complexum autem ex omnibus perficitur, & quaſi reflexè informatur anima rationali unita phiſicè omnibus eis partibus, ſeu membris (nempe quibus uniri aliundè certo conſtet) & formis partialibus, atque ſubordinatis, vi quarum reſpectivè unum membrum eſt caro, aliud eſt os, aliud eſt nervus, aliud eſt cartilago &c. Unde 1. Sicut non omnia hæc, v. g. caro, oſſa, ſunt de eſſentia phyſica animalis; ſed de integritate ſolum, tametſi eis phyſicè uniatur anima: ita nec illæ partiales formæ, quanquam eis uniatur phyſicè forma animalis. Unde 2. Sicut domus, v. g. eſt complexum quoddam, dicens pro materiali multa entia naturalia, nempe lapides, trabes, ferra, calcem, lateres, aquam &c. & pro formali, talem figuram, hoc eſt, talem diſtantiam, & indiſtantiam harum rerum inter ſe, & hac de cauſa eſt res artificialis. Ita mixta, ſed præcipuè animalia, ſunt comple-

plexa dicentia quaſi pro materiali (ſed integraliter duntaxat) multa entia naturalia, nempe carnem, v. g. oſſa, nervos, arterias &c. & pro formali formam ipſam viventem omnia hæc perficientem, ac determinantem, ut integrent ens naturale, quod vocatur vivens: Et hac de cauſa eſt totum, ſeu res ſubſtantialis. Unde 3. Sicut ex eo, quod ſubſiſtentia, quam plerique adverſarii putant, eſſe formam poſitivam ſubſtantialem, uniatur formæ viventis, quam reddit ſubſiſtentem, non ſequitur quod ex utraque reſultet unum per ſe, quia hæc vox ſtat pro complexo reſultante ex materia, & forma. Forma autem viventis non eſt materia reſpectu ſubſiſtentiæ, licet ad ipſam eſſet indifferens, quia non omnis indifferentia eſt ſtrictè materia prima, ſed ad ſummum *quaſi materia*. Ita in caſu noſtro. Unde 4. Forma corporeitatis in hoc ſenſu admittenda videtur, ſecus in alio. Et conſequenter dicendum in homine, v. g. eſſe multas formas ſubſtantiales (non tamen animas) non tanquam conſtitutiva phyſica, ſed tanquam partes integrantes illius. En ſententiam totam unitam. Agamus per partes.

150. Et in primis, quod mixta non ſint purè homogenea; ſed quod omnia componantur integraliter ex multis partibus materiæ, quarum ſingulis inſit diſtincta forma ſubſtantialis, nolo probare ex celebri illa apud multos Medicos propoſitione, nimirum *elementa manere formaliter in mixto*, quæ mihi ſi prorſus ſit univerſalis, non probatur, & per otium refutatur ab Oviedo; ſed ex quotidiana alambici chimici experientia, quia *uniuſcujuſque naturam qualis ſit ignis probabit*, per reſolutionem nimirum: ideſt ſeparationem unarum partium ab alteris, quæ diviſio fit quatenus ignis ille conſumit gluten, ſive viſcoſum ſuccum, quo partes mixti invicem conglutinabantur, & ſic apparet, quod unaquæque erat. Igitur quando lignum comburitur, quando herbæ, quando metalla, & multò magis, quando aliquod vivens ſubjicitur fornaci alambici, experimur fumum, liquorem, ſpiritum, ſalem, & alia evadere ex eis corporibus. Unumquodque horum eſt ſane aliquod ens naturale cum ſua forma ſubſtantiali. Siquidem unumquodque exiſtere poteſt per ſe ſeparatum ab aliis, nec non à mixto illo, quod igne reſolvitur. Et recurſus ad aſſuetum aſylum formæ cadavericæ non habet hic locum. Tum quia multa ex his poſſunt evadere ex illo corpore antequam moriatur. Tum quia videtur frivolum dicere illos fumos, vapores, liquores eſſe cadavera. Rogo nunc. Hæ formæ producuntur de novo? Vel erant prius in illo mixto, quod igne reſolvitur? Si primum (ut de formis elementorum apparentibus, quando reſolvuntur per alambicum herbæ, ac ſimilia, dicit Oviedo) videbitur dictum ad tuendum poſitum; maximè ſi loquamur de viventibus, de quibus mox. Quænam enim eſt cauſa productiva de repente tot ac tam diverſarum formarum? Non ambigo de ſubitaneo concurſu cauſæ Primæ, quando deeſt cauſa ſecunda proportionata, ut tunc deeſt, quandoquidem ignis, qui ſolus tunc operatur non probatur eſſe cauſa phyſica effectiva humiditatis, ſalis, ſpiritus, olei, cineris &c. Aſt cauſa prima ſolum operatur ſola hos, & ſimiles effectus, quando in materia adſunt

Oviedo controv. 8. de Gener. puncto 4. n. 14.

Oviedo ubi nuper.

ſunt omnes præquiſitæ conditiones naturaliter connexæ cum effectibus. Et de his diſpoſitionibus quæro idem; quænam eſt cauſa phyſicè productiva derepente omnium illarum, cum tot ſint, ac tam diſpares? Rationabilius ergo dicendum videtur cuncta illa entia naturalia cunctaſque eas formas, quæ activitate ignis invicem diſſolvuntur, & apparere incipiunt, fuiſſe prius in illo mixto, ſingulas in ſingulis, cum proportione partibus materiæ. At in ſingulis partibus materiæ mixti erat etiam forma principalis mixti illius; quia non poteſt dici in mixto eo fuiſſe unas partes informatas his formis, quæ apparere incipiunt, & alias informatas per ſolam formam mixti. Nam quid ſit de illis partibus materiæ, quas ſola forma mixti informatas dicis? quo abeunt? annihilantur? quam novam formam à nulla cauſa ſecunda productam induunt?

151. Ergo veroſimilius eſt, ſingulas partes illius mixti habuiſſe duas formas, aut duas particulas formæ ſubſtantialis: unam viſcoſi cujuſdam ſucci, v. g. neceſſariam ad conſiſtentiam, integritatemque illius mixti: alteram propriam, & ſpecificam ipſius mixti. Neque dici poteſt, hanc eſſe diviſibilem, & abeuntibus unis ſuis partibus reſtare alias in eis entibus naturalibus, quæ ſeparantur activitate ignis, & has conſtituere illum fumum, illum liquorem, illud oleum, illum ſpiritum, illum ſalem &c. Etenim hæc invicem diſtinguuntur ſpecie, nam alias quo argumento probabis, arborem, aquam, & flatum diſtingui ſpecie? Ergo non eſt una eademque in ſpecie ſubſtantialis forma, quæ illa omninò conſtituit. Præterea. Eſto eſſe lignum ens illud naturale, quod reſolvitur. Mirum profectò eſt, quod ille fumus qui evadit, verè quoad ſubſtantiam ſit lignum, ille cinis qui reſtat, verè ſit lignum. Credibilius ergo eſt illa omnia, in quæ reſolvitur mixtum, habere ſuas formas ſubſtantiales diverſas; coagulari tamen in unam quaſi maſſam, quæ, non verò pura, nuda, & ſicca materia, eſt ſubjectum connaturale formæ ligni: & ex hac ſubſtantiali forma unita illi maſſæ, ſive congeriei non ſolarum partium materiæ (quia hæc per ſe præcisè nullam habet ex iſtis formis, aut accidentibus) ſed formarum etiam, reſultare hoc compoſitum ſubſtantiale *lignum*: ſicut ex accidentali forma ædificii, & ex congerie multorum entium naturalium, puta terram, lateres, lapides, ligna, ferra, calcem, aquam, reſultat hoc accidentale compoſitum *Domus*. Et ſicut ex ſanguine equino, & aſinino coeuntibus in unam maſſam, atque ex ſubſtantiali forma muli maſſæ illi unita, reſultat hoc unum ſubſtantiale *Mulus*, quod reſpectu uniuſcujuſque parentis, eſt quidem per accidens; reſpectu verò philoſophiæ, eſt unum per ſe, quandoquidem conſtat materia, & forma ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis.

Sed

§. III.

152. SEd in viventibus ſenſitivis res videtur clarior. Mortuo animali reſtant caro, oſſa, nervi, ſpinæ, viſcera, cartilagines, abdomina, membranæ, & hujuſmodi multa ſuppellex partium illarum, quibus unita erat anima illius animalis, & hac de cauſa non memoro ſanguinem, ungues, aut capillos, quia cum hæc videantur creſcere non per intus ſumptionem, inſtar viventium; ſed per juxta poſitionem, ideò non videntur informari forma animalis. Certè illa omnia ſunt compoſita ſubſtantialia, ſunt entia naturalia, ſunt una per ſe: quoniam nec ſunt materia prima ſola, nec materia cum ſolis accidentibus, ſiquidem materia non poteſt per ullum agens naturale, ſublunare ſaltem, orbari omni forma ſubſtantiali. Ergo illa omnia habent ſuam formam ſubſtantialem. Sed non unam eandemque in ſpecie, quia tam certum videtur carnem, oſſa, nervos, abdomen, cartilagines, atque membranas diſtingui ſpecie phyſica, licet inadæquatè inter ſe, quàm terram, aurum, frumentum; Et ſolum ex contentione id negari poſſe videtur. (Unde refutatur, quod in eis omnibus non ſit, niſi una forma cadaverica) Et quod ordinentur ad componendum idem totum, non obſtat: nam etiam corpus & anima componunt idem totum; & tamen diſtinguuntur inter ſe ſpecie phyſica inadæquata, imò, & genere. Ergo omnia illa habent diverſas formas ſubſtantiales. Atqui illa omnia cum illis eiſdem formis (de cadavericis mox agam) erant prius unita animæ animalis illius (v. g. hominis, cujus anima non poteſt dici diviſibilis, ita ut unis partibus ſeparatis à corpore, reſtent aliæ informandi ergo illam materiam, quæ perſeverat in carne, in oſſibus &c.) nunquam enim audio aſſignari cauſam ſufficientem ad producendum derepente tot, ac tam diverſas formas, ergo prius erant in homine unæ portiones materiæ, quæ habebant formam ſubſtantialem viſcerum, & etiam humanam, & aliæ quæ habebant formam ſubſtantialem oſſis, & etiam humanam; & aliæ quæ habebant formam ſubſtantialem nervi, & etiam humanam. Ergo prius erant in homine portiones materię informatę duplici forma ſubſtantiali, quarum una eſt *ſubordinata*, quatenus primariâ naturaliter indiget ad ſuas functiones materia informata per alteram ſubſtantialem formam, v. g. oſſis, carnis &c. ſicut vos dicitis illam egere materia cum talibus, & talibus accidentibus, ac diſpoſitio nibus. Item informatæ duplici forma *partiali*, non utiq; partialitate in ordine ad eſſentiam phyſicam, quia jam dixi num. 149. hanc ſalvari unica forma ſubſtantiali; ſed partialitate in ordine ad integritatem. Et rurſus non in ordine ad integritatem cujuſvis entis naturalis, quia jam dixi in materia elementorum, ubi pura fuerint, unicam eſſe formam ſubſtantialem; ſed in ordine ad integritatem mixtorum duntaxat, & præcipuè animalium. Quocirca hujuſmodi formæ partiales ſubordi-

tatæ

natæ ſunt utiles imò & neceſſariæ. 1. Ut ſalvetur illa multitudo entium naturalium, quæ experimur in reliquiis viventium poſt horum mortem: cum nulla proportionata ſit cauſa, quæ in ipſo momento mortis tot, & tam varias producat formas in eo cadavere, & nequeat dici in ea carne, oſſibus, nervis, membranis, cartilaginibuſque non eſſe aliam formam, niſi unam ſpecificam cadavericam. 2. Ut forma viventis operetur, quia multas operationes non potes elicere, niſi in materia, quæ ſit carnea, alias niſi in materia, quæ ſit oſſea &c. eſſe autem carnem aut os, neque eſt ens accidentale, neque conſtituitur per formam viventis, ſiquidem hac deficiente perſeverant illa. 3. Ut in materia carnis, v. g. ſint accidentia illius propria, v. g. mollities, humiditas &c. & in materia oſſis ſit durities &c.

153. Reſpondebis in ea carne, oſſibus, abdomine, nervis membranis &c. produci de novo formam cadavericam unam in ſpecie, per illam eandem cauſam, quæ ſeparat formam viventium. Sed hoc non eſt univerſale. Si enim omnis forma immediatè ſuccedens formæ viventis, eſſet cadaverica, forma ſalis in quam fuit converſa Uxor Lot de repente, fuiſſet etiam forma cadaverica: & forma lapidis, & arboris, ſi Deus, ut potuit, feciſſet hiſtoriam fabulas illas Daphniticas, & Niobiticas. Præterea iſtam formam cadavericam jam refutavi nuper, quando dixi, oſſa, carnem, nervos, & telas non minus diſtingui ſpecie phyſicâ, quàm terram, aquam, frumentum, & ſimilia. Nam quo efficaci argumento probabis, hæc tria diſtingui ſpecie, ſi illa altera non diſtinguuntur. Ergo illa habent formas ſpecie diſtinctas. Ergo non informantur unâ ſpecificâ formâ cadavericâ. Sed neque multis ſpecie diſtinctis. Redit namque idem argumentum. Nempe. Unde probatur, reſtim, qua ſuſpenditur latro, aut ſpirituum interceptionem, habere virtutem ad producendum derepente tot formas cadavericas ſpecie diſtinctas, quot ſunt partes dicta hominis illius. Ergo dicere quamlibet cauſam occidentem hominem, tot inducere formas cadavericas ſpecie diſtinctas in corpus illud, quot ſunt membra illius hominis, videtur mera contentio, & ſine fundamento urgente dictum. Præterea difficile creditu eſt, quod hæc entia naturalia. *Caro animalis, quod moritur, oſſa, viſcera, abdomen &c.* derepente evadant ſpecie phyſicâ diſtincta ab his entibus naturalibus, *ejuſdem individui animalis, quod vivum, erat caro, oſſa &c.* At illa entia naturalia eſſent ſpecie phyſicâ diſtincta ab his, ſi illa intrinſecè, & eſſentialiter conſtituerentur per formam ſpecie diſtinctam (qualis eſt cadaverica) à forma per quam conſtituuntur hæc: Entia namque naturalia intrinſecè conſtituta per formas ſpecie diſtinctas, ſpecie diſtinguntur. Ergo illa prima conſtituuntur per eaſdem reſpectivè formas per quas hæc ſecunda. Ergo caro & oſſa animalis, quod moritur, & animalis quod vivum erat, conſtituuntur in eſſe talium entium naturalium (ſæpè dixi illa non eſſe puram, & ſolam materiam primam cum accidentibus) per formam ſubſtantialem, quæ dicitur carnis, & per formam, quæ dicitur oſſis. Sed in carne, & oſſibus animalis vivi eſt etiam ſubſtantialis forma vivens;

ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem caro ſentit, & oſſa, atque nervi nutriuntur, & creſcunt per intus ſumptionem, & non per meram juxta poſitionem, ut aqua vaſis. Ergo in eis ſunt duæ formæ ſubſtantiales. Denique ſicut hi DD. fugientes à multiplicitate formarum impingunt in formam cadavericam nunquam ſatis explicatam, ita illi fugientes à cadaverica malunt admittere formã carnis, formam oſſis, & formas ſimiles, cum experiantur in mortuo hæc entia naturalia, & non appareat cauſa de repente producens omnia illa.

154. Hinc verum eſt, quod in Petro, v. g. datur compoſitum aliquod humanum non diſtinctum adæquatè à carne, & aliud non diſtinctum adæquatè ab oſſe &c. Nam cum illa individua materia, quæ informatur per formam carnis, v. g. informetur quoque per animam rationalem, dantur ibi duo compoſita ſubſtantialia: unum coalitum ex ea materia, & forma carnis (non quæcunque, ſed carnis humanæ, ideſt illius, quam rationalis anima prærequirit; unde carnes viventium ſpecie phyſica diſtinguuntur) Et hoc compoſitum eſt caro humana ſpecie diſtincta ab equina, v. g. Item aliud coalitum ex illa eadem materia, & forma rationali, quæ illi eidem unitur, & hoc compoſitum eſt, quoad eſſentialia humanum; atqui hæc duo compoſita, quippe quæ conſtant eadem penitus materia, non diſtinguuntur adæquatè, quamvis diſtinguantur ſpecificè ob ſpecificam diſtinctionem formarum, ob quam etiam nequit unum prædicari de altero. Ergo in Petro datur compoſitum aliquod verè humanum, quoad eſſentialia non diſtinctum adæquatè à carne, aliud non diſtinctum adæquatè ab oſſe, ob eandem rationem ſimiliter formandam. Sicut adverſarii ipſi fatentes animam rationalem uniri phyſicè manui dextræ, & etiam ſiniſtræ, & etiam pedibus &c fateri debent dari in Petro unum compoſitum verè, quoad eſſentialia, non diſtinctum adęquatè à materia prima manus ſiniſtræ: & aliud non diſtinctum adęquatè à materia prima manus dextrę &c. Cęterum, ſicut ex hoc eodem exemplo non ſequitur eſſentiam Phyſicam Petri conſtitui abſolutè, & ſimpliciter per materiam manus dextrę, aut per ſiniſtrę, nam utralibet reſciſſa, & per Deum annihilata reſtaret idem individuus homo. Ita neque ſequitur illum conſtitui abſolutè, ac ſimpliciter per *carnem*, per *oſſa &c.* Nempe, quia ut poſtea dicam, eſſentia phyſica individua hujus individui hominis, eâ ſolâ individuâ materiâ conſtat, cui primitus fuit unita illa individua anima, quæ materia vocari ſolet *minimum naturale*, *materia primigenia*, quia eſt illa, quam contingenter ſui parentes communicarunt ei per generationem, concreta ſcilicet maſſa ex paterno, & materno ſanguine: Sicut de eſſentia phyſica Adami fuit illa ſola individui materia, quæ prius erat contingenter ſub forma limi, cui primitus univit Deus illam individuam animam: & de eſſentia phyſica Evæ illa individua materia, quæ olim erat contingenter coſta Adæ, cuique Deus primitus univit illam individuam animam. At quamvis Deus annihilaret individuam materiam manus dextræ, item quamvis omninò deſtrueret tale, aut tale os, poterat perſeverare individua illa materia primigenia. Ergo poterat perſeverare eſſentia phyſica hujus individui

R homi-

hominis. Ergo quamvis hujus anima phyſicè uniatur illis omnibus, non ſequitur illa omnia eſſe de eſſentia phyſica ipſius.

155. Rurſus ſicut ex illo eodem exemplo non ſequitur, dari in Petro multa compoſita humana, v. g. unum ex materia manus dextræ, & anima rationali, item aliud ex materia manus ſiniſtræ, & anima rationali, item aliud ex materia pedis dextri, & anima rationali &c. adæquatè diſtincta, quandoquidem anima eſt eadem ubiliber; ſed ſolum inadæquatè ratione materiarum, quæ ſunt diſtinctę: & quidem non ita ut ex illis omnibus reſultet eſſentialiter Petrus, ſed tantùm integraliter integritate appellante ſupra ſolas materias: quod tandem reducitur ad id, quod materiæ manus, pedum, capitis &c. ſint partes integrantes Petri. Ita in noſtro caſu. Compoſitum humanum ex materia cum forma carnis, & anima rationali: item ex materia cum forma oſſis, & anima rationali, non ſunt humana compoſita adęquatè diſtincta, quoniam utrobique anima rationalis eſt eadem; ſed ſolum inadęquatè, ratione illorum entium (totalium in ſe ipſis, ſed partialium reſpectu hominis) *caro, oſſa*: & non ita inadæquatè, ut ex illis componatur eſſentialiter Petrus; ſed tantum integraliter integritate appellante ſupra illa ſola partialia compoſita. *Caro. Oſſa &c.* quod tandem reducitur ad id, quod hæc entia naturalia, ſeu compoſita ſubſtantialia ſint partes integrales Petri. Et ſic ſolvitur argumentum, quod contra Mercado objicit Oviedo. Quod ſi forma viventis fuerit diviſibilis, ut forma viperæ, v. g. tunc dantur ibi multa compoſita ſubſtantialia adæquatè diſtincta (partes namque, in quas ſcinditur illud animal, non ſunt materia ſine ulla forma ſubſtantialia) ſed quæ ſunt inadæquata, & partes integrantes reſpectu illius animalis, cujus tota eſſentia phyſica ſalvatur in complexo ex materiæ puncto, & ex parte illa animæ, quæ informat caput, aut cor.

Oviedo cõtrov. 8. de Gener pũc. 4. n. 11.

§. IV.

156. Explicatur hæc doctrina. Poſito quod in vivente dentur formæ ſubſtantiales carnis, oſſium, nervorum diſtinctæ à præcipua forma vitæ, ſicut juxta Adverſarios dantur ſpecialia accidentia, ſpecialiaque eorumdem temperamenta: inprimis ſimplicius, & facilius explicatur frequens experientia, nimirum, quod abſciſſa manus viventis, abſciſſum brachium, ſit idem quoad eſſentiam phyſicam, quod nuper annexum erat reliquo corpori: ſimplicius inquam, quam dicendo illud ens naturale (quia illa portio materiæ primæ non eſt orba forma ſubſtantiali) componi ex forma cadaverica, vel alia: quoniam ſic illud ens naturale *Manus abſciſſa. Brachium abſciſſum* eſſet ſpecie diſtinctum à priore, ut pote eſſentialiter conſtitutum per formam ſpecie diſtinctam. Deinde nil emergit convincens oppoſitum. Probatur ſolvendo rationes ſex contrarias. Objicit Oviedo. Forma animalis ſufficit

ficit ad actuandam materiam, conſtituendumque compoſitum ſubſtantiale, ergo ſuperfluunt illæ aliæ formæ carnis, oſſis &c. Confirmatur 1. Forma animalis ſupponit illas alias formas partiales (in ſenſu dicto) in materia. Ergo ſupponit illam ſubſtantialiter actuatam, & completam. Ergo cum hac non conſtituit unum per ſe, ſed unum per accidens. Probatur conſequentia; quod advenit toti jam conſtituto, ſeu materiæ jam actuatæ, non poteſt cum materia conſtituere unum per ſe: quia forma conſtituens cum materia unum per ſe, illam actuat, & totum illud ſubſtantiale conſtituit, & conſequenter non poteſt ei advenire, aut illud præſupponere. 2. Et eſt ratio à priori, cui inſiſtit hic Author. Forma ſubſtantialis debet eſſe actus primus ſubjecti, & id à quo primò dimanant operationes. Ergo forma illa, quæ ſupponit alium actum primum in ſubjecto, non poteſt eſſe ſubſtantialis. Ergo ſi forma animalis ſupponit in ſubjecto formam carnis, formam oſſium &c. forma animalis non erit ſubſtantialis, neque primus actus, ſed ſecundus, ac proinde accidentalis. Deinde neque eſt prima radix proprietatum animalis, nam cum præſupponat illas alias, quæ cum ipſa connectuntur, nempe formas carnis, oſſium &c. non ipſa, ſed illæ alteræ ſunt prima radix earum proprietatum, & forma ipſa animalis eſſet radicata, non verò radix. 3. Repugnat ſubſtantiam eſſe diſpoſitionem ad formam ſubſtantialem: quia diſpoſitio eſt propter illud, ad quod eſt diſpoſitio, & non propter ſe ipſam; de conceptu autem ſubſtantiæ eſt intendi propter ſe ipſam, & non propter aliud. At formæ illæ ſubordinatæ reſpectu formæ animalis, eo ipſo quod ſubordinatæ ſint, ſunt diſpoſitiones ad hanc. Ergo eo ipſo non ſunt formæ ſubſtantiales. 4. Illæ formæ ſubordinatæ relinquerent materiam ulterius actuandam per formam animalis. Sed eo ipſo, quod illæ ſint ſubſtantiales, debent actuare materiam, & non relinquere illam ulterius actuandam. Ergo vel non ſunt ſubſtanriales, vel partes illæ materiæ non actuantur forma animalis. 5. Nullum totum adæquatum, ordinatur ſuapte natura ad componendum aliud torum cum alia forma ſuperaddita; eſt namque contra rationem *adæquati*, *Pleni*, totalis, & perfecti, ordinari ex ſua natura ad componendum aliud, quia aliàs jam non eſſet adæquatum, & plenum. At totum reſultans ex materia, & forma, quam dicimus carnis, aut oſſis, eſt totum quoddam adæquatum, & completum ſubſtantialiter, exiſtenſque multoties per nos abſque forma animalis. Ergo illud non poteſt ordinari ſuapte natura ad componendum aliud totum, nempe animal, neque poteſt eſſe in potentia ad hoc; alias ultimus actus naturæ eſſet in potentia ad ulteriorem actum naturæ.

Idem controv. 3. phyſic punc. 2. num. 21.

157. Cum plerique ex Adverſariis doceant ſubſiſtentiam eſſe formam ſubſtantialem poſitivam ſupervenientem naturæ completæ, atque reſultanti ex materia, & forma ſubſtantiali, reſpondere renentur omnibus his rationibus intendentibus unum actum, ſeu formam ſubſtantialem non poſſe præſupponere alium actum ſubſtantialem, & hunc non poſſe procedere, & quaſi diſponere ad illum; quidquid enim ſit de vocabulo, forma ſubſtantialis humana, v.g. eſt quoad realitatem ſubor-

 dinata

dinata juxta illam ſententiam formæ ſubſtantiali ſubſiſtendi, per quam ultimò completur, ac perficitur natura juxta illos. Idem dico de forma ſubſtantiali embrionis, quam hi DD. ſolent admittere, quæque eſt quaſi prævia diſpoſitio ad formam animalis; tametſi huic non coexiſtat. Igitur diſtinguo antecedens objectionis. Sufficit ad actuandum actuatione viventis ſenſibilis, conſtituendumque compoſitum ſubſtantiale, quod ſit vivens ſenſibile in actu primo, concedo (ſicut iſta ſubſiſtentia ſufficit ad actuandum actuatione ſuppoſiti ad conſtituendumque compoſitum, quod ſit ſuppoſitum) ſufficit ad actuandum actuatione carnis, oſſis, cartilaginis, membranæ, viſcerum &c. nego; quia cum iſta omnia perſeverent poſt diſceſſum formæ animalis: & non ſemper ſit cauſa de repente productiva harum omnium formarum, v. g. quando homo moritur ſuſpendio: & iſtæ omnes formæ diſtinguantur ſpecie phyſica: & non niſi ad libitum dici poſſit, omnem formam ſuccedentem formæ viventi eſſe formam cadavericam, alias forma ſalis, in quam converſa eſt illa fœmina, & forma ignis, aut cinerum, aut lapidis, in quas de repente converti poteſt forma animalis, eſſent formæ cadavericæ. Cum hæc, inquam, ita ſint, ſequitur illa omnia cum ſuis formis ſubſtantialibus præceſſiſſe ſub forma animalis. Atqui natura nil fruſtra operatur. Ergo hæ omnes formæ erant neceſſariæ ad integritatem animalis, quando aderat forma animalis. Ergo quamquam hæc ſufficiat ad conſtituendum quoad eſſentialia compoſitum ſubſtantiale *Animal*, non ſufficit ad conſtituendum compoſitum ſubſtantiale *caro, oſſa &c.* Ad primam confirmationem diſtinguo conſequens: ſupponit actuatam, & completam actuatione, & completione carnis, oſſiſque, permitto: actuatione, completione viventis ſenſibilis, nego primam, & etiam ſecundam conſequentiam; quoniam ſubſiſtentia creata, quæ ſit forma ſubſtantialis poſitiva, ſupponit quoque materiam actuatam, & completam forma viventis, v. g. quia ſupponit naturam integram, & completam; & nihilominus cum ea natura conſtituit unum per ſe, nimirum *ſuppoſitum.* Si malueris, diſtinguo ſecundum illud conſequens: quod advenit toti jam conſtituto, ſeu materiæ jam actuatæ non poteſt cum materia conſtituere unum per ſe, quod ſit *ejuſdem rationis* cum priore, concedo (& hoc probat iſta ratio) quod ſit *diverſæ rationis*, nego: ut probat exemplum ſubſiſtentiæ, quæ ſit forma poſitiva. Et hoc in præſenti, quoniam hoc ens naturale *vivens ſenſibile* diſtinguitur valde ab hoc. *Caro*, & ab hoc. *Os &c.* licet hæc ſint partes integrantes illius.

Geneſ. 19.

158. Antecedens ſecundæ confirmationis eſt verum, quoad utramque illam propoſitionem de ſubjecto in ordine ad illud compoſitum ſubſtantiale, quod cum ipſo componit forma, non autem in ordine ad illud, quod cum ipſo non componit forma. At forma animalis, tametſi præſupponat formam carnis, formam oſſis &c. veruntamen non componit cum ſubjecto, ideſt cum materia prima, hæc compoſita *caro, oſſa*; ſed hoc ſolum *Animal*; & inſuper reſpectu hujus non præſupponit ullum alium actum primum conſtitutivum eſſentialiter, tametſi

ſuppo-

ſupponat alium actum primum integrantem, ſicut ſupponit per Adverſarios actus non paucos accidentales. Ergo forma animalis retinet rationem formæ, atque actus primi radicantis proprietates illius compoſiti, quod conſtituit; tametſi præſupponat quaſi materialiter, & integraliter actum alium primum. Et conſtat exemplo dato ſubſiſtentiæ creatæ, quæ ſit forma poſitiva ſubſtantialis, nam licet præſupponat formam humanam, v. g. eſt actus primus ſubſtantialis reſpectu *ſuppoſiti*, quamvis non reſpectu *naturæ*, quia non præſupponit formam humanam, ut immediatè conſtitutivam ſuppoſiti, ſed mediatè dumtaxat, & remotè, quatenus eſt conſtitutiva naturæ humanæ, quæ natura conſtituit humanum ſuppoſitum. Ob eandem rationem forma animalis eſt prima radix proprietatum animalis, quatenus licet præſupponat formam carnis, ſicut adverſarius dicit præſupponere accidentia præparantia, diſponentiaque materiam, non præſupponit illam, ut *conſtitutivam* phyſicè eſſentialiter, ſed duntaxat integraliter animalis. Unde ſola ipſa forma animalis eſt primus, & ultimus actus ſubſtantialis reſpectu animalis tantum, primaque radix proprietatum animalis tantum, & non radicatur ab ullo, quod ſit eſſentiale conſtitutivum animalis. Neceſſe eſt non confundere una compoſita ſubſtantialia cum aliis, licet inadæquatè ſolum diſtinctis. Quacumque autem vulgò dicimus de forma ſubſtantiali, intelligenda ſunt *in genere conſtituendi*, & reſpectu ſolius illius compoſiti ſubſtantialis, *quod eſſentialiter conſtituit*; non reſpectu illius, quod non conſtituit, quamvis aliunde ex ſua natura prærequirat illud; & hoc conſentaneè ad illa, quæ ſupra dixi inter explicandam quidditatem primi principij entis naturalis. Nimirum quod in eo genere, in quo conſtituit, non conſtituitur per ullum aliud. Unde forma viventis, v. g. eſt prima origo, & primus actus, & ultimus actus, & reliqua: quatenus neque ante, neque poſt ſe habeat ullam aliam formam phyſicè eſſentialiter conſtituentem illud idem ens naturale *Vivens*, quamvis ante ſe habeat aliam integrantem, & poſt ſe aliam nempe ſubſiſtentiam, juxta adverſarios complentem illud idem ens naturale.

159. Ad tertiam nego maiorem, ſi procedat in ſenſu penitus univerſali; quoniam hi iidem DD. admittere ſolent frequenter formam Embrionis, quæ utique non intenditur propter ſe præciſè, ſed propter formam viventis, ad quam eſt inſtar diſpoſitionis. Et tamen illa eſt ſubſtantialis, aliàs materia illius embrionis eſſet ſine ulla forma ſubſtantiali. Similiter cum ſubſiſtentia humana prærequirat formam humanam, hæc eſt quaſi diſpoſitio ad illam; & tamen eſt ſubſtantialis: Solum igitur eſt verum, nullam ſubſtantiam eſſe diſpotionem ad aliam in vulgari, & frequente uſu illius vocis *diſpoſitio*, quia hæc vulgò accipitur pro ſolis quibuſdam accidentibus. Ad quartam diſtinguo maiorem. Ulterius actuandum in ordine ad hæc compoſita *Caro*, *Oſſa* &c. nego. In ordine ad hoc *Animal*, concedo maiorem, & diſtinguo minorem; non debent illam relinquere ulterius actuandam in ordine ad hoc compoſitum *Caro* v, g. concedo; quia hoc conſtituunt: in ordine ad hoc

hoc aliud *animal*, nego minorem, quia illæ formæ non conſtituunt eſſentialiter hoc compoſitum, ſed integrant illud (ſicut caput, cor, viſcera, ſunt partes integrantes) & conſequenter non ſunt formæ reſpectu illius, & conſequenter non debent exercere privilegia formæ reſpectu illius. Ad quintum, præterquamquod caro, & oſſa, non ordinantur ad componendum *eſſentialiter*, ſed tantum *integraliter* aliud totum, ſicut ordinantur manus, & pedes animalis, quæ cum ſint complexum etiam ex materia, & forma ſubſtantiali, ſunt eo ipſo tota quædam in eo ſenſu inadæquata. Hoc, inquam, diſſimulato, diſtinguo majorem: nullum totum adæquatum ordinatur naturâ ſuâ ad componendum aliud totum *ejuſdem rationis*, concedo. *Diverſæ rationis*, ſeu ſpeciei, nego; quia Embrio cum non ſit materia ſola, ſed hęc cum forma, ordinatur nihilominus ad vivens. Et natura, cum ſit etiam totum quoddam adæquatum, ordinatur ad componendum eſſentialiter ſuppoſitum. Et ſimiliter diſtinguo probationem, & minorem, & reliqua. De ratione namque adæquati, pleni, totalis, atque perfecti eſt, quod non ordinetur ad aliud componendum in illa eadem ſpecifica ratione infima, in qua eſt adæquatum, & plenum; ſecus in alia. Denique quando dicitur Generatio unius formæ eſſe corruptio alterius, ſicut non eſt ſermo de omnibus formis accidentalibus, nam has experimur coire in una, eademque materia. Ita non eſt de omnibus formis ſubſtantialibus; ſed de illis, quæ aut ſunt mutuò oppoſitæ, aut diſparatæ: & ſenſus eſt corruptionem non eſſe cauſam generationis; ſed hanc illius. Forma autem viventis, & forma oſſis, nec ſunt oppoſitæ, nec diſparatæ.

160. Ex hactenus dictis ſequitur, quod ſcripſi ad finem num. 149. ſuper forma corporeitatis: quam valdè probabiliter defendunt multi DD. Hæc forma corporeitatis, vel eſt 1. Ordinata multitudo formarum, per quarum unas materia conſtituitur in eſſe ſubſtantiali carnis. Per quarum alias in eſſe ſubſtantiali nervorum &c. In hoc ſenſu admitto formam corporeitatis, & doctrinâ huc uſque datâ illam probo. Vel eſt 2. Forma per quam materia eſt formaliter immediatè corporea hoc eſt impenetrabilis cum alio habente diſtinctam quantitatem, & hæc forma eſt, aut quantitas ipſa, aut intrinſeca determinatio materiæ ad unionem cum quantitate, adeò valida, ut nullius agentis creati viribus privari poſſit omni quantitate (juxta explicationem corporis quam dedi diſp. 4. logicæ) & utrolibet modo non eſt forma ſubſtantialis diſtincta realiter à materia, ſed aut materia ipſa, aut quantitas entitativè accidentalis. Vel eſt 3. Forma per quam conſtituitur corpus completum in ratione viventis, & ſic eſt forma ipſa vivens: aut in ratione Carnis, & ſic eſt forma ipſa carnis: aut in ratione entis naturalis cujuslibet, & ſic eſt ſpecifica illa forma, quæ conſtituit illud ens naturale. Vel eſt 4. Forma per quam materia conſtituitur in eſſe corporis organici, ideſt, habentis talem œconomiam membrorum cum tali forma, figura, ac diſpoſitione. Et ſic eſt complexum ex multis formis ſubſtantialibus, & multis accidentalibus.

161. Organizatio quippe humani corporis, v. g. duo dicit: *unum* eſt,

eſt, quod tot, & talia ſint membra, v. g. caro, oſſa, nervi, cartilagines &c. (Et hoc eſt quid poſitivum ſubſtantiale eſſentialiter conſtitutum per ſolam materiam primam, atque eas reſpectivè formas ſubſtantiales materiæ unitas) & non ſint aut plura, v. g. duo, vel tria capita, aut alius conditionis, v. g. quod non ſint marmorea, quod non ſint aurea (& hoc eſt quid negativum conſtitutum ſuo modo per carentiam illarum formarum) Alterum eſt quod illa membra habeant inter ſe talem, & talem figuram in ſe ipſis, & reſpectu aliarum; & hoc conſiſtit in eo, quod habeant inter ſe talem, & talem diſtantiam, & non aliam, v. g. quod caput diſtet magis à pedibus, quam ab humero, quod brachia habeant talem ſitum, talem locum in corpore, & non habeant alium, quo v. g. annexa forent tibiæ. Primum conſiſtit formaliter immediatè in præſentiis, & ubicationibus unis, & in carentia aliarum, quia diſtantia ſtat formaliter in præſentiis, ſive ſitibus, ſive ubicationibus intrinſecis: & in diſtantia, in carentiis inſuper aliarum præſentiarum. Et neutro modo eſt forma ſubſtantialis, quia ſuppono modò præſentiam eſſe accidens diſtinctum à corpore præſente; quod autem figura, ſeu forma localis apparens ſenſui conſiſtat, ut diſtincta à colore, in eo quod partes habeant inter ſe talem diſtantiam, & non talem aliam, videtur planum in figuris vulgaribus, & his explicantur cęteræ. Figura namque circularis ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod unæ partes ſint immediatè poſt alias, & omnes æquè diſtent à centro. Figura quadrata ſtat phyſicè in eo, quod quatuor laterum partes habeant inter ſe talem, & talem proportionem, talem ſitum, talem locum. Ergo talem diſtantiam, & talem indiſtantiam. Ergo talem præſentiam, & talium aliarum præſentiarum carentiam. Ergo organizatio corporis in hoc ſecundo ſenſu ſtat formaliter in unis præſentiis partium, & aliarum carentiis. Sed naturæ ſunt formæ ſubſtantiales. Ergo forma corporeitatis in hoc ſecundo ſenſu non eſt forma ſubſtantialis.

§. V.

162. SEcunda primaria quæſtio eſt. *An duæ formæ ex non ſubordinatis, ſed ex invicem independentibus poſſint informare unam eandemque materiam*, v. g. forma ligni, forma aquæ. Forma humana, & forma equina, forma vitæ, & illa altera quam multi ponunt, & vocant cadavericam. Jam vides quæſtionem non eſſe de formis accidentalibus: quoniam, ſive hæ ſint materiales, ut lux, & color, ſunt in eodem ſubjecto: ſive ſpirituales, ut cognitio, & amor ſunt in eadem anima: Item, ſive naturales, ſive ſupernaturales. Rurſus neque eſt quæſtio de duabus formis, quarum una ſit ſubſtantialis, & alia accidentalis; quia in materia equi, v. g. eſt ſubſtantialis forma equina, & ſimul quantitas; quod ſi hæc non diſtinguatur ab illa materia, pone calorem, & alia accidentia, quæ ſunt in equo. Reſpondeo

ergo

ergo quæſtioni. Sive formæ iſtæ non ſubordinatæ ſint oppoſitæ ſpecialiter, ut forma ignis, & forma ligni; ſive diſparatæ, ut forma ligni, forma aquæ, nequeunt naturaliter exiſtere in eadem penitus parte materiæ, licet poſſint in diverſis partibus materiæ ejuſdem. Loquendo autem de potentia abſoluta Dei poſſunt, ſive diſparatæ, ſive oppoſitæ etiam, exiſtere ſimul, miraculosè utique, in eadem penitus parte materiæ. Sicut etiam duæ partes materiæ eiuſdem continuæ poſſunt naturaliter informari per eandem penitus formam. Secus ſi materiæ illæ unione careant continuativa, tametſi unitæ ſint unione contiguitatis; quia unicam formam ſubſtantialem informare materias diſcontinuas divinitus tantum contingere poteſt. Ecce expanſam ſententiam totam. Priuſquam autem illam membratim probem, memineris, deponendi ergo ſcrupulum quemdam, qui excitari poteſt, editos eſſe interdum monſtroſos partus, in quibus duo corpora, aut duo ſemicorpora, aut corpus, & dimidium corporis conglutinata apparebant. Conſule Euſebium, probatas, & frequentes hiſtorias ſcribentem. Unde excitatæ fuerunt lites de unitate, aut multiplicate animæ rationalis errorem illum naturæ vivificantis, & conſequenter de unitate, vel multiplicitate baptiſmi adminiſtrandi.

P. Euſebius lib. 3. de occulta philoſoph. cap. II.

163. Habet ergo excuſationem in natura fabula Gerionis, & poeticum illud *forma tricorporis umbræ*. Et alterum ſimile *Scillaque biformes. Et centumgeminus Briareus*. Horum lapſuum naturæ quatuor naturaliter poſſibiles cauſas agnoſco. Una pro his effectibus generalibus. Vehemens nimirum imaginatio de ſimilibus monſtris infixa utrique, vel uni ſaltem parenti in copula ipſa, & copiam ſufficientem ſanguinis emittenti ad formationem illorum corporum, aut ſemicorporum. Cumque illa copia ſeminis, & hic concurſus imaginationum parentum de monſtro eodem, rarò contingant, ideò rarò contingunt hæc monſtra, inquit egregius ille medicus Complutenſis. Et hęc etiam eſt una ex non minimis cauſis majoris ſimilitudinis, quoad lineamenta oris cum uno quam cum altero parente. Acris nimirum imaginatio alterius circa illum tempore generationis; quemadmodum enim diverſitas, non autem duplicitas ſexuum in prolibus naſcitur ex majore, aut minore copia materni ſanguinis ſimul cum validiore, aut debiliore paterno: unde fit quod corpus formetur, aut virile, ideſt robuſtum, aut fęmineum, ideſt molle, adiuvante etiam ſitu dextro, vel ſiniſtro matricis, in quo illud corpus formatur; ſiquidem, per ſe loquendo, pluribus, ac validioribus ſpiritibus abundat pars dextra, quam ſiniſtra corporum humanorum (quamvis non negem corpus maſculinum interdum quaſi degenerare in fęmineum, & hoc interdum eſſe quaſi virile ob variam combinationem illorum trium, quę etiam varia combinatio eſt cauſa Androginum) Ita major ſimilitudo cum uno parente provenire poteſt ex vehementiore imaginatione alterius circa hunc tempore copulæ. Probatur tum *in genere*, ex alto dominio, quo apprehenſio, ſeu potentia imaginativa pollet ſupra corpus proprium, ſanguinem, atque ſpiritus. Apprehendente quippe homine ſpurcitiem in cibo, contrahitur ſtho-

Æneid. 6.

Valeſius c. 11. de Sac. philoſoph.

Digitized by Google

ſtomacus , & provocatur ad nauſeam . Apprehendente vehementer objectum horridum , aut delectabile , aut irę excitativum , commovetur illicò ſanguis , commoventur ſpiritus, motu proportionato illi objecto , ut teſtes ſunt Mars , & Venus . Et conſtat in amentibus , quorum corpora diverſas formant figuras , atque motus ob validas diverſas imaginationes . Ob quam imaginationis prępotentiam putarunt aliqui , licet immeritò , torqueri , & comburi in inferno ſpiritus damnatos, non quia materialis ignis verè phyſicè operetur in ſpiritibus illis ; ſed quia vehementiſſimè apprehendant ſe comburi , & torqueri igne illo ; tunc ſic . Sed materia illa ex qua formantur corpora filiorum in tempore ipſo generationis adhuc eſt propria Parentum . Ergo mirum non eſt quod vehemens imaginatio unius circa alterum incipiat quaſi configurare huic ſanguinem , atque ſpiritus quos emittit , & qui admixti cum ſanguine alterius , inveniunt ſubjectum proportionatum ei configurationi , & cum eo coagulatus illicò , tenuiſſima illa conſervet quaſi lineamenta , quæ poſtea nutritione firmentur , & creſcant . Tum *in ſpecie* . Quantum enim valeat imaginatio utriuſque Parentis, vel ſaltem feminę (quę adeò tamen ſit valida , ut ſuppleat defectum alterius) ad formationem prolis , nemo eſt qui ignoret , ſi legit providentiam , qua uſus eſt Jacob multiplicandi ergo ſuos greges , & fructum quem docet Scriptura . *Factumque eſt , ut in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas , & parerent maculoſa , & varia* . Imò ſi legit hiſtorias , & rationes naturales , quas producunt inſignes duo Authores noſtri , Benedictus Pererius Valentinus , & Martinus del Rio ex Patre Cantaber , & ex Matre Celtiber, quamvis natus in Belgio , qui ambo lepidam quam ſubjicio , producunt hiſtoriam Adulterę cujuſdam Anglę diſertis verſibus narratam à Moro . Poteſt itaque contingere quod tempore copulę ambo Parentes , vel ſaltem unus (ſed vehementiſſimè) cogitet diphtongum illam corporum , aut ſemicorporum , & ſeminis copia non deficiente , formetur diphtongus perfecta , vel imperfecta . Sicut quintus ille adulterinus filius Anglę evaſit ſimillimus , non quidem Adultero Genitori , ſed marito abſenti . Nempe , quia ut dicit Morus , qui in odium fidei occiſus dicitur.

Geneſ. 30.

P. Pererius in 30.Gen. d n. 48.

Martinus del Rio diſquiſ. magicar. lib. 1. cap.3. q.3.

Sed unus omnium hic Puer
Tui refert imaginem :
Quòd Mater hunc , dum concipit
Sollicita de te plurimum
Te tota cogitaverat ,
Dum pertimeſcit anxia
Ne tu , Sabine , incommodus
Velutque lupus in fabulam
Supervenires interim .

164. Altera cauſa eorum monſtrorum eſt particularis , & eſſe poteſt ſanguis menſtruus , aut ſemen corruptum maſculinum , aut ambo ſimul , & inſuper plus juſto abundantia . Cum enim filiorum corpora coagulentur ex ſemine paterno , & ſanguine materno : ſi illud ſit corruptum , & hic menſtruus , eo quia fluente illo , fiat generatio : & ambo excedant

S men-

menſuram juſtam pro una ſola prole, quid mirum, quod ex peſſimis metallis, & copioſioribus peſſima vaſa formentur. Ob periculum forſan horum partuum, rationalem naturam conſpurcantium, prohibitus erat ſeverè in lege Moſaica acceſſus ad menſtruatam. *Ad mulierem, quæ patitur menſtrua, non accedes*. Et rurſus. *Ad mulierem menſtruatam, non acceſſerit*. Ex venenata quippe materia, quod domicilium parari poteſt animæ rationali? Unde partus eo tempore concepti multoties non ſunt humani, v. g. illi quos vulgus vocat *Molas matrices*; ſed beſtiolæ genitæ in viſceribus humanis ex illa utriuſque ſanguinis colluvie, ſicut ex aliis fęcibus formari ſolent intra ventrem lumbrici, colubri, & alia viventia non humana, & conſequenter baptiſmi incapacia. Tertia, & magis ſpecifica cauſa eſſe poteſt quam ſatis acutè excogitavit Empedocles apud noſtrum Euſebium. Conſidera cellulas, aut foſſas ordine ſucceſſivo diſpoſitas ab artifice ad fabricandum ſimul duas, vel tres campanas, aut vaſa alia. Conſidera quod ob caſum aliquem foſſæ non benè ſint diviſæ, ſed ex una communicatio fit ad alteram. Tunc ſanè, ſi effundatur copia liquefacti metalli pro uno ſolo vaſe, unum ſolum formabitur. Si pro duobus, duo formabuntur, ſed invicem colligata ex parte illa qua foſſæ, aut cellulæ invicem communicabant ob defectum materiæ dividentis. Vas formatum in prima foſſa erit per modum per ſe ſtantis; formatum verò in ſecunda erit adiacens primo; & hoc ſecundum erit integrum, aut mutilum, prout fuerit copia metalli. Et hujus ſecundi fiet caput, vel brachia, vel anſulæ, prout fuerit locus ſecundæ cellulæ ad quam fluxit liquor poſt impletam primam, quia in ſecunda cellula unus eſt ſitus pro formando capite, alius pro formandis brachiis, alius pro formanda parte alia vaſis, quod ibi formandum erat.

Levit. 18. *Exech. 18.* *P. Euſebius lib. 3. occ. Philoſoph. cap. 11.*

§. VI.

165. HOc exemplo non inepto explicatur bene ab eo Philoſopho geneſis horum monſtrorum. Alphonſus Madrigal vulgò *Toſtatus*, ſeu *Abulenſis* nuncupatus, explicans prodigioſam illam Hebræorum multiplicationem in Ægypto. *Filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac confortati nimis impleverunt terram*, docet ſeptem eſſe cellulas in maternis viſceribus, quæ omnes ſimul impleri poſſunt. Certè non eſſe unam ſolam frequens experientia Gemellorum indicat. Fieri itaque poteſt, ut caſu aliquo, vel etiam à prima formatione illius corporis fęminei, maceria dividens unam cellulam ab alia, rupta, vel ſiſſa ſit, non in fundo, ſed in parte ſuperiore orificii. Item quod utriuſque ſeminis tanta ſit copia, & præcipitatio, ut redundet in ſecundam cellulam per ſiſſuram illam, antequam orificium primæ obſtruatur. Tunc ſanè formabuntur decurſu temporis, atque materno calore duo humana corpora invicem connexa per illam ſiſſuram

Exodi 1. *Abulen. hic*

ram corruptæ maceriæ. Primum formatum in prima cellulâ, & ex primitiis utriuſque ſeminis erit integrum, atque perfectum, & per ſe ſtans. Secundum erit huic annexum, & integrum quoque, aut mutilum, prout copia fuerit ſanguinis utriuſque, qui ex prima in ſecundam cellulam per fiſſuram tranſierit. Rurſus hoc ſecundum, aut erit caput, aut pectus, aut manus, aut membrum aliud, prout fuerit qualitas ſeminis, quod in ſecundam cellulam tranſivit per fiſſuram ex prima. Cum enim ex toto corpore Generantis fluat ille ſanguis, ut egregius Medicus Philippi II. Valles docet, pars illius, quæ ex capite generantium fluxit, idoneus eſt ad formandum caput in parte cellulæ matricis proportionata, ſecus tibias; & quod ex his fluxit, aptus natus eſt fabricæ tibiarum, ſecus cordis &c. Demum illa duo corpora interdum naſcuntur unita à pectore (& hoc frequentius) interdum à tergo, ut contigit Romæ anno 1493. & Veronæ anno 1465. Interdum à latere, ut accidit Vittembergæ anno 1489. & Lovanii 1536. Interdum à clunibus, ut accidit Pariſiis 1570. & in Luſitania anno 1628. Interdum à fronte, ut duæ illæ Virgines Vormatienſes anno 1495. à fronte connexæ, quarum unius poſt aliquot annos mortuæ cadaver fuit reſciſſum ex altera, quæ tamen ex vulnere mortua quoque fuit. Interdum ab occipite, ut colligitur ex cranio illo, de quo Franciſcus Hernandez, quod geminam averſam habebat humanam figuram: duas facies, quatuor oculos, duos naſos, & 64. dentes, qui ſe olim multum temporis laboraviſſe, oſtendebant. Interdum denique naſcuntur duo corpora ita conglutinata, ut quaſi unum ſolum, informe tamen, forment corpus cum aliquibus duorum corporum membris. Ut fuit monſtrum illud, quod Tortoſæ urbis non ignobilis Aragoniæ, peperit Maria Ortegon, de quo Euſebius.

Valles cap. 11. de Sac. Philoſoph.

Euſebius loc. cit.

Idem c. 14.

166. Hujus diverſitatis cauſa eſt diverſitas ſitus illius fiſſuræ, quam habet paries dividens unam cellulam ab altera, & per quam fiſſuram maſſa, ex qua compingitur unum corpus, communicatur maſſæ, ex qua compingitur alterum, ut continget in campanis, & in aliis vaſis. Si enim fiſſura incidat in eam partem maceriæ, in quam cadit ſemen proportionatum ad formandum geminum occiput geminæ prolis: ab occipite erit connexa utraque, ut in eo ultimo caſu. Si fiſſura incidet in eam partem, in quam cadit ſemen proportionatum ad formandum geminum ſinciput geminæ prolis: à fronte erit connexa utraque, ut accidit in Geneſi earum duarum Virginum Vormatienſium. Si fiſſura incidet in eam partem maceriæ, in quam cadit ſemen proportionatum ad formandum geminum pectus geminæ prolis: à pectore, ſive à ſtomaco erit utraque connexa, ut connexi erant duo illi pueri nati Genuæ anno 1617. & poſt duodecim annos vecti Matritum: quorum primus, & rectus, & per ſe ſtans, & comedens, & egerens, & ludens, & ſcitè reſpondens, vocabatur Lazarus Coloretus; alter verò qui à ſtomaco ipſi naſcebatur, & ſugebat alimentum, & per alterius ſeceſſum exonerabatur, & non loquebatur, ſed mordebat ſibi illudentes, vocabatur Joannes Baptiſta. Denique quando ſunt duæ proles, & mater gravem

Digitized by Google

aliquam patitur in ventre contuſionem, vel per impulſum extrinſecum, vel per violentam proprii corporis incurvationem, vel aliter, ita ut maceria diviſionis cellularum vincatur, proles illæ tenerrimæ adhuc, quaſi diphtongabuntur, coibuntque in unum corpus partim formatum, partim informe (ſicut ſi duas recentes ſtatuas ex cera violenter conjugeres inter ſe) morientur autem illicò, aut viveut per aliquod tempus, prout contuſio fuerit major, aut minor. Et ſic evenire potuit monſtro illi Tortoſino. Quarta demum cauſa harum diphtongorum poteſt eſſe novus coitus cum minore, aut debiliore copia effuſi ſanguinis, habitus paulo poſt primum, quando per accidens nondum ſit clauſa prima cellula, & fętus ibi, incipit, formari. Illapſo namque ſecundo minore, aut debiliore ſanguine, & annexo priori, formabuntur duo corpora, aut ſemi corpora.

167. Et hinc naſcitur difficultas in re præſenti. An ſcilicet in hujuſmodi monſtroſis corporibus ſit unica, an duplex anima rationalis, & conſequenter an unus, vel duplex baptiſmus adminiſtrandus? quoniam nonnulla ex his corporibus aperta poſt mortem, inventa ſunt habere unicum cor, judicant nonnulli unicam ibi fuiſſe animam; Sed meritò negat conſequentiam idem Euſebius. Probabiliora indicia unitatis, aut multiplicitatis animarum ſunt illa ſeptem, quæ profert idem Author; quorum hæc præcipua. 1. Si in eis mutuò conglutinatis corporibus notantur motus, & inclinationes invicem oppoſitæ, quarum una non ſubordinatur alteri (ſicut inclinationes ſenſitivæ ſubordinantur rationali animæ) ſed verè pugnant inter ſe, & illa prævalet, quæ viribus phyſicis prævalet. Tunc duæ animæ ſunt, ſed in corporibus diverſis, aut in diverſis partibus ejuſdem corporis. Sic duæ erant animæ in eo corpore, de quo Paulus Diaconns poſt mortem Theodoſii, quod ab umbilico dividebatur in duo pectora, & capita; quandoque enim dormiente uno illorum capitum, vigilabat alterum; quandoque ambo dormiebant, quandoque rixabantur invicem, & mutuis pugnis ſe percutiebant, & ſimul plorabant. Duæ item erant animæ in eis conglutinatis corporibus, de quibus Albertus Magnus, nam ſæpè iraſcente uno capite, & bili magna correpto, caput alterum quietum erat, & tranquillum. Duæ item erant animæ in eis duobus ſemi corporibus, de quibus Gandavenſis. Contendebant enim inter ſe, unum erat pium, & timoratum; alterum petulcum; quando unum orare volebat, alterum meretricibus inhihabat. E contrario quando in omnibus actionibus illorum corporum deprehenditur univerſalis conformitas, veroſimilius eſt una eademque anima informari illa. Sic agnus ille Melodunenſis triceps unicam habebat animam, quando namque unum caput balabat, duo altera balabant etiam. Sic puella quædam Bavara biceps unicam habebat animam: ſimul enim comedebant, ſimul bibebant, ſimul loquebantur, ſimul dormiebant, & omnia ſimul volebant ambo illa capita. Hæc autem univerſalis conformitas in humanis actionibus ſuperare videtur vim ſimpathiæ illius fundatæ in ſimultanea conceptione, & nativitate: indicareque videtur

Idem ibid.

animæ

Digitized by Google

animæ identitatem. Hæ autem experientiæ, duo non obſcurè ſuadent. Primum non eſſe fabulam illud de Hydris: Si enim aliarum ſpecierum animalium viſa ſunt aliqua individua cum duobus, cum tribus capitibus: quid mirum quod in ſpecie ſerpentium ex fęcum colluvie genitorum, interdum gignatur individuum cum quinque, aut ſeptem capitibus, ſicut in ſpecie multò perfectiore arietum, & cervorum gignuntur multi, qui decurſu temporis mittunt ex capite non duo ſola, ſed multa cornua. Sic fieri poteſt, quod initio ſerpens non habeat niſi unum primariumque caput: decurſu verò temporis emittat alia, ſicut cervus emittit alia cornua ob abundantiorem materiam ad hoc membrum, ſicut homines emittunt barbas, vituli cornua, & bombyces alas utrinque. Civis meus P. Euſebius integritate vitæ non minus notus, quàm litteraturæ copia, varias profert hiſtorias dignas fide de beſtiarum harum exiſtentia. Alterum eſt. Sicut in individuis aliarum ſpecierum habentibus duo, aut tria capita aliquando fuerunt duæ animæ, aliquando una, ut conſtare videtur exemplis nuper datis. Ita in hydris, beſtiiſque aliis habentibus duo, vel plura capita, aliquando erit unica forma, aliquando plures. Et ſola experientia regularum, quas nunc do, dirimere poteſt litem.

P. Euſebius lib. 3. Occultæ Philoſoph. c. 19

168. Secundum indicium eſt, imperium voluntatis, aut appetitus. Si enim volente uno ex illis conglutinatis motum aut quietem alicujus membri corporis alterius ſibi annexi, membrum illud ſtatim obedit, & movetur, aut quieſcit, non quidem propter continuationem cum priore, ſed etiam independenter ab hac, ita ut immoto primario corpore moveatur ſecundarium, vel moto illo non moveatur hoc ob ſolam voluntatem primarii. Signum eſt quod una eademque forma dominatur utrique corpori, & conſequenter una ſola ibi eſt forma. Sin autem volente primario aliquid à membris corporis ſecundarii, membra non obediunt, ſed poſitivè reſiſtunt, indicium eſt diverſam animam ibi regnare, in diverſis eis partibus illius corporis. Hoc fuit aliud indicium, quod duo illi conglutinati pueri Genuenſes, quos paulò ante memini, verè erant duo homines, & meritò miniſtrati fuerunt eis duo baptiſmi. Quando enim major volebat caligas induere minori, hic calcitrabat. Nequibat illius pedem, aut manus movere per ſolum voluntatis imperium, ſed oportebat, quod ſe totum moveret, & ſic ratione unionis continuativæ movebat alterum, non quidem modo interno, & vitali, ſed ſicut equus movet rhedam. Tertium indicium ſumi poteſt ex ſenſationibus. Si enim puncto, ac percuſſo uno corpore, atque ob hoc dolente, nil ſentit alterum: ſignum eſt diſtinctas ibi eſſe animas. Et hoc etiam eveniebat illis duobus pueris; nam minore percuſſo caſu aliquando in capite, & ſanguinem emittente, major neque lugebat, neque quidquam ſentiebat. Sin verò quovis membro alterutrius corporis puncto, ſentiunt illicò ambo corpora, aut ſemicorpora, ſignum eſſe poteſt unius tantum animæ, & recurſus ad ſimpathiam videtur inſufficiens. Explicato itaque ſcrupulo, qui excitari hinc poterat ſuper coexiſtentia duplicis formæ ſubſtantialis in eadem

ma-

materia redeamus ad concluſionem ſcriptam num. 162.

§. VII.

169. IGitur dico 1. Formæ non ſubordinatæ inter ſe, ſive ſine ſpecialiter oppoſitæ, ſive diſparatæ videantur, nequeunt naturaliter exiſtere ſimul in eadem parte materiæ. Poſſunt tamen in diverſis partibus materiæ ejuſdem continuæ, tametſi oppoſitæ ex ſe fuerint. Probo primam partem, in qua dico. *Non ſubordinatæ*: quoniam, ſi ſubordinatæ fuerint poſſunt, & debent, ut ſupra dictum, eſſe ſimul in eadem parte materiæ: ut ſunt forma hominis, v. g. & forma carnis; tametſi enim hæc duplicitas formarum non ſit neceſſaria materiæ primæ, quia per unicam formam completur ſufficienter, neque ſit neceſſaria formæ ſubordinatæ, ſiquidem poſt mortem animalis naturaliter exiſtunt forma carnis, forma oſſis, forma nervi &c. Aſt neceſſaria eſt formæ ſubordinanti, quia hæc ſuapte natura poſcit illam alteram formam, ſicut exploratum eſt, quod poſcat prævias quaſdam diſpoſitiones, quæ tamen poſſunt perſeverare abeunte forma illa. Dico item, *ſive diſparatæ videantur*, quia ſi re ipſa nequeunt coire in eadem parte ſubjecti, ſunt re ipſa oppoſitæ, quoad illam partem; ſed non in omnibus apparet tam clarè hæc oppoſitio: ſiquidem illicò apparet inter formam ignis, & formam ſtupæ: inter formam vitæ, & formam cadavericam, ſi hæc datur; & non illicò apparet inter formam ligni, & formam quancumque aliam. Igitur; quidquid in tanta multitudine, atque etherogeneitate combinationum cauſarum, & effectuum naturalium nuſquam, & nuſpiam inventum eſt, prudenter dicitur eſſe naturaliter impoſſibile. Si enim foret naturaliter poſſibile, alicubi, aliquando, in aliqua combinatione cauſarum, & effectuum naturalium contigiſſet. At ſimultas in eadem parte materiæ duplicis formæ ſubſtantialis, quarum neutra ſit ſubordinata alteri, nuſpiam, & nuſquam inventa eſt. Ubi? quando? quis teſtis? Ergo ſit, nec ne coram Deo, & Angelis naturaliter impoſſibilis ea ſimultas; aſt quoad nos eſt naturaliter impoſſibilis, ideſt, prudenter dicimus eam eſſe naturaliter impoſſibilem. Sæpè quippe adverti judicia non eſſe ferenda juxta ſola principia phyſicè, aut metaphyſicè evidentia, ſed etiam juxta prudentialia; aliàs liceret comminiſci, ut poſſibiles, ridiculas illas ſpecies, & alias pejores quas inſinuavi num. 24. Et habet fundamentum in Philoſophia prædictum judicium prudens. Quoniam omne naturaliter ſuperfluum eſt naturaliter impoſſibile, quia eſt phyſicè contra naturam, quæ abhorret ſuperflua. At illa ſimultas eſt naturaliter ſuperflua. Nam 1. non eſt neceſſaria ad complementum materiæ, quia hæc per unicam formam completur, ſiquidem cum unica forma ſubſtantiali conſtituit ens naturale. 2. Non eſt neceſſaria ad introductionem, vel durationem alterutrius, quia loquor de formis non ſubordinatis, ſed invicem diſparatis.

Digitized by Google

170. 3. **Non eſt neceſſaria ad ſatisfaciendum activitati** agentis ullius naturalis; quoniam jugis experientia eſt, agentia naturalia non aliter producere unam formam ſubſtantialem (ſecus dicendum de accidentalibus, quarum multas experimur paſſim in eadem parte ſubjecti: & hæc eſt diſparitas inter has, & illas) in una parte ſubjecti, quàm expellendo priorem: quam ſi expellere nequeant, non producunt formam, quam alias producerent. Item ſi eandem partem materiæ adoriantur agentia diverſa, nullum producit in ea ſuam formam, vel illud ſolum producit, quod viribus prævalet. Ergo rationabiliter dicitur, eſſe impoſſibilem naturaliter eam ſimultatem, & conſequenter omnes formas ſubſtantiales non ſubordinatas, invicem opponi quoad eandem partem materiæ; tametſi aliàs diſparatæ appareant, eo quod ipſarum oppoſitio non ſit ita evidens ſicut oppoſitio aliarum. Oppoſitionem ergo quam habent quoad locum quantitates, quarum una, aut trudit alteram, aut eam ingredi non permittit, habent quoad ſubjectum formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ, quoniam ſemper experimur, quod una vel trudit alteram, vel non ſinit illam ingredi, vel ipſa non producitur à ſuo agente: quocirca ſunt impenetrabiles quoad ſubjectum, ſicut illæ quoad locum. Et ratio eſt natura ipſa harum rerum nobis patefacta per experientiam, quæ una eſt ratio legitima pro rebus naturalibus. Et ſicut non ſolum eſſet miraculum, quod initio penetrarentur duæ quantitates, verum etiam quod poſito hoc miraculo, ſic penetratæ durarent, quia uniuſcujuſque præſentia in eo loco foret contra exigentiam naturalem alterius. Ita poſito miraculo, quod dictæ formæ ſemel coirent in eadem parte ſubjecti, eſſet novum miraculum quod ſic perſeverarent, quia uniuſcujuſque exiſtentia in ea parte ſubjecti eſſet contra alterius innatam exigentiam. Et hinc habes diſparitatem ad concluſionem ſcriptam num. 121.

171. Secunda pars concluſionis conſtat experientia. Nam multoties vidimus eandem materiam continuam partim ignitam, & partim ligneam. Difficultas eſt in illo puncto continuativo (non quidem unius particulæ ignis, cum particula ligni, quia hæ duæ particulæ ſunt profectò *contiguæ*, ſicut hæc penna, & hæc carta; aſt non ſunt *continuæ*, ſicut neque hæc penna, & hæc carta) ſed in puncto continuativo puncti habentis formam ignis cum puncto habente formam ligni. Solvitur tamen. Illud punctum unitivum debet eſſe, aut in puncto loci, in quo eſt punctum materiæ habens formam ignis juxta combinationem cauſarum ſecundarum tunc concurrentium, aut ſi huic negotio impares ſint juxta decretum Dei, ut dixi diſp. 2. Phyſicæ natur. cap. 6. inter explicandum hæc puncta. In loco quippe medio eſſe non poteſt, quia non eſt unio illorum punctorum, ſicut ferrum, aut funis, quæ non ſunt ſubſtantiæ modales, & ſunt unio, ſeu ligamen aliarum rerum; ſed eſt entitas modalis intrinſecè recepta in altero ex eis duobus punctis materiæ. Rurſus neque poteſt eſſe in utroque puncto loci in quo ſunt illa duo puncta materiæ, quia bilocari non poteſt. Si ergo fuerit in puncto loci, in quo eſt punctum materiæ, quod habet formam ligni,

pun-

punctum illud unicivum erit cum forma ligni, & ſimiliter de altero.

172. Dico 2. Sive formæ ſubſtantiales, de quibus loquaris, ſint diſparatæ, hoc eſt, non ita clarè oppoſitæ: ſive contrariæ, ut forma ignis, & forma ligni, forma humana, & forma equina &c. poſſunt miraculosè, ac de potentia Dei informare eandem penitus materiam. Non enim apparet magis difficilis conjunctio formæ ignis, & formæ ligni in eadem parte materiæ quam duplicis quantitatis in eodem puncto loci; aut intenſi caloris, & intenſi frigoris in eadem parte ſubjecti. Atqui miraculosè contingere poteſt, quod duæ quantitates ſint in eodem puncto loci, ut contigit in Nativitate, Reſurrectione, & Apparitione Chriſti Domini. Item quod intenſus calor, & intenſum frigus ſint in eadem parte ſubjecti. Ergo. Ratio autem præcipua eſt negativa, ſcilicet ſolutio ſex rationum contrariarum. Illam namque alteram, quæ ſumi poteſt ex eo, quod individuatio pendet à materia ſolvi in Prodromo diſp. 4. num. 209. Prima dicitur incapacitas ipſa materiæ ad ſuſtentandum ſimul duas, aut tres formas ſubſtantiales: ſicut aliæ cauſæ ſunt incapaces cauſandi ſimul effecta, quæ ſucceſſivè, ac ſeorſim cauſare poſſunt. Non valet; tum quia non arguo materiam poſſe habere ſimul multas formas ex eo, quod illas poſſit habere ſucceſſivè; ſed ex eo, quod nulla apparet difficultas, aut contra metaphyſicam, aut contra prudentiam, aut contra aliud principium immobile, ex eo, quod Deus ob fines ſibi notos, quos nobis revelare non tenetur, conjungat in eadem penitus materia formam vitæ, v. g. & formam cadavericam, ſi hæc eſt poſſibilis: formam humanam, & formam caninam: tum quia vox illa *ſuſtentare* eſt metaphorica, & non ſignificat in præſenti, quod ſonat: non enim ſignificat materiam eſſe columnam, ſeu fulcrum, cui phyſicè inſiſtant formæ pondere ſuo atterentes illam, unde fiat, quod potens materia ſuſtentare pondus unius formæ nequeat ſuſtentare pondus duarum, vel trium ſimul. Abſit vaſta, & materialis intelligentia. Significat ergo illa vox, formam, aut illius etiam actionem productivam, uniri materiæ, ut ſubjecto præſuppoſito; atqui hoc non atterit vires materiæ, ut patet. Ergo, quod materia ſuſtentet formam non atterit vires materiæ. Ergo ex ſe capax eſt tam ſuſtentandi ſimul multas formas, quam ſucceſſivè, aut ſolam unam. Cauſæ autem efficientes, & aliæ ſimiles conſumunt ſuas vires operando. Ergo ex eo, quod poſſint producere unum non ſequitur poſſe producere multa, aut ſimul, aut ſucceſſivè.

173. Secunda ratio contraria ſumitur ex oppoſitione formarum ipſarum, v. g. formæ rationalis, & formæ caninæ irrationalis, formæ vitæ, & formæ mortis, ſive formæ cadavericæ (quæ tamen ſit forma poſitiva, nam ſi illa vox ſonet tibi carentiam vitæ, proculdubio nequibunt conjungi, adhuc divinitus, in eadem materia forma vitæ, & forma cadaverica) Neque ratio hæc valet; quoniam omnis oppoſitio, quæ non eſt metaphyſica, abſoluta, ac determinata, ſed phyſica duntaxat, & naturalis, poteſt divinitus ſuperari. At quamvis forma vitæ, ac for-

ma

Digitized by Google

ma poſitiva mortis, forma humana, & forma canina componantur eſſentialiter, quatenus ex ſua eſſentia habent prædicata eſſentialiter oppoſita, non tamen opponuntur metaphyſicè abſolute, ac determinate inter ſe, *quoad ſimultaneam exiſtentiam* in eadem materia, ſicut nec quoad ſimultaneam exiſtentiam in eodem tempore, quandoquidem paſſim coexiſtunt in eodem tempore. Nec quoad ſimultaneam exiſtentiam in eodem loco, ſiquidem poteſt Deus penetrare hominem cum cane, & vivum cum cadavere, ergo. Et ratio eſt; quoties A, neque eſt contradictorium formale, & immediatum rei B, neque cum illo connectitur per ſe metaphyſicè abſolutè, ac determinatè, aut vice verſa, A, non opponitur metaphyſicè abſolutè, ac determinatè cum B, quoniam hæc ſola ſunt capita, ſeu radices hujus oppoſitionis. At unio formæ humanæ, v. g. cum materia A, neque eſt contradictorium formale, & immediatum unionis formæ caninæ cum eadem materia: neque cum illo connectitur per ſe, metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè. Cedo rationem. Ergo illa unio non opponitur per ſe metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè cum hac. Ergo divinitus poſſunt conjungi in eadem materia. Neque valet recurſus ad poſitivas diſpoſitiones, aut poſitivos effectus phyſicos cum quibus formæ connectuntur; tum quia ob nuperam rationem, neque illę inter ſe, neque hi inter ſe opponuntur pluſquam phyſicè, ac naturaliter; tum quia poteſt Deus utramque, vel alteram tantum formam orbare prævii, quas requirit, diſpoſitionibus, aut effectibus, quos phyſicè producit.

174. Tertiam rationem ſumunt ex effectu formali, quem poſita forma in materia Deus impedire nequit, quia quodvis dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Neque hoc urget: quoniam alius eſt effectus formalis poſitivus. Alius effectus formalis negativus. Ille eſt complexum quod reſultat ex materia, & forma unitis. Hic eſt expulſio formæ contrariæ. Poſito quod forma uniatur materiæ, eo ipſo formaliter datur complexum ex materia, & forma unitis. Cæterum cum forma unita materiæ ſolum connectatur phyſicè cum expulſione alterius formæ, ſicut quantitas in loco A, ſolum connectitur phyſicè cum expulſione alius quantitatis ab illo eodem loco: inde eſt quod ſicut Deus poteſt impedire hunc effectum formalem negativum quantitatis, conſervando aliam quantitatem in illo eodem loco, ita poteſt impedire effectum formalem negativum formæ A, conſervando nimirum alteram formam in illo eodem ſubjecto. Poteſt itaque Deus impedire effectum formalem negativum conjunctim cum forma unita materiæ, quamvis non effectum formalem poſitivum. Sed hoc ipſo unientur duæ formę eidem materię: Ergo. Neque dicas formam unam *ſe ipſa formaliter* expellere alteram: & conſequenter ſe ipſa formaliter inducere ſuum effectum formalem negativum non minus quam poſitivum, unde neutrum, vel utrumque poteſt Deus impedire poſitâ formâ in materia. Etenim aliud eſt cauſare *in actu primo* ſe ipſa formaliter expulſionem alterius, hoc eſt ſeipſa formaliter eſſe exigentiam, ſive connexionem phyſicam cum expulſione illa (& hoc eſt verum; ſed connexiones purè phyſi-

cas , & naturales poteſt Deus violare) Aliud cauſare *in actu ſecundo* ſe ipſa formaliter eam expulſionem , quatenus forma , non quidem ſpecificativè , ac ſecundum ſe præcisè inſpecta , ſed reduplicativè ut unita, materiæ identificetur, aut ſaltem metaphyſicè connectatur cum illa expulſione : & hoc eſt falſum ; quam diſtinctionem exemplo eodem quantitatis explicabis ; quamobrem ſi loquamur de forma ſola , perinde ſe habet in ordine ad ambos ſuos effectus formales , nempe ſuapte natura cum utroque connectitur phyſicè duntaxat . Si de forma , ut unita materiæ, eſt diſparitas quoad illos ; nam effectum formalem negativum non cauſat in actu ſecundo, niſi quatenus phyſicè connectitur cum illo . Effectum formalem poſitivum cauſat quatenus actu abſolutè conſtituit illum , ideſt , quatenus ille actu abſolutè conſtituitur ex forma , & materia unitis . Et quanquam Deus impedire poſſit terminum connexionis naturalis, ad præſentiam etiam fundamenti, non poteſt impedire conſtitutum ad præſentiam omnium penitus conſtitutivorum , quia impoſſibile eſt tam ſimul eſſe , & non eſſe .

§. VIII.

175. Sic multi Theologi cenſentes gratiam ſanctificantem , & peccatum mortale poſſe divinitus conjungi in eodem homine , quatenus homine peccante poteſt Deus ſic velle . *Quamvis indignus es, qui mea gratia fruaris, volo nihilominus illam in te conſervare* . Sicut etiam homo timoratus , in eodem inſtanti , in quo graviter offenditur à Petro , poteſt ex motivo honeſto ſic dicere . *Quamvis indignus ſis meis favoribus , & dignus quem Ego puniam . Verumtamen nolo ullam de te ſumere vindictam propter iſtam offenſam , quinimò volo in te conſervare omnia hactenus collata beneficia* . Cenſentes , inquam , hoc, dicunt conſequenter , peccatum ſe ipſo formaliter , ſed tantum in actu primò , ſecus *in actu ſecundò* expellere ſanctitatem , quia ſe ipſo , & per ſuammet eſſentiam connectitur phyſicè cum carentia gratiæ ; aſt neque identificatur , nec metaphyſicè connectitur cum ea carentia . Conſequenter item dicunt hominem habentem ſimul lethale , atque gratiam ſanctificantem , fore juſtum , & injuſtum : bonum , & malum : peccatorem , & Sanctum : amicum , & inimicum Dei : dignum , & indignum qui ametur à Deo : filium adoptivum Dei , & filium diaboli . Hæc & ſimilia verificarentur de illo , ſed aliter , & aliter , in ſenſu nimirum , in quo non opponuntur metaphyſicè . Unaquæque enim ex his denominationibus , ſeu veritatibus, ſeu effectibus formalibus , importat duo . Unum poſitivum, ſcilicet gratiam ſanctificantem v. g. Alterum negativum, ſcilicet carentiam peccati . Unde iſti effectus formales inſpecti *ſecundum poſitivum duntaxat* , non opponuntur metaphyſicè , ſed tantum phyſicè , ſiquidem formæ poſitivæ, hoc eſt, gratia ſanctificans , & peccatum , non opponuntur pluſquam phyſicè ; quamvis inſpecti ſecundum poſitivum , & etiam

& etiam ſecundum negativum opponantur metaphyſicè, quandoquidem hoc modo opponuntur carentia peccati, & peccatum: item carentia illius gratiæ, & illa gratia. Atqui caſu quo coniungerentur gratia, & peccatum in eodem homine, duntaxat verificareutur de eo effectus illi formales, ſeu denominationes inſpectæ ſecundum poſitivum; non autem ſecundum negativum. Ergo non verificarentur de eo in ſenſu, quo opponuntur metaphyſicè, ſed ſolum, in quo opponuntur phyſicè.

176. Abſolutè tamen, atque omnibus penſatis, homo ille eſſet ne Sanctus, an peccator? Amicus, an inimicus Dei? &c. Reſpondeo; quanquam habeamus voces ad ſignificandum concurſum aliarum formarum oppoſitarum, v.g. *tepidum*, quæ vox ſignificat concurſum caloris, & frigoris, cęruleum, quæ vox ſignificat concurſum coloris albi, & nigri. Non tamen ad ſignificandum concurſum omnium formarum oppoſitarum. Unde juxta proprietatem vocum quas modo habemus, homo ille nec poſſet vocari abſolutè ſine ulla explicatione juſtus, Sanctus, amicus Dei, quandoquidem eſſet peccator. Neque abſolutè, ac ſine ulla reſtrictione peccator, inimicus Dei, ſceleratus, ſiquidem haberet gratiam ſanctificantem. Nec mirum, quod in vocabulariis communibus non ſonet vox ulla ad juſtè ſignificandum objectum quoddam merè ſpeculativè, ac metaphyſicè poſſibile. Videtur tamen, quod juxta vocabula, quæ modo habemus, homo ille dicendus eſſet injuſtus, & peccator, quia paritas aliqua ſumi poteſt ex eis principiis alibi explicatis, *malum ex quoque defectu, & concluſio ſequitur partem debiliorem*. Atqui homo ille haberet peccatum, quod ſane eſt defectus gravis, & pars debilior. Ergo abſolutè foret nequam. Similiter philoſophamur in præſenti. Caſu quo eidem ſubjecto uniret Deus formam vitæ, & formam cadavericam. Formam humanam, & equinam. Formam ignis, & formam aquæ &c. Corpus illud eſſet vivum, & ſimul eſſet mortuum, v.g. Secundum poſitivum duntaxat, quod important hæ duæ denominationes, nempe quia haberet ambas formas poſitivas. Non autem ſecundum negativum quod innuunt; quoniam *eſſe vivum* innuit ultra formam vitæ, non habere formam mortis. Et *eſſe mortuum* innuit, non habere formam vitæ; atqui hæc duo non verificarentur tunc, ut conſtat. Ergo non verificaretur corpus illud eſſe vivum, & ſimul eſſe mortuum ſecundum negativum, quod important hi duo effectus formales. Et idem dico de cæteris formis, atque de denominationibus oriundis ex illis.

177. Quarta ratio contraria ſumitur ex lucta quam haberet ſecum ipſo, monſtrum illud, quod ſimul haberet formam felis, & formam muris, v.g. formam vulpis, & formam gallinæ; quoniam naturaliter appetens comedere carnes alterius, appeteret naturaliter comedere carnes proprias, & ſic appeteret naturaliter propriam deſtructionem. Sed hoc ad ridicula ſpectat. Vel corpus illud haberet organizationem figuram, & reliqua accidentia muris. Vel non. Si primum; appeteret quidem felis comedere illud, ſed ubi primum infigeret dentes, ſentiret eſſe corpus ſuum, & propter dolorem abſtineret à morſu. Si ſecundum; non appeteret illud comedere, quia hic appetitus non excita-

T 2 tur

Digitized by Google

tur immediatè formaliter à forma muris informante illud corpus; ſed ob organizatione, figura, & reliquis accidentibus non fictis, ſed veris muris. Ergo ſi hæc non inerant illi corpori, nec in fele excitarent appetitus devorandi illud. Quinta ſumitur ex defectu libertatis indifferentiæ in utravis anima rationali, ſi duæ informarent idem corpus: quandoquidem neutra poſſet exercere functiones humanas, niſi conſentiente altera. Item cum poſſet una bene vivere, & altera ſceleratè; corpus quod utraque habuit ſocium operationum ſuarum, non poſſet eſſe ſocium præmii, ac ſupplicii æterni, aut ſimul cruciaretur, atque bearetur in æternum. Neutrum urget. Non primum, quia libertas indifferentiæ exercetur immmediatè per actus internos ſpirituales immanentes adæquatè in anima, atque per ipſorum omiſſiones. At quamvis in actionibus corporis, quæ ſolum ſunt mediatè liberæ, una anima penderet ab altera, & neutra eſſet ex ſe plenè libera quoad illas; quoad alias tamen merè internas ſpirituales, atque adæquatè immanentes in ſola anima, nulla penderet ab altera: nam licet utravis egeret corde, & cerebro ad concipiendum actus illos ſuos internos, neutra poſſet impedire alteri uſum illarum partium in ordine ad actiones ſpirituales privativè ſuas, ergo licet neutra haberet plenam ex ſe libertatem, quoad functiones, atque actiones corporis; utravis poſſet habere illam, quoad actus purè internos, & ſpirituales, in quibus ſolis ſtat libertas immediata paſſiva. Non ſecundum; quia caſus qui diſputatur eſt prorſus alienus à præſenti Providentia in qua Deus liberè decrevit reſurrectionem mortuorum, æternamque corporum felicitatem, aut infelicitatem. Ergo caſus, qui diſputatur nempe concurſus duarum animarum rationalium in eodem penitus corpore, non eſt regulandus per leges præſentis Providentiæ. Ergo licet in hac, corpus ſit futurum æternum ſocium præmii, aut ſupplicii, non tamen in caſu eo. Contigeret ergo illi corpori, quod Deus vellet, & quod Deus ſcit.

178. Sexta ratio ſumitur ex abſurdo. Si enim duæ formæ ſubſtantiales numero, aut ſpecie diſtinctæ poſſent informare eandem numero materiam, ſequeretur poſſibiles eſſe duos homines non diſtinctos inter ſe adæquatè, quinimò inadæquatè identificatos, ſi videlicet eidem corpori uniret Deus duas animas rationales, nam complexum humanum ex anima A, & corpore illo conſtitueretur per eandem penitus materiam per quam conſtitueretur complexum humanum ex anima B, & illo eodem corpore. Unde poſſibiles ſunt innumeri homines, cum quibus unuſquiſque noſtrum identificetur inadæquatè, ſiquidem ſunt poſſibiles innumeræ animæ rationales unibiles huic noſtræ individuæ materiæ. 2. Homo non diſtingueretur adæquatè ab equo, à cane, ab ullo animali, imò neque à mixto ullo, imò neque ab elemento. Unde duo diſtincta ſpecie, imò, & genere, poſſent non diſtingui adæquatè, ſed identificari inadæquatè; quoniam cujuſcunque harum ſpecierum forma uniri poſſet materiæ cujuſcunque hominis, ergo tunc darentur duo compoſita ſubſtantialia inadæquatè ſolum diſtincta, & inadæquatè identificata, unum reſultans ex forma humana, & illa materia:

Digitized by Google

ria: Et alterum ex illa eadem materia, & forma equina, v. g. aut forma arboris, aut forma piſcis: Sed primum complexum eſt homo; ſecundum verò eſt equus, aut arbor &c. Ergo tu, & ego, & quivis alius homo ſumus phyſicè indifferentes, ut identificemur, aut non identificemur inadæquatè cum cane, cum equo, cum fele, cum pyro, cum herba &c. quandoquidem ſumus phyſicè indifferentes, ut noſtræ huic eidem materiæ uniat Deus aliquam ex his formis ſubſtantialibus: & poſito hoc non diſtinguemur adæquatè, ſed tantum inadæquatè ab illo equo, ab illo cane, qui tunc daretur. Si autem unuſquiſque noſtrum eſt phyſicè indifferens, ut ſit inadæquatè equus, canis, felis, aquila, veſpertilio, pomum, ut quid adducitur in exemplum rei chimæricæ hircocervus? Item. Eſto quod Deus uniret tuæ iſti materiæ primæ formam hujus ejuſdem muſcæ A. Tunc reſultaret muſca diſtincta quidem inadæquatè ab hac, ſiquidem unum phyſicum conſtitutivum ipſius foret diverſum, nempè materia prima; at illa non diſtingueretur inadęquatè à te, quippe quæ eſſentialiter conſtitueretur per eandem penitus materiam per quam tu conſtituereris. Ergo hæc eadem numero muſca, quæ modo hic volat, quæque adæquatè diſtinguitur à te, ſumpta ſaltem inadæquatè poteſt non diſtingui adæquatè à te.

179. Ad pompam hæc, vel terrorem poſſunt dici. Reſpondeo. Quinque plurimum diverſa diſtinguere oportet inter philoſophandum hac ſuper re. Primum. *Hominem v. g. eſſe, aut poſſe eſſe equum v. g.* Hoc eſt prorſus falſum. Et in hoc ſenſu hircocervus eſt chimæra; quoniam homo eſſentialiter conſtituitur in recto per materiam, & formam rationalem, & equus per materiam, & formam equinam. Ergo ut ſit verum, hominem eſſe equum, neceſſe eſt materiam hominis eſſe materiam equi: & formam rationalem eſſe formam equinam. At quamvis poſſibile ſit primum, impoſſibile penitus eſt ſecundum, & ex primo non ſequitur. Ergo ex veritate noſtræ ſententiæ, videlicet, quod una eademque materia poſſit eſſe, cui ambæ illæ formę uniantur, non ſequitur hominem eſſe, aut poſſe eſſe equum. Secundum. *Hominem eſſe, aut poſſe eſſe inadæquatè equum*, loquendo de homine illo, & equo illo individuis qui habent diverſas materias. Et hoc etiam impoſſibile; quoniam hic individuus homo eſſentialiter conſtat hac individuâ materiâ, ut infra dicam cap. 7. Ergo omnis caſus, in quo abſit hæc individua materia, aut hujus hominis, aut hujus equi eſt caſus, in quo abeſt hic individuus homo, aut hic individuus equus. Sed quando illius individui equi anima uniretur non illi individuæ materiæ cui modo unitur, ſed materiæ tuæ, aut vice verſa, abeſſet altera individua materia. Ergo tunc abeſſet alter individuus homo, aut equus. Ergo nunquam verificari poteſt, hominem eſſe, aut poſſe eſſe, *adhuc inadæquatè* equum, loquendo de homine illo, & de illo individuo equo qui habent diverſas materias; quamvis poſſit verificari hominem eſſe inadęquatè illum individuum equum ſumptum inadæquatè, ut dicitur in tertia probatione, quia hoc nil aliud eſt, quam hominem poſſe conſtitui per eandem materiam per quam conſtituatur equus compoſitus ex

una

una parte iſtius individui equi, nimirum per eandem animam equinam, quæ unita uni materiæ conſtituit unum equum, & unita alii conſtituit alium inadęquatè diſtinctum. *Tertium*. Hominem quemvis poſſe eſſe inadequatè quemvis equum. Et hoc etiam eſt impoſſibile; loquendo ut nuper de individuo homine, atque individuo equo habentibus materias diverſas. Quartum. Hominem eſſe, aut poſſe eſſe inadęquatè equum, *quatenus ſit intrinſecum, & eſſentiale conſtitutivum illius*. *Aut vice verſa*. Hoc etiam eſt impoſſibile; quamvis enim homo aliquis conſtitui poſſit per materiam, quæ ſit equi, eo quod forma equina ſit illi quoque unita: & vice verſa. Attamen neque homo ullus poteſt unquam conſtitui eſſentialiter per formam equinam, nec ullus equus poteſt unquam conſtitui per formam humanam. At equus eſſentialiter imbibit formam equinam: & homo formam humanam. Ergo neque homo ullus poteſt unquam conſtitui eſſentialiter per equum, neque equus per hominem. Ergo impoſſibile eſt hominem ullum eſſe inadæquatè equum, quatenus ſit eſſentiale conſtitutivum illius, aut vice verſa.

180. *Quintum*. Quemlibet hominem poſſe eſſe inadæquatè *aliquem* equum, quatenus homo quilibet conſtat eſſentialiter materia, cui poteſt Deus unire formam aliquam equinam. In quo caſu darentur duo compoſita ſubſtantialia, unum reſultans ex anima rationali, & materia unitis, quod compoſitum eſſet eo ipſo homo: & alterum reſultans ex forma equina, & illa eadem materia unitis, quod compoſitum eo ipſo foret equus. Et hæc duo compoſita, ut pote conſtantia eadem ipſa materia non forent adæquatè diſtincta. Hoc eſt, quod ſequitur ex noſtra ſententia. Sed hoc non imbibit ullam contradictionem; quatuor priora ſunt planè impoſſibilia, ut dixi; ſed nullum ex illis ſequitur ex ſententia noſtra; quamobrem in abſurdis objectis diſtinguendum ſemper eſt illud *inadæquatè*. Et concedendum illud ſequi, quatenus homo quivis, v. g. conſtat eſſentialiter materia cui divinitus poteſt uniri aliqua alia forma ſubſtantialis, ſive humana, ſive belluina, ſive alius mixti, ſive puri elementi (hæc namque eſt concluſio præſens) negandum verò illud ſequi in aliquo alio ex quatuor illis ſenſibus prioribus; quod ſi quæras eſſet ne ſubſiſtens, eſſet ne perſona, eſſet ne purum ſuppoſitum monſtrum illud? Nego ſuppoſitum, quia non eſſet *unum*, ſed *duo* monſtra inadæquatè diſtincta. Unumquodque ſubſiſtens, ſive exiſtens per ſe. Non ſanè perſeitate excludente inadæquatam identitatem unius cum altero; ſed perſeitate excludente unionem phyſicam actualem, atque aptitudinalem (in ſenſu quem explicui diſp. 4. logicæ majoris cap. de ſubſtantia) unius cum altero. Ambæ quippe formæ eſſent in eadem materia, & conſequenter in eodem loco extrinſeco, & conſequenter penetratæ; aſt non eo ipſo forent phyſicè unitæ mutuo. Siquidem etiam Deus eſt in eodem loco in quo ſum ego; quoniam ob ſuam immenſitatem eſt ubique, & tamen non unimur phyſicè. Rurſus compoſitum reſultans ex anima rationali, atque materia eſſet perſona, quia eſſet rationalis natura. Coalitum verò ex forma equina, & illa eadem materia eſſet purum ſuppoſitum, quia eſſet natura irrationalis.

Dico 3.

§. IX.

181. DIco 3. Multæ partes ejuſdem continuæ materiæ natura-
liter informantur per eandem penitus formam. Secus ſi
materia ſit diſcontinua, hoc eſt non unita quamvis contigua, hoc eſt
quamvis habeat unas partes juxta alias eo modo, quo milites abſ-
que reciproca unione ſunt uni juxta alios, ſeu contigui inter ſe. Pri-
ma pars eſt manifeſta. Omnes namque partes carnis humanæ natura-
liter informantur per animam rationalem. Sed hæc eſt una, & ſimplex
in quovis homine. Ergo. Secundum probat experientia. Nunquam
enim novimus unam eandemque animam informare membrum aliquod
divulſum à toto corpore quamvis reſtet immediatum, quoad locum. Ex
qua notiſſima philoſophia intulit Auguſtinus. *Vis ergo, & tu vivere de ſpi-* *Aug. tract.*
ritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti. Nunquid enim corpus meum vivit de ſpiritu *26. in Io:*
tuo; meum vivit de ſpiritu meo, & tuum de ſpiritu tuo. Neq; opponas lacer-
tas, lumbricos, colubros, & vermes alios, qui in partes duas, vel plures
diviſi, in omnibus eliciunt vitales operationes, ut ſenſationem, mo-
tum progreſſivum &c. quia cum animæ beſtiarum illarum ſint diviſibi-
les non eſt una eademque penitus forma, quæ membra illa informat,
ſed diverſæ partes formæ, ſive animæ ejuſdem. Neque opponas 2.
aliquos expertos fuiſſe dolorem per aliquod tempus in manu abſciſſa à
brachio. Et confirmari poteſt hiſtoriâ illâ S. Joannis Damaſceni, qui *In vita ip-*
poſtquam fraude Iconomachi illius Imperatoris juſſus eſt per tyrannum *ſius Operi*
Damaſci mutilari dextrâ, qua credebatur ſcripſiſſe proditoriam quan- *præfixa.*
dam Epiſtolam, manum ſuam publico loco affixam popoſcit ob acer-
bos dolores, quos in ea ſentiebat. Etenim non diffiteor, poſſe, ac ſo-
lere homines experiri acerbos dolores, quando vident, aut vehementer
conſiderant, membra ſua abſciſſa à reliquo corpore; hoc tamen non
naſcitur ex eo, quod verè ſentiant *in eis membris*, niſi dicere velimus
animam eſſe diviſibilem, aut naturaliter exiſtere in pluribus locis di-
ſcontinuis; ſed partim naſcitur ex commercio ſpirituum, ac halituum,
adhuc durante inter corpus, & portionem illam abſciſſam, per quam
halituum lineam communicatur corpori cauſa dolorifera inſidens illi
portioni, ſicut fumanti adhuc candelæ communicatur lux per lineam
fumi (unde menſtruatus pannus vino imbutus interdum cauſat ebrieta-
tem in fœmina: & ſanguis nuper emiſſus ex vena, æſtivoque meridiano
Soli expoſitus, æſtum novum ciet in ægroto: & ſtercora recentia igne
obruta ſolent inducere pruriginem authori illorum; nempe ob adhuc
durantes lineas commercii ſpirituum) partim ex ſimpathia per aliquod
tempus durante inter reliquum corpus, & membra illa abſciſſa, par-
tim ex vehemente imaginatione, qua homo adhuc conſiderat, ut pro-
prium membrum illud, quod jam non eſt proprium, ſed abſciſſum. Sic
materna viſcera commoventur, ut commota ſunt meretricis illius, de

qua

3. Reg. c. 3. qua judicavit Salomon, quando videt mater, aut vehementer imaginatur puerulum ſuum torqueri. Non quia anima matris ſentiat verè, ac formaliter in corpuſculo filii; ſed partim propter ſimpathiam adhuc durantem inter ambo corpora, partim propter vehementem imaginationem, qua, mater adhuc conſiderat corpuſculum illud, tanquam partem viſcerum ſuorum. Deus autem, qui decreverat manum reſtituere Damaſceno precibus B. Virginis, utens illis cauſis naturalibus potuit illum movere, ut manum ſuam publico affixam loco poſceret à Barbaro illo, quondam Amico ſuo. Porro ſi ex hac doctrina inferas poſſe ægrotum curari, curando ſanguinem ex illo deciſum, jam vides peſſimam dialecticam inferendi univerſalia ex uno effectu ſingulari: & non eſſe idem tranſire unam vulgarem qualitatem per dictam comercii adhuc durantis lineam, ac tranſire omnes, quæ ſunt neceſſariæ ad ſanitatem ægroti.

181. Ex huc uſque diſputatis ſuper materia, & forma, duo conſtare videntur. Primum. Unamquamque ipſarum verè, & ſimpliciter eſſe *Naturam*, cujus definitio eruta ex verbis Ariſtotelis contraponentis naturalia artefactis, hęc eſt. *Principium, & cauſa motûs, & quietis* 2. Phyſic. cap. 1. *ejus; in quo eſt primò, & per ſe, ac non ſecundum accidens*, quem ſenſum reddunt græca verba. Dicitur. *Principium, & cauſa*, nempe activa, qualis eſt forma, aut paſſiva, qualis eſt materia. Communis namque Philoſophorum vox eſt, non ſolum formam, quæ radix eſt, & principium activum ſpecificarum operationum compoſiti; ſed materiam quoque eſſe naturam: cum ſit principium, cui ineſt forma per unionem ſaltem: & in quo recipiuntur ſaltem inadæquatè operationes propriæ compoſiti, vel ſaltem diſpoſitiones prærequiſitæ ad operationes illas, v. g. diſpoſitiones ad actus merè ſpirituales hominis, qui eo ipſo non recipiuntur in materia, recipiuntur tamen multæ ex diſpoſitionibus prævíis ad illos. *Motûs, & quietis*, ideſt, operationis, atque conſervationis rei factæ; non autem ſolius motus, & quietis localis. Et hęc eſt primaria notio, & quaſi teſſera *Naturæ* in præſentiarum, nempe eſſe principium operationum. Et hoc eſt quod paſſim notatur in ipſa per Philoſophos, & Theologos. Motus namque ſignificat paſſim apud Philoſophum, actionem, operationem; non quamcunque, nam creatio eſt etiam operatio, & tamen non venit ſub illo nomine; ſed actionem, quæ ſit eductio, receptio, & paſſio. Item *quies* non ſignificat otium, ſed conſervationem rei factæ. Ad conſervandum enim multò minor conatus requiritur, quàm ad primùm operandum, unde conſervatio vocatur quies, & quaſi otium, collata cum prima operatione juxta regulam quam paſſim invenies apud interpretes ſacros, nempe in comparationibus negatur uni, quod reſpectu alterius eſt longè minus. V. g. *Non addam ultra miſereri domui Iſrael; ſed oblivione oblivíſcar* Oſea 1. *eorum*. Cum tamen ad finem illius ejuſdem capitis dicatur. *Congregabuntur filii Iuda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput &c.* Item. Ezech. 16. *Iuſtificaſti Sorores tuas* (Sodomam nimirum, & Samariam) *in abominationibus tuis*. Et alibi paſſim. Additur *ejus in quo eſt*; quoniam licet natura

poſſit

poſſit eſſe,& ſit principium operationis,atque conſervationis in ſubjecto alio; aſt primariè, & per ſe eſt principium operationum, atque conſervationum ſpecificarum illius entis naturalis, in quo eſt, non inſtar accidentis in ſubjecto;ſed cujus eſt intrinſecum principium,& conſtitutivum. Tum quia conſtitutum ipſum excludit Ariſtoteles à ratione Naturæ in præſenti acceptione inquiens; *quod autem ex his eſt* (ſcilicet compoſitum, ſeu ens ipſum naturale) *natura quidem non eſt; ſed conſtat natura*,quemadmodum album non eſt albedo,ſed conſtat albedine:quod non tollit compoſitum ipſum ſubſtantiale, ſive ens naturale eſſe *naturam* in alia ex ſignificationibus mox dandis; tum quia ibidem excludit à ratione naturæ artem medicam, quæ eſt in Medico, nam licet hic arte quam habet ſanare poſſit ſe ipſum; verumtamen *ipſum eſſe Medicum, & ſanari, accidit.* *Ariſt. ibid. textu 12.*

§. X.

183. CÆterum cum hæc vox *Natura* anceps ſit, atque ambiguæ valdè ſignificationis apud Authores, ut videre potes, apud Conimbricenſes, memineris datam definitionem non convenire ſequentibus. 1. Natura ſolet ſignificare Deum ipſum, qui ab Auguſtino vocatur *Natura creatrix*, & ab aliis univerſalis Natura. 2. Complexum, non quidem ex omnibus creaturis actu exiſtentibus, nam inter has ſunt multæ entitativè ſupernaturales, ut unio hypoſtatica, gratia ſanctificans &c. ſed ex omnibus illis aliis, quæ componunt hanc mundanam machinam, vel ei ſunt debitæ, aut proportionatæ ejus viribus. Et in hoc ſenſu verificantur Aphoriſmi illi, quos conglobant ibidem dicti Conimbricenſes, quoſque explicui in Prodromo, v.g. *Naturam nil fruſtra agere. Facere optimum quod poteſt &c.* quia licet inter has res deprehendantur multæ, aut monſtruoſæ, aut violentæ, aut ſuperfluæ reſpectu unarum cauſarum; aſt neceſſariæ ſunt reſpectu activitatis cauſarum aliarum, ut folium A, arboris A, in ſylva A, certè non eſt neceſſarium, ut ſubſiſtant ſatellites Jovis, vel Saturni; ſed eſt neceſſarium ad ſatisfaciendum activitati, & fęcunditati illius individuæ arboris, & illa arbor individua ad ſatisfaciendum fęcundati illius cauſæ, quæ illam genuit. Item motus lapidis ſurſum eſt violentus lapidi; ſed abſolutè eſt naturalis, nempè juxta naturam impulsûs, quo jactus fuit. Item generatio muli, hydræ, & ſimilium eſt monſtroſa reſpectu aliorum; aſt naturalis reſpectu colluviei, ſive commixtionis aliarum cauſarum ibi concurrentium. Nimirum adſcribendi gratia juſtum nomen, ac denominationem effectibus his prodeuntibus ex cauſis non liberis, non eſt attendenda quælibet ex illis, ſed illa, quæ præpotens eſt viribus, aut conatu. Ergo ſi effectus fuerit naturalis reſpectu hujus, abſolutè, & ſimpliciter dicendus naturalis, quomodolibet ſit reſpectu aliarum. Significat 3. complexum ex omnibus his, & inſuper ex omnibus illis poſſibilibus, quæ his ſunt activitate, atque phyſica con-

Conimbricen. 2. Phyſic. q. 1. art. 1.
Aug. 15. de Trin. c. 1.

connexione, ſive exigentia æquales. V. g. ex multis aliis mundis poſſibilibus, conſtantibus ex aliis Angelis, hominibus, Syderibus, elementis &c. æqualibus huic præſenti mundo.

184. Et hanc reor Theologicam acceptionem naturæ, quando Theologi ajunt rem aliquam eſſe ſupernaturalem, ſeu ſupra vires adæquatas, appetitumque innatum totius naturæ, ut ſunt Fides, Spes, Charitas, Pœnitentia, auxiliaque Dei conducentia ad reconciliationem cum Deo. Nimirum ea ſunt hujuſmodi dona, ut quamvis convenirent in unum cunctæ ſubſtantiæ creatæ incompletæ, aut completæ, Angelicæ, elementares, mixtę (inter quas jam vides non habere locum unionem hypoſtaticam, quæ utique eſt ſubſtantia de facto exiſtens), item cum accidentia his debita, ſeu horum viribus adæquatis producibilia: item cunctæ ſubſtantiæ creatæ, atque accidentia poſſibilia his præſentibus æqualia viribus, & exigentia, non poſſent producere, aut facere ſibi debitam ullam, vel minimam inſpirationem Spiritûs Sancti ex eis quas toties ſpernimus, ullum vel minimum actum fidei, ſpei &c. ex eis, qui conducunt ad vitam æternam; tametſi omnipotens divina virtus poſſit producere alias ſpecies, atque ſubſtantias, quæ ſuperarent has dictas, & quæ viribus adæquatis (ſuppoſito ſemper indiſpenſabili concurſu Dei) poſſent efficere aliqua, vel multa ex illis, quæ quoad nos, & in ſenſu intento à Patribus, ſunt ſupernaturalia, quæ tamen reſpectu illarum creaturarum non forent ſupernaturalia. Et hoc eſt rem aliquam eſſe abſolutè, ac ſimpliciter ſupernaturalem in ſenſu Theologico; Nimirum eſſe ultra vires adæquatas (non tamen inadæquatas, ſiquidem principia ſupernaturalia quibus nos de facto adjuvat Deus, non ſunt tota ratio agendi ſupernaturalem actum) nec non ultra naturalem phyſicam connexionem prædictarum omnium ſubſtantiarum, atque accidentium, inter quas intellige Angelos etiam, qui quanquam ſublimes ſint, & excelſæ ſubſtantiæ, & ſupra inferiores has naturas; at non ſunt abſolutè ſubſtantiæ ſupernaturales, ſed entitativè naturales. Complexum ergo ex illis omnibus eſt quod vocatur natura in ſenſu Theologico, & de quo plane intelligitur tota doctrina ſacra circa ſupernaturalitatem, & circa impotentiam naturæ ad ſe præparandum amicitiæ divinæ; quod inſinuaſſe ſufficiat pro intelligentia gravium quarundam difficultatum, quæ occurrunt in Theologia circa naturale, & ſupernaturale.

185. Significat 4. eſſentiam, & quidditatem cujuslibet rei; unde dicere ſolemus. Hæc res ex ſua natura, hoc eſt, ex ſua eſſentia, & quidditate, habet talem, aut talem proprietatem. Et in hoc ſenſu charifmata etiam ſupernaturalia ſunt natura, quia habent ſuam eſſentiam, & quidditatem, non enim ſunt phantaſmata, ſeu entia rationis. Item unio ſupernaturalium donorum cum anima, vel Angelo, eſt naturalis non abſolutè, ſed reſpectivè ad ea dona, quia hæc, ut pote accidentia ex ſua eſſentia connectuntur phyſicè connexione per Deum violabili, cum unione ſui ipſorum cum aliquo ſubjecto. Eſt tamen diſcrimen, quod benè notarunt PP. Conimbricenſes, ubi nuper, *quid-*

ditas

ditas alludit ad definitionem,qua explicamus res. *Eſſentia* ad ipſius integritatem. *Natura* ad ipſius operationes. Unde in tribus divinis Perſonis eſt eadem quidditas, eadem eſſentia, eadem Deitas, eadem quoque natura; non ſecundum ordinem quem innuit natura ad phyſicam actionem ad intra, quia Filius non habet virtutem communicandi naturam divinam per Generationem, ſicut Pater,ſiquidem non eſt poſſibilis alius Filius; ſed per ſpirationem; & Spiritus Sanctus, nec per generationem, ne per ſpirationem, quia non eſt poſſibilis quarta perſona. Ast tam Filius, quàm Spiritus Sanctus fruuntur fęcunditate ad intellectiones, atque volitiones, nec non ad operandum phyſicè ad extra, eò quod utravis fęcunditas, ſeu energia ſit in ipſa Deitate, quæ communis eſt tribus Divinis perſonis. Sed de hoc alibi. Significat 5. inclinationem, ſive appetitum proprium uniuſcujuſque rei, atque effectus inde oriundos. Significat 6. collectionem cauſarum infra firmamentum. Unde dicimus naturaliter pluit, tonat, premit frigus, urget calor &c. quamobrem ſi cauſa aliqua Superior, puta Angelos illos præpotentes Apocalipſis, inverteret hunc tenorem temporum, lucis, tenebrarum, & ſimilium, quæ fuerunt ab initio Mundi, inverſio ea foret ſupernaturalis; non abſolutè, ſed reſpectivè ad has nobis vicinas cauſas, quæ ſunt infra firmamentum. Significat demum ea vox *Natura*, multa alia minus propriè, quæ uſu diſcuntur. Nulli tamen ex his datur definitio illa Ariſtotelica; ſed ei ſoli rei, quæ cum ſit principium intrinſecum entium naturalium nobis familiarium, eſt cauſa activa, vel paſſiva ſpecificarum operationum, atque conſervationum, quibus pollet illud ens naturale. Unde ſola materia, & forma ſunt propriè natura juxta illam definitionem: materia propriè; forma propriiſſimè juxta diverſitatem cauſæ paſſivæ, ac activæ, quarum hæc magis propria eſt quam illa. *Apocal.* 8.

186. Alterum quod conſtare videtur ex ſupra diſputatis eſt; quid ſentiendum ſit de indifferentia animæ rationalis ad informandum portiones diverſas materiæ. Item ad tranſeundum ex unis ad alias. Item ad tranſmigrandum de corpore ad corpus. Item ad informandum materiam informatam per aliam rationalem animam. Inprimis in ætate virili informat multas portiones materiæ, ſcilicet aquiſitas per nutritionem, quas non informabat in ætate puerili; atque ob reactionem agentium contrariorum non informat jam portiones multas materiæ quas informabat in juvenili. Ergo hæc ſpecies indifferentiæ ad informandum alias partes materiæ, nec non ad tranſeundum ex unis informatis, ad alias informandas, non poteſt negari formæ rationali, quæ ſemper eſt eadem indiviſibilis (en diſparitatem ad alias, quæ diviſibiles ſint, & capaces, ut creſcant, vel decreſcant, quoad numerum partium) ſuppoſito augmento ſubſtantiali hominis per nutritionem, ac ſubſtantiali decremento per ſenectutem, aut morbos, aut mutilationes. 2. cum forma rationalis informet partes materiæ quas acquirimus per nutritionem ex alimentis: & hæc tot ſint, ac tam varia in toto vitæ decurſu: & illorum materia nunquam fuerit vacua omni forma

ab initio mundi, & tot ſubierit mutationes ſubſtantiales, quis ſcit ſub quibus formis fuerit ab initio Mundi materia alimentorum, quibus hactenus alitus es, & quam modo habes tibi propriam, & cui modo unita eſt anima tua? Certè Antropophagi unitam habent animam multis portionibus materiæ, quibus olim unita erat anima alia rationalis. 3. ſine ulla contradictione potuit antecedenter Deus ſtatuere quod animæ poſt mortem hominis tranſmigrarent ad alia corpora ob multiplices fines, quos habere poterat. De facto autem contingere hanc tranſmigrationem Pytagoream, quæ altè inſedit mentibus tot cæcorum, quoties proſcriptum in Eccleſia? Lege autem Epiſtolam Juſtiniani ad Menam contra Origenem damnatum in quinta Synodo, & quæ infra dicam ex Concilio Florentino diſputans de materia primigenia. Ex his autem nil ſequitur contra diſtinctivum materiæ à forma, ſcilicet, contra indifferentiam materiæ ad varias formas, ut jam adverti ſupra.

CAPUT SEXTUM.

De Unione.

187. EXPLICATIS jam principiis intrinſecis entis naturalis, tum in genere, tum in ſpecie, reſtat explicanda *principiatio*, ſive illorum *unio*. Hæc in genere eſt. *Vinculum, ſeu nexus, ſeu ligamen aliquorum*, ſint duo vel plura. Ad minimum duo eſſe debent, quia preſsè loquendo, nil unitur ſibi ipſi. Eſt multiplex; alia namque eſt unio moralis. Alia Phyſica. Moralis poteſt eſſe multiplex. 1. ratione ſanguinis. Sic homines omnes familiæ ejuſdem ſolent dici uniti, quatenus originem trahunt ex eodem communi Parente. 2. ratione *amicitiæ*, & ſic dicuntur uniti duo, vel multi amici, &

1. Reg. 18. *anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David*. 3. ratione *communis Dominii ſupra idem*. Et ſic conjuges, quamvis non valdè ſe diligant, di-

Geneſ. 2. cuntur *duo in carne una*, etiam quia in ordine ad prolem alter habet

Epheſ. 5. dominium ſupra corpus alterius. 4. ratione *commixtionis ſanguinum*.

1. Cor. 6. *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur*, quam rationem quoque pro conjugibus profert Apoſtolus. 5. ratione *ſubjectionis* eidem perſonæ. Et ſic omnes populi unius Monarchiæ dicuntur uniti, quia licet habeant diverſas municipales leges, eundem Regem agnoſcunt. 6. ratione ejuſdem *objecti materialis, ac formalis*. Sic omnes actus, & habitus fidei ſparſos per cunctos fideles vocat Paulus *Una*

Epheſ. 4. *fides*. 7. ratione *conatûs* in idem. Et ſic populi confœderati dicuntur uniti, quatenus omnes conſpirant in aliquod idem. 8. ratione ſimilitudinis alicujus ſpecialis, puta in moribus, in opinione aliqua, in vitæ tenore, in veſtibus &c. 9. ratione æquivalentiæ, aut virtualitatis.

Sic

Sic quando ob ingruentes neceſſitates creſcit ultra valorem intrinſecum publica authoritate valor monetæ, huic unitur incrementum æquivalenter quoad civiles contractus illius populi. 10. ratione ſpecierum quibus ſolemus apprehendere res. Sic quia in denominationibus extrinſecis ſolemus apprehendere formam, ut unitam ſubjecto, ideſt, per ſpeciem rei unitæ ſubjecto, ſicut apprehendimus Angelos, ut juvenes, ideſt, per ſpeciem Juvenum: ideò illæ formæ dicuntur uniri moraliter eis ſubjectis: & ideò multi à quibus diſceſſi in logica minore diſp. 3. num. 123. cenſent omnes illas denominationes conſtitui per ens rationis. Multi igitur, & latiſſimi ſunt campi unionum moralium, quas modo non curo.

188. Unio phyſica, de qua ſola inpræſentiarum, eſt duplex. Una ſubſtantialis, ut unio corporis, & animæ. Altera accidentalis, ut unio corporis cum albedine, v. g. Utravis poteſt eſſe intrinſeca, vel extrinſeca: quæ diviſio non eſt intelligenda relatè ad totum illud, quod reſultet ex unitis extremis, quoniam reſpectu hujus intrinſeca eſt, & eſſentialis unio ſuarum partium: unde unio albedinis cum hac carta eſt quidem huic extrinſeca, ſed intima, & eſſentialis reſpectu albi, ut albi. Igitur unio accidentalis intrinſeca eſt illa, quæ in altero ſaltem recipitur extremo, vel alterius terminat connexionem, ut unio materiæ cum quantitate ex hypotheſi, quod hæc diſtinguatur realiter ab illa Materia, namque ex ſe connectitur cum unione quantitatis, & hæc cum unione materiæ. Unio accidentalis extrinſeca vocari ſolet unio moralis, de qua nuper; ſed etiam poteſt eſſe unio phſiyca, v. g. unio, quæ in neutro recipitur extremorum unitorum, ut eſt unio phyſica contiguitatis ſolius; nam hæc adæquatè ſumpta in neutro extremo recipitur adæquatè, & eſt accidentalis tum logicè, quia contingenter prædicatur de illis v. g. de militibus confertis, ac contiguis, tum phyſicè, quia ſtat in præſentia locali. Unio ſubſtantialis intrinſeca eſt unio materiæ, ac formæ ſubſtantialium, de qua poſtea. Extrinſeca eſt vinculum illud, ſeu ligamen, quo aliqua invicem copulantur. V. g. funis, ferrum, & ſimiles aliæ entitates ſubſtantiales, quibus alias unire ſolemus, & quaſi in unum colligere. Et hæc etiam eſt unio contiguitatis, quia inſtrumentis illis nil aliud facimus, quam quod unum firmetur, ac per modum quaſi habitus permaneat in loco proximo illi alii loco, in quo eſt alterum. Sed adverte. Funis, annulus, catenæ ferrum, & ſimilia, quibus unum extrinſecè unitur alii, quoad contiguitatem, hoc eſt quoad locum præcisè, ſunt duntaxat unio, ut *quod*; nempe ſunt id, quod unum cum altero unit; non tamen ſunt actualis, formalis, abſoluta, & immediata unio, contiguitaſve unius, vel alterius; quia hæc ſtat phyſicè formaliter immediatè in præſentiis, quas extrema unita habent in locis mutuò proximis, nec non in præſentia quam vinculum illud habet in tali loco, ut non facilè ſinat illa altera dividi, hoc eſt mutare illas præſentias. At quamvis vinculum, funis, ferrum &c. nec ſit modus illorum extremorum, nec cum illis connectatur metaphyſicè, ut patet; complexum ex illis tribus præſentiis eſt en-

entitas modalis, & eſt per ſe metaphyſicè connexum reſpectivè cum eis extremis, ſiquidem eſt actuale, abſolutum, immediatumque exercitium, quo illa extrema ſubeunt denominationem contiguitatis, ſeu exiſtendi ſine alia unione in locis immediatis; quæ denominatio non eſt ex illis, quæ ex genere ſuo identificantur cum extremis denominationis, ut identificantur denominationes *diſtincti*, *identificati*, *Animalis*, *entis*;& ſimiles,ergo quamvis unio,*ut quod*,nec ſemper ſit modus,nec ſemper connectatur metaphyſicè cum extremis;unio tamen,*ut quo*,ideſt, actualis,formalis,& immediata unio cōnectitur metaphyſicè cum extremis,eſtque eorundē modus phyſicus: quod notaveris pro infra dicendis.

189. Unio ſubſtantialis intrinſeca, alia eſt compoſitionis, v. g. qua materia, & forma uniuntur, & componunt ens naturale, de qua infra. Alia continuitatis, qua nimirum ita invicem copulantur partes integrantes alicujus compoſiti, ut non ſolum unæ ſint proximæ alteris, ut accidit in unione contiguitatis, qua milites componunt unum ordinem in acie; verum etiam ſimpliciter, & abſolutè ſunt invicem unitæ, ſicut manus verè eſt unita brachio, brachium humero, humerum tergori, tergus reliquo corpori, quæ membra ob hanc rationem dicuntur non ſolum *contigua*, ſed verè, & ſimpliciter *continua* inter ſe. Hæc continuatio, ſive unio continuativa, non ſtat præcisè in eo, quod unum ita ſit proximum alteri, ut nullum corpus mediet: nam certè nullum mediat inter hanc manum, & atmoſphęræ ambientem partem; tamen hæc manus non habet unionem continuativam cum athomis atmoſphęræ. Interdum ergo ſtat (in ſenſu nuper dicto de fune, ferro &c.) in minutiſſimis corpuſculis, viſcoſis, tenacibus, glutinoſis nectentibus una puncta phyſicè indiviſibilia,juxta dicta alibi, illius corporis continui ſecum ipſis, & cum aliis. Congeries autem utrorumque corpuſculorum, ſive punctorum (quorum una ſunt viſcoſa, & tenacia, atque ideò unitiva, ut quod, altera verò non ſunt ejus conditionis, ut non ſunt puncta materiæ primæ) dat corpus illud continuum, & non merè contiguum. Talia ſunt corpora illa continua, quæ ignis energiâ reſolvuntur, quoad ſenſum, in fumos, ſalem, ſpiritus &c. Abſumens quippe ignis humidum radicale, ſeu gluten, ac viſcoſas particulas ſparſas per totum illud corpus, tenaciterque nectentes illas alias particulas, eſt in cauſa, ut hæ invicem ſeparentur, & gravioribus ruentibus, leviores diſſipentur, & hàc illàc vagentur. Unio itaque continuativa ſumpta, *ut quod*, ſtat multoties in particulis alius entis naturalis, & conſequenter in particulis ſubſtantiæ compoſitæ ex puncto materiæ, & ex puncto formæ glutinis, ſeu viſci proportionati naturæ illius entis naturalis principalis, v. g. Humani: quæ particulæ, ſicut clavus, affigunt unas partes integrantes illius principalis corporis cum aliis. Hujuſmodi autem puncta unitiva compacta ex puncto materiæ, atque puncto formæ viſci, ſive glutinis proportionati, ſunt unio, *ut quod* (nam unionem, *ut quo*, jam dixi ſtare in eis præſentiis) intrinſeca; nam ſanè per identitatem, non per unionem, aut receptionem in illis alteris punctis illius corporis continui; ſed quatenus

per

per viſcera tota illius continui ſecundum profunditatem, latitudinem, & longitudinem ſparſa, ſunt intimè, & non ſicut funis, ferrum, aut vinculum per externam ſuperficiem colligans corpora alia. Hoc interdum contingere, videtur ſatis veriſimile, tum ob experientiam, qua novimus pleraque ex his corporibus nobis familiaribus conſtare humido quodam, ſeu viſco, ſeu glutine radicali, quod eo ipſo natum aptum eſt ad conſervandum non tantum *contiguas*, verum etiam *continuas* partes horum corporum; tum ob experientiam Alambici diſſipantis multa ex his corporibus, quæ diſſipatio trahere originem videtur ex deſtructione viſci, ac glutinis illius interioris, quo partes illorum corporum conglutinabantur, & ſic formabant corpora illa continua.

190. Interdum autem unio continuativa eſt entitas quædam modalis, cujus eſſentia ſtat in eo, quod nectat unam partem corporis continui cum alia (& tunc eſt entitativè accidentalis, cum neque ſit ſuppoſitum, nec pars eſſentialis, ſed ſolum integralis conſtitutio ſuppoſiti; & conſequenter tunc non continetur ſub hoc diviſo *unio ſubſtantialis*) tunc inſuper intrinſecè recipitur in parte illa, quam popoſcerit concurſus cauſarum naturalium, quæ formaverint continuum illud, aut ſi nullam poſcat determinatè, recipietur in parte illa, quam præfinierit cauſa prima, cuius eſt determinare quoad individuum cauſas ſecundas, quando hæ nequeunt ſe determinare, juxta illa, quæ dixi diſputans de continuo. Etenim quoties experimur effectum aliquem, ſive denominationem, qua poteſt carere ſubjectum habens illam, aſſignari oportet aliquid, quod ſit actuale abſolutum formale, & immediatum exercitium ſubeundi illam. Ab indifferenti enim, ut indifferenti indifferentiâ, quæ non eſt liberi arbitrii, nequit oriri determinatio, quo circa ſi ſubjectum eſt indifferens phyſicè ad ſubeundum denominationem, debet aliquid eſſe, quod per ſe formaliter immediatè, actu, abſolutè actuet eam indifferentiam, quando illa actuatur. At experimur partes corporis continui actu phyſicè uniri inter ſe, cum tamen illæ per ſe ab intrinſeco ſint phyſicè indifferentes, ut ſic uniantur, quia ſine ulla contradictione poſſunt eſſe ſeparatæ, ſi videlicet continuum illud reſolveretur in fumum, ſive in pulverem. Ergo aſſignare oportet aliquod actuale, abſolutum, formale; & immediatum exercitium, quo partes illæ uniantur. At hoc exercitium non ſemper eſt gluten illud, ſive humidum, ſive viſcus radicalis, aut quid ex illo proveniens; quoniam licet eum viſcum, aut gluten, ſive humidum pingue radicale deprehendamus in pleriſque continuis ſublunaribus. Item quamvis ſit probabile aſtra omnia, tum errantia, tum inerrantia componi ex ſolido, & fluido; aſt difficile creditu eſt, repugnare continuum naturale, quod non habeat prædictum tenacem viſcum ſparſum per cuncta ſua interiora, cum ſint aliqua continua quorum partes non diſſolvuntur per conſumptionem ullius humidi radicalis, ſed vel alio, vel nullo penitus modo. Ergo oportet aſſignare ſaltem, ut naturaliter poſſibile aliud exercitium diſtinctum ab eo humido radicali. Hoc eſt, quod voco unionem continuativam, cujus tota eſſentia eſt nectere unam partem illius

illius continui cum altera. Ex his duabus ſpeciebus unionis continuativæ, quandoque dabitur una, quandoque altera, quandoque ambæ in eodem continuo, ſed quoad diverſas partes.

§. II.

191. Denique unio ſubſtantialis intrinſeca compoſitionis alia eſt compoſitionis *entis naturalis*, ſeu qua uniuntur materia, & forma, & de hac modo. Alia compoſitionis *ſuppoſiti*, ſeu *perſonæ*, qua nimirum natura integra plena, & perfecta unitur ſubſiſtentiæ, quæ ſit poſitiva perfectio; & quia ſubſiſtentia Græcè dicitur hypoſthaſis, hac de cauſa unio integræ, ac perfectæ naturæ humanæ cum ſubſiſtentia, ſeu Perſonalitate Verbi Divini vocatur unio hypoſthatica, ideſt, ſubſiſtentialis; ſeu cum ſubſiſtentia. Ex huc uſque datis diviſionibus habes. 1. ſubjectum præcipuum hujus capitis eſſe ſolam unionem phyſicam, ſubſtantialem, intrinſecam compoſitionis *entis naturalis*, nempe unionem materiæ, & formæ ſubſtantialis. Habes 2. diſcrimina quibus hæc diſtinguitur reſpectivè ab aliis ſpeciebus unionum. Habes 3. illam non ſtare plenè, adæquatè, ac præciſè in eo, quod extrema unita utcunque ſint in eodem penitus loco, tametſi cum hoc intimè connectatur; quæcunque enim phyſicè uniuntur unione compoſitionis entis naturalis, aut ſuppoſiti, talia ſunt, ut ſaltem totum unum ſit in eodem loco, in quo eſt alterum, & cum eo intimè penetratum. Sed hoc non ſufficit, ut putabant illi quos citat Oviedo. Alias quoties duo eſſent in eodem penitus loco eſſent phyſicè unita, quoniam definitum, & definitio adæquata valent ad convertentiam. At eſt falſum, quod ſint phyſicè unita, ut dixi ſupra: ſiquidem Deus titulo ſuæ immenſitatis eſt in eodem prorſus loco, in quo eſt quævis creatura, & tamen non unitur phyſicè illi, ut conſtat: & Angelus ut pote ſpiritus poteſt penetrari cum corpore. Ergo. Et ratio eſt. Non omne penetrari eſt phyſicè uniri, & eſſe terminum connexionis, non eſt eſſe terminum identitatis. At eſſe in eodem penitus loco nil aliud eſt quàm penetrari, & eſſe terminum cum quo intimè connectitur prædicta unio. Ergo. Habes 4. unionem ſubſtantialem intrinſecam non poſcere, quod unum extremum ſit præſens *in omni loco*, in quo eſt alterum. Nam Humanitas Chriſti Domini eſt phyſicè intrinſecè ſubſtantialiter unita Verbo Divino. Et tamen non eſt phyſicè præſens in omni loco, in quo eſt Verbum; alioqui foret ubique. Ubiquiſtæ autem ſunt una ex prolibus Lutheri, qui non audentes negare veram, & realem præſentiam corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, ut retineant errorem ſuum negantem ibi poni ex vi verborum conſecrationis, comminiſcuntur immenſitatem Sacroſancti Corporis illius, & ajunt illud ob unionem cum Verbo eſſe ubique, ſicut eſt Verbum; & ideò vocantur Ubiquiſtæ. Similiter ſine deſtructione unionis animæ cum corpore poteſt Deus animam noſtram alibi

Oviedo contrav. 4 Phyſic. punc. 1.

Digitized by Google

alibi facere phyſicè præſentem. Habes 5. ut duo phyſicè, intrinſecè, ſubſtantialiter uniantur, opus non eſſe gemina unione, quarum una ſit in uno extremo, & altera in altero; ſed ſufficere unicam, receptam aut in uno ſolo extremo, ut recipitur hypoſtatica unio Humanitatis Chriſti ad Verbum, quæ utique in ſola Humanitate recipitur, neutiquam verò in Verbo, quia alias hoc intrinſecè mutaretur, quod abſit. (Unde unio hæc eſt corporea, & cum ſit etiam ſubſtantia, & intrinſecè ſupernaturalis, habes de facto dari ſubſtantiam corpoream intrinſecè ſupernaturalem) Aut receptam in utroque extremo, ut recipitur unio corporis, & animæ; quia licet hæc ſit ſpiritualis, nil obſtat quominus inadæquatè recipiat unionem illam, quæ corporea eſt, ſicut etiam recipit inadæquatè ſenſationes materiales, v. g. viſionem, auditionem, dolorem &c. alias non viveret in actu ſecundo per illas. Nempè ſubſiſtit in his quidditas corporeitatis, tametſi inadæquatè recipiantur in anima ſpirituali, ut dixi diſp. 4. logicæ majoris, capite de quantitate, inter explicandum conceptum corporis, & ſpiritus. Et ſic ſolvitur argumentum, quod ex P. Vaſquez ſumit Hurtado, ubi ſcribit materiam fore cauſam adæquatam unionis materialis ſicut formæ; ſed eſt diſparitas. Forma materialis non unitur alii ſubjecto ſubſtantiali, niſi materiæ ſoli. Congruum ergo eſt, quod ſi recipitur, in ea ſola recipiatur. Unio verò non unitur ſoli materiæ, ſed etiam per ſe immediatè unitur formæ, cujus eſt actualis unio, & quæ in eodem puncto loci eſt, in quo punctum materiæ. Ergo cum neceſſe non ſit diſtinguere hic ſubjectum unionis à ſubjecto receptionis, in forma etiam recipitur: quamobrem materializatio, ideſt, unio materiæ cum forma, & à parte rei informatio, ideſt, unio formæ cum materia (hæc enim informatio licet dicatur ſpiritualis ratione formæ rationalis; at entitativè in ſe eſt corporea, & materialis ſicut etiam hypoſtatica unio) Sicut amor, quo diligis Deum eſt amor, quo Deus diligitur à te; non quo Deus diligit te: quia te diligere Deum, & hunc diligi à te, diſtinguuntur ſola voce activa, & paſſiva. Te autem diligere Deum, & Deum diligere te, jam vides eſſe realiter diſtincta, & ſeparabilia, quandoquidem ſi juſtus es, Deus diligit te etiam dormientem, & tunc non diligis tu actu Deum.

P.Hurtad. diſp.5.phyſic. n.120. & 131.

192. Jam ratio hujus quintæ illationis eſt. Omne quod ex ſuo conceptu, ac quidditate eſt, non tantum illativè, verum formaliter immediatè vinculum, ſeu nexus duorum, per ſe ſolum ſufficit uniendo illa duo, & non poſcit duos nexus, quorum unus uniat unum cum altero, & alter uniat alterum cum uno. At omnis phyſica unio ex ſuo conceptu, & quidditate eſt vinculum, ſeu nexus duorum, non tantum illativè (quia hoc modo etiam quidquid eſt metaphyſicè connexum cum unione, ſed non eſt unio ipſa, eſt vinculum, ſeu nexus illorum) ſed formaliter, & immediatè. Nam hoc eſt quod formaliter præſefert hic conceptus *unio*, videlicet nexus, ligamen, vinculum duorum. Ergo omnis phyſica unio per ſe ſolam ſufficit uniendo duo, & non poſcit duos nexus, quorum unus nectat materiam, v. g. cum forma, & alter

Digitized by Google

formam cum materia : unus nectat Humanitatem Domini cum Verbo, & alter Verbum cum Humanitate. Dicendum ergo, quod ſicut non requiruntur duæ actiones, ſed una ſufficit, ut cauſa producat effectum, & hic producatur à ſua cauſa, nec requiruntur duæ cognitiones; ſed una ſufficit, ut potentia cognoſcat objectum, atque, ut objectum cognoſcatur à potentia: nec requiruntur duo amores, ſed unus ſufficit, ut potentia amet, atque ut objectum ametur. Ita non requiruntur duæ uniones formales, & immediatæ, ſed una ſufficit, ut A, uniatur cum B, & B, uniatur cum A; quia verò his exemplis contraponi poſſunt alia, v. g. ut Pater Æternus generet Filium non ſufficit unica generatio, ſed requiruntur duæ: una activa, qua Pater generat Filium, & vocatur *Paternitas*; altera paſſiva, qua Filius generatur à Patre, & vocatur *Filiatio* (item reſpectivè de ſpiratione activa, & paſſiva) Item ut duo ſint ſimilia albedine deſiderantur duæ albedines, una in uno, & altera in altero. Item, ut duo diſtinguantur, non ſufficit unica differentia individualis, aut ſpecifica ſimplex; ſed requiruntur duæ, aut una compacta ex duabus, quia requiritur differentia individualis identificata cum Petro, qua Petrus diſtinguitur à Paulo, & inſuper alia differentia individualis identificata cum Paulo, qua hic diſtinguitur à Petro: Unde fallax eſt illa propoſitio, qua irretiri ſolent logici videlicet. *Id quo Petrus diſtinguitur à Paulo, eſt id quo Paulus diſtinguitur à Petro.* Si quidem illud primum eſt differentia individualis Petri, hoc ſecundum differentia individualis Pauli; una autem indifferentia individualis non eſt altera: Unde falſum, vel ſaltem æquivocum eſt. Id quo Petrus diſtinguitur à Paulo, eſt id quo Paulus diſtinguitur à Petro. Quia, inquam, exempla hæc contraponuntur exemplis illis, & ſic non extinguitur, ſed augetur focus. Ideo in natura ipſa, & quidditate utrarumque rerum indagare oportet diſparitatem, aut paritatem.

193. Quoties extrema, de quibus fuerit ſermo, talia ſint, ut unumquodque per ſemetipſum habeat formaliter immediatè relationem illam, de qua eſt ſermo, tunc neceſſe eſt ponere duas inadæquatas relationes, & unam adæquatam compoſitam ex eis duabus, quarum una ſit in uno extremo, & altera in altero: quia tunc unumquodque extremum eſt relatio inadæquata, unde ſi extrema ſunt duo realiter diſtincta, neceſſe eſt, quod ſint duæ relationes inadæquatæ, realiter diſtinctæ; quando verò extrema ſint talia, ut vel non habeant per ſemetipſa eſſentialiter metaphyſicè relationem illam: vel illam habeant eſſentialiter, non tamen ratione identitatis, ſed ratione ſolius connexionis metaphyſicę. Tunc, niſi aliundè probetur poſitivè contrarium, dicendum eſt unicam ſimplicem relationem parem eſſe referendo unum alteri, & hoc alterum illi uni. At Æternus Pater & Filius tales ſunt, ut Pater per ſemetipſum formaliter immediatè habeat generare: quia per ſemetipſum eſt Pater, & Paternitas, unde ipſe eſt activa generatio. Filius item per ſemetipſum habeat formaliter immediatè generari: quia per ſemetipſum eſt Flius, & Filiatio, unde, & ipſe eſt ſua generatio paſſiva. Item Petrus, & Paulus, homo, & equus tales ſunt, ut

per

Digitized by Google

per ſemetipſum habeat unus formaliter immediatè non eſſe alter, quia unumquodque habet ex ſuamet eſſentia identificari cum quo identificatur, & diſtingui à quo diſtinguitur. Ergo unuſquiſque eſt ſua diſtinctio ab altero. Ergo in primo caſu neceſſe eſt fateri duas generationes, unam activam identificatam cum Patre, & illa eſt Paternitas: alteram paſſivam identificatam cum Filio, & illa eſt Filiatio. Et in ſecundo neceſſe eſt fateri duas diſtinctiones: unam identificatam reſpectivè cum homine, & Petro: alteram identificatam reſpectivè cum equo, & Paulo. Cæterum neque materia, neque forma, neque Humanitas, neque Verbum habent per ſemetipſa formaliter immediatè ratione identitatis, neque habent eſſentialiter ratione connexionis metaphyſicę *uniri phyſicè*, reciprocè, ut conſtat. Ergo niſi aliunde probetur oppoſitum, dicendum eſt, unicam ſimplicem ſufficere unionem (ſimplicitate utique, de qua modo, nempe excludente geminam dictam unionem; non autem excludente aliam compoſitionem) ut unum ex his uniatur alteri reſpectivè.

194. At non probatur oppoſitum, neque exemplo illo duplici albedinis, aut ſimilium relationum prædicamentalium quibus utitur P. Hurtado; quoniam ſi, ut duo eſſent albedine ſimilia ſufficeret unius ſolius albedo, ita ut ea ſimilitudo identificaretur adæquatè plenè, ac totaliter cum una albedine, omnis caſus poſſibilis, in quo daretur hęc albedo, eſſet caſus, in quo daretur illorum ſimilitudo quoad albedinem, & eſſet caſus, in quo daretur illa una albedo, ut connotans alteram. Chymæra namque eſt dari illud, cum quo plenè, totaliter, adæquatè identificatur res, & non dari rem. At falſum eſt, quod omnis caſus poſſibilis, in quo datur una albedo, ſit caſus, in quo detur illa ſimilitudo, quandoquidem poteſt dari albedo in uno pariete, v.g. quin detur in altero, & tunc non erunt ſimiles albedine, ut patet. Ergo illa ſimilitudo non conſiſtit plenè, adæquatè, ac totaliter in ſola albedine unius parietis. Ergo aliquid aliud importat, ut conſtitutivum. Cumque hoc aliud non poſſit eſſe, niſi albedo alterius parietis, palam fit hanc ſimilitudinem importare duas albedines, unam in uno, & alteram in altero. Ob eandem rationem potes amare alium ob dotes bonas naturales, aut ſupernaturales, quas in eo deprehendis, quin ille alius ſimili amore redamet te. Et conſequenter potes eſſe amicus illius, quin ille ſit amicus tuus. Et conſequenter poteſt dari amicitia partialis, abſque amicitia adæquata, mutua, & ſimpliciter tali: quia actus tuæ voluntatis non eſt alterius. Ut autem hic diſcurſus proſit multiplicando uniones materiæ, & formæ, v.g. debet ſic inſtrui. Si *materiam, & formam eſſe unitas* ſtaret plenè adæquatè, ac totaliter in ea unica unione, omnis caſus poſſibilis, in quo daretur ea unio, foret caſus in quo materia, & forma eſſent unitæ. Sed hoc eſt falſum. Ergo. Sic inſtructo diſcurſu, nego minorem: quia non produces caſum, in quo detur prædicta unica unio materiæ cum forma, aut formæ cum materia, & in quo non ſint phyſicè unitæ.

Hurtado diſp. 5. phyſic. n. 123.

§. III.

195. HAbes demum aliqualem definitionem, deſcriptivam ſaltem, unionis ſubſtantialis compoſitionis (exactam autem explicationem, nec S. Cyrillus invenit agens de unione hypoſtatica, quam *arcanam, ineffabilemque copulationem* vocat. Et alibi; *nulli penitus notum*: & hoc ſanè non ſolum ratione materiæ; ſed etiam ratione quidditatis unionis ſubſtantialis compoſitionis, quæ utique ſub ſenſum non cadit) Igitur prædicta unio eſt. *Nexus inhæſivus*, ſeu *ligamen*, ſeu *vinculum abſolutum, actuale, formale, & immediatum* (totum hoc eſt prædicatum genericum, huic unioni conveniens cum aliis unionibus phyſicis: & ſimul eſt differentia ab aliis, quæ ſunt unio illativa, & radicalis, quatenus connectuntur cum unione, ſed non ſunt unio formalis, & immediata) *unius cum alio per ſe formaliter, atque ex ſua habens eſſentia, quod totum ſaltem unum ex illis ſit in eodem penitus loco, in quo eſt alterum*. Ex hac definitione mox probanda num. 198. Naſcitur 1. quod quando aliunde extremum unum, vel ambo ſunt capacia, perficiantur, aut inficiantur ex vi unionis phyſicæ: ut reciprocè perficiunt, & perficiuntur ſimpliciter, licet æquivocè, materia, & forma, quippe quæ ambæ ſunt entitates incompletæ: atque ut perficitur Humanitas Domini ex vi unionis cum Verbo: ſecus hoc: quia illa, ſecus hoc, eſt capax accipiendi in tempore perfectionem. Naſcitur 2. quod unio diſtinguatur à mera, & præciſa compenetratione, ut dicebam n. 186. tum quia unio non eſt *totum unum eſſe in loco alterius*; ſed res, aut modus inducens hoc ex ſuamet eſſentia, & quid intimè connexum cum hoc; connexio autem non ſemper eſt identitas. Tum quia compenetratio ſtat formaliter in gemina præſentia in eodem loco reali, vel imaginario, unâ rei A, alterâ rei B, quarum unicuique poteſt eſſe extrinſeca (ratione ſaltem diſtinctionis realis) illa altera præſentia. Unio autem phyſica compoſitionis ex ſua eſſentia habet, quod actu abſolutè extrema unita ſint *in aliquo* eodem penitus loco reali, vel imaginario, ita ut coeant illæ duæ præſentiæ (aliàs poſſet vere eſſe homo ille cujus materia exiſteret Romæ tantum, cujus anima exiſteret tantum Mexici, & cujus unio exiſteret præciſè Madriti) quod ſi fingas duas res eſſe in eodem loco per unicam eandem præſentiam, adhuc non ſufficit, ut ſint phyſicè unita unione compoſitionis entis naturalis, aut ſuppoſiti de qua ſola nunc: quia hæc unio non eſt, *illa extrema eſſe in eodem loco*, ſed quid intimè connexum cum hoc, & inhærens alterutri extremo, qua inhærentia differt à decreto divino, & quovis alio connexo eſſentialiter ob alios titulos cum ea concurrentia in eodem loco. Naſcitur 3. quod unio noſtræ animæ cum corpore non ſit ſimplex entitas; ſed compoſita ex multis uniunculis, ut ſupra dixi, quia abſciſſo uno membro, adhuc reſtare poteſt unio animæ cum corpore reliquo, & anima

Epiſt. ad Neſtorium. Lib. quid eſt Chriſtus c. 7.

jam

Digitized by Google

jam non eſt in loco, in quo abſciſſum brachium; v. g. & ſimiliter unio hypoſtatica: nam ſi humanitati Sacroſanctæ Chriſti abſciſſum fuiſſet brachium, adhuc reſtaret unio verbi cum reliquo corpore, & hæc eadem non foret unio ejuſdem Verbi cum brachio illo; ſed alia exiſtens in loco, in quo eſſet brachium.

196. Naſcitur 4. quod hæc unio hypoſtatica verè agnoſcatur eſſe 1. unio *phyſica*. Eſt namque vinculum phyſicè inhærens Humanitati (Verbum enim eſt incapax recipiendi in ſe quidquam creatum) abſolutum, actuale, formale, & immediatum, ex ſuamet habens eſſentiâ non quidem, quod Humanitas ſit in *toto*, & *omni* loco, in quo eſt Verbum: non item utcunque quod omnes divinæ perſonæ ſint in loco, in quo eſt Humanitas (nam hæc connexio eſt communis aliis creaturis) ſed ſpecialiter quod totum Verbum, cujus, & non aliùs eſt unio, ſit in toto loco, in quo eſt Humanitas. Et quamquam hæc etiam ob intimam connexionem cum neceſſariis perfectionibus Verbi, ex ſua quoque eſſentia habeat, quod totum Verbum ſit in toto loco, in quo eſt ipſa; attamen cum non ſit vinculum, ſeu nexus *ſibi inhærens phyſicè*, & inſuper non habeat hanc connexionem cum Verbo ſpecialiter, ſed communiter cum tribus divinis Perſonis, ideò non habebis illam eſſe unionem ſui ad Verbum: & rurſus quamvis Humanitas intrinſecè mutetur per hanc unionem ad Verbum; non tamen Verbum; quia ut dixi ſupra num. 88. hoc eſſe intrinſecè unitum Humanitati conſtituitur eſſentialiter per ipſam unionem, ac Humanitatem, ergo his exiſtentibus Verbum erit intrinſecè unitum, & his non exiſtentibus, non erit intrinſecè unitum. At ſine ulla mutatione Verbi, exiſtunt illa in tempore, & non extiterunt ab æterno. Ergo ſine ulla ſui mutatione tranſiyit Verbum à non unito ad unitum. Tum etiam naſcitur, quod agnoſcatur dicta unio, ut quædam *ſpecialitas*, qua Verbum ſpecialius quàm in ulla alia creatura, in illa ſit ſacra Humanitate, & qua illam ſibi fecit propriam, ut ſæpè loquitur Cyrillus, ita ut abſtrahentes à titulo immenſitatis, ob quam Verbum totum debet eſſe in loco Humanitatis, deprehendamus in ſola ea unione rationem aliam propter quam Verbum debet eſſe intimum ei Humanitati. Nempe id eſſe de conceptu unionis ſubſtantialis compoſitionis, quod determinatum illud, cujus eſt unio, ſit in toto omni, aut in toto aliquo loco, in quo eſt alterum. Atqui hypoſtatica unio cum Verbo per ſuammet eſſentiam habet eſſe unionem determinatè cum Verbo, & non cum alia divina Perſona. Sicut hæc vox *Verbum* ex humana inſtitutione habet ſignificare potius, ac determinare ſecundam perſonam, quàm aliam. Et ſicut hyeroglyphicus Columbæ ex divina inſtitutione habuit ſignificare potius tertiam divinam Perſonam, quàm aliam. Ergo, unio eſt titulus ſpecialis ob quem Verbum ſit in Humanitate, & ob quem illam ſibi fecerit propriam. Explicatur. Anima Sancta dicitur ſpecialiter Templum, Domus, habitaculumque Spiritus Sancti; quia licet hic ob ſuam immenſitatem repleat orbem terrarum; & ubilibet ſit, tam in Sanctis, quam in ſceleratis. Item licet ob divinam illam promiſſionem, *Ad eum veniemus, & man-*

S. Cyrillus in ep iſt. ad Neſtorium, & in anathematiſmis.

Ion. 23.

manſionem apud eum faciemus, Pater etiam & Filius ſpecialiter ſint in anima Sancta; verumtamen ea eſt natura, energia, & vis gratiæ ſanctificantis, ut etiam præſcindendo ab immenſitate divina communi tribus divinis Perſonis, in ea deprehendatur titulus, ut Spiritus Sanctus inhabitet puram illam immunem ab omni lethali animam, & inſuper excelſa illa, & ſuperna qualitate nobilitatam ob ſpecialem connexionem, ſeu ob ſpecialem connexionis titulum Gratiæ ſanctificantis cum Spiritu Sancto.

197. Naſcitur 5. ratio, ob quam homo, & reliqua animalia ſunt mortalia, & moriuntur. Dicta enim unio, nec non cæteræ formæ, atque modi, ſicut ad primam ſuam productionem prærequirunt certas quaſdam diſpoſitiones, ac temperamentum in ſubjecto, ita illis indigent ad ſui conſervationem, & ſicut deficiente humido, ſuccoſo, & pingui lucernæ, ceſſat naturaliter flamma, ita ceſſante tali determinata organizatione, aut temperie, maxime in cerebro, aut corde, naturaliter ceſſat ea unio animæ cum corpore. Hac autem unione ceſſante moritur animal, quia ceſſat etiam anima ſi fuerit materialis, quippe quæ non poteſt naturaliter durare ſine unione ſui cum corpore. Vel ſi ſpiritualis fuerit, ſeparatur à corpore. Et hoc eſt hominem mori. Et quanquam Deus conſervaret in illo eodem loco corporis animam cum illo intimè penetratam, ob illius Purgatorium, alioſve fines ſuæ Providentiæ, adhuc homo eſſet mortuus, & corpus illud eſſet cadaver, quia vita non conſiſtit in eo, quod anima vivens ſit penetrata cum corpore; ſed in eo, quod ſit phyſicè unita cum corpore; non autem omnis penetratio eſt unio, ut conſtat. Naſcitur 6. quod unio continuativa, & coordinativa membrorum non ſit prædicta unio animæ cum corpore. Tum quia homine moriente, & conſequenter unione hac deficiente, adhuc perſeverare poteſt eadem organizatio corporis, unioque continuativa membrorum. Tum quia unione hac continuativa deficiente magna ex parte ob mutilationem membrorum multorum poteſt Homo perſeverare adhuc vivus, & conſequenter perſeverare poteſt unio animæ cum corpore. Naſcitur demum; quod, ſi unio dicta ſit entitas quædam diſtincta ab extremis, in primis eſt entitas *ſubſtantialis*, & conſequenter diſtincta adæquatè à temperie, organizatione, cæteriſque diſpoſitionibus entitativè accidentalibus. Eſt namque imbibita intra eſſentiam phyſicam compoſiti, & conſequenter non diſtincta adæquatè à ſuppoſito juxta doctrinam datam diſp. 4. logicæ majoris cap. de ſubſtantia. Deinde eſt modus: quia juxta ſæpè inſinuata, omne actuale, abſolutum, formale, ac immediatum exercitium ſubeundi denominationem, ex eis quæ non identificantur ex genere ſuo cum ſubjecto denominato, eſt modus: quia omni, & ſoli modo convenit hæc explicatio. At unio phyſica corporis, v. g. & animæ eſt ejuſmodi exercitium; quoniam corpus, & anima poſſunt ſine contradictione exiſtere unita phyſicè, & poſſunt exiſtere non unita phyſicè. Unde neceſſe eſt aſſignare aliquod actuale, abſolutum, & formale, exercitium determinans hanc indifferentiam, quod exercitium eſt ipſa formalis, & immediata

unio:

unio. Ergo. Præterea non tollit, quod materia, & forma *immediatè* uniantur, aut quod illa *immediatè* actuetur per hanc, aut quod hæc *immediatè* informet illam. 1. quia hæ immediationes non excludunt exercitium uniendi, actuandi, & informandi ſicut quòd cauſa ſit immediata non excludit exercitium cauſandi. 2. quia non *mediat* ſimpliciter unio quamvis ſit diſtincta, *mediare* namque eſt, eſſe poſt unum, & ante alterum: quod non verificatur de unione hac. Ergo neganda, vel cautè audienda eſt illa vox *mediat* unio inter materiam, & formam. His deductis corollariis ex deſcriptione unionis, data num. 195.

198. Reſtat jam probare illam legitimam eſſe. Inprimis dari in rerum natura ejuſmodi unionem, eamque non eſſe figmentum aliquod, ſeu phantaſma, videtur perſpicuum. Verè namque, ac realiter uniuntur phyſicè corpus, & anima, ut conſtat ex nota diverſitate inter hominem vivum, & cadaver. Humanitas Chriſti, & Perſonalitas Verbi, ut conſtat ex anathematiſmis S. Cyrilli contra Neſtorium conceptis in Synodo Alexandrina, publicatis, atque definitis in Oecumenica Epheſina, ſemelque, atque iterum defenſis ab eodem Cyrillo contra Theodoretum, & Epiſcopos Orientales, ergo neceſſe eſt fateri aliquid verum, & reale, ſive abſolutum, ſive modale, ſive hujus, ſive illius conditionis, quo actu, abſolutè, formaliter, immediatè copulentur, & uniantur corpus, & anima, Humanitas, & Verbum. Sed hoc aliquid eſt, quod vocamus unionem phyſicam compoſitionis, ſive entis naturalis, ut eſt inter corpus, & animam: ſive ſuppoſiti, & Perſonæ, ut eſt inter Humanitatem Domini, & Perſonalitatem Verbi. Ergo. Quapropter ſicut ex eo, quod experiamur una ſubjecta calida, alia frigida, una dulcia, alia amara &c. rationabiliter philoſophamur, non eſſe figmentum, ſed quid phyſicum verum, & reale, id quod vocatur *calor*, id quod vocatur *frigus*, in quocumque illud conſiſtat, quia hæc eſt alia difficultas, & non decet offundere caliginem miſcendo unas difficultates cum aliis. Et illud quod dicitur *calor*, eſſe rem quandam, quæ ex ſuâ naturâ habet, reddere per ſe immediatè calidum ſubjectum, & ſic de aliis reſpectivè. Ita cum experiamur una corpora habere animam, ſeu unita eſſe animæ; alia non: una habere formam arboris, alia non &c. rationabiliter dicendum eſt, dari quandam realitatem, ſive hujus, ſive illius conditionis, ſive conſiſtat in hoc, ſive in illo (quia hæc eſt res alia) cujus tota eſſentia, & natura eſt, nectere unireque intimè unum corpus cum forma vivente, & cum tali determinata, cujus determinatæ eſt unio. Et aliam quæ ſimiliter ex ſua natura habet unire corpus cum forma ligni, v. g. & ſic de aliis.

199. Deinceps. Poſito quod unio hæc diſtinguatur adæquatè ab extremis, de quo mox, explicatio illa competit omni, & ſoli unioni compoſitionis. *Omni*, quia nulla apparet unio phyſica compoſitionis, quæ non ſit actuale, abſolutum. formale, & immediatum exercitium in alterutro extremo receptum, quo extrema reciprocè copulantur phyſicè. Et quanquam Deus produceret per creationem unionem aliquam materiæ, & formæ, aut naturæ cum Perſonalitate divina: hoc

non

Digitized by Google

non tolleret, quod unio illa ſuaptè natura eſſet inhæſiva alterutri extremo. Verba namque in definitionibus non ſignificant actum, ſed potentiam, quia quando homo definitur per animal rationale, non ſignificat quod actu ſentiat, ac ratiocinetur; ſed quod ex ſua eſſentia utriuſque eſt capax. Quamobrem data definitio infert impoſſibilem eſſe unionem compoſitionis phyſicæ ſubſtantialis, quæ ex ſua natura habeat produci per creationem; aſt non infert impoſſibilem eſſe, quæ divinitus creetur. *Soli*, quia licet multa diſtincta realiter ab unione poſſint connecti metaphyſicè cum eo, quod extrema aliqua invicem uniantur, puta decretum efficax divinum de eo, quod anima uniatur corpori; aſt nil detegitur diſtinctum ab unione, quod ſit actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium, quo extrema invicem copulentur. Sic multa diſtincta à calefactione poſſunt connecti cum eo, quod ſubjectum calefiat; ſed nihil ab illa diſtinctum, eſt actuale abſolutum, formale, & immediatum exercitium calefaciendi. Ergo illa explicatio unionis eſt ſufficiens. Et hinc habes rationem, cur, licet unio corporis, & animæ Petri poſſit divinitus uniri per unionem reflexam Paulo, non foret unio corporis, & animæ illius, quia de ratione unionis eſt, eſſe modum, ſeu actuale abſolutum immediatumque exercitium uniendi extrema, quorum eſt unio. Ergo non poteſt eſſe unio illorum extremorum, quorum ſemel non eſt unitivus modus. At unio Petri non eſt unitivus modus extremorum Pauli, quandoquidem naturaliter exiſtit, quin Paulus exiſtat, & ſolũ ſupernaturaliter poteſt uniri extremis illius. Ergo.

§. IV.

200. HIs præmiſſis, inter quatuor quas ſubjungam quæſtiones, celeberrima ob doctrinam Connotatorum toties intruſam, & extruſam, eſt. *An præfata unio phyſica compoſitionis, aut entis naturalis, aut ſuppoſiti, vel Perſonæ divinæ, qualis eſt unio hypoſtatica, & quævis alia ſimilis, qua eadem Chriſti Domini Humanitas, & tua, & mea, & quæcumque alia poterat uniri hypoſtaticè cum Perſonalitate Patris, vel Spiritus Sancti, diſtinguatur realiter abſolutè, ac ſimpliciter adæquatè ab extremis quæ unit?* Ubi tres æquivocationes cave. Prima eſt: illis terminis *realiter abſolutè* non ſignificatur, unionem eſſe entitatem abſolutam contrapoſitam modali, in quo ſenſu reſpondet negativè, & merito huic quæſtioni Hurtado; ſed ſolam diſtinctionem phyſicam, verè, ac

P. Hurtado diſp. 5. phy. ſic. n. 4. ſimpliciter talem, & conſequenter abſolutam abſolutione contrapoſita modalitati. Secunda, non eſt quæſtio de aliis unionibus; ſed de ſolâ eâ: quoniam unio, qua modus intrinſecus unitur rei, v. g. qua creatio unitur termino per ipſam creato, qua paſſio unitur paſſo, qua præſentia unitur rei præſenti, qua unio ipſa compoſitionis phyſicè unitur ſuis extremis, qua actiones phyſicè immanentes uniuntur ſuis principiis viventibus per ipſas, non diſtinguitur à modo illo intrin-

ſeco,

ſeco: Omnis quippe modus intrinſecus per ſe ſolum immediate unitur rei, cujus eſt modus intrinſecus. Tertia. Aliud eſt: An unio hæc diſtinguatur ab extremis. Aliud: In quonam phyſicè conſiſtat, poſito quod diſtinguatur ab extremis. Non diſputatur hoc, ſed illud. Et aliqui inter diſputandum illud, deflectunt ad hoc, ut excitato fumo veritas non videatur. Sit concluſio. Præfata unio diſtinguitur realiter ſimpliciter à præfatis extremis. Probatur communiter, & verè efficaciter contra multitudinem ſolutionum de unione corporis, & animæ rationalis, ac indirectè etiam de unione aliarum formarum ſubſtantialium, quæ divinitùs poſſunt etiam conſervari ſeparatæ ab omni materia, ſicut conſervatur quantitas, gravitas, cæteraque materialia accidentia in Euchariſtia, quæ accidentia non minus ſunt materialia, dependentiaque ab unione cum materia, quam formæ ſubſtantiales materiales.

201. Hoc concretum, ſeu hic terminus complexus, Materiam, & formam eſſe *ſimul*, non quidem ſimultate locali, aut temporali, quia has non diſputo nunc; ſed ſimultate unionis phyſicę ſubſtantialis. Hoc eſt. *Eſſe phyſicè ſubſtantialiter unitas actu*; ſeu eſſe unitas quoad denominationem, quoad obliquum, quoad explicitum, quoad virtualitatem (horum, & ſimilium caterva terminorum ſolet his quæſtionibus ſe ſe ingerere) Hoc, inquam: vel identificatur adæquatè, plenè, ac totaliter cum ſolis materiâ, formâ, & utriuſque durationibus. Vel non. Si primum. Omnis caſus poſſibilis, in quo dentur materia, & forma cum ſuis durationibus, eſt caſus in quo erunt ſimul ſimultate unionis, & actu phyſicè unitæ, quoad denominationem, quoad explicitum &c. Repugnat quippe exiſtere omnia penitus conſtitutiva phyſica, *ut quod*, atque, *ut quo* rei, nullo prorſus dempto, quin exiſtat res illa, ſive denominatio. At falſum eſt, omnem caſum poſſibilem, in quo exiſtunt materia, & forma, cum ſuis durationibus, eſſe caſum in quo ſint actu phyſicè unita; quandoquidem modo exiſtunt materia, & forma D. Petri; & tamen non ſunt actu phyſicè unita, quia non eſt phyſicè actu vivens S. Petrus. Ergo materiam, & formam eſſe actu phyſicè uuitas, non identificatur adæquatè, plenè, ac totaliter cum ſolis materia, & forma. Dices identificari cum illis, ut *connotantibus* unionem. Sed eſt eadem difficultas. Materia, & forma, ut *connotantes* unionem, ſeu, connotatio unionis (quæ connotatio profectò non debet eſſe Platonica idæa, ſed quid verum, & reale) quid eſt ex parte rerum? quæ realitas latet ſub iſtis verbis? Identificaturne adæquatè, plenè, ac totaliter cum ſolis entitatibus materiæ, & formæ; vel non. Si primum, ergo omnis caſus, in quo dentur entitates phyſicę, ac reales materiæ, ac formæ, eſt caſus in quo dabuntur, ut *connotantes* unionem, quia eſt impoſſibile, ut detur id in quo ſtat adæquatè plenè, ac totaliter aliquid, quin detur aliud aliquid. Ergo ſi ex alia parte *materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas* identificatur adæquatè cum ſolis entitatibus materiæ, ac formæ, ut connotantibus unionem, omnis caſus in quo, dentur illæ entitates, erit caſus in quo erunt actu phyſicè unitæ.

Si ſecundum coincidit cum ſecundo membro primi dilemmatis. Ergo iſta diſtinctionum agglomeratio videtur res parum decora.

202. Quamobrem ſi eligas illud ſecundum membrum primi dilemmatis, rogo iterum. Si hoc concretum, ſeu terminus complexus, *materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas* non identificatur adæquatè cum ſolis materia, & forma: vel eſt quia identificatur inadæquatè cum aliquo alio, ſive poſitivo, ſive negativo, ſive reali, ſive modali, ſive hujus, ſive illius conditionis; quod modo non curo. Vel quia adæquatè diſtinguitur à materia, & forma. Hoc ſecundum nequit dici, quia perſpicuum videtur, materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas, ſumptum non in abſtracto pro ſola unione, ſed in concreto, intime, ac eſſentialiter imbibere materiam, & formam, & conſequenter non diſtingui adæquatè ab illis. Ergo dicendum eſt illud primum. Sed illud eſt quod voco unionem, ergo hæc eſt aliquid, abſolutum, ſive modale, ſive hujus, ſive illius conditionis, diſtinctum à ſolis materiâ, & formâ. Reſpondebis negando illam conſequentiam, quam ſemel, & iterum protuli, ſcilicet. *Ergo omnis caſus poſſibilis, in quo &c.* Nimirum, inquies, quia non in omni caſu eo, datur connotatum, datur conditio, datur requiſitum, ut materia, & forma ſint actu phyſicè unitæ; & repugnat eſſe rem quando deficit connotatum, conditio, & requiſitum ad illam. Hoc eſt verum, ſed repugnat ſententię contrariæ. Eatenus enim defectu connotati, conditionis, requiſit, termini connexionis &c. trahunt ſecum defectum complexi alicujus, ſive denominationis phyſicę in creatis, quatenus trahunt ſecum defectum alicujus intimi, & eſſentialis conſtituivi complexi illius. Eſt namque prorſus impoſſibile, quod deficiat complexum in creatis, quando nullum penitus deficit conſtitutivum, *quod*, aut *quo* illius, quinimò omnia ea, nullo dempto, exiſtunt. Unde arguo. Omnis caſus, in quo exiſtunt cuncta conſtitutiva, nullo penitus excepto, alicujus phyſicę denominationis creatæ, eſt caſus in quo exiſtit plenè, ac totaliter ea denominatio, & conſequenter eſt caſus, in quo nullum deficit connotatum eſſentiale, aut requiſitum illius: ſi enim aliquod horum deficeret, eo ipſo infallibiliter deficeret aliquod conſtitutivum, aut *quod*, aut *quo* illius denominationis. At omnis caſus in quo exiſtunt materia, & forma, eſt caſus in quo exiſtunt cuncta conſtitutiva nullo penitus excepto hujus phyſicę denominationis. *Materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas*, ſi hæc denominatio identificatur adæquatè, plenè, ac totaliter cum ſolis entitatibus materiæ, ac formæ, quoniam in hypotheſi hac cuncta conſtitutiva eſſentialia illius denominationis ſunt ſolæ *materia, & forma*, quia ſi eſſet aliud quippiam, jam ea denominatio non identificatur adęquatè cum *ſolis* materia, & forma, ſed cum his, & illo alio. Ergo omnis caſus, in quo exiſtunt materia, & forma, eſt caſus, in quo datur, & verificatur *materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas*. Si hæc denominatio identificatur adæquatè cum ſolis materia, & forma. Cumque hoc ſit falſum, conficitur, hanc denominationem non identificari adęquatè cum ſolis entitatibus materiæ, & formæ, aut cum unione identifica-

ficata cum illis. En rationem, ob quam licet unio non eget unione diſtincta reflexa, qua ipſa uniatur extremis, ſiquidem eſt actuale exercitium uniendi, nec divinitùs potens exiſtere quin uniatur; materia tamen, & forma indigent unione diſtincta, quia exiſtere poſſunt quin uniantur.

203. Confirmatur. Quando deficit iſtud connotatum (quod ponamus eſſe ſimultaneam exiſtentiam materiæ, & formæ in eodem loco) Vel perſeverant omnia penitus conſtitutiva, ut *quod*, ut *quo* hujus complexæ veritatis: *materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas*. Vel non. Si primum: ergo quando deficit iſta ſimultanea exiſtentia perſeverat adhuc veritas hæc complexa (quod impoſſibile tibi imputes, ut pote deglutienti perſeverare omnia penitus conſtitutiva eſſentialia veritatis illius, quando deficit connotatum eſſentiale ejuſdem) nam quoties perſeverant omnia penitus conſtitutiva alicujus rei compoſitæ, *quod*, & *quo*: *qua*, & *quibus*, cum reliquis, neceſſarium eſt quod perſeveret illa res. Ergo quamvis modò deficiat iſta ſimultanea exiſtentia; nihilo tamen minus modò ſunt actu phyſicè unitæ materia, & forma D. Petri, & conſequenter modò eſt vivus hic homo. Si ſecundum. Ergo quando deficit iſtud connotatum, ſive iſta ſimultanea exiſtentia, non deficit connotatum præciſè, ſed aliquod inſuper intimum, & eſſentiale conſtitutivum illius denominationis, ſive ſit conſtitutivum *quod*, ſive, *quo*. At non deficiunt materia, & forma. Ergo ultra has duas oportet fateri aliud quid, ſive abſolutum, ſive modale, quod ſit conſtitutivum illius denominationis, ſive ſit conſtitutivum *quod*, ſive, *quo*. Hoc aliud eſt, quod vocamus unionem. Ergo hæc eſt diſtincta à materia, & forma. Et hoc unicum intendo modo. 2. Cedo complexum, quod malueris conſtitutum eſſentialiter per conſtitutiva, quæ ſeveriſſima præſcribantur ratione. Et uſu iſtorum effugiorum, quibus ſcatet philoſophia connotatorum, negabit impunè exoticus quilibet talia conſtitutiva. V. g. anima non eſt merum connotatum, ſed intimum, & eſſentiale conſtitutivum hominis, ſicut etiam materia. Quo argumento Philoſophico impugnabis exoticum hominem ajentem: totam eſſentiam phyſicam hominis ſtare plenè, adæquatè, in ſola anima: anima, inquam, *ut connotante* corpus, ita ut hoc ſit merum connotatum eſſentialiter tamen requiſitum: Unde deficiente corpore, ſeu unione cum illo, deficit quidem homo, ſed propter defectum connotati, non tamen propter defectum conſtitutivi eſſentialis hominis. Produc contra hunc argumenta, quæ volueris probandi ergo, corpus non eſſe merum connotatum, ſed intrinſecum conſtitutivum intimè imbibitum intra eſſentiam phyſicam hominis: & ille utens iſtâ philoſophiâ connotatorum, proferet ſucceſſivè totam iſtam ſuppellectilem terminorum *ſecundum implicitum, ſecundum explicitum: quoad entitatem, quoad denominationem: quoad virtualitatem: de formali, de conſequenti: de connotato, de conſtitutivo &c.* & inſuper adducet paritatem actuum liberorum Dei, ad quam etiam confugiunt DD. contrarii, quaſi liceat ponere paſſim in creatis, ſine convincente ratione, ſine ſpeciali ullo fructu, ineffabile illud Myſterium.

rium. Et ſic nil concludetur contra pervicacem illum. Idem dico de alio, qui ponat totam eſſentiam in unione, ut connotante corpus, & animam. Non ergo videtur vera iſta philoſophia, qua abſque diſparitate congrua, probari poteſt totam eſſentiam phyſicam hominis conſiſtere adæquatè in ſola anima, v. g. connotante corpus: aut in ſolo corpore connotante animam. Igitur unio corporis, & animæ rationalis, vel comparatur cum homine, vel cum anima, vel cum materia. Si cum homine, non eſt connotatum, ſed intimum conſtitutivum, ſive ut *quod*, ſive ut *quo*. Si cum anima, non eſt conſtitutivum, ſed connotatum, quia illa anima intimè connectitur phyſicè cum ea unione. Si cum materia neque eſt conſtitutivum, nec connotatum, quia materia niſi ſit ultimò diſpoſita, indifferens omninò eſt ad illam unionem.

204. Hinc 1. Refellitur ſolemnis quædam diſtinctio familiaris eis Authoribus. Nempe deficiente unione diſtincta, deficit homo formaliter, negant. Deficit illativè, ſeu de conſequenti, quatenus deficit connotatum requiſitum, ut materia, & forma ſint actu phyſicè unitæ, concedunt. Refellitur inquam. Nam quoties deficit conſtitutivum eſſentiale hujus complexi. *Materiam, & formam eſſe actu phyſicè unitas.* deficit formaliter hoc complexum. Sed quoties deficit illativè hoc complexum, ideſt, quoties deficit aliquod eſſentialiter requiſitum ad illud, deficit aliquod conſtitutivum eſſentiale illius: quoniam redit principium datum. Nempe, ſi omnia penitus exiſterent, exiſteret quoque illud complexum, & eatenus præciſè defectus connotati arguit defectum illius complexi, quatenus arguit defectum alicujus intimi conſtitutivi illius. Ergo quoties conceditur complexum deficere illativè, ſeu de conſequenti, debet concedi illud deficere formaliter. Totus cardo noſtræ doctrinæ ſtat in his propoſitionibus; quoties exiſtunt omnia penitus conſtitutiva nullo dempto alicujus complexi creati, exiſtit hoc. Impoſſibile eſt quod deficiat complexum creatum, quando nullum penitus conſtitutivum illius deficit. Eatenus præciſè defectus connotati, ſive requiſiti, ſive conditionis, ſive termini, infert defectum conſtituti, quatenus infert defectum alicujus conſtitutivi, quod ſi omnia ſalva integraque relinquat, ſalvum integrumque relinquet conſtitutum. Hinc 2. Argumentis his ſolum intendo, quod pollicitus ſum num. 200. nimirum admittendam eſſe unionem, quæ ſit diſtincta verè, ac ſimpliciter à ſolis entitatibus materiæ, ac formæ; præſcindendo tamen ab alio, in quo conſiſtat ea unio, ſive in decreto divino, ſive in ſimultanea præſentia ambarum, ſive in quovis alio, de quo poſtea. Hinc 3. Habetur explicatio paritatum, quibus uti ſolent Authores contrarii. Prima eſt: Deum odiſſe oppoſitionem peccati cum lege: unde ſi ea oppoſitio conſtituitur intrinſecè per legem, & non merè connotat illam, ſequetur Deum odiſſe ſuam legem. Similiter Deum amare diſſimilitudinem hominis Sancti reſpectu peccatoris. Unde ſi hæc diſſimilitudo, non purè connotat peccatum; ſed per illud intrinſecè conſtituitur, ſequetur Deum amare peccatum. Negantur ambæ ſequelæ, ſicut negantur ſuper juſtificatione impii, quam certè Deus amat, quin amet peccatum

præ-

Digitized by Google

præteritum per quam illa intrinſecè conſtituitur, tanquam per terminum *à quo* transfertur homo, ſicut mutatio entis naturalis conſtituitur per privationem formæ. Igitur. Nil compoſſibile cum eo, quod tale, aut tale prædicatum repugnet conſtitutivo, eſt antecedens legitimum ad probandum illud prædicatum convenire conſtitutivo. At prædicatum illud convenire conſtituto eſt compoſſibile cum eo, quod repugnet eſſe rationalem, eſſe capacem amandi, videndique Deum, & ſimilia, quæ conveniunt homini, qui conſtituitur, & quidem in recto per materiam. Similiter animæ repugnat eſſe corpoream, eſſe corruptibilem, quæ tamen verificantur de homine conſtituto in recto per animam. Ergo. Et ratio eſt; quoties duo diſtinguuntur realiter ſaltem inadæquatè, non quidquid convenit uni debet eo ipſo convenire alteri. At conſtitutum, & conſtitutivum diſtinguuntur realiter inadæquatè. Ergo ex eo, quod Deus oderit unum ex iſtis, & amet alterum, non ſequitur odiſſe omnia conſtitutiva illius, aut amare omnia alterius.

205. Secunda eſt de actibus liberis Dei juxta ſententiam docentem illos eſſe adæquatè intrinſecos Deo; quoniam modo non habet Deus decretum efficax, aut ſcientiam viſionis mundi alius; & tamen illa duo non deficiunt quoad entitatem, quoad implicitum, quoad formalitatem, nam totum hoc eſt quid adæquatè divinum; ſed ſolum quoad denominationem, quoad explicitum, quoad virtualitatem, quin deficiat ullum conſtitutivum hujus denominationis, ſed ſolum connotatum, ac conditio neceſſaria, ut actus illi denominent Deum decernentem, atque ſcientem. Ergo ſimiliter in caſu præſenti, & aliis ſimilibus. Parcens diſparitati Theologicæ, quia longiſſima eſt, & difficillima cum ſit unum ex arcanis myſteriis concordia libertatis actuum divinorum cum eorundem identitate cum Deo, in qno nil eſt, aut eſſe poteſt, quod non ſit Deus. Reſpondeo: non videtur rationi conſentaneum adducere myſterium æquè, aut forſan magis difficile quàm SS. Trinitatis ad explicandam unionem phyſicam materiæ, & formæ culicis unius, v. g., quia eſſet rem naturalem per omnium ſupernaturalium obſcuriſſimam explicare, & non quoad meras noſtras præciſiones, ut ego philoſophabar diſp. 2. logicæ à num. 94. ſed quoad objectivam ipſam realitatem (qui eſt præpoſterus ordo) & eſſet recurrere ad rem, quam captivantes intellectum in obſequium fidei credimus, ad ſuadendum idem, ubi nec fides docet, nec intellectum captivare tenemur. Profectò hæc eſt ſufficienter ſenſata ratio ad declinandum ab iſtis connotatis: nimirum illa eſſe tam difficilia, quàm Sacramentum abſconditum concordiæ libertatis divinorum actuum cum eorum identitate cum Deo. At potuiſſe non eſſe decretum, aut ſcientiam quæ modò ſunt libera in Deo, eſt myſterium æquè, ac forſan magis difficile, quam Sanctiſſimæ Trinitatis, ut conſtat ex diverſis viis, quas hactenus tentarunt Theologi, & hactenus non invenerunt ad explicandum commodè hoc myſterium. Ergo non videtur rationabile intrudere phyſicè, ac realiter his rebus phyloſophicis realitatem, & difficultatem totam iſtius myſterii. Imò hinc reaſſumo argumentum contra iſtam opinionem. No-

tiſ-

tiſſima eſt vox omnium Theologorum, quando aggrediuntur explicationem actuum liberorum Dei, rem eam eſſe ſupra captum humanum: opus eſſe quod intellectus genua flectat, verticem inclinet adorans id, quod non capit, videlicet; quod potuerit Deus non habuiſſe decretum de conditione hujus mundi, de prædeſtinatione S. Petri, de vocatione S. Pauli, cum tamen hæc decreta ſint ipſe Deus, in quo nil eſt diſtinctum à ſua ſubſtantia. At pueriles forent exclamationes illæ, ſi tertio quoque paſſu in conſtitutione phyſica cujuslibet minimæ entitatis contigeret idem, videlicet quod res verè, ac ſimpliciter deficiat tameſi nullum penitus conſtitutivum ipſius deficiat, ſed purè, ac præcisè, quia deficit aliquod connotatum defectu relinquente ſarta tectaque omnia penitus conſtitutiva illius rei. Ergo dicendum, quod hoc non contingit in creatis. Dixi *intrudere his rebus realitatem, ac difficultatem totius myſterii*: quoniam intrudere apparentiam ſolam, hoc eſt, dicere actum aliquem intellectus ita proponere objectum aliquod creatum; ut *ex vi præcisè talis actus*, neque poſſimus dicere repugnare, neque poſſimus dicere non repugnare ſimilem rem in creatis non videtur incongruum (& hoc ſolum eſt, quod dixi in logica majore inter diſputandum univerſale in actuali prædicatione) ſtat namque, rem nec eſſe, nec poſſe eſſe, & utrumvis eſſe nobis exploratum ob alia principia: & tamen, quod *ex vi præcisè talis*, *aut talis cognitionis*, neque poſſimus dicere *non eſſe*. Evidens quippe eſt nobis, humanam naturam eſſe realiter multiplicem; & nihilominus ex vi præcisè hujus expreſſionis *Homo*, atque hac ſolum attenta, nequimus aſſequi, ſit nec ne realiter multiplex ea natura, quæ propterea ex vi hujus cognitionis eſt una negativè, & conſequenter univerſalis.

§. V.

206. IN quonam igitur ſtat phyſicè ex parte rerum hæc unio phyſica ſubſtantialis, quam huc uſque duntaxat dixi diſtinctam ab extremis? Reſpondeo illam non ſtare præcisè in eo, quod extrema ſint ſimul in eodem tempore, atque loco, ut explicui n. 191. Nec in eo, quod materia habeat omnes penitus diſpoſitiones ad formam habendam; tum quia omnis prævia diſpoſitio ad aliquid diſtinguitur ab illo. Ergo cumulus diſpoſitionum ad habendum formam, diſtinguitur ab *habere formam*, ſed habere formam eſt unio cum forma, quia non alio modo materia *habet* formam, niſi per unionem. Ergo cumulus ille diſpoſitionum diſtinguitur ab ea unione. Ergo hoc non conſiſtit in illo; tum quia nil potens exiſtere abſque unione eſt illud, quo ſtat phyſicè adæquatè unio. At cumulus earum diſpoſitionum poteſt exiſtere abſque unione, imò abſque forma ipſa: ſicut cumulus omnium diſpoſitionum ex parte cauſæ ſecundæ ad comburendum poteſt exiſtere, abſque combuſtione. Nempe quia tam illæ, quàm hæ conne-

ctum-

ſtuntur duntaxat phyſicè cum forma, & unione, ac combuſtione: & poteſt Deus infringere connnexionem purè phyſicam. Ergo. Nec 3. in decreto divino de his omnibus, aut in complexo, ex hoc decreto, & illis omnibus. Ob eandem rationem. Et quia ſicut hæc carta non conſtituitur formaliter immediatè alba per decretum divinum de eo, quod habeat albedinem, aut per diſpoſitiones ad albedinem, ſed per ipſam albedinem deſcendentem ex illo decreto, aut diſpoſitionibus. Ita materia, & forma non conſtituuntur formaliter immediatè *unitæ*, niſi per unionem, cum qua connectuntur illæ diſpoſitiones, atque decretum. Rurſus neque conſiſtit in dependentia, quæ ſit inhæſio, receptio paſſiovè formę reſpectu materiæ (dependentiam quæ ſit unio non nego) tum quia rationalis anima phyſicè unitur materiæ unione compoſitionis entis naturalis. Item Humanitas Chriſti D. & Perſonalitas Verbi uniuntur phyſicè unione compoſitionis perſonæ. Et tamen materia, & forma rationalis, Verbum, & Humanitas ita ſe habent, ut neutrum ſit ſubjectum inhæſionis, receptionis, aut paſſionis reſpectu alterius, ergo aliquæ ſaltem uniones id generis non conſiſtunt in ea dependentia, quæ ſit inhæſio, eductio, receptio, aut paſſio; Tum quia nil entitativè ſubſtantiale conſiſtit in eo, quod eſt entitativè accidentale. At omnis unio phyſica compoſitionis entis naturalis, aut perſonæ, eſt entitativè ſubſtantialis, ut pote intimè imbibita intra eſſentiam phyſicam ſuppoſiti. Omnis autem eductio, inhærentia, paſſio, receptioque, quę vocabula idem in præſenti ſignificant, eſt entitativè accidentalis: quia hæc omnia vocabula ſignificant *actionem* productivam rei per ſe eſſentialiter unitam aliis tanquam ſubjecto præſuppoſito. Ergo.

207. Neque conſiſtit 4. in aggregato reſultante ex omnibus diſpoſitionibus, ut forma operetur in materia (niſi fortè inter illas annumeres unionem ipſam, quæ ſanè dici poteſt neceſſaria diſpoſitio, ut forma operetur in materia; ſed hæc annumeratio plus juſto frigida eſſet: nam eſſet negare unionem aliam diſtinctam, ultra cumulum, in quo jam imbibitur unio) v. g. quod materia habet talem, & non diſparatam aliam organizationem, item talem, & non diſparatam aliam temperiem qualitatum, & humornm, & rerum ſimilium: & reſultante etiam ex forma *in materia* (niſi etiam illo *in* intelligas unionem, quia ut nuper dixi, res eſſet ludicra) ſignificante illo *in* ſolam intimam præſentiam, hoc eſt penetrationem formæ cum materia. Non inquam conſiſtit unio in hoc aggregato. Primò, quia nil intimum, & eſſentiale homini conſiſtit in iſto aggregato: ſiquidem in eo imbibuntur multa entitativè accidentia, & multa negativa. V. g. talis, & talis diſtantia unarum partium, & indiſtantia aliarum: hoc eſt tales præſentiæ, ac ubicationes, & talium aliarum carentiæ. Figura namque corporis ſtat formaliter immediatè in talibus, & talibus unarum partium diſtantiis, talibuſque, & talibus indiſtantiis. Rurſus in iſto aggregato imbibitur talis, & talis portio, & proportio humorum, & qualitatum, & carentia aliarum. At unio corporis, & animæ eſt conſtitutivum inti-

intimum, & eſſentiale homini per num. 201. Et quando hic moritur nil aliud deficit quod poſſit eſſe conſtitutivum illius. Ergo. 2. quia ſi non eſt alia unio, quam iſtud aggregatum, iſtud erit, quod eſt per ſe actu, immediatè, abſolutè connexum cum extremis, ut exercitium actuale uniendi illa. Iſtud ergo aggregatum erit modus extremorum, non ſimplex, ſed compoſitus: & in iſto aggregato hebetabuntur argumenta, quæ cuduntur contra modos in genere; & lucrum quod habebitur tantum erit ponere in complexo ex multis rebus, unis poſitivis, aliis negativis, unis ſubſtantialibus, aliis accidentalibus illud idem, ſeu modalitatem illam, quam nos ponimus in unica ſimplici entitate, quam dicimus *unionem*. 3. Nil compoſſibile cum eo, quod anima non ſit unita materiæ eſt id, in quo conſiſtit formaliter adæquatè unio animæ cum materia. At complexum ex iſtis diſpoſitionibus, & iſta intima præſentia, eſt compoſſibile cum eo, quod anima non ſit unita materiæ, quia iſtud complexum præciſè, ut tale, faciet ſanè, quod anima ſit actus *aſſiſtens* ſicut principium ſupernaturale, quod Deus ſine unione penetraret cum anima, non verò quod ſit actus *informans*. Ergo. Explicatur. Eſto Angelum bonum, aut nequam, intimè penetrari cum Petro. Ideò ne uniretur phyſicè illi, aut informaret illum? Imò quoties Angeli aſſumunt corpora, & in eis operantur operationes, quarum ſunt capacia, v. g. S. Raphael; intimè ſunt eis præſentes cum diſpoſitionibus ad eas operationes; & tamen non uniuntur illis phyſicè, niſi novas quaſdam hipoſtaticas uniones, videlicet cum Angelis, comminiſcamur. Rurſus. Verbum divinum ratione ſuæ immenſitatis eſt nobis intimè præſens, totum in noſtris oculis, totum in aure, totum in corde, totum in cerebro. Præterea ſunt in eis membris (quibus ſane uniri eſt capax) diſpoſitiones ad actus noſtros humanos, quos Verbum per principium commune toti Trinitati poteſt elicere ſimul nobiſcum. Ideòne Verbum eſt nobis unitum ſicut Humanitati Chriſti Domini, aut noſtræ operationes, ſunt operationes Verbi? Imò omnipotentia eſt cuilibet noſtrum intimè præſens, ac cum omnibus diſpoſitionibus ad noſtras operationes indiviſibiliter naſcentes etiam ab ipſa Omnipotentia; & tamen hæc aſſiſtit nobis, ſed nobis non unitur, licet capax ſit. Non ſufficit ergo iſta intima præſentia animæ, omnibus, & ſingulis partibus noſtri corporis, ad hoc ut huic uniatur, ad hoc ut ſit actus informativus, ad hoc ut poſſit elicere operationes humanas, ſed ſolum valet, ut ſit actus *aſſiſtens*, non autem, ut ſit actus *informans*.

208. Quid ergo tandem eſt hæc unio compoſitionis entis naturalis, ſeu perſonæ? In quonam ſtat phyſicè à parte rei? Reſpondeo, quod jam dixi num. 198. Sicut eſt quædam entitas, quæ per ſuammet eſſentiam fungitur capacitate ſentiendi, & vocatur *animalitas*. Et quædam entitas, quæ per ſuam itidem eſſentiam fungitur capacitate ratiocinandi, & vocatur *rationalitas*. Et quædam, quæ per ſuam eſſentiam habet informare, complere, vivificare corpus, conſtituereque cum illo ens naturale hujus potius, quam illius ſpeciei, & vocatur *forma viventis*. Ita eſt quædam vera, realis, entitas, non figmentum, aut imaginatio

Plu-

Digitized by Google

Platonica: quæ entitas habet per ſuammet eſſentiam, ita nectere, ac copulare actu, abſolutè, immediatè, ac formaliter, ut ex utraque fiat illud quod Philoſophi vocant *ens naturale*, ſeu, *unum per ſe*, ob cujus ſolius entitatis defectum, immediatè, ac non per conſequentias, deficiat, ſeu moriatur illud ens naturale, quod alias erat vivens. Et hæc entitas eſt quam vocamus *unionem ſubſtantialem*; quod ſi ulterius ſciſciteris quid ſit copulare materiam &c.? Reſpondeo: Homo vulgò definitur animal rationale. Habeo duo, quæ percuncter; quid eſt animal? quid eſt rationale? Reſpondebis animal eſſe vivens ſenſibile: Et rationale eſſe principium diſcurſus? Jam habeo quatuor ſciſcitanda; quid eſt vivens? quid eſt ſenſibile? quid eſt principium? quid eſt diſcurſus? Ad quas ſi reſpondeas quæſtiones, habebo octo quæ percunctet: & cave ne reſpondeas, nam habebo ſexdecim, videlicet duo ſuper unaquaque definitione, quæ conſtare debet genere, ac differentia. Sicut ergo quæſita hæc ingeminata non ex ratione, ſed ex prurigine contradicendi, ac cavillandi oriunda dices; ita illud: *quid eſt nectere? quid eſt copulare*, ita ut habeatur, v. g. ens naturale vivens. Cum pro hoc ſtatu non agnoſcamus intuitivè, nedum comprehenſive hujuſmodi res, nequimus dare definitiones, ſeu explicationes, quæ os oppilent, vel contumacis etiam intellectus. Hæc entitas, quæ dicitur unio habet illa prędicata, quæ perſtrinxi num. 197. Sed quia aliqui Authores invehuntur in illud: *Modus. Entitas modalis*: oportet rem examinare.

§. VI.

209. Altera igitur quæſtio eſt. *Sit, necne Modus unio, de qua hactenus?* Ægrè ferunt Doctores nonnulli modos omnes, ſive entitates modales ſparſas per totam Philoſophiam, ac Theologiam. Et conſequenter inpræſentiarum adoriuntur unionem phyſicam materiæ, & formæ, quæ ſit utriuſque modus. Et ſicut Athomiſtæ indicunt bellum formis, & recurrunt ad ſolam diverſitatem combinationum athomorum: ita hi bellum indicunt unioni, & aliam non agnoſcunt, quam intimam præſentiam formæ in materia, habente eam accidentium, & diſpoſitionum combinationem, quæ neceſſaria eſt ad actiones proprias illius Entis naturalis. Ut autem Juniorum imaginatione potiantur contra modos, vocant illos, *entitatulas*, juvant quippe hujuſmodi phraſes, ut inexperta juventus abjectum formet conceptum, & parum honoratum adverſus modos. Sed immeritò. Tum qnia ſcommate eodem ſugillare poterant quodcumque continuum phyſicum, imò machinam totam mundanam corpoream: quia utpote compacta ex punctis, lineis, & ſuperficiebus, compacta ex *entitatulis* dici poteſt. Non meminerunt hi veteris proverbii *Guttis conſtat Oceanus*. Tum quia modi verè, & ſimpliciter ſunt ens, ſunt verum, ſunt unum (non enim eſt ludibrium mentis, quod hæc carta ſit *nunc*: ſit in *hoc loco*: ſit *unita*)

& fruuntur prædicatis tranſcendentalibus non minus quam Doctores iſti à quibus inſimulantur, & cum ipſis univocantur logicè ſub conceptu *ens*. Neganda eſt igitur illa vox, ſeu caſtiganda intentio, quæ profertur, ſi ſignificet modos, impropriè, ac quaſi ex privilegio dumtaxat, eſſe entia vera, realia, & phyſica. Exprobrant deinde novitatem, ajentes entitates modales latuiſſe priſcos omnes Philoſophos. Contra 1. Si modi eſſent res prorſus inaudita in tota antiquitate non ita liberè ſcripſiſſet Eximius D. Suarez antiquitatis, ut par eſt, venerator. *Suppono in rebus creatis præter entitates earum quaſi ſubſtantiales, vel radicales (ut ita dicam) inveniri quoſdam modos reales, qui & ſunt aliquid poſitivum, & afficiunt ipſas entitates, per ſe ipſos &c.* quod inſuper probat à poſteriori, & à priori. Neque uſpiam contradicit Vaſquez, quoad ſubſtantiam, ſed quoad abuſum, & indiſcretam multitudinem, quam ego quoque reprobo. Contra 2. Vel loquimini de voce ipſa materiali *Modus*. Vel de realitate, hoc eſt, conceptu objectivo non chimarico ſignificato per illam. Si primum: tranſeat, quod Ariſtoteles non uſus fuerit voce illa græca, quæ reſpondet huic latinæ; aſt ſi ratio iſta urgeret, opus eſſet expungere fermè totum vocabularium Scholaſticum. In quo libro Scripturæ, in quo Generali Concilio, apud quem ex SS. PP. Eccleſiæ invenies voces illas quibus referta eſt Theologia *materialiter, formaliter, ut quod, ut quo, ſpecificativè, reduplicativè, à priori, à poſteriori, à comitante*, & ſexcentas alias? Ideone mutandum eſt idioma in aliud, quo nec intelligamur, nec intelligamus? Si ſecundum: eſt falſum; quoniam objectiva realitas ſignificata per illam vocem *Modus eſt: Eſſe alicujus. Eſſe ad aliquid. Eſſe ab aliquo. Eſſe hic. Eſſe nunc. Eſſe ſimul &c.* quæ profectò non ſunt ideæ Platonicæ non ſunt commentitia entia; ſed veritates, quas paſſim experimur; quaſque vocamus *modos*, eò quod ſint objectivæ veritates, in quibus actu, abſolutè, formaliter, immediatè ſtat objectivus modus, quo ſe habet res: uſi autem ſunt Recentiores Philoſophi eo verbo *modus*, quia ad inflexiones latinas neceſſarias inter diſputandum, commodius eſt nomen declinabile, quam illa indeclinabilia. *Ad aliquid. Alicujus. Ex aliquo &c.* Atqui frequentiſſimè meminerunt antiqui hæc & ſimilia, ut nec ipſi adverſarii negare poſſunt. Ergo meminerunt antiqui realitatem, ideſt objectivum conceptum ſignificatum voce illa *Modus*. Ergo falſum eſt, quod apud antiquos fuit altum ſilentium circa modos quoad realitatem ſignificatam illa voce; quocirca res juſtè examinata, non videtur poſſe dubitari à Viro Philoſopho. Nimirum, ſint, necne, modi phyſici in rerum natura. Sicut nec modi illi logici, aut metaphyſici nempe *neceſſariò; contingenter; impoſſibiliter; poſſibiliter*. Tertio namque paſſu dicimus omnes, rem poſſe eſſe hoc, vel illo modo. Poſſe moveri hoc, vel illo modo. Poſſe eſſe ſimul, aut non ſimul cum alia. Ergo ſi vocis illius ſignificatum eſſet chimæricum aliquod phantaſma, res poſſent eſſe, hæc, vel illa chymæra: poſſent habere hoc, vel illud contradictoriorum par. Dubium ergo philoſophicum ſolum poteſt eſſe ſuper natura, quidditate, conditione ipſorum modorum, ſcilicet

Suarez diſput. 7. metap. ſect. 1. n. 6.

an

Digitized by Google

an ſint diſtincti ab illis rebus quarum dicuntur modi?

210. Si dicas 1. Significatum illius termini *Modus* nil aliud eſſe, quàm determinationem oppoſitam indifferentiæ, actualeque exercitium eſſendi potius hac ratione, quàm illa. Dices verum. Sed iſtam actualem, abſolutam, immediatam, atque formalem *determinationem*, ut extrema ſint unita, v. g. iſtud actuale exercitium uniendi, eſt quod nos vocamus *Modum* diſtinctum ab extremis, nec non ab iſta multitudine diſpoſitionum, organizationum, intimæ præſentiæ animæ, actuumque divinorum. Et hoc dicimus propter quatuor illos diſcurſus prolatos num. 207. Si dixeris 2. priſcam eſſe doctrinam, maximè Ariſtotelis, ac S. Thomæ ajentium, formam per ſe ipſam immediatè actuare materiam, immediatè uniri eidem, non eſſe aliud inter utramque medians, & utramque uniens, nullam aliam eſſe cauſam per quam uniantur, niſi illam, quæ reducit materiam de potentia ad actum &c.

Metaphyſ. 10. S. Th. 1. p. q. 76. art. 7. Rurſus 1. 2. q. 100. art. 1.

Reſpondeo. Etiam ex eo, quod Petrus immediatè aſſideat Joanni, poterat inferre non eſſe aerem, non eſſe veſtes, non eſſe ullam ſcamni particulam inter utrumque, & ex eo, quod Petrus ſit immediatus Frater Joannis, nullum tempus, niſi omninò mediaſſe inter nativitatem unius, & alterius. Igitur ſicut hæ, & ſimiles locutiones enuntiant immediationem *circa ſubjectam materiam*, ſeu immediationem excludentem aliud ſui generis; non verò aliam: & duntaxat ſignificant nullum alium *hominem* ſedere, aut natum fuiſſe ex his Parentibus inter Petrum, & Joannem, permittunt autem alias mediationes aliarum rerum. Ita illud *immediatè*, illud *per ſe ipſum*, & ſimiles phraſes, duntaxat ſignificant immediationem circa ſubjectam materiam, ideſt, immediationem excludentem aliud ſui generis, quod videlicet ſit materia, aut forma: hoc eſt, ſignificant inter formam, & materiam non mediare ullam aliam formam, quæ immediatius uniatur materiæ, ac formæ humanæ, v. g., & ſic nectat hanc cum illa, ſicut gluten, ſtamnum, aut cera mediare ſolet inter res, quas unit. Item immediationem excludentem cauſam illam activam diſtinctam ab illa, quæ producit formam in materia. Et hoc probat ratio, quam producit Ariſtoteles actûs, & potentiæ, quia actus non unitur alii actui, & hoc mediante, potentiæ; ſed immediatè unitur potentiæ quin egeat interjecto glutine ulliûs aliûs actûs. Hoc idèm ſuadet exemplum figuræ triangularis in ære, quoniam ut ſit in ære non eget *alia figura* in illo; eget tamen unione cum illo, alias figura non eſſet *in ære*. Ea autem unio ſtat in illis præſentiis partium illarum, quæ præſentiæ per ſuam eſſentiam uniuntur phyſicè partibus, quarum ſunt præſentiæ. Atqui unio, quæ ſit entitas illa modalis, quam illis quatuor rationibus probavi, neque eſt cauſa activa unionis inter materiam, & formam, ut conſtat: neque eſt actus, aut forma, ſed actuatio, & informatio, quia hæc vox *Forma ſubſtantialis* non ſignificat quid non eſt materia, ſed illud ſolum, quod eſt prima radix, & activa origo proprietatum compoſiti, quodque complet materiam, & huic unitum, cum hac componit ens ſpecificum naturale. Ergo unio non eſt illud, quod Ariſtoteles, & S. Thomas excludunt. Neque poteſt niſi abuſivè dici

forma ſubſtantialis. Neque dici omnem ſubſtantiam incompletam eſſe materiam, aut formam, ſiquidem juxta illas quatuor rationes oportet admittere ſubſtantiam, quæ neque ſit materia, nec forma, ſed materializatio, & ſimul informatio.

211. Hæc dixerim diſſimulans ſolemnem illam mediationem jam ſupra refutatam unionis inter materiam, & formam, quam mediationem inſtar rei inconcuſſæ, ſupponunt Adverſarii ſequi ex noſtra doctrina. Et hac ſiniſtrâ apprehenſione, ſive ſpecie *mediationis* tinctum intellectum, invadunt poſtea textibus, & rationibus. Nego *mediare* ullam entitatem inter materiam, & formam, tametſi detur unio ſubſtantialis modalis, quam defendimus, & quamvis hæc apprehendatur per ſpeciem rei mediantis, ſicut Angeli apprehenduntur per ſpecies Juvenum corporeorum, cum nec ſint, nec eſſe poſſint corporei Juvenes. Quomodo probatis hanc mediationem ſtrictam, & propriam? Mediare inter duos eſt in aliqua ſerie loci, temporis, vel rerum aliarum eſſe poſt unum, & in eadem ſerie eſſe ante alterum, ergo omne, quod id non habet, non mediat. Sed unio, quam voco entitatem modalem, neque quoad locum, neque quoad tempus, neque quoad aliam rerum ſeriem, eſt poſt materiam, & ſimul ante formam, aut poſt hanc, & ſimul ante illam in eadem ſerie: quoniam locutio illa *unio inter materiam, & formam* non ſignificat hoc: quaſi unio ex uno latere trahat materiam ex altero formam, & ſic illas copulet, ſicut gluten, viſcus, & hujuſmodi alia uniunt res unas cum aliis, mediando localiter inter unum, & alterum; ſed eſt modus loquendi conſentaneus modo apprehendendi, ut ſæpiſſimè contingit; apprehendimus autem unionem dictam per ſpeciem ejuſmodi rei, quia ejuſmodi ſunt cæteræ uniones phyſicæ, quas ſenſu percipimus, ergo ſtrictè, ac caſtigatè loquendo, unio illa eſt quidem diſtincta; ſed non *mediat* inter materiam, & formam. Nec poteſt dici, quod ipſa immediatius unitur alterutri, quàm alterutra inter ſe. Aliud namque eſt quod ex vi ſolius ſuæ eſſentiæ uniatur utrique, ſecus utraque. Aliud quod *immediatius*. Primum eſt verum, ſecundum falſum. Abraſa ergo illa voce, ſpecie, atque apprehenſione *mediationis* cadunt non pauca argumenta contraria, quæ apprehenſioni illi innituntur.

212. Dicunt 3. Ad abigendam turbam modorum ſatius eſſe dicere *Hic*, quàm *præſentia*. *Nunc*, quàm *duratio*. *Simul*, quàm *unio*. Contra 1. In ſignificato iſtorum adverbiorum eſt eadem penitus difficultas, quæ in ſignificato illorum nominum *unio*, *præſentia &c.* Nempe ſignificatum iſtorum *hic*, *nunc*, *ſimul* eſt ne aliquid verum, & reale: an fictitium, & merum ludibrium mentis? Eſt ne res abſoluta, an modalis? Eſt ne quid diſtinctum, an indiſtinctum à parte rei, & coram Deo à re illa, cui tribuuntur iſta adverbia? ergo etiam ſi mutaretur philoſophica Grammatica, nil proficeremus. 2. Significatum utrarumque reſpectivè vocum eſt idem. Illæ autem *unio*, *præſentia*, *duratio* ſunt uſitatiſſimæ, & idoneæ magis ad diſputationum exercitium, ut pote capaces inflexionum, quas ſæpiſſimè poſtulat latinitas quoque Scholaſtica. Ergo

go

Digitized by Google

go expungere has voces, & inducere adverbiales iſtas; *hic*; *nunc*; *ſimul &c.* non aliam importaret utilitatem, quàm mutare philoſophicam Grammaticam, & invehere diſputationibus idioma montanum, & peregrinum, conſequenterque æquivocationibus obnoxium. V. g. ſi dicam ſic, *unio fuit actuale exercitium uniendi extrema Adami in primis diebus mundi, atque in locis Orientalibus* intelligar. Videbor autem uti ſylvano, & barbaro idiomate, ſi dixero: *Simul fuit* actuale exercitium uniendi extrema Adami in primis *tunc* mundi, atque in *illic* Orientalibus. Retineamus ergo voces uſitatas, memores tamen legitimi, atque probati ſenſus illarum.

§. VII.

213. SIt itaque concluſio. Unio, de qua hucuſque, verè, & ſimpliciter eſt entitas modalis, ut toties dixi, diſtincta realiter à materia, & forma ſpecificativè, ac ſecundum ſe ſumptis, ut probat ratio data num. 201. & ſeqq. contra connotatores. Realiter, inquam, non realitate ſubjectiva, quaſi unio ſit res, prout res contraponitur modo, quia jam vides implicationem in terminis; ſed realitate diſtinctionis, quatenus unio verè, ac ſimpliciter ante operationem intellectûs, diſtinguitur ab eis extremis. Rurſus eſt modus; tum quia non conſiſtit in aggregato illo diſpoſitionum, intimæque præſentiæ animæ cum corpore propter primam, tertiam, & quartam rationes datas num. 207. tum quia licet in eo conſiſteret, adhuc eſſet modus, quia aggregatum illud haberet totam quidditatem modi, propter ſecundam rationem ibidem datam. Foret namque aggregatum illud actuale, abſolutum, immediatum, & formale exercitium uniendi materiam, & formam, cum utraque intimè connexum, & nec divinitus ab alterutra ſeparabile. Sed ejuſmodi quidditatem habere eſt habere quidditatem illius, quod nos vocamus modum, ergo illud aggregatum eſſet modus, vel ſit quæſtio de nomine. Ergo totum lucrum contrarium reducitur ad ſtatuendum modalitatem (quam nos unica ſola ponimus entitate, quæ vocatur *Unio*) in complexo illo, quod aperui num. 207. reſultante ex tot etherogeneis rebus, unis poſitivis, alteris negativis, unis ſubſtantialibus, alteris accidentalibus, unis immediatè liberis Deo (puta decretum penetrandi animam cum corpore, & carentiam nolitionis concurrendi cum illa ad operationes humanas) alteris non immediatè liberis Deo, ut ſunt illa accidentia, & diſpoſitiones materiæ. Quanto ſimplicius eſt dicere, unionem corporis, & animæ, quæ (in quocunque conſiſtat) debet eſſe, ut dixi, eſſentiale conſtitutivum hominis ſaltem, ut *quo*, eſſe unicam entitatem: quàm dicere, eſſe farraginem ex tot iſtis etherogeneis rebus? quamobrem licet verum foret, complexum iſtud non poſſe exiſtere quin forma ſit actus informans materiam, & non purè aſſiſtens; verumtamen non eſſet actualis, & formalis

malis unio, ſed quid connexum cum illa. Sicut decretum efficax divinum combuſtionis, dealbationis, calefactionis &c. non eſt formalis ipſa combuſtio, calefactio, dealbatio, ſed res intimè cum illis connexa.

214. Ingenioſi Recentiores, ſubvertendi ergo prædictam unionem, recurrunt ad combinationem intimæ præſentiæ animæ cum corpore ſimul, cum diſpoſitionibus hujus ad operationes hominis, v. g. ſicut athomiſtæ, ſubvertendi ergo formas ſubſtantiales, recurrunt ad combinationem harum, & illarum athomorum. Igitur ſupponunt 1. effectum formalem illius eſſe hunc. *Reddere animam potentem operari in corpore*. Non eſt verum; quoniam vel ſermo eſt de potentia radicali, & hæc, ut pote adæquatè identificata cum anima, vel cum ſuperaddita ipſi potentia, neutiquam eſt effectus formalis unionis. Vel de potentia proxima expeditaque. Et neque hæc eſt effectus formalis unionis; tum quia multoties deficit hæc potentia proxima ob defectum alicujus conditionis prærequiſitæ ad operandum, ut in mente capto, v. g. deficit potentia proxima ad ratiocinandum, & in cæco potentia expedita ad videndum, quin deficiat unio illa. Cum tamen effectus formalis formæ, nequeat deficere quando forma eſt in ſubjecto capace. Tum quia potentia hæc conſtituitur ſanè per unionem, eò quia hæc eſt conditio prærequiſita, ut anima operetur in corpore; aſt non per illam ſolam, ſed per reliquas omnes diſpoſitiones neceſſarias ex parte materiæ, & ex parte formæ, & ex parte cauſæ primæ applicantis omnipotentiam ſuam ad eas operationes. Ergo ea potentia proxima, non eſt effectus formalis proprius, & characteriſticus unionis, ſed generalis valdè, ac communis rebus aliis; ſicut proxima potentia ignis ad comburendum eſt effectus formalis largiſſimo ſcilicet modo applicationis ſiccitatis &c. Notionalis ergo, & proprius in quarto modo effectus formalis unionis eſt, *extrema eſſe actu abſolutè unita*. Eſſe autem unita eſt quidem unum per ſe, quia partes collectivè ſumptæ identificantur adæquatè cum toto. Verumtamen conceptus *uniti* non eſt conceptus unius per ſe, ut dicunt; quia nil quod eſt conceptus partium, eſt adæquatè id, quod eſt conceptus totius, cum hoc diſtinguatur realiter inadæquatè ab illis. At conceptus *uniti* eſt conceptus partium diſtributivè, quia illæ ſolæ ſunt, quæ uniuntur, non autem ipſum totum; conceptus verò *unius per ſe* eſt conceptus totius reſultantis ex illis partibus. Ergo. Supponunt 2. ut materia, & forma ſint ſubſtantialiter unitæ, non ſufficere unionem, quam nos dicimus; quia illas eſſe ſubſtantialiter unitas, eſt dari unum per ſe. Ergo omne inſufficiens ad unum per ſe, eſt inſufficiens, ut illæ ſint ſubſtantialiter unitæ. At prædicta unio eſt inſufficiens ad unum per ſe, ut patet, caſu quo Deus animam rationalem ſubſtantialiter uniret materiæ ligni, nullam habenti diſpoſitionem ad illam animam. In quo caſu non fieret unum per ſe ex illa materia, & hac anima, ſed unum per accidens. Nam quando, niſi in hoc caſu, poteſt reſultare unum per accidens ex duobus entibus ſubſtantialiter unitis? Ergo.

Ne-

215. Neque hoc ſuppoſitum, neque ſua probatio procedunt rectè. 1. in genere. Vel eſt poſſibilis, vel non eſt poſſibilis unio ſubſtantialis animæ rationalis cum iſta materia. Si non eſt poſſibilis, collabitur iſte diſcurſus ad probandum iſtud ſuppoſitum falſum. Et unio, qua Deus copularet animam cum materia indiſpoſita, eſſet accidentalis, & conſequenter totum, quod reſultaret ex utraque ſubſtantia unita, foret per accidens. Si eſt poſſibilis, falſum eſt, quod materia, & forma non eſſent *ſubſtantialiter* unitæ, quandoquidem eſſe *ſubſtantialiter unitas*, nil aliud eſt, quam dari *ſubſtantialem* unionem illarum. Et falſum inſuper, quod illas eſſe ſubſtantialiter unitas, ſit ſemper, ac in omni caſu dari unum per ſe; quia ſi poſſibilis eſt iſta unio, non omnis unio ſubſtantialis animæ cum materia conſtituet unum per ſe; ſed ſpecifica illa determinata unio, quæ eſt cum materia *ſufficienter diſpoſita* ad animam. Et de hac ſola eſt vera illa propoſitio. Materiam, & formam eſſe ſubſtantialiter unitas eſt dari unum per ſe. 2. Magis in particulari. Negato illo ſuppoſito ob implicationem, quam præſefert: dari ſubſtantialem unionem inter duo, & illa non eſſe ſubſtantialiter unita. Reſpondeo. Aliud eſt unum per ſe perſeitate entitativa, philoſophica, & quoad eſſentialia complectenre multa una anonyma, & monſtroſa, de quibus infra num. 229. Aliud unum per ſe, perſeitate, quoad modum, & vulgari, & quoad perfectionem naturaliter exactam. Primum conſiſtit adæquatè in materia, & forma ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis. Unde omnis caſus poſſibilis, in quo dentur hæc tria, eſt caſus, in quo datur unum per ſe, perſeitate philoſophica (quamvis anonyma) quoad eſſentialia, & quoad entitatem. Ergo ſi Deus rationalem animam uniret ſubſtantialiter materiæ ligni, ſeu alii æquè indiſpoſitæ, totum, quod reſultaret eſſet, quoad entitatem perfectionemque eſſentialem, homo: ſicut ille qui naſceretur cum oculis in cruribus, & cum auribus in dorſo: & ille qui naſceretur cum cerebro indiſpoſito ad cognoſcendum. Neque unquam ex tribus dictis entitatibus fieri poteſt ens per accidens in ſenſu oppoſito ei perſeitati; ſed ad ſummum eſſet ens per accidens ex entibus ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis, ſi Deus ſic uniret duas materias, aut duas formas ſubſtantiales, aut duo compoſita ſubſtantialia, aut duas uniones ſubſtantiales. Sed abuſus videtur iſte terminorum: quoniam hac voce *unio ſubſtantialis* ſignificatur duntaxat unio materiæ, ac formæ ſubſtantialis, aut naturæ, & ſubſiſtentiæ: quapropter repugnare videtur unio ſubſtantialis, quæ non ſit horum extremorum, & conſequenter, qua non fiat unum per ſe, & conſequenter qua fiat unum per accidens. Hoc igitur ſolum fieri poteſt ex entibus ſubſtantialibus, aſt non ſubſtantiali, ſed accidentali unione copulatis. Maximè juxta definitionem ſubſtantiæ, quam dedi diſp. 4. logicæ, nimirum. Non diſtingui adæquatè à ſuppoſito. Si enim quod reſultaret ex iſtis duabus ſubſtantiis eſſet ens per accidens, non eſſet ſuppoſitum. Ergo unio iſtarum ſubſtantiarum, nec conſtitueret, nec poſſet conſtituere ſuppoſitum. Ergo diſtingueretur adæquatè ab omni ſuppoſito. Ergo non eſſet ſubſtantia.

Se-

216. Secundum ens per ſe, hoc eſt, perſeitate *vulgari*, quoad modum, & quoad perfectionem naturaliter exactam, non conſiſtit præcisè in materia, & forma ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis; ſed imbibit præterea perfectiones illas, quæ debentur ſuæ naturæ, & ſine quibus mutilum, & monſtroſum eſt nobis illud totum. Cumque inter has perfectiones multæ ſint entitativè accidentales, ut talis membrorum coordinatio, talis qualitatum temperies &c. idcirco ens per ſe perſeitate *vulgari*, & quoad perfectiones naturales, ſecus perſeitate entitativa, & philoſophica, imbibit conſtitutivè multa, quæ ſunt entitativa accidentia, ſed non logicè, quaſi contingenter prædicentur de illo ſubjecto. Sic homines plerique ſunt utrovis modo ens per ſe, nimirum philoſophicè, ac vulgariter quoad eſſentialia, & quoad accidentalia. Homo autem qui membrorum œconomiam habet diſturbatam, qui mala conſtaret ſyntaxi membrorum, v. g. qui ventrem haberet in tergore, brachia, in cruribus, oculos in pectore &c. eſſet ens per ſe, atque homo, *quoad eſſentialia*; & ſimul eſſet unum per accidens, & monſtroſum, quoad accidentarias perfectiones, ſeu unum per accidens in vulgari acceptione. Hinc ſi Deus uniret animam rationalem materiæ ligni, reſultaret unum per ſe perſeitate philoſophica, & quoad entitatem, & eſſentiam; ſed non perſeitate vulgari, & quoad perfectionem naturaliter debitam animæ rationali. Materiam autem, & formam eſſe ſubſtantialiter unitas, eſt dari unum per ſe perſeitate prima; non ſemper ſecunda. His ergo terminis diſtingue antecedens, quo probatur ſecundum illud ſuppoſitum, & annexas propoſitiones.

217. Supponunt 3. Deum ponere animam in corpore, non per unionem, quia de hac eſt quæſtio; ſed per intimam præſentiam, ac penetrationem, ita ut tota anima ſit intimè præſens oculis, tota auribus &c. Rurſus quod corpus gaudeat omnibus organis, diſpoſitionibus, inſtrumentiſque ad operationes humanas: nec non ad entitatem illam, quam nos vocamus unionem ſubſtantialem modalem. Demum, quod Deus ſit promptus ad concurrendum cum anima. In hoc caſu, inquiunt, non datur unio dicta: Et tamen elici poſſunt actiones humanæ, viſio, v. g. quia nil prærequiſitum abeſt, aut ex parte animæ, cum ſit tota in oculis, aut ex parte corporis cum ſupponatur oculos habere omnes diſpoſitiones neceſſarias ad viſionem; aut ex parte utriuſque. Nam ſi aliquod prærequiſitum abeſſet maximè prædicta unio. Et hoc nequit dici, quia de illa eſt quæſtio. Et eſt inexplicabile quid conferat entitatula illa, ut anima eliciat viſionem. Ergo illa non eſt neceſſaria. Neque hoc procedit legitimè; tum quia vel ſupponitur materia cum omnibus diſpoſitionibus ad *unionem* dictam (& ſic illa diſtinguitur à cumulo earum diſpoſitionum, ſicut combuſtio, & quivis alius *effectus* diſtinguitur à ſuis præviis diſpoſitionibus) vel *ad videndum*, v. g. Et ſic jam ſupponitur dicta unio, quia hæc eſt una ex diſpoſitionibus neceſſariis, ut anima eliciat viſionem: nempe eſt neceſſarium, quod ſit phyſicè unita corpori, alias non erit principium informans; ſed merè aſſiſtens, ſicut diabolus eſt principium aſſiſtens in energumenis, non

autem

Digitized by Google

autem principium phyſicè unitum illis. Et ſicut Omnipotencia intimè quoque penettata cum noſtris oculis, duntaxat eſt principium aſſiſtens, non autem phyſicè unitum eis. Et ſicut Verbum divinum eſt nobis aſſiſtens ob ſuam inmmenſitatem; non autem phyſicè unitum ut Humanitati Chriſti. Confundere videntur hi Authores intimam aſſiſtentiam, ſeu præſentiam cum unione phyſica. Ergo ſi ſupponitur oculus, v. g. cum omnibus diſpoſitionibus *ad videndum*, ſupponitur cum unione ad animam. Ultra hanc non dico requiri aliam. Ergo neceſſe non eſt illam impugnate. Tum quia ſi præſcindamus à dicta unione modali, anima nequit elicere viſionem, tametſi intimè præſens ſit in oculis alias bene diſpoſitis; quoniam, ut nuperis exemplis conſtat, aliquod vetum, & reale diſcrimen datur inter *eſſe principium informans phyſicè unitum*. Et *eſſe principium purè aſſiſtens*. At hoc ſecundum ſtat in eo, quod tale principium ſit intime præſens ſubjecto alias capaci, ſeu ſit in loco, in quo elicienda eſt operatio, ut dicunt illa exempla; ergo eſſe principium infotmaus, & phyſicè unitum, non ſtat in hoc præciſè. etgo dicit aliquid aliud. Ergo quoties deficiat hoc aliud, anima non erit principium informans oculos, & eis phyſicè unitum. At quoties anima non informat oculos, v. g. nequit ibi elicere viſionem, quę ſit actus vitalis, quia in corpote ſolo, quod informat, anima poteſt operari operationes vitales illius corpotis, ideſt, illius entis naturalis. Ergo quoties deficiat illud aliud, anima nequit elicere viſionem in eis oculis. Sed illud aliud eſt, quod vocamus unionem ſuperadditam, ſiquidem eſt aliud ultra animam, ſuam præſentiam in oculis, horumque diſpoſitiones diſtinctas ab hac unione. Ergo.

218. Confirmatur. Anima nequit operari vitalem operationem in corpore, cui non eſt phyſicè unita. At ſine hac unione, quam nos ponimus, anima non eſt phyſicè unita oculis; quia ſi per aliam, maximè per iſtud aggregatum intimæ præſentiæ, atque diſpoſitionum oculorum. Et iſtud aggregatum non poteſt eſſe unio phyſica animæ cum corpote: Siquidem hæc unio imbibi debet intra eſſentiam phyſicam hominis per num. 201. in ſenſu philoſophico, & non purè vulgati, quem nuper dicebam de illis monſtris, cum tamen iſtud aggregatum, utpote compactum ex accidentibus, ex conceptibuſque negativis, ut oſtendi num. 207. nequeat eſſe intra illam eſſentiam phyſicam hominis. Ergo. En ſine petitione principii ptærequiſitum ex parte animæ, & ex parte materiæ, & ex parte uttiuſque ad eliciendum viſionem, quod deficit, quando deficit hæc ſuperaddita unio, quam ponimus. Et en quid conferat hæc, non ſane Entitatula, ſed *entitas* tam phyſica, vera, & realis, ſicut Authores contrarii. Nempe 1. quod anima non ſit principium purè aſſiſtens oculis, ſed principium informans unitum phyſicè illis, ſine quo ſtatu non poteſt ibi elicere viſionem. 2. quod ſubſtantia, & eſſentia hominis non imbibat intra ſe farraginem innumerorum illorum accidentium, & carentiarum accidentium aliorum, in quorum combinatione ſtat temperamentum diſpoſitionum ad operationes vitales; imbiberet autem illam eſſentialiter, ſi illa foret unica unio corporis,

poris, & animæ. 3. quod Authores contrarii huic unioni, non ſint cadavera, ſed vivant, quia illorum mors ſtat formaliter in defectu hujus unionis.

219. Ex dictis infertur 1. hos Authores non negare abſolutè unionem corporis, & animæ, & quidem ab utroque diſtinctam, ſaltem inadæquatè, quandoquidem ajunt prædictum complexum eſſe unionem ſufficientem animæ cum corpore. Sed declinant à via trita, quia putant unionem illam nil aliud eſſe à parte rei, quam complexum ex intima præſentia animæ, v. g. in corpore, & ex diſpoſitionibus omnibus in hoc neceſſariis ad humanas operationes. Et quamlibet aliam unionem ab hoc complexo diſtinctam negant. Nos ex adverſo dicimus quatuor propoſitiones. *Prima*. Iſtam philoſophiam non fore ingratam athomiſtis negantibus omnem formam ſubſtantialem (exceptâ humanâ juſtis de cauſis) diſtinctam à mera combinatione athomorum ſimilium, vel diſſimilium, juxta quarum combinationum diverſitatem experimur jam unas jam alias operationes in entibus naturalibus. Nec fore ingratam negantibus lucem, colorem, & reliquas qualitates diſtinctas à mera combinatione rerum. *Secunda*. Recurſu ad iſtud complexum non vitari modos; quoniam iſtud idem complexum haberet totam quidditatem illius, quod nos vocamus *modum*. Nempe eſſe actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium, ſive determinationem, qua materia, & forma ſunt phyſicè unita. *Tertia*. Iſtud complexum valere, ut anima ſit principium *aſſiſtens*; non verò *informans*; Sicut etiam omnipotentia, imò & quilibet Angelus poteſt eſſe intimè præſens, atque aſſiſtens corpori diſpoſito ad multas operationes, quin ei phyſicè uniantur; alias corpus Chriſti Domini; fuiſſet phyſicè unitum, unione de qua modò, clauſtro virgineo, lapidi ſepulchri, januæ cœnaculi, cum quibus aliquando fuit penetratum. Neque prodeſt dicere, hoc corpus, Deum, & Angelum non eſſe formas; quia nec anima ipſa eſt actu forma reſpectu corporis cui actu phyſicè non unitur. Per iſtam autem ſolam intimam præſentiam non unitur phyſicè, quia non eſt idem *eſſe intime præſens, & eſſe unitum phyſicè*; cum poſt mortem poſſit Deus relinquere animam mere aſſiſtentem in illo eodem corpore, ſicut in carcere alio Purgatorio. *Quarta*. Iſtud complexum, utpote refertum accidentibus, & negationibus, non poſſe imbibi intra phyſicam poſitivam, & ſubſtantialem eſſentiam hominis; cum tamen imbibi debeat unio corporis, & animæ; tametſi imbibi poſſit intra accidentariam, vulgaremque perfectionem hominis.

Quæſtio 3.

§. VIII.

220. QUæſtio 3. Eſt. *An prædicta entitas modalis ſit eſſentiale conſtitutivum in recto, vel in obliquo entis naturalis?* Reſp. ex ſæpè dictis. Etiamſi rectum in grammatica dialecto ſignificet illud, quod ponitur in primo caſu, & obliquum, quod in alio ponitur. In dialecto philoſophica, rectum ex parte ſubjecti ſignificat, ut toties dixi, id de quo enuntiatur id quod enuntiatur; & rectum ex parte prædicati eſt illud, quod enunciatur affirmativè, aut negativè. Sic quanquam hoc concretum *album* conſtituatur intrinſecè per albedinem. Et hoc *Dulce* per dulcedinem; conſtituuntur per illas in obliquo; in recto autem per ſola ſubjecta. Nam quando dicimus de Saccharo, v.g. *Hoc album eſt dulce*, de ſolo illo, quod habet albedinem, enuntiamus identitatem cum ſolo illo, quod habet dulcedinem. Rurſus eſſe in recto bifariam evenire poteſt 1. eſſe in recto adæquatè, ſi nimirum illud, de quo eſt ſermo, identificetur adæquatè cum illo, de quo aliquid enuntiatur. 2. eſſe in recto inadæquatè: Videlicet ſi cum illo identificetur inadæquatè. Dico ergo. Prędicta unio conſtituit intrinſecè hominem, v.g. in recto; non ſanè adæquatè, ſed inadæquatè; quidquid enim conſtituit intrinſecè illud, de quo enunciantur affirmativè, aut negativè, quæcunque enuntiantur de homine, conſtituit in recto hominem (ſiquidem hoc eſt eſſe in recto) & quidem inadæquatè tantum: quia conſtitutivum non identificatur adæquatè cum conſtituto, quippe hoc, ultra unum quodque conſtitutivum, includit aliud, vel alia. At unio materiæ, ac animæ rationalis conſtituit intrinſecè illud, de quo enuntiantur, quæcumque enuntiantur de homine: quia unio conſtituit intrinſecè hominem. Nam quoties hic deſinit eſſe, neceſſe eſt quod deſinat eſſe aliquod imbibitum intra ſuam eſſentiam phyſicam (ſi enim omnia penitus perſeverarent homo ipſe perſeveraret. Et defectus connotati, conditionis, prærequiſiti, terminique connexionis, eatenus præcisè inducit defectum compoſiti, ut toties inculcatum, quatenus inducit defectum alicujus conſtitutivi) nullum autem deſinit eſſe, niſi unio dicta, quandoquidem materia, & forma perſeverant. Ergo ea unio non utcumq; eſt intra eſſentiam hominis, ſed in recto, licet inadæquatè tantum, ſicut etiam eſt forma. Explicatur. Eſſe in recto inadæquatè intra eſſentiam hominis eſt eſſe id, de quo inadæquatè enuntiantur quæcunque enuntiantur de homine; quid enim aliud eſt rectum philoſophicum, ut diſtinctum à Grammatico? At de unione enunciantur inadæquatè quæcunque enuntiantur de homine. Nam hoc ſtat in eo, quod unio ſit intra eſſentiam phyſicam illius, de quo enunciantur quæcumque enunciantur de homine. Et ita eſt; quandoquidem unio eſt intra eſſentiam phyſicam hominis, qui eſt illud, de quo enuntiantur quæcumque enuntiantur de Homine. Ergo.

 Qua-

221. Quamobrem licet albedo ſit conſtitutivum in obliquo hujus concreti *album*, quia non conſtituit intrinſecè illud, de quo enunciantur, quæ enunciantur de albo, ſiquidem non conſtituit illud, quod eſt album, nihilominus unio, quia conſtituit illud, quod eſt homo, ob nuperam rationem, conſtituit illud, de quo enunciantur, quæ enunciantur de homine. Et conſequenter conſtituit in recto inadæquatè hominem. Hinc 1. ne te moveant illæ voces *quod*, &, *quo*; licet enim unio reſpectu extremorum ſit *quo*: nam eſt id quo extrema copulantur, aſt reſpectu ipſius compoſiti eſt *quo*, & *quod*: nam eſt res quædam intimè imbibita intra eſſentiam phyſicam illius, quod eſt compoſitum illud. Et inſuper eſt res qua conſtituitur illud compoſitum. 2. nec moveant te illæ alteræ. *Materia, & forma unita*; aut; *materia, & forma cum unione*. ubi unio ſonat in obliquo, atque adiectivè. Nam ſonus iſte eſt merè grammaticus; in rigore autem philoſophico, ſi voces iſtæ ſignificent compoſitum ſubſtantiale, tam ſubſtantivè, atque in recto includitur unio intra eſſentiam phyſicam illius, de quo enunciantur, quæ enunciantur de homine, quàm materia, & forma; ſecus ſi iſta circumlocutio non ſignificet compoſitum integrum. Nec te moveat, fore ut unio ſit inadæquatè animal, ſit inadæquatè rationalis &c. quoniam ſimiles locutiones verificantur quoque, de corpore, & anima. Utræque autem, ut jam dixi, id duntaxat ſignificant, unionem, corpus, & animam imbibi unumquodque intra phyſicam eſſentiam illius, quod eſt rationale. In hoc autem, quæ falſitas? Parco aliis cavillationibus, quæ ex modis loquendi natæ, modis ipſis ſuffocari poſſunt.

222. Ex dictis inferuntur duo. Primum. Mortui, qui reſurgunt, & reſurgent, habuerunt, & habebunt eandem individuam unionem priorem corporis, & animæ, ſicut idem corpus primigenium, & eandem animam. Alias non eſſet idem numero, atque individuus homo, ſiquidem mutaretur unio, quæ intimè imbibitur intra eſſentiam phyſi-
Iob. 19. cam hominis: neque ſubſiſteret illud quem viſurus *ego ipſe, & non alius*. Unde unio hæc non eſt affixa tempori, aut loco; ſed ſicut poteſt incipere, ac deſinere eſſe jam in uno tempore, jam in alio: ita poteſt divinitus reproduci eadem numero. Secus dicendum de duratione, quia cum durationes ſint rationes formales diſtandi temporaliter, ſunt eo ipſo affixæ eſſentialiter ſuo *quando* temporali, quocirca redivivi iſti non poſſunt ſuſcipere Sacramenta, quæ imprimunt characterem, ſi illa ſuſcepiſſent olim. Sin conjugati fuerunt (idem ſi profeſſi in Religione) debebant, aut poterant iterare matrimonium cum eadem: quia hæc
1. ad Cor. 7 vincula diſſolvuntur morte; *quod ſi dormierit vir ejus &c.* Quod ſi Deus, ut poteſt, reuniret iſtam eandem animam alii materiæ, aut eidem, ſed per unionem diſtinctam à priore, homo qui tunc conſurgeret, eſſet verè diſtinctus phyſicè, inadæquatè videlicet, à priore: quandoquidem unum ex intimis conſtitutivis eſſentiæ phyſicæ mutatum foret; quamobrem ſi in eo caſu (aliùs utique providentiæ) ſubſiſterent leges providentiæ præſentis circa Sacramenta, novus ille homo baptiſmum, confirmationem, & Ordines, de novo ſuſcipere debebat, aut poterat,

licet

Digitized by Google

licet prior his Sacramentis functus eſſet, quia cum hic ſecundus verè ſit alius a priore ob alietatem conſtitutivi eſſentialis: non eſſet iteratio horum Sacramentorum, nova hæc alia ſuſceptio. Neque urget quod anima illa retineret characterem, utpote indelebilem horum Sacramentorum ſibi olim impreſſum, quia character non eſt eſſentia illorum, ſed effectus ex placito divino annexus illis, & qué ſine Sacramento poteſt Deus antecedenter imprimere. Ergo novus ille homo, etiamſi characterem haberet Sacramentorum illorum (quem poterat quoque non habere in illa alia providentia) ſubſiſteret, quod ille, ut talis individuus homo, non ſuſceperat illa Sacramenta. Ergo poterat illa ſuſcipere ſine periculo iterationis formalis, ideſt, factæ per eundem penitus hominem.

223. Secundum eſt; tametſi hæc individua unio tui corporis, & animæ ſit eis eſſentialiter affixa, ea non ſunt per ſe connexa cum hac unione. Ergo tuum idem corpus, & tua eadem anima potuerunt uniri per Deum aliâ unione diſtinctâ realiter ab ea, quam modo habent; tunc ſimiliter conſurgeret homo alius verè diſtinctus à te, inadæquatè nimirum, ob diſtinctionem intimi conſtitutivi eſſentiæ phyſicæ. Unde intra amplam poſſibilitatis ſphæram habes innumeros homines utriuſque ſexus à quibus non diſtingueris adæquatè. Unos quorum phyſica eſſentia potuit conſtare iſto eodem corpore, quod habes; ſed animâ diverſâ. Alios quorum eſſentia phyſica conſtare poteſt iſtâ eâdem animâ (quam utique potuit Deus unire alii corpori) ſed corpore diverſo. Alios demum, quorum eſſentia phyſica conſtare potuit iſto eodem corpore, iſtaque eadem anima, ſed unione diſtinctâ: quia iſta duo non ſunt eſſentialiter connexa cum iſta individua unione. Eſt interminabile regnum poſſibilitatis metaphyſicæ. Veruntamen ſi loquamur de hominibus ſemel adæquatè diſtinctis, hoc eſt compoſitis ex materia, forma, & unione diſtinctis, impoſſibile omninò eſt, quod identificentur inadæquatè, quia impoſſibile eſt, quod mutent conſtitutiva phyſica eſſentialia. unde ſi animam Petri univiſſet Deus, ut potuit, iſti materiæ, quæ modo eſt tua, tertius ille homo qui tunc reſultaret non diſtingueretur adæquatè à vobis; ſed vos ipſi invicem diſtingueremini adæquatè, quia neuter conſtitueretur per conſtitutivum alterius. Et hic non valet, quę ſunt eadem inadæquatè cum uno tertio, ſunt eadem inadæquatè inter ſe, ut alibi dixi. Vide quę ſcripſi à n. 179.

§. IX.

224. QUæſtio 4. *Quanam eſt cauſa productiva prædicta unionis?* Reſpondeo. Cum cauſa, quæ producit formam non producat illam extra materiam, ſed determinatè, ac poſitivè *in* materia. Et illud *in* non ſignificet duntaxat intimam penetrationem formæ cum materia, ut paulò ante dicebam, ſed ſaltem unionem phyſicam, & ſubſtantialem illius cum hac, idcircò eadem cau-

cauſa, quæ producit formam, producit unionem ejuſdem cum materia. Unde quando ignis A producit ignem B; hoc eſt formam ignis B, producit quoque illius unionem cum materia, quia producit eam formam *in* illa materia; quod ſi loquamur de ente naturali vivente, ex eis, quæ rationalia non ſunt, & producuntur per generationem viventium, forma ipſa ſeminis, ſeu potius ſemen ipſum, quod materiam idoneam in loco, & aliis circumſtantiis idoneis vivificat producendo in ea formam illius viventis, producit quoque unionem illius cum materia. Difficultas eſt in unione animæ rationalis. Nam cum Parentes non producant hanc, ſed ſolus Deus infundat illi materiæ hoc ſpiraculum vitæ, & hanc imaginem ſuam, ſi non producunt unionem illius cum materia nil filiorum producerent; quia non materiam, cum hæc fuerit ab initio mundi ſub innumeris ſucceſſivè formis, antequam illi Parentes naſcerentur, quis enim noſtrum ſcit, quam multas, & etherogeneas formas, jam nobiles, jam ignobiles, jam mediocres habuerit ab initio mundi individua illa materia, qua intrinſecè conſtat corpus ſuum? Non formam, quippe quæ à ſolo Deo creatur, ergo ſi neque unionem hujus producerent, nil filiorum producerent, & conſequenter non verificaretur de generatione filiorum ſolemnis definitio. *Origo viventis à vivente &c.* Reſpondeo. Hoc unum videtur certum: plus pendere, ſeu plus accipere filios irrationales à ſuis parentibus, v.g. canes à canibus, quàm homines ab hominibus; quoniam illorum anima, & unio cum eo corpore producitur à ſuis parentibus ex vi ſeminis, quod par ſane eſt producendo animam irrationalem, ſicut unus ignis par eſt producendo aliam formam ignis: & unius fructûs ſemen producendo aliam arborem: & anima ipſa diviſibilis inſectilium producit aliam partem animæ in alimento quo nutritur (hoc tamen diſcrimine, quod iſta ſunt cauſa formalis phyſica; ſemen verò animalium illorum cauſa inſtrumentalis, qua Parentes illi producunt animas ſuorum filiorum, ut dicam diſp. prima de Anima cap. 1. cum tamen anima hominis non producatur à ſuis parentibus. Unde ſi inferas, irrationales filios ſtrictius proprius, & magis eſſe filios belluarum parentum, quàm filios rationales rationalium parentum ſuorum: concedam de majoritate extenſiva ob rationem iſtam diſparem animarum; negabo autem de majoritate intenſiva, ſive in ratione formali filiationis, quoniam hujus definitio, tam ſtrictè, ac propriè convenit unis filiis, quàm alteris. Utrorumque enim productio eſt origo viventis à vivente, à principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ.

225. Igitur cum ſolus Deus producat animam rationalem: & non præciſivè à corpore, ſed poſitivè, atque determinatè *in corpore* diſpoſito: & illud *in* non ſignificet eductionem, ſed ſolam unionem. Hac de cauſa conſentaneum eſt, quod ſolus Deus producat unionem animæ rationalis cum corpore. Non quia hæc unio perfectione vincat ſubſtantialem formam ſanguinis paterni, ac materni in unum concreti, & ideo nequeat utervis conglobatus ſanguis illam producere. Nam multa ſunt aque, aut etiam minus perfecta, quàm A; & tamen nequeunt produci ab A, v. g. hæc carta ab alia carta, hæc ſedes ab alia ſede.

Non

Non item quia illa unio producatur per creationem, quia non ſic producitur. Sed quia omne improportionatum ad producendum rem ſuapte natura incapacem primò produci, quin producatur in ſubjecto, eſt improportionatum ad producendum illam *in ſubjecto*. Licet enim paſſim contingat cauſam nequeuntem producere rem A, poſſe illam unire huic, vel illi ſubjecto; nunquam tamen quando res A ex ſuamet natura nequit primò produci, quin producatur unita illi ſubjecto. At concretio paterni, & materni ſanguinis eſt improportionata ad producendum animam rationalem, quæ utique licet ſemel jam producta poſſit conſervari naturaliter ſeparata à ſubjecto; veruntamen ſuapte natura eſt incapax primò produci, quin producatur *in ſubjecto*. Ergo illa concretio, ſive utriuſque ſanguinis commixtio, eſt improportionata ad producendum animam rationalem *in materia*. Ergo eſt improportionata ad producendam unionem illius cum materia. Solus ergo Deus producit illam unionem, quippe qui ſolus infundit animam rationalem corpuſculo diſpoſito filiorum. Unde meritò ajebat Sancta illa Machabæa ſuis filiis. *Neque enim ego ſpiritum, & animam donavi vobis*. Ubi non ſolum negat ſe produxiſſe illas animas; verum etiam ſe *donaviſſe*, id eſt, uniſſe, aut infudiſſe illas. Similiter Job poſt narratam ſui corporis Fabricam à Deo, inquit. *Vitam, & miſericordiam tribuiſti mihi*. Ubi tribuitionem, hoc eſt unionem vitalis formæ cum corpore, ſoli Deo adſcribit. Atqui duo hi teſtes ſunt omni exceptione majores. Ergo his ſtandum potius, quàm aliis, atque ad hos revocandi ſunt Philoſophi, non hi ad Philoſophos. Neque dicas, ſolum quoque Deum infundere nobis ſua auxilia; & tamen nos etiam concurrere phyſicè ad illa, quando ſunt actus intellectûs, aut voluntatis. Etenim cum ſint actus vitales, & immanentes nobis, jam conſtat illud *ſolum* non excludere noſtrum influxum phyſicum. Aſt unio animæ filii cum ſuo corpore non eſt actio vitalis, & immanens Parentum. Unde verba illa ſacra non eſt, cur non excludant influxum phyſicum Parentum. *Macbab. cap. 7.* *Iob 10.*

226. Sumus ergo filii noſtrorum Parentum, & originem trahimus ab illis, & productio noſtra eſt generatio *Origoque viventis à vivente*; non quia materia noſtra primigenia (vulgò minimum naturale) id eſt illa, cui primitus unita fuit noſtra anima, propria utcumque, & utilis fuerit noſtris Parentibus; alias Eva fuiſſet filia Adæ, ſiquidem propria fuit hujus, materia illa, cui primò fuit unita anima Evæ. *Ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*. Non item quia illi phyſicè immediatè, atque ſcientes organizent, coordinent, atque compingant Oeconomiam, & fabricam noſtrorum corporum. Tum propter teſtimonium illius Sanctæ Machabeæ. *Singulorum membra non ego ipſa compegi* (Ergo negat ſe ſcientem, phyſicè organizaſſe immediatè corpora filiorum) *Sed enim Mundi Creator &c.* Tum S. Job. *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me &c.* Sed quia noſtrum minimum naturale, quo eſſentialiter phyſicè conſtamus, ut infra dicam, & cui in primo inſtanti ſuæ creationis unitur anima noſtra, eſt perfectiſſimus, defæcatiſſimus ſeminalis ſanguis noſtrorum parentum, *Geneſ. 2.* *2. Macbab cap. 7.* *Iob. 10.*

quem

quem illi laborarunt, perfecerunt, compleveruntque humanis ſpiritibus, quibus naturaliter debetur fabrica, coordinatio, diſtributio, & Oeconomia ſaltem imperfecta, & inchoata noſtrorum membrorum: & huic Oeconomiæ rudi debetur naturaliter infuſio animæ rationalis illam perficientis. Cumque res, ubicunque ſit, clamet pro ſuo Domino: & uterque ille concretus ſanguis ſit intra noſtram eſſentiam phyſicam, quia ut poſtea dicam, de eſſentia hujus individui hominis, eſt individua illa materia, cui primitus fuit unita ſua anima, inde eſt quod intra noſtram phyſicam eſſentiam habemus rem propriiſſimam noſtrorum Parentum, & nos de illis admonentem: rem inquam, non quamlibet, ſed talem determinatam, nimirum purum, & nobiliſſimum ſeminalem ſanguinem, puris, & nobiliſſimis refertum ſpiritibus, cui ſanguini, matrici infuſo, cæteriſque præſentibus requiſitis, debetur immediatè dicta organizatio, & temperamentum humanum, mediatè verò anima rationalis. In hoc itaque ſenſu generatio noſtra eſt origo viventis à vivente &c. non quia noſtri parentes producant phyſicè noſtram materiam, aut noſtram animam, aut noſtram unionem; ſed quia phyſicè emittunt ex ſua ſubſtantia ſingularem illam portionem ſubſtantiæ, qua phyſicè componitur noſtra eſſentia phyſica, & cui anima debetur ſuppoſitis cæteris requiſitis.

227. Hinc habes, quantum modo ſufficit philoſopho Chriſtiano, ſenſum quo Beatiſſima Virgo Maria eſt non ſolum Chriſtotocos, ut volebat Neſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus; verum etiam Theotocos, ut nolebat; ideſt, Mater Dei. Non fuit Mater Dei ſecundum *divinitatem*, ut pravè intellexerunt aliquandiu ex doctrina Cyrilli Alexandrini, Joannes Antiochenus cum Theodoreto, & Epiſcopis Orientalibus (unde natæ ſunt tragediæ illæ depoſitioneſque reciprocæ, quæ ſubſecutæ ſunt Concilium Generale Epheſinum primum) Sed mater Dei ſecundum *carnem, quam ſibi propriam fecit Verbum per arcanam illam, & indicibilem unionem* hypoſtaticam, ut toties explicuit idem S. Cyrillus. Igitur, Beatiſſimam Virginem eſſe verè, ac propriè Matrem Dei, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo; quod verè, ac propriè genuerit, & pepererit humanitatem illam, quam in prima ejuſdem animatione fecit ſibi propriam ratione Unionis Verbum. In his namque ſolis duobus ponit Cyrillus primus Doctor, ſive potius explicator hujus myſterii, quem tota Eccleſia ſecuta eſt, totam hanc maternitatem inquiens anathemate 1. *Si quis non confitetur Deum eſſe veraciter Emmanuel: & propterea Dei Genitricem Sanctam Virginem* (cur? ſubjungit ſtatim rationem) *Peperit enim ſecundum carnem, carnem factum Dei Verbum, ſecundum quod ſcriptum eſt. Et verbum caro factum eſt. Anathema ſit.* At quanquam Beatiſſima Virgo non produxerit phyſicè unionem animæ cum corpore Chriſti Domini ſubſiſtunt hæc duo. Ergo quanquam Parentes alii, & conſequenter Beatiſſima Virgo, non produxerit phyſicè unionem illam, ſubſiſtit quod verè, & ſimpliciter ſit Mater Dei in eo ſenſu, quem unum explicuit Cyrillus, & amplexa eſt Eccleſia.

Anathem. 1 & in refutat. Theodoreti, & in reſp. ad Epiſcop. Orient. & Epiſt. ad Neſtor.

228. Probatur. Sacroſancta illa Humanitas individua phyſicè eſſentia-

tia-

tialiter conſtabat individuâ illâ carne, ſeu potiùs materiâ, cui primò fuit unita individua illa anima Sacroſancta. Sed individua iſta materia, ſeu caro, ſeu ſanguis, erat puriſſimus Virgineus ſanguis, ſpiritibus humanis refertus, phyſicè laboratus per Beatiſſimam Virginem, phyſicèquè emiſſus in matricem. Ergo ſacra illa individua Humanitas habuit intra ſuam phyſicam eſſentiam, non aliquid utcunque Beatiſſimæ Virginis; ſed tale aliquid, nimirum ſanguinem puriſſimum, ſpiritibus refertum, phyſicè elaboratum, acquiſitum, atque perfectum, phyſicèque emiſſum ab illa. Sed hoc ipſo ſacra illa Humanitas verè fuit genita, & ſuo tempore edita per Beatiſſimam Virginem. Ergo fuit verè genita, atque edita. Sed Verbum aſſumpſit, ſeu propriam ſibi fecit, per phyſicam unionem, illam Humanitatem in prima hujus animatione. *Neque enim*, ſcribit Cyrillus, *primum natus eſt homo communis, & tunc demum inhabitavit in eo Verbum; ſed in ipſa vulva, uteroque virginali ſe cum carne conjunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ nativitatem, ſuam faciens.* Ergo ſubſiſtit, quod Verbum fecerit ſibi propriam, per unionem, humanitatem individuam, verè ac ſimpliciter genitam, atque editam per Beatiſſimam Virginem. Ergo ſubſiſtit, quod hæc verè, ac ſimpliciter ſit Mater Verbi in ſenſu, quem explicuit Cyrillus, quemque amplexa eſt tota Eccleſia. Sed de hoc fuſius in ſuo proprio loco, ubi de communicatione idiomatum, videlicet quo ſenſu Deus paſſus, mortuus, ſepultus, redivivuſque fuerit: quas veritates ſimiliter, eidemque principio inhærens, explicat Cyrillus in prima illa Epiſtola ad Neſtorium, videlicet *ſecundum humanitatem*, quam ſibi copulavit, fecitque propriam per unionem. Modo hæc inſinuaſſe ſufficiat pro Philoſopho Chriſtiano.

Ep. ad Neſtor.

CAPUT SEPTIMUM.

De toto ipſo Subſtantiali.

229. POST explicata ſingillatim conſtitutiva, & conſtitutionem entis naturalis, ipſum, ut tale, inſpicere oportet. Ens naturale vocatur, *totum* vocatur *compoſitum ſubſtantiale*; non quomodolibet. Si enim Deus miraculosè uniret ſubſtantialiter, ut aliqui putant poſſibile, duos Angelos inter ſe, aut duos homines, aut Angelum, & hominem, aut duas animas, compoſitum, ſive totum illud, quod reſultaret, reſultaret utique ex partibus ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis. Et tamen neque eſſet *unum per ſe* perſeitate ſcholaſtica, ſed ad ſummum perſeitate quadam anonyma, & monſtroſa. Neque eſſet *totum*, ſive *compoſitum ſubſtantiale*, quia his terminis duo ſolum intelligunt Scholaſtici. Nem-

pe illud, quod conſtat materiâ, & formâ ſubſtantialibus ſubſtantialiter unitis. Vel illud, quod conſtat naturâ completâ, & ſubſiſtentia poſitivâ, aut negativâ, diſtincta realiter ab illa natura. Partes materiæ ſpoliatæ omni formâ, aut partes formæ diviſibilis ſeparatæ ab omni materiâ, licet unirentur mutuò unione continuativâ, non forent unum per ſe, aut ſubſtantiale compoſitum in phraſi ſcholaſtica. At nulla ex illis monſtroſis diphtongis ſubſtantiarum eſſet quid conſtans materiâ, & forma ſubſtantialibus, aut naturâ, & ſubſiſtentiâ; quoniam neutra pars illarum foret materia, aut forma reſpectù alterius, aut foret natura, & ſubſiſtentia. Ergo nulla ex iſtis monſtroſis diphtongis ſubſtantiarum, eſſet unum per ſe, aut totum, ſive compoſitum ſubſtantiale. Unde 1. Monſtrum prædictum, neque eſſet perſona, neque eſſet ſuppoſitum; imò neque ulla ex eis duabus naturis, humanâ ſcilicet, & Angelica, eſſet ſuppoſitum, aut perſona pluſquam in actu primo, quatenus ſuapte natura incapax foret naturaliter unionis illius; aſt non in actu Secundo, quia utrilibet deficeret unum conſtitutivum ſuppoſiti, carentia ſcilicet unionis cum altera natura. Unde 2. neque Angelus poteſt aſſumere hypoſtaticè naturam humanam, aut inferiorem; quia ſolius Dei Perſonalitas eſt poſitiva perfectio, propter rationem, quam dedi diſp. 4. logicæ majoris cap. de ſubſiſtentia, & non conſiſtit in carentia unionis cum alia natura.

230. Igitur totum, ſive compoſitum ſubſtantiale, ſive unum per ſe, unitate non quidem ſimplicitatis, qualis eſt Angelus, ſed unitate compoſitionis, quale eſt illud, quod per totam hanc diſputationem ab initiò explicandum ſuſcepi, eſt illud duntaxat, quod ex materiâ, & forma ſubſtantialibus, ſubſtantialiter unitis, & non tanquam ex ternario quodam diſparatarum unitatum, vel etiam ex natura completa, & ſubſiſtentia, quæ ſit poſitiva perfectio, reſultat, ſive incipias propoſitionem à materia, ſive à forma, ſive ab unione, quia verbalis iſta ſucceſſiò, aut ordo, eſt per accidens. Reſultat, inquam, non ſicut calor ex igne, cujus eſt phyſicus effectus, & à quo diſtinguitur adæquatè, ſed quatenus, & *illis*, & *ſolis* conſtituitur phyſicè ſua eſſentia (non tanquam ternario quodam unitatum diſparatarum, ſed tanquam ternariò entitatum, quarum una eſt ſubjectum, altera eſt actus, & alia eſt nexus, ſive vinculum illarum) quo termino, *conſtituitur*, ſi utaris, abiges æquivocationem, quæ latere ſolet ſub illo altero *reſultat*. Hinc formam totalitatis, quæ ſit metaphyſica, hoc eſt, indiſtincta penitus ab ipſo toto, ſicut rationalitas eſt indiſtincta à rationali, animalitas ab animali, & reliqua abſtracta metaphyſica à ſuis ſubſtractis, & concretis, admitto; quia totalitas (niſi hæc vox ſit, ſicut *Bliſtri*, nihil ſignificans) ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, vi cujus formaliter immediatè totum eſt totum. At omne totum per ſuammet eſſentiam eſt totum, ſicut animal per ſuammet eſſentiam eſt animal. Ergo totalitas ſtat in ipſius totius eſſentia, ergo ſi forma totalitatis ſit metaphyſica, videtur innegabilis. Verumtamen ſi forma totalitatis dicatur forma phyſica diſtincta realiter à ſubjecto, quod vocatur *totum*, ſicut albedo à ſubjecto, quod dicitur *album*, nego illam. Tum propter nuperam rationem juxta.

Digitized by Google

juxta quam, totalitas eſt abſtractum, ſive forma metaphyſica non diſtin-
cta à toto, ſicut animalitas reſpectu animalis. Petreitas reſpectu Pe-
tri &c. Tum quia illam aſſerere, eſſet aſſerere, ut conſtitutivum phy-
ſicum totius, aliquid ultra tres illas entitates, ita ut non foret identitas
adæquata inter ſubjectum, & prædicatum hujus propoſitionis. *Materia,*
forma, & unio, ſunt totum ſubſtantiale, ſeu, *unum per ſe*; ſed eſt falſum,
quod non detur identitas adæquata. Nam iſtud aliud ad quid eſt ne-
ceſſarium? Item quoties materia, & forma ſunt unitæ ſubſtantialiter,
datur unum per ſe, ſive totum ſubſtantiale, ſiquidem unum illud non
eſt per accidens, ſicut acervus lapidum, aut monſtra illa ſubſtantialia
de quibus nuper. Sed quoties dantur illa tria, ſive numerationem in-
cipias ab uno, ſive ab altero, materia, & forma ſunt ſubſtantialiter
unitæ. Ergo quoties dantur illa tria, datur unum per ſe, ſive totum
ſubſtantiale. Atqui poſſunt dari illa tria, abſque iſta alia forma phy-
ſica ſuperaddita: quoniam nullum ex eis tribus probatur eſſe ex ſe
connexum cum illa. Ergo poteſt dari unum per ſe, ſeu totum ſubſtan-
tiale, abſque iſta aliâ formâ phyſicâ ſuperadditâ. Ergo non conſtitui-
tur per illam. Tum demum, quia cum etiam foret quoddam totum
iſtud, quod reſultaret ex iſta forma phyſica totalitatis, & ſubjecto
cui uniretur, oporteret reflexam aliam comminiſci formam phyſicam
totalitatis vi cujus eſſet *totum*, totum illud, quod reſultaret ex ſubje-
cto, & iſta totalitate, & ſic abiremus in longum.

231. Duæ primariæ occurrunt hic quæſtiones. Prima. *An hoc indi-
viduum totum ſubſtantiale, v. g. hic individuus, & ſingularis homo, imbibat
in ſua eſſentia phyſica, non ſolum hanc individuam formam, & hanc indivi-
duam unionem, verum etiam hanc individuam materiam.* Reſpondeo con-
ſentaneè ad illa, quæ non ſemel dixi. Vel loquimur de tota hac ma-
teria, quam hic, & nunc habet. Vel de ſola primigenia, hoc eſt, de
illa ſola cui in primo inſtanti ſuæ creationis unita fuit anima. Si pri-
mum, reſpondeo negativè; tum à Priori. Nil plenè, ac perfectè exi-
ſtens, quoad eſſentiam, pro priori ad acquiſitionem multarum portio-
num materiæ, quas modo habet, conſtituitur eſſentialiter per totam
materiam, quam modò habet. Sed hic individuus homo plenè, ac
perfectè exiſtit, quoad eſſentiam, pro priori ad acquiſitionem multa-
rum partium materiæ, quas modo habet. Nam multas fructu, & in-
duſtria ſua acquiſivit per nutritionem, qua ſubſtantialiter crevit, & pro
priori ad nutritionem, quippe quæ eſt actio vitalis, eſt vivens ipſum
plenè, ac perfectè, quoad eſſentiam, ergo. Tum à poſteriori,
quia quando homo hic erat infans, erat idem individuus homo, qui eſt
nunc: item qui erit quando per reactionem qualitatum contrariarum,
aut per morbos, aut per mutilationem habebit minus materiæ, quam
habet modò. Et tamen in neutro caſu habet totam materiam, ſeu to-
tum corpus, & carnem, quam habet modo. Ergo ſignum eſt, quod
non tota illa eſt de eſſentia phyſica hujus individui hominis.

232. Ergo quanquam non reſurgat cum tota illa in noviſſimo die,
eò, quia aliquæ portiones illius futuræ ſint alimentum aliûs hominis, &

Digitized by Google

ex alimento fiat ſanguis illius, & ex ſanguine illius formetur minimum naturale, ſeu materia primigenia Petri, v. g., quæ eſt de eſſentia phyſica illius, & cum qua ille ſurrecturus ſit, nihilo tamen minus ſubſiſtit de illo individuo, & ſingulari homine, quod ille *ipſe*, & non converſus in alium, quoad eſſentiam, de terra ſurrecturus ſit. Profectò cum tot myriades millionum hominum defecerint ab initio mundi, & corpora illa, ſive materiæ primæ non abierint in nihilum, quis noſtrum ſecurus eſt de eo, quod materia prima, quam hîc, & nunc habet, hic, & nunc comedit, aut potat, non fuerit olim hominum aliorum, eò quod materia illa tranſierit, poſt illorum mortem ad formam pulveris, & poſtea ad formam fructus, aut animalium, quibus veſcimur, atque nutrimur, & demum ad noſtram ipſam animam, & poſt noſtram mortem tranſibit forſan ad alimentum aliorum hominum nondum natorum, & conſequenter ad unionem cum animabus illorum, aut aliorum animalium, quæ nutrientur alimento illo, in quo erunt portiones hujus ejuſdem materiæ primæ, quam modo habemus. Neque propterea declinamus ad tranſmigrationem Pythagoricam, aut ei anſam damus. Quoniam aliud eſt, quod animæ ex unis corporibus migrent in alia. Et aliud, quod corpora, ideſt, materia prima ſola (non autem caro, oſſa, nervi cum tota ſuppellectili formarum partialium, quas importat humana organizatio) tranſeat ſemper omninò ab unis animabus ad alias. Aliud quod ſit valde credibile, multoties tranſire. Illud primum eſt tranſmigratio Pythagorica, quæ tam alte inſedit plurimis gentibus Orientalibus (faxit Deus, ne alicui Occidentali) quæque adeò adverſatur doctrinæ ſacræ. *Statutum eſt Hominibus ſemel mori* (quod non falſificatur, ut patet, per caſus raros illorum, qui bis ſunt mortui, & qui redivivi fuerunt) *poſt hoc autem judicium*. Item. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Item. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*. Ne autem pateat locus tergiverſationi, definitum eſt in Concilio Florentino, animas ſeparatas à corporibus, & puras ab omni reatu culpæ, ac pęnę *in Cœlum mox recipi*; ſceleratas autem *mox in infernum deſcendere*: habentes verò reatum pęnę. *Pęnis Purgatorii poſt mortem purgari*. Ergo Eccleſia ſatis apertè proſcribit iſtam tranſmigrationem, quamvis iſtæ definitiones non debeant intelligi de caſibus extraordinariis, in quibus, vel pueri innocentes, vel adulti peccatores ſurrexerunt, ne dicamus illas animas amiſiſſe viſionem Dei jam adeptam: vel has ereptas fuiſſe ex inferno. Sed intelligantur ſolum de lege ordinaria.

Hebr. 9. *2. ad Cor. 5.* *Eccl. 11.* *Floren. ſeſ. ult.*

233. Secundum non dico: quia fundamentum non occurrit ad eam univerſalitatem, & per ſe etiam eſt incredibile. Tertium eſt, quod dico. Et ex illo non infertur, quod ſi illa materia olim fuit unita animę ſceleratæ, & poſtea Sanctæ, & rurſus alii ſceleratæ, & rurſus alii Sanctæ, futura ſit in Cœlo, & in inferno poſt diem judicii: quoniam illa de unius ſolius eſſentiâ phyſicâ erit, nempe illius, cujus anima in prima ſua creatione fuit unita illi; cęteris verò erit acquiſita per nutritioné. At materia

non

Digitized by Google

non eſt de eſſentia illius hominis, qui acquirit illam per nutritionem. Ergo quamvis hic non reſurgat cum illa individua portione materiæ, reſurget idem *ipſe* homo. Quamobrem materia illa erit in Cœlo, vel in inferno, prout meruerit anima illa, quæ in prima ſua creatione fuit illi unita. Cumque in præſenti providentia lata ſit illa lex, *ut referat unuſquiſque propria corporis*, conſequenter ad eam, nequit fieri in hac providentia, quod anima una uniatur in primâ ſuâ creatione illi eidem individuæ materiæ, cui anima alia unita, vel unienda eſt ſimiliter; quamobrem antropophagos, qui humanis carnibus veſcantur, nutriantur, faciantque ſemen, quo formantur alii homines, experientia ſuadet: qui autem ſolis minimis naturalibus hominum aliorum veſcantur, & nutriantur: & illis ſolis forment ſuum ſanguinem, & ſemen, quod poſtea ſit materia primigenia, ſeu minimum naturale ſuorum filiorum, non admittit lex prædicta præſentis providentiæ, & eſt ſatis per ſe improbabilis homo, qui non niſi ſolis minimis naturalibus aliorum hominum alitus fuerit à primâ ſuâ conceptione.

§. II.

134. SIn verò loquamur de ſola materia primigenia (en ſecundum membrum reſponſionis) ſeu minimo naturali, hoc eſt, de materia illa, quæ concreſcit, & coagulatur ex ſanguine paterno, atque materno, cuique in matrice receptæ, nec non ſpiritibus refertæ, atque vitali matris calore fotæ, poſt paucos dies, unitur anima rationalis in prima ſua creatione: & eſt minima portio, in qua naturaliter poteſt eſſe anima, unde acquiſivit nomen *minimi naturalis*: hæc, inquam, individua materia eſt de eſſentia phyſica hujus individui hominis, quamvis non ſit, ut verè non eſt, de eſſentia hujus individuæ animæ, ſive inſtar conſtitutivi phyſici (quandoquidem anima diſtinguitur adæquatè à materia) ſive inſtar termini connexionis, quandoquidem hæc individua anima potuit uniri à Deo materiæ alii ſimiliter diſpoſitæ. Concluſionem intellige non de tota illa materia, quoad omnes ſuas partes (non enim eſt illa punctum aliquod indiviſibile phyſicè) ſed quoad unicum punctum, ideſt, tenuiſſimam portionem, Deo notum, ex utroque ſanguine compactum, & conſequenter non indiviſibile phyſicè, quod verè, & ſimpliciter mereatur nomen materiæ ſufficientis naturaliter animæ; quoniam licet integritas phyſica, & aliæ perfectiones compoſiti poſtulent multas partes materiæ; aſt *eſſentia phyſica* in uno ſolo puncto ſalvari poteſt: complexum quippe ex anima uni puncto materiæ unita non eſt compoſitum accidentale. Nec urget quod anima ſimul uniatur omnibus partibus illius materiæ primigeniæ: quoniam etiam anima Adami fuit ſimul unita virili corpori illi, quod Deus ex limo terræ formavit; & tamen non totum illud fuit de eſſentia Adami. Nec item urget, hominem eſſe eſſentialiter diviſibilem; Nam hoc ſolum

lum eſt verum de diviſibilitate in *corpus*, *& animam*; in partes verò integrantes, ſolum eſt verum ratione connexionis naturalis, non autem conſtitutionis: Item ratione illius diviſibilitatis materiæ primigeniæ, quæ neceſſaria, & ſufficiens eſt naturaliter pro unione cum anima: quæque idcirco vocatur, *minimum naturale*, hoc eſt, minima portio materiæ, in qua naturaliter poteſt eſſe anima. Probo itaque concluſionem: tum ratione negativa ſolvente, ac explicante difficultates contrarias. Sic enim ſalvatur 1. quod intra phyſicam eſſentiam filiorum, ſit aliquid proprium ſuorum parentum, ut ſupra dicebam, nimirum parvula illa maſſa ex utroque ſanguine coagulata, cujus una pars fuit olim ſanguis maternus, inſtar ſubjecti paſſivi, & altera coagulum, ſive ſanguis paternus, inſtar principii activi: & utervis ille ſanguis non eſt quilibet, v. g. venarum, imò, neque arteriarum ſpiritus; ſed puriſſimus defæcatiſſimus, & ſpiritoſiſſimus; unde fit, ut ſupra dicebam, quod intra ipſammet eſſentiam phyſicam filiorum ſit aliquid clamans pro ſuis parentibus, non ſolum immediatis, ſed etiam mediatis, quales ſunt avi, abavi &c. quoniam licet nepos non habeat intra ſuam phyſicam eſſentiam ſanguinem, qui fuerit proprius avi, nam ſanguis proprius hujus reſtat in ſuo filio Petro, v. g. qui eſt Pater Joannis, tanquam pars eſſentiæ Petri: & non tranſit ad Joannem tanquam tradux; verumtamen parentes intrinſece, atque eſſentialiter conſtituti per ſanguinem dictum proprium avorum, nutritione aquiſierunt, laboraverunt, concoxerunt, perfeceruntque ſanguinem, qui eſt pars eſſentiæ phyſicæ filiorum; quique ſapit naturam ſui proprii ſanguinis ſibi eſſentialis, qui quondam fuit proprius avi.

235. Salvatur 2. quod filii, ſi non ſemper omninò, aſt plerumque evadant ſimiles jam uni, jam alteri, jam utrique parenti, quoad inclinationes, tum phyſicas, tum morales bonas, aut pravas, ideſt, quoad morbos, aut valetudinem bonam corporis, & animi, ut alibi dixi. Hæc enim ſtant phyſicè ex parte rerum in qualitatibus, qualitatumque conſonantia, vel diſſonantia corporum noſtrorum. Hæ namque qualitates ex ſua Oeconomia provocare ſolent animum ad bonum, vel ad malum: item conſervare, aut labefactare vires &c. atqui hæ qualitates, qualitatumque Oeconomia, ſolent eſſe eædem, quæ in parentibus. Ergo ſalvatur quod filii multoties evadant ſimiles parentibus, quoad valetudinem phyſicam, & moralem. Probo minorem. Parentes multum tempus habuerunt intra ſe ſanguinem, qui eſt materia primigenia ſuorum filiorum, ergo mirum non eſt, quod ipſi infigant ſuas proprias qualitates, collimantes in valetudinem phyſicam, ac moralem, ſicut infigunt odorem, colorem, pinguedinem, gracilitatem &c. atqui materia illa primigenia eſt intra eſſentiam phyſicam filiorum. Ergo intra horum eſſentiam ſolet eſſe aliquid imbutum, vel aſperſum qualitatibus parentum, collimantibus in valetudinem phyſicam, vel moralem. Sed illa materia primigenia ſe habet pro priori ad omnes nutritiones, quas homo elicit decurſu vitæ ſuæ, ex quibus novas, & novas ſibi comparat portiones materiæ, quas ſuis qualitatibus im-

imbuit, vel tingit. Ergo mirum non eſt, quod hæ omnes intingantur qualitatibus illis tenaciter inhærentibus materiæ illi primigeniæ, & conſequenter mirum non eſt, quod homo jam adultus redoleat valetudinem phyſicam, ac moralem ſuorum parentum, aut etiam alterutros morbos.

236. Non tamen eſt univerſalis, & exacta hæc ſimilitudo, præſertim quoad mores; tum quia hujuſmodi inclinationum exercitia pendent ex libertate conſtituta, & corroborata per gratiam Dei. Poſſunt autem inclinationes eſſe ſimiles in parentibus, & in filiis, & libertates auxiliaque diverſa valdè. Sic Adamus genuit bonum Abel, & nequam Cain. Sic bonus Abraham genuit lenem Iſaac, & ferum Iſmael. Bonus Iſaac electum Jacob, & reprobum Eſau. Sic ſceleratus Jechonias natus eſt ex bono Joſia: hic ex malo Amon: hic ex olim ſcelerato Manaſſe: hic ex optimo Ezechia: hic ex peſſimo Achaz &c. tum quia ad utramque valetudinem conducunt etiam qualitates, quæ acquiruntur infixæ materiæ nutritionis, & maximè lacti, quo primum nutritur homo, quando adhuc eſt tener, obnoxiuſque proinde impreſſioni qualitatum ciborum. Conducunt educatio, diſciplina, exercitia corporalia, atmoſphæra, quam continuè reſpiramus, & multa alia. Sed hæc poſſunt abigere, aut ſaltem retundere, & cohibere qualitates infixas materiæ primigeniæ. Ergo. Tum quia cum hæc non coaguletur ex uno ſolo, ſed ex utroque ſanguine, fieri poteſt, quod maternus corrigat, aut corrumpat paternum, & vice verſa. Non eſt ergo conſtans, & univerſalis ſimilitudo filiorum cum parentibus, quoad qualitates concernentes valetudinem corporis, & animæ. Sed aliquis odor ferè ſemper ſentitur ex alterutris parentum qualitatibus.

237. Salvatur 3. quod idem individuus homo, qui hic, & nunc naſcitur ab hoc, vel his parentibus, potuit naſci ab alio, & aliis. V. g. hic qui modo filius eſt Regis, potuit eſſe filius agricolæ, & è converſo. Item hic qui modo eſt filius Petri, potuit eſſe Pater, aut Mater illius. Nam quoties hæc individua anima, hac individuâ unione ſit unita huic individuæ materiæ, dabitur hic individuus homo, ſive in uno ſtatu, ſive in altero, quia neuter conſtituit eſſentiam phyſicam hominis. At quamvis naſceretur ex rege homo ille qui hic, & nunc naſcitur ex agricola, poterat hæc ſua individua anima uniri, hac ſuâ individuâ unione, huic individuæ materiæ. Probo hoc ultimum, de quo poteſt eſſe difficultas. Huic homini ſola illa materia eſt eſſentialis, quam hic, & nunc præſtat agricola. Sed hanc eandem numero materiam potuit præſtare Rex: quia materia illa eſt, quam ruſticus acquiſivit, per nutritionem ex talibus, & talibus alimentis (non enim eſt illa, qua ipſe eſſentialiter conſtituitur) & potuit Rex alitus eſſe illis eiſdem numero alimentis, & ex illis eiſdem acquiſiviſſe illam eandem materiam: & rurſus illam eandem miniſtraſſe pro formatione materiæ primigeniæ illius hominis. Ergo quanquam naſceretur ex Rege, ille qui modo naſcitur ex agricola, poterat habere illam numero materiam, quam modo habet, ita ut ſua individua anima unita foret eidem materiæ primigeniæ cui modo.

modo unitur. Salvatur 4. quod licet in noviſſimo die non reſurgat homo cum eadem penitus materia, quam modo habet: vel quia modò moritur infans, & reſurget in corpore virili, & conſequenter cum pluribus materiæ portionibus: vel quia aliqua pars ſui corporis fuit alimentum, ex quo alius homo fabricavit, atque perfecit ſemen, cui unita fuit anima ſui filii, & conſequenter pars illa erit de eſſentia phyſica hujus filii, & conſequenter eſt corpus illud, ſive materia cum qua reſurget hic filius: & non debemus dicere duos homines reſurrecturos cum eadem individua materia; licet, inquam, hæc ita ſint, ſubſiſtit, quod reſurget idem ipſe penitus homo, & non converſus in alium, ut dicebam num. 231. Nam quoties hæc individua anima, hac individuâ unione reaſſumat individuam illam materiam, quæ ſola eſt de eſſentia hujus individui hominis, reſurget hic ipſe individuus homo, & non alius ſuffectus in locum ipſius: quoniam verba illa Job: *Ego ipſe. Non alius* planè videntur ſignificare ipſeitatem, quoad eſſentiam, non verò
Iob. 19. quoad illa, quæ licet in ſe ſint ſubſtantia, accidentaliter prædicantur de homine, qualis eſt multitudo, ac paucitas partium materiæ, ac corporis; alias cum Job, quando illa protulit verba eſſet plenus ulceribus, putidaſque haberet carnes, & vermium morſibus valde diminutas; *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia mea circa dentes meos*, dixiſſet ſe carne putida, & diminuta; & ulcerata, de terra ſurrecturum fore. At quamvis homo reſurgat cum pluribus, aut cum paucioribus partibus materiæ, quàm modo habet, eo quod ſi mortuus ſit infans, Deus aliundè adjungat novas partes materiæ: ſi decurſu vitæ non paucas amiſerit portiones materiæ, Deus redigat illas, ut formetur corpus humano modo perfectum, quod non
Ephes. 4. improbabiliter videtur docuiſſe Paulus; nihilominus ſua individua anima unione illâ individuâ antiquâ reaſſumet individuam illam materiam, quæ ſola eſt de eſſentia illius individui hominis. Reaſſumet namque eandem individuam materiam primigeniam, quæ ſola eſt de eſſentia hujus individui. Ergo quamvis &c.

238. Sed quæres ubinam totius corporis eſt hæc materia primigenia? Si enim ſubtiliſſimè eſt expenſa per totum corpus, reſciſſo crure, vel brachio, abſcindirur ex homine ſuum minimum naturale, & morietur ille eo ipſo; quod tamen conſtat eſſe falſum. Pendet iſta quæſtio ex alia, quam nec anathomici exploratam habent. Nempe quænam ſit pars corporis, quæ prima, quæ ultima informatur per animam? Unum videtur certum, ſcilicet ſolum cor, & cerebrum habere jus ad litigandum hac ſuper re. Si autem ſunt veræ hiſtoriæ illæ, quas ſcri-
Lib. 3. occultæ Philoſ. c. 13. & ſeq. bit P. Euſebius de illis, qui ſaltem aliquandiu vixerunt ſine hepate, ſine corde, & de aliis cum gemino hepate, & de aliis verè habentibus animas diſtinctas, ſed unicum cor. Si hæc, inquam, ita ſint, in ſolo cerebro videtur eſſe materia primigenia, cui primò, & ultimo unitur anima, ſaltem donec alius atteſtetur, fuiſſe qui viverent ſine cerebro phyſico. Aſt cum cerebrum non ſit punctum indiviſibile, illa ſola pars illius, Deo, & Angelis nota, cui primò unitur, & ultimò deſinit uniri

ani-

Digitized by Google

anima , eſt minimum naturale , & materia primigenia , quæ eſt eſſentia phyſica hominis , qui ex illa parte incipiet , ac deſinet vivere . Ex hac arce corporis humani (ſi non placet tibi ſententia , quam ex verbis erui illius Sanctæ Machabeæ , atque Jobi ſupra num. 226.) incipit laborare noſtra anima fabricam noſtri corporis , adiuta per idoneam illam materiam , quæ compingitur ex ſanguine parentum , in qua ſunt portiunculę deciſę reſpectivè ex toto corpore illorum, ut ex egregio Medico Valles dixi num 165. & conſequenter aptæ unæ ad formandum in eis oculos , aliæ naſum , aliæ manus &c. adiuta inſuper ſpiritibus , & calore materno : adiuta quoque commoditate loci , nempe ſinu illo matricis , in quem decidit uterque ſanguis . Quamobrem ſicut ſola anima bombycis , formicæ , & aliorum inſectilium , emittit ſuo tempore alas , quibus prius non fungebatur : & ſicut aliorum animantium reſpectivè anima ſola adiuta concurſu generali Dei idoneiſque materiæ , quam informat diſpoſitionibus, emittit in corpore decurſu temporis pilos, & barbas (ſicut terra herbas) emittit in manibus animalium, & non alibi, ungues , in capite , & non in cruribus, cornua , in brachiis, & non in pedibus, pennas , in ore dentes &c. Ita poſſet aliquis philoſophari, animam ſimiliter adiutam , decurſuque aliquot dierum (abortus bimeſtres ſatis oſtendunt non impendi multos menſes) formare proportionatas partes illius maſſæ ex utroque ſanguine concretæ in carnem : proportionatas alias in oſſa : proportionatas alias in tibias deorſum , & non ſurſum : proportionatas alias in oculos hic , & non alibi , & ſimiliter de aliis. Nempe , quia ſpecies talis animarum ſuapte natura poſcit, ſicut aqua frigiditatem , ita materiam non utcunque , ſed ita diſpoſitam , ut in ea poſſit formare illam figuram , & oeconomiam humanam membrorum . Item dici poteſt , animam eandem ſugentem alimentum per umbiliculum jam formatum , vel per poros illius maſſæ ex maternis viſceribus nutrire , atque formare quotidie tenuiſſima illa potius lineamenta , quàm membra , donec ad eam perveniat fructus maturitatem , ut exſiccata communicatione alimenti cum matre , naturaliter decidat ex arbore . Hæc dici poſſunt . Ego tamen ſtare malo , ut ibi dixi , à
S. Jobo ajente . *Sicut caſeum me coagulaſti . Pelle, & carnibus veſtiſti me,* *Iob.*10:
oſſibus , & nervis compegiſti me . Nec non à S. Illa Machabæa dicente. *Sin-* 2. *Machab*
gulorum membra non ego ipſa compegi ; Sed enim mundi Creator , qui forma- 7.
vit hominis nativitatem &c. Ubi ambo concurſum pluſquam generalem Dei videntur agnoſcere in fabrica humani corporis, quibus annue-
re videtur etiam Deus ipſe alloquens Jeremiam . *Priuſquam te formarem* *Ierem.*1.
in utero &c. & rurſus ; *qui enim formavit omnia ipſe eſt .* Neque ex eo , *Idem* 10.
quod propter reverentiam debitam his ſcripturis , Deum ſolum agnoſcam cauſam phyſicam fabricæ , atque organizationis corporum humanorum , imò , & beſtialium , ſequitur illam eſſe miraculoſam , aut præternaturalem ; quoniam ſolus etiam Deus creat , & conſervat Angelos, animas rationales , & materias primas ; & tamen nullum ex his eſt miraculoſum , aut ſupernaturale ſtrictè . Scilicet quia nil debitum rei naturali eſt ſtrictè miraculoſum , aut ſupernaturale . At organizatio cor-

porum viventium eſt debira rei naturali : nimirum animæ ſpecificæ viventis illius , quæ naturaliter debita eſt illi determinatæ materiæ , ob qualitates quas habet , in ipſamque jam introducta, naturaliter poſcit talem , & talem oeconomiam , diſtriburionem , proportionemque partium in domo , quam jam habitare incipit, habetque ut propriam . Ergo quod Deus huic indulgeat exigentiæ, ſive naturali connexioni, non eſt, quod operetut ſupernaturaliter,ſed potius quod operetur,ut Author naturalis . Igitur quod attinet ad hominem, propter illas ſcripturas, quod artinet ad cætera animalia , quorum organizatio prorſus mita eſſe ſolet , propter paritatem ex homine , videtur dicendum Deum ſolum ,ut cauſam primam univerſalem, an naturalem organizare cuncta illa membra, vel ſaltem pleraque .

§. III.

239. HActenus probavi negativè concluſionem ſcriptam num. 234. amovendo offendicula ,Arguo jam poſitivè. Omne imbibens intra ſuam phyſicam eſſentiam , materiam : & neque omnem collectivè , neque omnem diſtributivè , neque aliquam vagè , ac indeterminatè , imbibit intra ſuam eſſentiam phyſicam , talem individuam , ac ſingularem, eodem reſpectivè modo philoſophare de forma , atque de hujus unione cum materia . Sed omnis individuus , & ſingularis homo, inprimis imbibit intra ſuam eſſentiam phyſicam, materiam , (alias tota ſua eſſentia phyſica , aut ſtaret in ſola anima , & cum hæc perſeveret poſt mortem hominis , ſequeretur poſt hujus mortem , perſeverare hominem ipſum . Aut ſtatet in ſola unione , & cum hæc , neque ſit rationalis , neque ſenſitiva , neque nuttitiva adæquatè , ſequeretur intra eſſentiam hominis nihil eſſe rationale , aut ſenſitivum , aut nutritivum , & conſequentet nil eſſe vivens) Deinde non imbibit omnem materiam collectivè, aut diſtributivè , ut ſatis patet . Rurſus neque aliquam vagè , ac indeterminatè , ſicut equitatio connectitur cum aliquo equo quicumque fuerit , navigatio cum aliqua navi , viſio cum aliquo oculo ; tum , quia licet equitatio , v. g. ſub hoc abſtracto conceptu non oſtendat nobis connexionem cum ullo determinato equo ; hæc tamen individua , & ſingularis equitario , prout eſt à parte rei Bucephalo , v. g. connectitur cum Bucephalo determinatè , ac in individuo , & ſimiliter de aliis affectis ſuppoſitione confuſa . Ergo licet homo ſub hoc abſtracto conceptu , non oſtendat nobis conſtitutionem per determinatam aliquam materiam ; hic tamen individuus homo , prout eſt à parte rei , conſtituitur per talem aliquam individuam , ac determinatam materiam; tum, quia licet connexio poſſit eſſe terminativè vaga , & disjunctiva ; non tamen conſtiturio eſſentiæ; qualis enim eſt res, quæ jam habeat hanc eſſentiam? jam illam ? Jam hoc , jam illud , jam hæc , jam illa eſſentialia conſtitutiva? Non enim erit eadem penitus

res,

Digitized by Google

res, ſed diſtincta adæquatè, vel inadæquatè, quia eſſentia rei, & res apud Philoſophos, ſunt ſicut gladius, & enſis apud Grammaticos. Unde merito prohibita eſt ingredi Scholas noſtras illa propoſitio, Eſſentia cujuſcunque rei ſic pendet à libera Dei voluntate, ut in alio quopiam rerum ordine, quem illi condere liberum fuit, alia foret, quàm nunc eſt Eſſentia &c. *Nunquid Deus indiget mendacio veſtro, ut pro illo loquamini dolos?* Iob. 13.

240. Neque abutaris veritatibus disjunctivis, inquiens hanc, v. g. *Petrus exiſtit, vel non exiſtit*, jam conſtitui per exiſtentiam, jam per carentiam (eſto quod ſit cognoſcibile objectum, quod in ſe ſit carentia) ſiquidem ea propoſitio, jam verificatur per unam, jam per alteram. Etenim licet veritas illius propoſitionis abſtractè ſumpta non oſtendat nobis ſuam conſtitutionem potius per exiſtentiam, quàm per carentiam, ſicut neque animal ſub hoc abſtracto conceptu oſtendit nobis identitatem potius cum rationali, quàm cum irrationali. Verumtamen veritas actualis, & formalis illius propoſitionis non eſt una, & eadem individua ſemper; ſed duplex inadæquatè diſtincta: quando Petrus exiſtit, datur una individua veritas illius, conſtituta, per illam propoſitionem, *& per exiſtentiam* Petri; quando verò non exiſtit, datur alia veritas ejuſdem propoſitionis inadæquatè; diſtincta, utpote conſtituta per eandem propoſitionem, *& per carentiam*. Cumque neceſſe ſit dari exiſtentiam, vel carentiam, neceſſe etiam eſt illam propoſitionem eſſe veram, aut veritate formali conſtitua *per exiſtentiam*, aut veritate formali conſtituta per *carentiam*. Ergo eo exemplo non probatur, rem aliquam individuam, & ſingularem conſtitui, jam per unum, jam per aliud; quod ſi intuleris veritatem dictæ propoſitionis dum Petrus exiſtit fore contingentem, ut pote conſtitutam per exiſtentiam illam contingentem, concedam de veritate illa individua, & ſingulari. Negabo autem de veritate abſolutâ illius propoſitionis, nam licet ſit contingens illa individua veritas conſtituta *per exiſtentiam*, non eſt contingens, ſed neceſſarium quod deficiente illa detur altera veritas conſtituta *per carentiam*.

241. Dicendum igitur eſt, omnem individuum, & ſingularem hominem imbibere intra ſuam eſſentiam phyſicam, talem aliquam individuam, & ſingularem materiam; quæ eſt conſequentia legitima deſcendens ex duabus illis præmiſſis à quibus exorſus ſum num. 239. Tunc ſic. Sed non aliam, ab ea cui unita eſt ſua anima, ut patet. Ergo omnis individuus homo imbibit intra ſuam eſſentiam phyſicam individuam illam materiam, cui anima ſua eſt unita. Sed non totam, ut probavi num. 231. ſiquidem non imbibit eſſentialiter illam, quam, jam conſtitutus, quoad eſſentialia, acquiſivit labore, & induſtria ſua per nutritionem à primo inſtanti, in quo incepit nutriri in viſceribus maternis. Ergo illam, quam non acquiſivit per nutritionem, ſed quæ omni nutritioni præſupponitur, cuique primitùs unita fuit ſua anima. Sed rurſus non hanc totam propter explicationem concluſionis datam num. 234. Ergo de primo ad ultimum omnis individuus, ac ſingularis homo imbibit intra ſuam eſſentiam phyſicam illud ſolum punctum non utique indiviſibile materiæ primigeniæ, Deo, & Angelis notum, cui

anima in prima ſua creatione fuit unita. Reliquæ autem partes illius ejuſdem materiæ ſpectant ad integritatem eſſentialem hominis: eſſentialem, inquam, non quatenus per illas conſtituatur eſſentia; ſed quatenus hæc per ſe connectitur ſaltem phyſicè cum illis. Ubi adverte obiter. Quatuor terminos agnoſcunt philoſophi in viventibus; duos magnitudinis, unum intrinſecum, & alterum extrinſecum, duoſque parvitatis, unum etiam intrinſecum, & alterum extrinſecum. Summa illa moles, & magnitudo corporea, in qua adhuc poteſt vivere homo, v. g. naturaliter, puta magnitudinem, ut ſex, vocatur terminus intrinſecus magnitudinis, & etiam *maximum quod ſi*, quia maximum eorum omnium eſt in quibus naturaliter conſervatur. Magnitudo immediatè ſubſequens, puta ut ſeptem, eſt terminus extrinſecus magnitudinis, *& maximum quod non*, quia eſt magnitudo immediata ſummæ illi, in qua poteſt conſervari. Rurſus parva illa magnitudo, in qua, ſed non infra quam, poteſt homo naturaliter vivere, eſt terminus intrinſecus parvitatis, & vocatur *minimum quod ſi*, puta parvitatem ut duo. Parvitas immediatè ſubſequens, v. g. ut unum eſt terminus extrinſecus parvitatis, *& minimum quod non*, quia eſt minimum immediatum illi minimo, in quo naturaliter conſervari poteſt. Cumque in omni vivente corporeo hactenus noto, experiamur interdum ita creſcere, ut ſi plus creſcant, moriantur, & interdum ita minui, ut ſi plus minuantur, pereant: idcircò omnia illa habere dicuntur terminum intrinſecum magnitudinis, ſeu *maximum quod ſi*, & terminum extrinſecum, ſeu *maximum quod non*. Item terminum intrinſecum parvitatis, ſeu *minimum quod ſi*: & terminum extrinſecum, ſeu *minimum quod non*. Nullum ex his dico eſſe de eſſentia phyſica hujus individui hominis, v. g., quippe, qui divinitus ſaltem, ſi non naturaliter, conſervari poteſt in quavis magnitudine materiæ, & diviſibili parvitate. Solum eſt de eſſentia phyſica illius, ut diſtincta ab integritate membrorum, individuum illud diviſibile punctum, cui primitùs fuit unita ſua anima ob diſcurſum factum num. 239. & ſeqq.

§. IV.

242. SEcunda quæſtio eſt. *An, & quomodo totum ſubſtantiale diſtinguatur à ſuis partibus eſſentialibus?* Propter abuſum terminorum, à quorum intelligentia pendet tota hæc res, vel maxima pars: propter ſummularumque oblivionem, æquivocationibus ſcatere ſolet. Partes cujuſvis totius bifariam ſolent eſſe ſubjectum quæſtionum. *Diſtributivè*, &, *copulativè*, ſive, *collectivè*. Partes ſumuntur diſtributivè, ſive ſeorſim, ſive ſingillatim, non quaſi una ſit ab aliis ſeparata, quoad durationem, quoad locum, & ſimilia; ſed quoad enunciationem. Ideſt: quatenus ſubjectum, aut prædicatum, quod enunciant noſtræ propoſitiones, eſt una, vel unæ tantum partes illius totius: ita

ut ſi partes ſunt tres, & agimus de illis omnibus diſtributivè, uti debeamus tribus, vel ſaltem duabus propoſitionibus æquivalenter diſtinctis, non verò una ſola. V. g. *materia cauſat compoſitum*. Et *forma cauſat compoſitum*. Et *unio cauſat ſuo modo compoſitum*. Vel ſaltem ſic. *Materia, & forma cauſant compoſitum*; vel alio æquivalente modo. Et hoc eſt, & in hoc ſtat, quod partes ſumantur diſtributivè, & ſigillatim, & ſeorſim: nimirum quod propoſitiones, quibus in ſubjecta materia diſputamus de illis, ſint formaliter, vel ſaltem æquivalenter diſtinctæ. Partes eædem ſumuntur collectivè in ordine quoque ad enunciationem: quatenus ſubjectum, aut prædicatum talis, aut talis unius propoſitionis, non ſit una ſola pars, non duæ ſolæ, ſed tres ipſę. V. g. *Materia, forma, & unio ſunt homo*; quæ eſt vera. *Materia, forma, & unio cauſant hominem*, quæ eſt falſa, quia ſit hic neceſſarium involucrum illud diſtinctionis *diſtributivè, collectivè*, utile quidem ad affundendam, non lucem, ſed caliginem; quandoquidem per hanc ipſam propoſitionem fit formaliter collectio, enuntiando prædicatum non de una, non de duabus ſolis, ſed de tribus. Materia, forma, & unio cauſant.

243. Hinc naſcitur, quod omnes propoſitiones utrinque proferri ſolitæ ſuper partibus diſtributivè, aut collectivè ſumptis, ſint propoſitiones *reflexæ*, habentes pro objecto alias propoſitiones nimirum ſumptiones ipſas, *diſtributivam*, aut, *collectivam*, ſicut de identitate, & diſtinctione formali dixi diſp. 1. logicæ. Aliqui autem incautè prætereuntes hunc ſenſum reflexum harum omnium propoſitionum, & in ſola objecta, ſeu partes ipſas oculos infigentes, ſe ipſos, atque alteros irretiunt, quaſi ex parte objecti forent *diſtributio*, aut, *collectio*, de quibus in præſens. Etenim ſumptio, ſive acceptio, ſive ſuppoſitio terminorum ſtat phyſicè, & formaliter in noſtris ipſis locutionibus, aut cognitionibus, quia ex parte rerum non dantur ſuppoſitiones ipſæ formales, ſed objecta ſuppoſitionum: quandoquidem ſuppoſitio juxta logicorum definitionem, eſt acceptio termini pro ſe, aut pro re, quam ſignificat. Acceptio autem hæc nil eſt aliud phyſicè, quam ſenſus verborum noſtrorum, oris, aut mentis, quibus tale, aut tale enuntiamus, qui ſenſus adæquatè, vel inadæquatè identificatur cum eis verbis, oris, aut mentis. Sicut conditionalitas, disjunctio, univerſalitas, affirmatio, negatio, ſtant phyſicè in noſtris ipſis cognitionibus; in objectis autem non plus, quam fundamentaliter. Suppoſitio ergo diſtributiva, & collectiva, ſicut ſociæ, ſtant phyſicè formaliter in noſtris ipſis propoſitionibus mentalibus, aut verbalibus. Ergo omnis propoſitio enuntians partes *diſtributivè*, aut partes *collectivè* ſumptas, ſive ſuppoſitionem hanc habentes, cum enununtiet ſuppoſitiones ipſas, ſeu de ipſis loquatur, eſt propoſitio innuens tales, aut tales noſtras propoſitiones, quas proculi num antecedente. Ergo omnes hæ propoſitiones ſunt reflexæ, alludentes nimirum ad alias propoſitiones eaſque habentes pro objecto immediato, & objectum harum pro objecto mediato.

144. Quamobrem ſenſus legitimus hujus propoſitionis, v. g. & ſimiliter de ſimilibus. *Partes diſtributivè ſumpta cauſant totum*, eſt hic.

Sunt,

Sunt, aut poſſunt eſſe vera hæ omnes propoſitiones. Materia cauſat totum. Et forma cauſat totùm; & unio cauſat totum. Hoc enim eſt partes ſumi diſtributivè, & hic eſt deſcenſus reſpondens illi ſuppoſitioni, quia ſic diſtribuuntur illæ partes: unde loqui de illis diſtributivè ſumptis, & loqui de illis ſic, & cum alluſione ad has tres propoſitiones: atque idcircò ſuppoſitio ipſa diſtributiva trahit ſecum, quaſi reflexam quandam ſuppoſitionem copulativam, omnium videlicet veritatum propoſitionum omnium, per quas explicatur, & in quas reſolvitur ſuppoſitio diſtributiva, quarum ſi vel una ſola ſit falſa, falſa quoque erit propoſitio, in qua datur ſumptio illa, ſive ſuppoſitio diſtributiva. Cum autem unaquæque ex illis tribus propoſitionibus non aſſumat pro ſubjecto, niſi unam ſolam partem: & una ſola non ſit capax ſuppoſitionis diſtributivæ, aut collectivæ, quia ambæ poſcunt terminum univerſalitatis capacem, idcircò in nulla ex his tribus propoſitionibus habet locum reflexa diſtinctio *diſtributivè ſumpta: copulativè ſumpta.* Rurſus germanus ſenſus hujus: *Partes collectivè ſumptæ cauſant totum*, non eſt, ut jam dixi, quod partes ſimul in eodem loco, aut tempore, aut cum unione cauſent totum. Nam cum ſubjectum illius ſignificatum in recto poſſit eſſe ſola materia, & forma, & hæ ſolæ diſtinguantur realiter inadæquatè à compoſito (ſiquidem modo exiſtunt ſi loquamur de D. Petro, & modo non exiſtit hoc compoſitum D. Petrus) vera eſſe poſſet illa propoſitio, quæ vulgò cenſetur falſa, & meritò. Senſus itaque illius eſt. *Eſt aut poteſt eſſe vera hæc propoſitio*: Materia, forma, & unio cauſant totum, nempe intrinſecè: ſeu: ſunt partes totius: Sic enim exercitè copulantur illæ partes, & hoc eſt ſumi copulativè, & hic eſt deſcenſus correſpondens illi propoſitioni. Unde loqui de illis collectivè, ſeu copulativè ſumptis, eſt loqui de illis ſic, & cum alluſione ad hanc unicam propoſitionem. Hac doctrina quatuor expedivi ſophiſmata diſp. 2. Dialecticæ à num. 52. fundata in abuſu ſuppoſitionis diſtributivæ ſubjungens poſtea num. 59. explicationem ſuppoſitionis copulativæ.

245. Ex hac eadem doctrina reſpondeo quæſtioni præſenti. Omnes partes diſtributivè ſumptæ diſtinguuntur realiter inadæquatè à toto, & conſequenter hoc ab illis. Secus collectivè ſumptæ. Probo primam partem. Omnes partes diſtributivè ſumptæ, & non unam duntaxat diſtingui realiter inadæquatè à toto, ſtat phyſicè in eo, quod tres hæ propoſitiones, & non una ſola, aut duæ ſolæ poſſint eſſe veræ. *Materia imbibitur intra eſſentiam phyſicam totius. Forma imbibitur intra eſſentiam phyſicam totius. Unio imbibitur intra eſſentiam phyſicam totius.* At tres hæ propoſitiones ſunt veræ, aut poſſunt eſſe quando proferantur. Ergo. Minor conſtat ex locis in quibus de unoquoque horum probavi eſſe intra eſſentiam phyſicam compoſiti ſubſtantialis. Major in qua non utor verbo *pars*, ſive conſtitutivum, quia ægrè applicatur unioni; ſed termino magis generali complectente partem, & participationem: conſtitutivum, & conſtitutionem, ſeu unionem, nimirum *imbibi intra eſſentiam phyſicam* probatur. Materiam, & aliquid aliud eſſe de eſſentia phyſica totius. Formam ſimiliter. Unionem ſimiliter, eſt

veras

veras eſſe illas tres propoſitiones: nam imbibi intra eſſentiam, eſt eſſe de eſſentia, ſed ſimul cum alio; quia ſolum A, non imbibitur intra eſſentiam rei A, ſed eſt tota eſſentia rei A. At omnes partes diſtributivè ſumptas diſtingui inadæquatè à toto, ſtat phyſiceè in eo, quod materia, & aliquid aliud ſit de eſſentia totius; & quod forma, & aliquid aliud ſit de eſſenita totius. Et quod unio, & aliquid aliud ſit de eſſentia totius; quoniam hæ tres ſunt omnes. Et hic non habent locum illi alii duo tituli diſtinctionis inadæquatè, quas alibi explicui. Ergo omnes partes diſtributivè ſumptas diſtingui inadæquatè à toto, ſtat in eo, quod tres illæ propoſitiones, & non una, aut duæ ſolæ ſint, vel poſſint eſſe veræ. Neque dicas, omnes diſtributivè ſumptas fore omnes collectivè: eo quia, omnes diſtributivè non ſunt materia ſola, nec forma ſola, nec unio ſola, nec materia, & forma ſolæ: Quocirca omnes diſtributivè debent eſſe materia, forma, & unio: & conſequenter omnes diſtributivè debent eſſe omnes collectivè.

246. Etenim, ut nuper, atque in loco illo Dialecticæ, ubi n. 57. explicui hunc paralogiſmum, dicebam. Sumptio, ſuppoſitio, ſive acceptio termini nil eſt aliud, quàm ſignificatio, ſeu ſenſus ille, quem ex placito hominum, vel ex intrinſeca ſua natura dat terminus, qui eo ipſo adæquatè, vel inadæquatè identificatur cum eo ſenſu, aut ſignificatione. Rurſus. Omnes partes ſumi, aut ſupponere diſtributivè, ſtat phyſicè in eo, quod res, ſeu denominatio illa, de qua fuerit ſermo, enuntietur non de una ſola illarum: non de duabus ſolis; ſed de tribus ipſis per tres tamen, vel ſaltem duas propoſitiones, quæ æquivalenter ſint duæ, vel tres; non autem per unicam formaliter, & æquivalenter talem. Denique omnes ſumi, aut ſupponere collectivè ſtat phyſicè in eo, quod res, vel denominatio, de qua fuerit ſermo, enuntietur de tribus ipſis per unicam, tam formaliter, quam æquivalenter propoſitionem. Atqui rem illam enuntiari per unicam, ſunt res valdè diverſæ in ordine ad veritatem: ſiquidem duodenarius numerus verè enuntiatur ſic. Petrus, & Andreas, & Jacobus, & Joannes, & reliqui Apoſtoli ſunt duodecim; falsè autem ſic. Petrus eſt duodecim. Andreas eſt duodecim &c. E converſo; diſtingui inadæquatè à toto ſubſtantiali, cauſareque intrinſecè illud, verè enuntiatur ſic. Materia diſtinguitur inadæquatè à toto, ipſumque intrinſecè cauſat. Forma ſimiliter. Unio ſimiliter reſpectivè. Falsè autem ſic. *Materia, forma, & unio diſtinguuntur inadæquatè à toto ipſumque intrinſecè cauſant*; ut mox dicam. Ergo *omnes partes ſumptæ diſtributivè*, quamvis non ſint materia ſola, aut forma ſola, aut unio ſola (quandoquidem innuuntur diſtinctæ propoſitiones, quarum una procedat de materia, alia de forma, alia de unione) ſunt tamen res valdè diverſa ab *omnibus partibus collectivè ſumptis*, ob magnam diverſitatem ſenſus, atque deſcenſus, ad quos alludunt illæ ſumptiones, ſive ſuppoſitiones. Imò non ſolum eſt falſa iſta. *Omnes partes diſtributivè ſumptæ ſunt omnes partes collectivè ſumptæ.* Verum etiam hæc, quæ identica videtur. *Omnes partes diſtributivè ſumptæ, ſunt omnes partes diſtributivè ſumptæ*; ob eandem

dem

dem rationem, qua dixi diſp. illa 2. Dialecticæ, falſam eſſe hanc *omnis homo eſt omnis homo*; quamobrem diſtinguendum eſt tacitum illud conſequens. *Omnes partes diſtributivè ſumptæ, debent eſſe materia, forma, & unio* relatè ad unam eandem propoſitionem, tam formaliter, quàm æquivalenter, nego: relatè ad propoſitiones, quæ formaliter, aut æquivalenter ſint diſtinctæ, concedo; & neganda eſt ultima conſequentia. In toto hoc proceſſu nil aliud eſt realitatis, quàm bonus, vel pravus uſus vocum, terminorum, & ſuppoſitionum, quibus ſophiſta poteſt abuti ad irretiendum eum, qui immemor fuerit regularum Dialecticæ, & ideò in ſola objecta oculos infigat, oblitus ſenſus reflexi; quem dant voces illæ quibus rem præſentem diſputamus.

§. V.

247. PRobo jam ſecundam partem concluſionis: nimirum omnes partes collectivè ſumptas non diſtingui adhuc inadæquatè à toto (non quidem, ut *ſuppoſito*, nam ſic imbibit ultra illa tria ſubſiſtentiam, quam multi putant eſſe novam aliam rem poſitivam, ſed præcisè, ut ente naturali) neque hoc cauſari intrinſecè ab illis. Omnes partes collectivè ſumptas diſtingui inadæquatè à toto, hocque ab illis cauſari, ſtaret phyſicè, ac realiter in eo, quod vera foret hæc propoſitio. *Materia, forma, & unio, ſunt quid diſtinctum inadæquatè à toto, ipſumque intrinſecè cauſant.* In hoc ſtat, quod ſumantur collectivè: & quia ſumuntur exercitè per hanc propoſitionem vana eſt hìc, & ſolum idonea ad excitandum confuſionis fumum illa reflexa diſtinctio *diſtributivè ſumptæ, collective ſumptæ.* Ut quid ſi exercitè in hac eadem propoſitione ſupponuntur collectivè? At illa propoſitio eſt falſa. Probatur. unicus modus, quo poſſet eſſe vera, foret quatenus totum ſubſtantiale homo, v. g., ut merum ens naturale præſcindendo à ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate, includeret intra ſuam phyſicam eſſentiam aliquid præter materiam, formam, & unionem, ſi enim nil prorſus ultra illa includit, illa adæquant *totam* eſſentiam hominis, & non ſunt *pars* eſſentiæ, ſed *tota* eſſentia. At homo intra ſuam eſſentiaã phyſicaã nil prorſus includit præter materiam, formam, & unionem ambarum; quoniam forma alia totalitatis, quæ non ſit purè metaphyſica, ut dixi num. 230. eſt ſuperflua. Et quia licet homo, ut perſona, videatur multis imbibere intra eſſentiam aliquid aliud, quod ſit perſonalitas, modo agimus de homine quatenus præcisè eſt ens naturale: & quia licet ex ſua eſſentia cum multis aliis connectatur, non eſt idem connexio eſſentialis, ac conſtitutio phyſica, alioquin omnis creatura conſtitueretur eſſentialiter per Deum, cum quo ſanè eſſentialiter connectitur. Ergo non ſubſiſtit unicus ille modus, quo poſſet eſſe vera illa propoſitio, *Materia, forma, & ambarum unio ſunt quid inadæquatè diſtinctum à toto, & ipſum intrinſecè cauſant.* Ergo illa non eſt vera. Ergo &c.

Hinc

Digitized by Google

248. Hinc 1. Notaveris me, aliàs inhærere ſolitum realitatibus objectivis in tota hac quæſtione, recurrere ad propoſitiones, ſive locutiones, ſive actus noſtros; quia cum quæſtio ipſa ſit reflexa, ut explicui num. 243. & logicalibus ſimilis, quandoquidem procedit de partibus, jam cum hac, jam cum illa ſuppoſitione, & acceptione terminorum, & hæc conſiſtant phyſicè ex parte rerum in ſenſu, quem habent propoſitiones ſive termini, quibus utimur; & hic ſenſus non diſtinguatur adæquatè ab ipſis propoſitionibus, quæ utique ſunt ſubjectum, cui competit ſignificare: idcircò quæſtionē totam reſolvere oportet cum reſpectu ad ipſos terminos, ſeu propoſitiones, atque ab his declinare, eſſet declinare à quæſtione ipſa. Et dicere te velle ſcire ſententiam de partibus diſtributivè, aut collectivè *ſumptis* relinquendo noſtras voces, ac cognitiones, hoc eſt relinquendo ipſam ſumptionem, ſive ſuppoſitionem, eſt implicatio in terminis. Sicut rogare ſententiam de objecto determinatè, ut cognito, ſed præſcindendo à cognitione: de objecto determinatè, ut disjuncto, ſed præſcindendo ab actu noſtro, qui ſit cognitio disjunctiva: de objecto determinatè, ut univerſali, ſed præſcindendo à cognitione, per quam ſit univerſale. Iſtę omnes ſunt implicationes malæ terminorum. Et ex iſtis involucris naſcuntur, non una, vel altera æquivocatio, ſed æquivocationum examina. 2. Verum eſt, quod complexum ex omnibus, & ſolis cauſis inadæquatis extrinſecis eſt cauſa adæquata extrinſeca effectus A; quia cum diſtinguatur adæquatè ab A, poteſt eſſe illius cauſa extrinſeca, ſi cætera adſint neceſſaria, ut ſit cauſa. At verò complexum ex omnibus, & ſolis cauſis intrinſecis, quale eſt ens naturale, quod diſputamus (non enim diſputamus hominem, ut album, v. g. ut bipedem, ut Sanctum, quia ſic certè diſtinguitur inadæquatè à materia, forma, & ipſarum unione) nec eſt, nec eſſe poteſt, ſine contradictione cauſa adæquata intrinſeca entis naturalis: Unde cauſa adæquata intrinſeca eſt conceptus repugnans metaphyſicè.

249. Quoniam de ratione cauſæ (per ſe immediatè, ac ſubjectivè cauſantis; non autem objectivè, ut cognitæ, ſicut cauſa finalis eſt cauſa ſui ipſius) eſt diſtingui ab effectu, ut bene argumentatur Auguſtinus contra Arrianos, inquiens. *Non enim per ſe ipſum fieri potuit per quod facta ſunt omnia*; repugnat enim aliquid eſſe cauſam per ſe ſubjectivè immediatè ſui ipſius, quamvis non repugnet; ſed paſſim contingat, quod aliquid, ut cognitum ſit cauſa ſui ipſius, quatenus moveat voluntatem ad ponendum media inducentia phyſicè illud ad quid. Ergo omne impotens diſtingui adhuc inadæquatè à toto ſubſtantiali, eſt impotens, ut ſit cauſa adæquata intrinſeca illius. At complexum ex ſolis cauſis partialibus intrinſecis, eſt impotens diſtingui adhuc inadæquatè à toto ſubſtantiali: tale namque complexum eſt complexum ex omnibus, & ſolis conſtitutivis phyſicis. Ergo tale complexum eſt prorſus conſtitutum ipſum. Ergo eſt ipſum totum ſubſtantiale. Ergo nec inadæquatè diſtinguitur ab illo. Explicatur. Tres ſoli ſunt modi, ut A, diſtinguatur realiter inadæquatè à B. 1. quod intra ſuam

S. Auguſt. tract. 4. in Ioan.

Digitized by Google

eſſentiam phyſicam imbibat rem B, & inſuper aliquid aliud. 2. quod ipſum A, & aliquid aliud imbibatur intra eſſentiam phyſicam rei B. 3. quod A, & B, intra ſuas phyſicas eſſentias imbibant aliquod tertium utrique commune, ut ſupra dicebam de caſu, in quo duæ formæ ſubſtantiales unirentur eidem materiæ, & cum ea componerent eo ipſo duo entia naturalia inadæquatè diſtincta, ergo quoties repugnant hi tres modi, repugnat diſtinctio inadæquata. At inter complexum ex omnibus cauſis partialibus intrinſecis, & totum ſubſtantiale repugnant omnes illi modi, ſiquidem neutrum conſtitui poteſt per alterum, & inſuper per aliquid aliud: & rurſus neutrum conſtituitur phyſicè per quidpiam, per quod etiam conſtituatur alterum. Ergo complexum ex omnibus cauſis intrinſecis partialibus nequit diſtingui adhuc inadæquatè à toto ſubſtantiali. Ergo nequit eſſe cauſa adæquata intrinſeca illius. Eſt ergo chymæra, & terminorum implicatio *cauſa adæquata intrinſeca*: tametſi chymera non ſit *cauſa adæquata extrinſeca*.

250. Parco aliis, quæ objici poſſunt ex non bono uſu, & intelligentia illarum phraſeon. *Partes diſtributivè ſumptæ. Partes collectivè ſumptæ*, quia haud difficulter ſolvet illa quiſquis noverit quidditatem ſuppoſitionum diſtributivæ, atque copulativæ, & ſciverit conſequenter quem ſenſum dent propoſitiones, quæ enunciant, jam partes diſtributivè, jam collectivè ſumptas. Utrobique namque eſt ſenſus reflexus, ut toties adverti, ſicut in tota ferè Logica, alludens nimirum ad alias propoſitiones, ſive modos cognoſcendi. In primo namque fit alluſio ad materiam, formam, & unionem poſitas in propoſitionibus formaliter, aut æquivalenter diſtinctis, quia in hoc ſtat phyſicè *ſumptio*, ſive *ſuppoſitio diſtributiva*. In ſecundo autem fit alluſio ad eaſdem poſitas in una eademque propoſitione, quia in hoc ſtat phyſicè *ſumptio*, ſive *ſuppoſitio Copulativa*. Et paralogiſmi ſolent hic immiſceri ob tranſitum clandeſtinum *ex his noſtris modis* enunciandi aliquid de materia, forma, & unione ad realitates ipſas: aut hĩs affigendo noſtros illos modos enunciandi. Hi ſunt utique veri, ex eo, quod res ſit, vel non ſit ex parte objecti; at hi non ſunt objectum ipſum. Ergo propoſitiones enuntiantes hos noſtros modos enunciandi, enunciant aliquid aliud præter objecta, quod inſpiciendum eſt, ut ſciatur ſint, nec ne veræ. Eâdem advertentiâ explicui diſp. 1. Logicæ majoris ſimiles tricas ſuper identitate, ac diſtinctione rationis. Et hactenus de ente naturali inadæquatè, adæquatèque inſpecto, quoad ſua intrinſeca, & quoad illas, quæ non ſunt intrinſeca, dicuntur tamen ab aliquibus intrinſeca.

Finis Primæ Diſputationis.

DISPU-

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS EXTRINSECIS.

HAS, poſt cauſas intrinſecas, hoc eſt conſtitutiva phyſica entis naturalis, explicandas ſuſcipio. Vix in tota Phyſica traditur tractatus magis utilis, atque neceſſarius. Tertio quoque paſſu occurrunt hæ voces. *Cauſa*. *Principium*. *Conditio*. *Prærequiſitum*. *Prius*. *Poſterius*. *Motivum*. *Objectum formale*. *Finis*. *Operari propter tale*. *Abſtinere propter tale*, & ſimiles, quarum intelligentia ex præſente diſputatione pendet, eſtque prorſus neceſſaria ad ſtabiliendum prudenter, & defendendum ſapienter concluſiones in tota ſpeculativa ſcientia, nec non, in Theologia morali, polemica, & poſitiva. Maximè cum tot ſint ſpecies cauſarum, & modorum cauſandi, ut mox leges, & uno eodemque verbo ſoleamus explicare, jam unas, jam alias nempe verbo illo, *quia*, vel illo, *propter*, vel illo, *ut*. Igitur magnam cauſarum ſylvam patefaciam prius; tum ſingillatim diſputandas ſeligam ſolas quatuor. *Cauſam primam*, ideſt, Deum ipſum, quoad effecta merè naturalia. Item cauſas *efficientes phyſicè creatas*. Rurſus Cauſas *exemplares*. Demum cauſas *finales*. Materialem, quippe, atque formalem, ſatis evolvi diſputatione præcedente.

CAPUT I. *Quid & quotuplex ſit Cauſa? Ubi multiplex illarum Genus, atque ſpecies.* 1.

CAPUT II. *Explicantur fuſe prærequiſita, conditiones, & prioritates.* num. 42.

CAPUT III. *De Cauſalitatibus, & actionibus. Ubi de creatione, ac eductione.* num. 69.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex ſit Cauſa.

1. CAUSA, & Principium perinde habentur apud Græcos; ſecus apud Latinos: atque idcirco illi Patrem Æternum vocant Principium, ſeu cauſam Filii. Hi verò, ut ex actis Concilii Florentini conſtat, vocant Patrem Æternum principium, ſed non cauſam Filii: Patremque, & Filium Principium, ſed non cauſam Spiritus Sancti; quod idiomatum, ſed non rerum diſcrimen notatur in ipſa Synodica definitione cui utraque Eccleſia ſubſcripſit. *Filium quoque eſſe, ſecundum Græcos quidem, cauſam: ſecundum Latinos verò* Principium *ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti ſicut & Patrem.* Igitur Principiũ in genere, ac prout abſtrahit ab omnibus ſuis ſpeciebus eſt. *Id ex quo aliquo vero, & proprio modo eſt terminus, ſive qui ſit aliud* (ideſt ſit diſtinctus adæquatè, vel inadæquatè, quoad entitatem ſaltem numericè) *ſive qui ſit alius*, ideſt, ſimpliciter diſtinctus, quamvis ejuſdem individuæ ſit eſſentiæ. Cumque Deus Pater ſit id, ex quo verè, & ſimpliciter eſt Filius, qui quamquam non ſit *aliud* à Patre, eò quod non habeat eſſentiam diſtinctam adæquatè, aut inadæquatè adhuc numericè à Patre, eſt tamen *alius* ab eo, ſiquidem Genitus, atque miſſus, eſt alius à Genitore, atq; à mittente. Item cum Pater, & Filius ſint id, ex quo tanquam ex uno Spiratore, & per unam Spirationem, ut ibidem definitur eſt Spiritus Sanctus, qui profectò eſt *alius*, quamvis non *aliud* à Patre, & Filio. Idcircò Pater eſt Principium Filii: amboque ſunt Principium unicum, & ſimplex, ſine partialitatibus, & inadæquationibus Spiritus Sancti. Rurſus cum ex tota Trinitate, ratione Omnipotentiæ, quæ communis eſt tribus Divinis Perſonis, ſint omnes creaturæ, quæ ſunt, quæque non ſolum ſunt *alia* verum etiam *aliud* à Deo: Id-

Flor. ſeſſ. ult.

circò

Digitized by Google

circò Deus eſt Principium quoque omnium Creaturarum; ſed æquivocè, & valdè diverſo modo reſpectu productionum Divinarum illarum Perſonarum. Nam Pater, v. g. eſt Principium duarum earum Perſonarum, quarum entitas, eſſentia, atque entitativa perfectio, eſt prorſus eadem in Patre: eſtque Principium Creaturarum, quarum ſanè entitas, eſſentia, & entitativa perfectio non eſt eadem, quæ in Patre. Denique cum ens naturale, de quo in prima diſputatione, verè ſit ex materia, v. g. à qua diſtinguitur realiter inadæquatè, idcircò etiam materia eſt verè, & propriè Principium illius. Sic explicandum videtur Principium in genere

2. Cauſa verò, cum Patres Latini noluerint adſcribere Deo Patri cauſalitatem reſpectu Filii, eſt. *Id ex quo aliquo vero, & proprio modo eſt terminus, qui non modo ſit*, alius, *verum etiam*, aliud, *ſaltem inadæquatè*, ideſt, qui habeat entitatem ſaltem inadæquatè diſtinctam ab eo, ſicut ens naturale reſpectu materiæ, ac reſpectu formæ, quæ idcircò dici ſolent cauſæ intrinſecæ illius. Et ſicut ignis B reſpectu ignis A, qui eſt cauſa illius. Hinc 1. Principium, & cauſa conveniunt in eo, quod ex ipſis aliquo vero, & proprio modo ſit terminus (hic autem modus poteſt eſſe multiplex, ut jam dicam) non verò, quod ex ipſis, *incipiat*, terminus, quoniam Deus Pater verè eſt Principium Filii, & huic non poteſt applicari vox illa, *incipit*, ſi caſtigatè loquamur. Differunt eo, quod cauſa determinatè poſtulat terminum, qui ſit *aliud* ab ipſa cauſa, ideſt, cujus entitas, & individua eſſentia diſtinguatur realiter ſaltem inadæquatè à cauſa ipſa. Principium verò non poſtulat hoc determinatè, ſed quod terminus ſit diſtinctus, ſive quoad entitatem, ſive quoad relationem, ſive adæquatè, ſive inadæquatè. Hæc enim eſt ratio, ob quam diſcreverunt Patres latini inter Principjum, & cauſam, fatentes primum, & negantes ſecundum de Deo Patre. Hinc 2. Principium latius patet quàm cauſa, ſiquidem omne, quod eſt cauſa, eſt in eodem ſenſu principium; ſed non è converſo, cum Pater ſit Principium, non verò cauſa Filii in latina phraſi; quamobrem principium eſt genus, & cauſa eſt ſpecies. Hinc 3. Tam principium, quàm cauſa ſub his conceptibus apparent entia relativa: quoniam hi conceptus, ut tales apertè innuunt, ſeu connotant aliud, vel alium: ſi enim res A eſt cauſa, ſive principium: *alicujus eſt cauſa*, ſive *principium*, non inſtar modi, quia non omnis relatio eſt modus. Quod autem Æternus Pater, v. g. ſub hoc conceptu *Principium* ſit Ens relativum, probat ſub hoc conceptu habere totam ſuam eſſentiam ad alium in ſenſu, quem explicui diſp. 4. logicæ cap. de relatione, non in alio abſono ſenſu. Hæc dixerim propter rem illam Theologicam, quam tractarunt Patres illi Florentini. In rebus autem Philoſophicis plerumque accipiuntur in eodem ſenſu, *Principium*, & *cauſa*; quapropter quæ de uno dixerim intellige in eodem ſenſu de altero. Dico autem *plerumque*, & non *ſemper*. Nam etiam primum punctum dicitur *Principium* lineæ, quin ſit cauſa ſubſequentium, quia ſolum eſt principium, *quoad locum*. Et Aurora dicitur Principium diei nempe *quoad tempus*; quin ſit cauſa diei. Et prima periodus

locu-

Oſee 1. locutionis dicitur principium: ſcriptum eſt enim. *Principium loquendi Domino in Oſee*, quin illa periodus ſit cauſa ſubſequentium, & primus
Num. 24. habitator, dicitur principium, juxtà illud *principium gentium Amalec*, quin Amalec fuerit cauſa gentium omnium, quæ regionem Palæſtinam incoluerunt. Et ſic alibi paſſim. Sed has ſignificationes non multum curant phyſici.

3. Principii ergò, ſive cauſę, plurimas lego, audioque acceptiones: quarum multitudo, ſi moleſta tibi fuerit, ne mihi vitio vertas uſum Auctorum, qui ob vocum aliarum penuriam utuntur eâdem, ad multa ſignificanda. Principium ergò in genere eſt duplex. Unum intrinſecum per identitatem inadęquatam cum principiato (non autem per identitatem, aut intimam inhęrentiam cum re principiante, aut per intimam hujus cum illo connexionem, quia hęc tria materialiter ſe habent ad rem pręſentem) & talia ſunt, quę diſputavi paulò antè reſpectu entis naturalis. Alterum extrinſecum, quatenùs adęquatè diſtinguitur ſuo modò à principiato. Et utrumlibet eſt, aut non eſt primum principium, prout fuerit, vel non fuerit ex alio in eo ſenſu, & genere, in quo principiatum eſt ex ipſo. *Secundò*. Principium extrinſecum aliud eſt *purè principium*, & neutiquam cauſa, qualis eſt Pater reſpectu Dei Filii, ut nuper dicebam ex Concilio Florentino, quia licet eſſentia, & ſubſtantia Patris, ac Filii neutiquam ſit diſtincta, & unus ſit in altero per circuminſeſſionem; veruntamen Pater, utpotè generans verè, & ſimpliciter diſtinguitur à Filio ità, ut Paternitas, neque conſtituat phyſicè filiationem, neque per hanc conſtituatur, & in hoc ſenſu Paternitas diſtinguitur adequatè à filiatione, & conſequenter in hoc ſolo ſenſu eſt principium extrinſecum illius; & cum ex alia parte filiatio non ſit *aliud* à paternitate, ideò hęc eſt principium extrinſecum, ſed purè principium, & non cauſa illius. Et ſimiliter reſpectivè de ſpiratore reſpectu Spiritus Sancti. Aliud autem, quod eſt principium, & inſuper cauſa, eo quia diſtinguatur ſua entitas ab entitate principiati. *Tertiò*. Principium, quod ſit purè principium, aliud eſt phyſicum, & originis phyſicę, quatenùs phyſicè, & realiter diſtinguitur à principiato, phyſicèque, & realiter producit illud, ut Pater reſpectu Filii, & Spirator, ideſt Pater, & Filius, reſpectu Spiritus Sancti. Aliud virtuale, & originis ſive productionis non phyſicę, ſed virtualis dumtaxàt. Ut intellectus divinus reſpectu intellectionum, & voluntas reſpectu actuum immediatè liberorum; quoniam neutra potentia producit realiter formaliter ſuos reſpectivè actus, ſed tantum virtualiter, & neutra diſtinguitur ab illis plusquam virtualiter.

4. Principium, quod ſimul ſit cauſa, eſt item duplex. Aliud, quod eſt, ac dicitur *cauſa prima* nimirum Deus Trinus & unus. Aliud, quod eſt, ac dicitur *cauſa ſecunda* eò, quod pręſupponat illam primam; & tales ſunt omnes cauſę creatę. Deus formaliter immediatè eſt cauſa prima, & univerſalis, & ſubordinat ſibi cauſas omnes propter rationem compactam ex his quatuor titulis. 1. quia à nullo alio accipit productam virtutem phyſicè operatricem, qua pollet; licet enim Deus Filius ac-

Digitized by Google

cipiat per generationem a Deo Patre Omnipotentiam, & Deus Spiritus Sanctus per ſpirationem à Patre, & Filio. Verumtamen neque Pater eſt *aliud*, ſed, *alius* à Filio: neque Filiatio, ut diſtincta ab Omnipotentia, eſt per ſe immediatè virtus operativa rerum, ſed ſolum per Omnipotentiā ipſam communem toti Trinitati: neque Omnipotentia hęc phyſicè producitur à Patre in Filio, ut adverti diſp. 1. num. 1. ſicut virtutes operatrices, quibus gaudent cauſę ſecundę producuntur per Deum. 2. quia omnia alia prorſus, quę virtute gaudent minimè mediocri, maxima, ad aliquid operandum, eam accipiunt phyſicè productam ab ipſo Deo. Accipiunt inquam non ſicut pauper accipit pecuniam à divite, quaſi Deus alicubi contineat reconditas virtutes illas operatrices, & illas diſtribuat inter creaturas exiſtentes, ita ut hę ante diſtributionem exiſtant in rebus, & exiſtant privatę illis virtutibus operativis: ſed quatenus Deus producens phyſicè ignem, v.g. aut calorem, ſi mavis, producit phyſicè virtutem combuſtivam cum illo identificatam: & producens phyſicè hominem, producit phyſicè virtutem ſenſitivam, & ratiocinativam cum illo identificatam. In hoc ſolo ſenſu accipiunt cauſę ſecundę à prima virtutes ſibi innatas, & intrinſecas ad operandum; alias autem extrinſecas, & ſibi non ingenitas, v.g. ad operandū ſupernaturaliter, accipiunt primo illo modo. 3. Quia indiſpenſabiliter concurrit cum omnibus, & ſingulis cauſis aliis ad harum operationes, ut poſtea dicam. 4. Quia quoties voluerit, quomodo voluerit, ubi voluerit, & quamdiù voluerit, poteſt aliarum cauſarum operationes promovere, cohibere, retardare, ac ſimpliciter impedire. In ſimultate horum quatuor titulorum ſtant primatus, univerſalitas, & auctoritas cauſę primę. At hęc ſimultas ſoli Deo competit. Ergo ille ſolus eſt cauſa prima univerſalis, &c.

5. Eodem reſpectivè modò, ut inſinuavi diſp. 1. num. 1. intelligendi ſunt Primatus alii, qui ſunt characteriſtici Deo; ut eſſe *Primum ens. Primum liberum. Primum movens &c.* Stant hæc in complexo ex quatuor dictis, quorum maxima, & primaria ſunt illa duo. Unum negativum, videlicet non accipere ab ullo alio entitatem, libertatem, virtutem applicandi, movendi, determinandi, motione tamen, ac determinatione conſentanea naturæ rerum, de quibus fuerit ſermo, unde motione, determinatione, atque applicatione, quæ non ſit irreſiſtibiliter cōnexa cum operatione, & ſimul penitus inevitabilis creaturæ, quando agitur de creatura exercente libertatem indifferentiæ. Alterum poſitivum, videlicet quod reliqua omnia entia, & libera, & mobilia, habent à mero libito divino primam exiſtentiam, durationem, ac conſervationem ſuarum entitatum, libertatum &c. Unde 1. primatus hic non ſtat in eo, quod Deus prius operetur phyſicè, aut determinativè determinatione irreſiſtibili, atque inevitabili, noſtras operationes liberas; tum quia aliàs operaretur ſimiliter noſtras actiones peccaminoſas, quod alibi probamus dedecere Deum ſummoperè, tametſi mitigentur illis verbis *materialiter ſumpta*; tum quia aliàs in eis operationibus haberemus nos merè paſſivè, accipientes ſcilicet à Deo illas, per

ipſum

ipſum Deum prius factas, ſicut accipimus panem, jam factum ab alio, & donum nobis miſſum ab amico. Unde 2. non nego doctrinam illam veritatis plenam, quam ex ſcripturis erutam, inculcat Auguſtinus,
Aug. 1. retract. c. 9. quod in prædeſtinatis adultis *ipſe etiam præparet voluntates*; ſed qualitatem præparationis in eo ſtantem, quod prorſus irreſiſtibilis, ac ſimul inevitabilis ſit creaturæ: de hoc enim non de illo eſt quæſtio inter Theologos. Neque in hoc retractationum loco delet S. Pater quidquam ex eis, quæ *in ordine ad libertatem* dixit, tribus illis libris de libero arbitrio contra Manichæos; ſed deprehendens Pelagium, ſtabiliendi ergo ſuum dogma, quod gratia datur *ſecundum merita noſtra* abuſum fuiſſe aliquibus textibus (ibi notatis per otium) eorum librorum, reſpondet: ſe non meminiſſe gratiæ in eis libris, ſed ſolius liberi arbitrii, quia tunc *non de illa*, ſed de hoc agebatur: unde conclu-
Idem ibid. dit: *quapropter novi hæretici Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, ut Gratiæ Dei non relinquant locum: quandoquidem* (nota) *eam ſecundum merita noſtra dari aſſerunt: non ſe extollant, quaſi eorum egerim cauſam, quia multa in eis libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius diſputationis cauſa poſcebat. Dixi quippe &c.* Hoc inſinuo non quidem diſputandi gratia, quæ diſputare prohibemur; abſit; ſed oſtendendi, quæſtionem Auguſtini cum Pelagio eſſe toto Cœlo diverſam ab illa, quam Theologi Catholici inter ſe diſputant. Aliud quippe eſt, ſit, nec ne prorſus neceſſaria res A, ad rem B. Aliud, quænam ſit natura, qualitas, conditio rei A, hoc eſt, ſit, nec ne prorſus irreſiſtibilis, & inevitabilis ex ſua met eſſentia? Primum diſputavit, & ſancivit Auguſtinus contra Pelagium, & de illo nec minimum dubium eſt inter Catholicos. De ſecundo eſt dubium, & in eo verſatur cardo totus difficultatis; ſed de ſecundo, neque hic, neque alibi diſputavit, aut ſtatuit quidquam Auguſtinus. Sit ergo verum, aut falſum, quod dicunt hi, aut quod dicunt illi Catholici; aſt longè diverſum eſt ab eo, quod Auguſtinus diſputavit cum Pelagio, & hujus prole. Jam primatus quoſdam alios, v. g. *eſſe primum merens, primum peccans, primum deficiens*, & ſimiles bene vides repugnare Deo. Imò repugnare abſolutè, quia in his lineis non *primum*; ſed *unicum* dari poteſt; quoniam ſola creatura rationalis poteſt eſſe merens, peccans &c.

§. II.

6. REvocato jam ad ſpeciem cauſæ ampliore genere. *Quarta diviſio eſt*. Cauſa (ſub quo nomine intellige etiam, quoad præſentes diviſiones potentiam virtutemque, non prout hæc eſt qualitas determinata ad bonum, ſed prout eſt activitas, vis, fæcunditas, energiave faciendi aliquid) alia dicitur tantum phyſica, de qua infra. Alia tantum moralis, nempè quæ abſque reali entativo, ac materiali influxu producit effectum præciſè, quatenus attrahit, vel

etiam

Digitized by Google

etiam omninò determinat cauſam phyſicam, quæ formaliter, aut virtualiter ſit talis ad effectun aliquem producendum. Ut imperium, preces, conſilium, ſolent inducere cauſas phyſicas ad aliquid faciendum, & hæc cauſa moralis ſolet vocari *motivum, objectum formale, ſpecificativum* actûs, intellectûs, aut voluntatis, ſed juxta doctrinam mox dandam. Alia demum eſt phyſica ſimul, & moralis, quatenus per influxum realem, & materialem cauſat effectum, & ſimul movet, atque invitat ad illum. Sic ignis, v. g. (& idem de omnibus cauſis neceſſariis) in actu primo proximo completo, ex parte naturæ ad comburendum, eſt cauſa phyſica ignis aliûs, & ſimul eſt cauſa moralis, quia ſua connnexione naturali movet Deum, ut concurſum præſtet tanquam Author naturalis ad ignem illum producendum. *Quinta diviſio.* Cauſa moralis, alia eſt talis per irreſiſtibilem connexionem cum effectu. Et tunc non ſolet vocari cauſa, ſed dererminativum illius effectus, vel quaſi effectus. Sic divina bonitas intuitivè cognita à Beatis eſt cauſa moralis amoris, quo hi Deum proſequuntur, quia irreſiſtibiliter movet illos ad amorem illum, cultum, reverentiam, & obedientiam. Sic etiam actio tua libera eſt cauſa moralis, ſeu potius determinativum objectivum, formale, ac immediatum ſcientiæ, qua Deus ab æterno prævidet, te in tali circumſtantiarum periſthaſi eliciturum actionem illam, & intellectus ipſe divinus eſt determinativum ſubjectivum illius ejuſdem ſcientiæ. Cum enim Deus ob ſuam infinitam perſpicaciam, ſit eſſentialiter determinatus ad ſciendum omne ſcibile, eo omni modo, quo citra imperfectionem ſcibile eſt: inde naſcitur, quod ab æterno cognoverit te in tali tempore, loco, & circumſtantiis, eliciturum ex mera tua determinatione actionem A, eo ipſo, quod ex mera tua determinatione elicias illam: ſicut eo ipſo, quod tranſeas per viam videberis ab attentiſſimo, & perſpicace ſpeculatore, qui eſt in alta feneſtra. Et ſicut non ideò tranſis tu per eam viam, quia hic te videt, ſiquidem hujus viſio non conſtituit proximam tuam facultatem tranſeundi, aut non tranſeundi; ſed è converſo, ideò à Priori hic te videt tranſeuntem, quia tu ſponte, ac ex mera tua determinatione tranſis, ita ut ſi non tranſires, ut poteras non tranſire, ille non videret te tranſeuntem per illam viam, tametſi per totam æternitatem affixus eſſet illi feneſtræ, attentiſſimuſque, & perſpicaciſſimus foret. Ita non ideò facis actionem illam, quia Deus ab æterno id præſcivit, quoniam illa divina præſcientia non conſtituit proximam tuam facultatem faciendi, aut non faciendi actionem illam, quia tu ſponte, ac ex mera tua determinatione ſine ullo irreſiſtibili, ac ſimul inevitabili impulſu facturus es illam (ſæpè adverti actiones immediatè liberas, eſſe quidem capaces *rationum moventium*; aſt incapaces omninò *rationis alius reflexæ ſtrictè à priori*, ideſt, ſimpliciter antecedentis, ac ſimul metaphyſicè connexæ: ſicut concluſio ſimpliciter obſcura eſt incapax rationis evidentis: & concluſio merè probabilis eſt incapax rationis omninò certæ; alias nec eſſet merè probabilis, nec obſcura. Et ſimiliter actio immediatè libera, (non eſſet immediatè libera, ſi haberet rationem ſtrictè à priori) ita ut ſi illam non faceres,

Digitized by Google

Deus non prævidiſſet te facturum illam, tametſi per totam æternitatem attentiſſimè intueretur te. Ob hanc ergo rationem cauſa moralis objectiva, ſeu potius determinativum objectivum illius divinæ præſcientiæ, eſt tua actio A: & cauſa ſubjectiva, ſeu potius determinativum ſubjectivuum ejuſdem eſt ſolus intellectus divinus: & determinativum in genere imputabilitatis, eſt tua ipſa libertas, ſeu tu ipſe liberè ſponteque eliciens actionem illam; quia libertas indifferentiæ non opponitur neceſſitati conſequenti ad ſe ipſam, qualis eſt illa præſcientia.

7. Altera cauſa moralis, quæque vulgò, & ſimpliciter vocatur talis, eſt illa, quæ ſine hac irreſiſtibili determinatione tantum movet, atque inclinat in operationem, potentiam phyſicam immediatè, aut mediatè operatricem. *Sexta diviſio.* Hæc cauſa moralis eſt duplex. Una objectiva. Altera ſubjectiva. Hæc eſt illa, quæ non ut cognita, ſed immediatè per ſe ipſam movet, atque inſtigat mediatè, aut immediatè, potentiam executricem, ut cognitio per ſe immediatè, abſque alia reflexa ſui cognitione, inſtigat voluntatē ad proſequutionem, vel fugam objecti: & præmiſſæ formales per ſe immediatè, abſque reflexa alia cognitione impellunt intellectum in concluſionem formalem, ſeu mentalem, ſic etiam habitus accquiſiti boni, mali, indifferentes, ſeu conſuetudines, per ſe, abſque reflexis ſuis cognitionibus movent potentias, quarum proprii ſunt, ad eliciendum actus ſimiles eis, ex quibus ſunt geniti, niſi jam horum tædeat. Unde meritò dicebat David *funes peccatorum circumplexi ſunt me: & legem tuam non ſum oblitus.* Ideſt. Pravi habitus relicti ex prioribus peccatis, quaſi neceſſitatem imponunt mihi ad relapſum; ſed memoria legis tuæ me compeſcit. Sic humorum corporis temperamentum, combinatio, ſive complexio, ſolet eſſe cauſa moralis ſubjectiva iræ, miſericordiæ, continentiæ, incontinentiæ, & ſimilium, quia illa combinatio, ſicut etiam ſtellarum, & præſertim Planetarum, ſolet per ſe inſtigare immediatè corpus, & ſic indirectè animum, propter ſympatiam hujus cum illo, ad tales, vel tales actiones. Hoc tamen diſcrimine, quod humorum combinatio (in qua primas partes habent materia primigenia accepta à Parentibus, lac infantiæ, ſubſequentiſquæ ætatis alimenta) inſtigat immediatè corpus; combinatio verò ſyderum mediatè, quatenus immediatè, ac directè movet illos humores, ſicut luna, & venus humiditates reſpectivè, Saturnus, & Mars biles reſpectivè &c. Sic intuitio efficax finis per ſe immediatè, ſine reflexa ſui cognitione, movet voluntatem ad electionem mediorum, nondum in ſingulari exploratorum. Sic electio hæc (& alii actus voluntatis efficaces reſpectu actionum externarum) immediatè per ſuammet entitatem, ſine reflexa ſui cognitione adigit determinatque potentiam executricem in actionem externam, v. g. volitio deambulandi immediatè per ſe determinat potentiam loco motivam. Sic etiam apprehenſio vehemens, in judicium. Sic actus unius virtutis immediatè per ſe movere ſolet ad actum aliûs, ſicut etiam unum peccatum ad aliud. V. g. amor Dei ſuper omnia per ſe immediatè movet ad actum, qui prænoſcitur eſſe cultus, aut obedientia erga Deum.

Pſal. 11.

Deum. Actus ſpei Theologicæ, ideſt, efficax conatus adipiſcendi Deum, ut noſtrum ultimum finem, per ſe immediatè movere poteſt ad reſtituendum rem alienam. Timor gehennæ infixus moribundo peccatori Confeſſorem non habenti, per ſe immediatè movere poteſt ad perfectam contritionem. En copioſam ſegetem cauſarum moralium, quę non objectivè, ſed ſubjectivè ſunt tales.

8. Ubi adverte; quod ſi actus A, ſit hoc modo ex actu B, tanquam ex cauſa morali ſubjectiva, arguit quidem tunc exerceri hominem per actum virtutis, aut vitii, ad quam, vel quod, ſpectat actus B; nam arguit hunc exiſtere; aſt non facit, ut actus ipſe A; ſit illius virtutis, aut vitii, v. g. contritio perfecta, concepta hoc modo ex timore gehennæ, non facit, quod illa contritio ſit actus virtutis moralis, ſicut eſt hic timor. Et actus humilitatis, obedientiæ, religionis elicitus hoc modo ex amore Dei ſuper omnia, non facit, quod hi actus ſint charitas Theologica, ſicut eſt ille amor; quoniam nil compoſſibile cum eo, quod actus A non moveatur proximè adæquatè ex motivo, ſive objecto formali proximo adæquato actus B, facit per ſe præcisè, quod actus A ſit verè, & ſimpliciter virtutis cujus eſt actus B. Character namque, & teſſera Theologica ad diſcernendum actus unarum virtutum ab actibus aliarum, eſt objectum formale proximum adæquatum, quod habent (quodque hac de cauſa vocatur *ſpecificativum*) & ſimul modus tendendi actuum ipſorum proportionatus illi objecto formali; quod addo propter peſſimos illos actus, qui ex eodem objecto formali vocante ad bonum moventur ad malum. V. g. *nolo hoc facere propter hoc ipſum, quod præceptum ſit à Superiore. Volo rem A propter hoc ipſum, quod prohibita eſt*: quoniam non rarò *nitimur in vetitum*, qua labe inficiuntur etiam actus invidiæ ſolius, ut diſtinctæ ab amore proprio &c. At actum A, eſſe ex B, tanquam ex cauſa morali ſubjectiva, eſt compoſſibile cum eo, quod non moveatur proximè adæquatè ex motivo, ſive objecto formali proximo adæquato actus B, ut patet in prolatis illis exemplis, ergo. Quocirca actus A, erit tunc denominativè, extrinſecè, imperativè virtutis cujus eſt actus B, aſt non ſemper actu formaliter, verè, propriè, ſeu elicitivè. Rurſus hæc cauſa moralis ſubjectiva, una eſt formalis immediata, & directa, v. g. volitio efficax formaliter ſic tendens. *Volo homicidium*, eſt cauſa moralis per ſe ſubjectivè impellens potentiam executricem. Altera indirecta, mediata, & interpretativa, ſeu virtualis. Et hæc, ut ſæpè notavi ex P. Junio, eſt quadruplex. *Prima*, virtualis virtualitate *objectivæ determinationis phyſicæ*: nempe quando eſt volitio rei per ſe connexæ metaphyſicè, aut ſaltem phyſicè, cum A, & purè antecedentis reſpectu hujus, ut volitio explodendi in pectus Joannis, eſt volitio virtualis occidendi illum virtualitate objectivæ determinationis phyſicæ. *Secunda*, virtualis virtualitate *ſubjectivæ determinationis phyſicæ*: nempe quando ipſa volitio eſt per ſe connexa cum alia volitione, & antecedens reſpectu hujus: qualis eſt intentio efficax finis reſpectu volitionis mediorum. *Tertia*, virtualis virtualitate *objectivæ determinationis moralis*: nempe quando eſt volitio rei vetitæ, ob

manifeſtum periculum volendi aliud immediatius in ſe prohibitum: ſic volitio familiaritatis ſpecialis cum perſona periculoſa eſt virtualis cauſa moralis lapsûs. *Quarta*, virtualis virtualitate *ſubjectiva determinationis moralis*: nempe quando actus aliquis eſt prohibitus ob manifeſtum periculum concipiendi actum alium, v. g. voluntaria vivax cogitatio objecti A per ſe immediatè inſtigans ad appetitum illius.

9. Cauſa moralis objectiva eſt illa, quæ non immediatè per ſuammet entitatem; ſed per ſuam cognitionem, aut perceptionem aliam, puta dolorem, voluptatem, & ſimilia, movet atque ſollicitat potentiam ad operandum aliquid. Sic præmiſſæ objectivæ, hoc eſt objecta præmiſſarum mentalium, ſunt cauſa moralis aſſensûs concluſionis: quia ut cognitæ per præmiſſas formales movent ad illum. Sic bonitas, ac malitia objecti ſunt cauſa moralis objectiva proſecutionis, aut fugæ, quia movent potentiam ad hos actus, non immediatè per ſuaſmet entitates; ſed ut cognitæ aliove modo vitali perceptæ. Sic veritas, & falſitas ſunt cauſa moralis objectiva, quia ut cognitæ ſaltem per apprehenſionem ſuaſivam, vel diſſuaſivam, movent ad ſuum aſſenſum, vel diſſenſum. Sic cauſa finalis eſt cauſa moralis objectiva intentionis, ſeu appetitûs, quo voluntas fertur in illam: quia non niſi cognita inſtigat voluntatem ad eum appetitum. Sic objecta formalia ſpecificativa virtutum, ideſt motiva ex quibus proximè adæquatè concipiuntur actus harum, ſunt cauſæ morales objectivæ actuum eorum: quia non niſi, ut præcognita movent, ac ſollicitant ad illos. Hæc autem cauſa moralis objectiva interdum eſt verè, ac ſimpliciter talis, nempe verè, ac ſimpliciter per ſe movet ad aliquid. Interdum autem laxè, ac impropriè, ſcilicet, quando per ſe non movet, eſt tamen purificatio conditionis animi terminativè conditionati, ſeu complementum motionis abſolutę, v. g. preces poſſunt te movere ad actionem A, item ſi decreviſti illam facere ad horam primam, ubi primum hanc audis moveris ad actionem illam. Sed eſt diſcrimen, quod jam notarunt graves Theologi: preces namque verè ſimpliciter movent; horę primæ auditio non tam movet, quàm purificat conditionem ſub qua ſtatueras facere actionem illam. Unde non movet, ſed eſt complementum motionis iam præexiſtentis. Et hoc exemplo aperiunt diſtinctionem inter noſtra, & priſcum Sacramentum à Deo inſtitutum contra peccatum originale parvulorum tunc morientium. Noſtra enim Sacramenta, cum ſint moraliter actiones Chriſti, verè movent Deum ad infundendum gratiam; Priſcum illud Sacramentum, utpote egenum, & vacuum elementum, non movebat per ſe Deum, ſed erat purificatio conditionis, ſub qua pollicitus erat Deus gratiam, ſed de hoc alibi. *Septima diviſio*. Hæc cauſa moralis objectiva eſt duplex. Una reſpectu intellectus, quia ut cognita, vel immediatè ſine alia ratione ſuaſiva, vel per rationem ſuaſivam, movet ipſum ad aſſentiendum, & hæc eſt ſola *veritas*: aut ad diſſentiendum, & hæc eſt ſola falſitas. Sicut enim verè ſcit, qui aſſentitur verè: ita verè ſcit qui diſſentitur falſo: tam enim Judicia negativa, quam affirmativa poſſunt eſſe ſcientifica, & tam debetur diſ-

ſen-

ſenſus falſo, quam aſſenſus vero, & tam proprius eſt intellectûs unus, quàm alter actus. Altera reſpectu voluntatis, quia ut cognita, hanc allicit ad ſui proſecutionem, & hæc plerumque eſt ſola bonitas: vel ad ſui fugam, & plerumque eſt ſola malitia. Sicut enim eſt bonum, amare bonum; ita eſt bonum, odiſſe malum. Et tam proprium eſt voluntatis unum, quam alterum, & tam debetur odium malo, quàm amor bono. Dixi tamen *plerunque*, & ſic intelligenda videtur univerſalitas, qua loquuntur Philoſophi hac ſuper re. Etenim cum intellectus non ſit potentia libera, nequit ullatenus, quantumcunque jubeatur à voluntate, & quidquid externè proferat, aſſentire objecto, quod omninò apparet falſum, aut diſſentire illi, quod prorſus apparet verum; ſicut neque oculi quantumcunque jubeantur à voluntate poſſunt videre objectum, quod nulla penitus perfunditur luce. Cæterum cum voluntas fungatur libertate, poteſt forſan contingere adeò interdum vitiatum, & corruptum habere, ut ita dicam, palatum: ut ſicut ſtomachi corrupti appetunt immunditias, puta gypſum, carbones, calcem, & ſimilia, nauſeantque ad alimenta: ita velit illud malum, quod neutiquam præcognoſcitur bonum, & oderit bonum, quod neutiquam prænoſcitur malum.

10. Poſſibile namque peccatum eſt, quod ſit puræ, ac meræ invidiæ, ſine mixtura amoris proprii, quamvis ſit actus ex illo phyſicè derivatus, aut ex odio proximi. Sed hoc peccato odit voluntas bonum aliûs perſonæ, ideò formaliter, & præcisè, quia eſt bonum illius, & non quia eſt malum invidi ipſius; aliàs jam non eſſet pura invidia, ſed inſuper amor proprius. Item amat malum illius alius perſonæ, purè, & præcisè, quia eſt malum illius, & non quia *eſſe malum illius* eſt eſſe bonum proprium; aliàs non eſſet invidia pura, & mera; ſed inſuper foret amor proprius. Ergo forſan eſt poſſibile, quod voluntas per ſummam irrationalitatem, amet malum aliquod (non dico nunc ſibi, ſed alteri) purè, & præcisè, quia eſt malum: & oderit bonum, purè, & præcisè, quia eſt bonum ſaltem illi alteri. Explicatur; licet prohibitio ſuapte natura retrahat ab actione prohibita; verumtamen hoc ipſo, quod prohibita eſt, ſolet movere, & provocare homines, quia non temerè dictum fuit. *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negatum.* Item tametſi rationale præceptum legitimi ſuperioris ſit ex ſua natura cauſa motiva faciendi actionem facilem; poteſt phyſicè homo ex prævia ſuperbia, vel odio illius ſuperioris nolle facere actionem illam purè, & præcisè, *quia eſt præcepta per legitimum eum ſuperiorem*. Et licet amabilitas perſonæ ſit ex ſua natura motivum ad amandum illam, poteſt alius ita pravè eſſe affectus, ut ſibi doleat, & diſpliceat, quod illa perſona ſit tam amabilis. Ergo licet bonitas ex ſe ſit motivum amoris, & malitia, ſit motivum odii, poteſt &c. Non longè etiam ab hoc barbariſmo eſt ille, qui ex mera deſperatione, odioque ſui ipſius (non verò ex alio motivo, v. g. evadendi præſentes angores, quia iſte eſſet potius amor proprius) adſciſcit ſibi necem, vel fugit aliquod bonum ſui ipſius, ideò formaliter, quia bonum ſibi eſt. Et quan-

quanquam dari poſſint, ac ſoleant actus reflexi, quibus imperentur, ut homini, boni actus dicti directi; poſſunt etiam phyſicè non dari; quod ſi dentur jam actus dicti non erunt puræ invidiæ, puræve deſperationis; ſed inſuper erunt actus amoris proprii; cum tamen loquar de invidia, & deſperatione puris, ſine mixtura amoris proprii præcipitique impetu conceptis. Rurſus quamvis actus dicti ſint exercitè voluntarii, & conſequenter concipiantur à vitiata illa voluntate, quia ipſi ſunt, vel apparent boni: aſt non ſemper, quia ipſorum objecta ſint, vel appareant bona ipſi eidem voluntati; alias jam eſſent actus amoris proprii, & non pura invidia, aut pura deſperatio. Fateor modum hunc operandi eſſe contra naturam rationalem; imò eſſe phyſicè contra naturam; aſt contrarietas hęc ſubditur præpotenti voluntati obcæcatæ, atque irrationali, ſicut contrarietas aquæ cum privatione omnis penitus frigiditatis ſubditur phyſicè præpotentiæ ignis. Forſan igitur non ſemper eſt bonitas objectiva, quæ movet ad actum proſecutionis, ſed malitia quoque: & forſan non ſemper eſt malitia objectiva, quæ movet ad actum fugæ, ſed bonitas etiam. Tale, ac tantum eſt prædominium voluntatis ſupra ſuos actus. Veruntamen motio adæquata in caſu alterutrius perverſionis, non identificatur adæquatè cum ſola bonitate, aut malitia, ſed partim cum utravis, & partim cum prava diſpoſitione illius voluntatis, vi cujus in virus vertitur ipſi, quod alias ex ſe eſt Theriaca.

§. III.

11. Octava diviſio. Utraque cauſa moralis objectiva poteſt eſſe duplex. Una negativa. Altera poſitiva. Hæc conſiſtit in rei alicujus exiſtentia ſollicitante potentiam. Illa contingit, quando ultimum complementum motivi ſtat in aliqua carentia. V. g. quando homo ultimò movetur ad peccandum, ex eo quod *nullus adſit teſtis*, vel, *nulla ſibi aſpergenda ſit infamia* apud homines, quæ motio ex ejuſmodi carentiis frequens eſſe ſolet (& hæc ſolet vocari cauſa moralis *tanquam removens prohibens*, quia cauſat moraliter effectum, quatenus facilitat illum; illum autem facilitat, quatenus removet obſtacula impeditura illum, & in hoc ſenſu ignorātia antecedens ſolius juris, aut ſolius facti, aut utriuſque, ſolet eſſe cauſa moralis nempe negativa multarum actionum: quatenus removet ſcientiam, aut legis prohibentis, aut illius, quod revera facis, puta homicidium, quando explodis contra objectum, quod credis eſſe belluam, cum tamen ſit homo: quam ſcientiam ſi haberes, non faceres actiones illas) Datur item hæc cauſa moralis negativa, quando homo movetur ad judicandum A. V. g. ex eo, quod nullum appareat fundamentum pro parte contraria. Tunc tamen neceſſe eſt, quod poſſeſſio ſtet pro parte, quam judicat. V. g. prudenter judicamus ſolem oriturum cras, quia oritur quotidie, & nullum

lum apparet fundamentum, ut cras interrumpatur hæc ſeries dierum. Item prudenter Judicamus, magnum Turcam non confiteri modo ſua peccata, apud S. Petri Pœnitentiarios: quia nullum ad oppoſitum judicandum apparet fundamentum. Cæterum quando non ſtat poſſeſſio pro una determinata parte, carentia ſola fundamenti pro parte contraria non eſt cauſa moralis motiva aſſensûs unius partis determinatæ. Sic nullum apparet fundamentum ſuadens imparitatem arenarum maris: quia tamen, neque ullum apparet ſuadens paritatem, & conſequenter, quia non ſtat poſſeſſio pro hac: ideò ſola carentia fundamenti pro imparitate non movet ad judicandum paritatem. *Nona*. Cauſa moralis objectiva, poſitiva, reſpectu, intellectus, & voluntatis, poteſt eſſe duplex; una neceſſariò rapiens potentiam ad tale, vel tale exercitium, ut divina bonitas intuitivè cognita, ineluctabiliter movet voluntatem ad ipſius amorem, & veritas præmiſſarum evidenter cognita, ut connexa cum veritate concluſionis, rapit neceſſariò intellectum ad aſſenſum hujus, ut dixi in dialectica diſp. 1. num. 178. quando alterutra trahit neceſſariò in unum actum poſitivum, vocatur cauſa moralis *movens poſitivè*, & , *neceſſitans quoad exercitium*, quando verò contenta eſt eo, quod potentia non concipiat talem, vel talem alium actum, dicetur cauſa moralis *movens negativè* ad aſſenſum, ſeu *neceſſitans ſolùm quoad ſpeciem*, v. g. quatenus reddit impoſſibilem diſſenſum. Vel ad amorem, quatenus reddit impoſſibile odium.

12. Altera movens quidem potentiam; ſed relinquens illam indifferentem ad annuendum, vel non annuendum. Sic divina bonitas, obſcurè nobis cognita, movet ad amandum Deum; ſed cum indifferentia ad non amandum. Item. Veritas objectiva obſcurè apparens, movet ad aſſentiendum; ſed cum indifferentia, ut velimus, aut nolimus aſſentire, vel abſolutè, vel per talem, aut talem ſpeciem aſſenſûs. Hoc genus cauſæ moralis reſpectu voluntatis eſt duplex. Una quæ propriùs eſt cauſa finalis, eò quod potentiam moveat in actum, *ut ipſa res*, quę eſt finis, obtineatur, & inſuper, quia eſt bona. Altera, quæ ſimpliciter eſt objectum formale, eò quod ad actum illum moveat præcisè, *quia ipſa eſt*: quorum duorum diverſitatem explicui diſp. 3. Dialecticæ num. 94. Similiter hoc idem genus cauſæ moralis reſpectu intellectus poteſt eſſe duplex; quandoq; enim conſiſtit in veritate ipſa objectiva magis propriè per rationem, aut rationes ſuaſivas rei, & tunc eſt cauſa moralis complexa: quia proponitur intellectui per judicia, quæ ſunt actus complexi, ſeu compoſitivi. Quandoque autem in veritate objectiva propoſita per apprehenſionem, vivacem tamen, & ſuaſivam: ideſt, inclinantem ex ſe in aſſenſum potius, quàm in diſſenſum, aut vice verſa, quæ apprehenſio cadens in intellectum alias diſpoſitum, extorquere ſolet ab ipſo aſſenſum, v. g. & hæc eſt cauſa moralis incomplexa, quia intellectui obverſatur per meram apprehenſionem, quæ licet energiam habeat vireſque ad ſuadendum, ob modum, quo proponit objectum; eſt nihilominus actus ſimplex, & incomplexus. Ubi obiter adverte duo. Primum. Quod movet intellectum ad aſſenſum eſt multoties ſola obje-

jecti,

jectiva tranſcendentalis veritas objecti, patefacta per rationes ſuaſivas, aut per ſuaſivam apprehenſionem illius. Sicut quod movet voluntatem ad amandum, plerunque eſt ſola bonitas ſpecifica objecti, patefacta per cognitionem. Et ſicut quod phyſicè producit effectum, eſt virtus cauſæ applicata phyſicè paſſo. Dico *multoties* non autem *ſemper*, quia multoties etiam motiva diſtincta à veritate tranſcendentali objecti movere ſolent ad hujus aſſenſum. Veruntamen cum ejuſdem motiva non ſint per ſe evidentia potentiis, ſed multoties appareant obſcurè, atque cum indigentia luminis aliùs: hac de cauſa ſolet potentia reſtare indifferens, atque libera, ut moveatur, vel ex ſola veritate, v. g. tranſcendentali objecti, vel ex alio connexo cum ea veritate.

13. Exemplum habes in aſſenſu omnium graviſſimo, nimirum fidei. Occurrit intellectui tranſcendentalis veritas Incarnationis, v. g., patefacta per argumenta illam ſuadentia. Occurrunt argumenta ipſa credibilitatis ſuadentia illam. Occurrit divinum teſtimonium, quo Deus, illam teſtificatus eſt *Verbum caro factum eſt*. Sed nihil ex his tribus occurrit ita evidenter, ut rapiat neceſſariò ad ſe intellectum noſtrum, unde hic manet indifferens ad aſſentiendum incarnationi, jam propter unum, jam propter aliud. Si aſſentiatur propter tranſcendentalem veritatem incarnationis, patefactam per argumenta credibilitatis, aſſenſus erit quidem metaphyſicè certus, quandoquidem veritas incarnationis eſt metaphyſicè, imò logicè connexa cum incarnatione; ſed non erit actus fidei, quia hujus character, ſpecificaque differentia (quando eſt inſtar concluſionis, & non inſtar primi principii) eſt quod proximè adæquatè moveatur ex authoritate perſonæ loquentis rem illam. Si aſſentiatur propter argumenta credibilitatis, nec erit aſſenſus fidei ob nuperam rationem, imò neque forte erit aſſenſus pluſquam moraliter certus. Sin aſſentiatur propter authoritatem Dei dicentis, ac docentis incarnationem, tunc aſſenſus erit fidei divinæ, ac Theologicæ. Unde habes diverſitatem, quæ reſultat ex diverſitate motionum cauſarum moralium ſimul concurrentium, ſed ita ut hominem relinquant indifferentem ad eligendum unum præ aliis. Et hoc voluntati etiam contingit, nam multoties obverſantur ſimul multa motiva ad unam eandemque actionem, & liberè imperat illam ex uno, & non ex alio illorum, unde naſcitur, quod actio evadat interdum bona moraliter; interdum mala, interdum unius ſpeciei, interdum aliùs.

14. Secundum advertentiâ dignum eſt. Duo ſunt modi movendi intellectum ad aſſenſum, vel diſſenſum. Unus per ſtrepitum argumentationum. *Probo. Nego. Diſtinguo. Concedo. Contra &c.* & hic non eſt Deo ſolitus. Alter magis lenis, arcanus, & efficax infundendo nimirum homini apprehenſiones quaſdam ſuaſivas, quæ ſicut tenuis lux auroræ, ſive crepuſculi, patefaciunt ſufficienter homini attento, & docili, veritatem per quam debet ingredi, & falſitatem, quam vitare debet: quemadmodum qui tantillum aperit feneſtram patefacit ſine ſtrepitu argumentationum, res, quæ ſunt in cubili. Hos duos

modo

Digitized by Google

modos adumbraſſe videtur Scriptura, inquiens. *Spiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Non in Spiritu Dominus. *Et poſt Spiritum commotio.* Non in commotione Dominus. *Et poſt commotionem ignis.* Non in igne Dominus. *Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis; quod cum audiſſet Elias &c.* Hic ſibilus auræ tenuis, ſeu vox *quaſi auræ lenis*, ut multo ante Eliam dicebat Eliphaz Themanites, ideſt, hæc tenuis arcana apprehenſio, quæ luce ſub obſcura, & quaſi antelucana oſtendit homini docili,& attento rem credendam,ſolet eſſe vox Dei, qua *erudit hominem, & de lege ſua docet eum*: qua *loquitur ad cor hominis*, qua *homo audit à Patre, & diſcit, & venit ad Chriſtum.* Ille autem primus modus ſolet eſſe proprius hominum, qui quatuor ſolis verbis, aut quinque, volumina magna implere ſolent. *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.* Exemplo eodem actus fidei aperitur hæc diverſitas. Tametſi Deus extraordinaria providentia aliquos de repente vocaverit ad fidem, ſine prævia diſpoſitione, ut vocavit Saulum in fervore ipſo perſequendi fideles, & Matthæum ſedentem ad telonium, & quatuor alios Apoſtolos, nil tale cogitantes, ſed in capturam piſcium incumbentes. Aſt providentia ordinaria poſcit præviam diſpoſitionem, atque præparationem intellectûs, ſicut etiam terræ, ut ex hac naſcatur frumentum.

3.Reg. 19. *Iob.4.* *Pſal.93.* *Oſea 2.* *Ioan.6.* *Iſai.8.*

15. Igitur proponitur homini veritas objectiva Incarnationis, v. g. per argumenta ſuadentia veram eſſe Religionem Chriſtianam. Hæc argumenta ſunt profectò neceſſaria omninò juxta ordinariam providentiam, tanquam extrinſecum miniſterium plantandi, atque rigandi; ſed non ſufficiunt ad immobilem illam certitudinem, qua fungi debet judicium fidei, quia *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat.* Poſita hac extrinſeca cultura audiendi, atque capiendi argumenta hæc, ſolet Deus, ut miſericors Pater (interdum ſe gerit, ut ſeverus Judex) dare intrinſecus incrementum. Sed quomodo? Eo nimirum, quo ſe geſſit cum Sancta illa purpuraria Lydia: *cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Et quæ apertio cordis eſt hæc? quam pollicitus eſt per Ezechielem. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent &c.* Ideſt, Abigere omninò, vel ſaltem cohibere inſurgentes difficultates, & inſuper producere in mente humana, ſicut ego characteres in hac carta (excepto quod hæc ſe habet merè paſſivè,homo autem activè inſuper in ſuis actibus vitalibus) apprehenſionem ſuaſivam de eo, quod Deus docuit illud idem myſterium, quod ſuadent argumenta dicta, qua apprehenſione ſufficienter panditur intellectui docili, qualis debet eſſe Catholicus (eſt ſcriptum in Prophetis. *Et erunt omnes docibiles Dei*, ut ex Iſaia citat Chriſtus Dominus) priſca ipſa antiqua revelatio omnibus facta, & conſequenter veritas myſterii, quamvis intellectui, aut diſtracto ad res alias, aut plus juſto timido, aut contumaci, non ſufficiat, ac propterea eos timidos agglomeravit Joannes cum aliis reprobis. *Timidis autem, & incredulis, & execratis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Homo ſic conſtitutus habet ante ſe tria ſaltem

1.Cor.3. *Actor.16.* *Ezech.11.* *Ioan.6.* *Iſai.54.* *Apoc.21.*

motiva credendi myſterium, ſed omnia obſcura, & relinquentia eum cum libertate indifferentiæ, tum ad credendum, vel non credendum. Tum ad credendum ex uno, vel ex altero motivo.

16 Primum eſt veritas ipſa tranſcendentalis Incarnationis, v. g. quę ſufficienter applicata intellectui per argumenta dicta, ſeu per hæc detecta, ſufficienter movere poteſt ad ſui aſſenſum in genere: ſicut bonitas ſufficienter applicata voluntati, ſufficienter poteſt movere ad ſui amorē. Aſt ſi homo ex hoc motivo aſſentiatur non eliciet ſpecificū actuū fidei, ut paulò ante dicebam, quia tranſcendentalis veritas eſt objectum formale genericum, non autem ſpecificum, & notionale actus fidei. Secundum eſt cumulus ipſe argumentorum credibilitatis, quorum cumulus movere quidem poteſt ad credendum incarnationem. Aſt neque ſic eliciet actum fidei, niſi fortè cumulum ex eis argumentis agnoſcat, ut novam locutionem teſtimoniumque divinum, quo quaſi reflexè aſſeveret Deus ſe olim docuiſſe illud myſterium. Tertium eſt priſca ipſa revelatio, *Verbum caro factum eſt*, Intellectui docili, & attento applicata ſufficienter *extrinſecè* quidem per argumenta credibilitatis, tanquam per miniſterium plantandi, atque rigandi; *intrinſecè* autem per illam apprehenſionem ſuaſivam ſupernè illapſam de eo, quod Deus verè dixerit, ac docuerit illud myſtetium, nec non per cohibitionem difficultatum homini invincibilium, atque terrorum contra præteritam exiſtentiam illius publicæ revelationis. Si ex ea revelatione moveatur homo ad credendum Incarnationem propter ipſam revelationem proximè adæquatè; revelationem autem propter ſe ipſam, ut primum principium illius aſſenſus, quandoquidem tranſcendentalis veritas, ſeu exiſtentia ipſius ſufficienter eſt applicata intellectui docili, utrovis modo dicto, extrinſeco, & intrinſeco, poſitivo, & negativo: tunc, inquam, eliciet actum fidei theologicæ divinæ, ac ſupernaturalis, prævalentem, quando exiſtit, adverſus omne dubium, formidinem, timorem, atque ſuſpicionem contrariam, quod tamen non tollit hominem actu eo ſuperſedentem labi in hæreſim: ſicut quamvis actu perfectæ contritionis pluris æſtimemus Deum, quam cætera omnia per eum graviter prohibita, ceſſantes tamen ab actu illo poſſumus labi in lethale.

17. En perſtrictam quantum ſufficit Philoſopho Chriſtiano, enodationem graviſſimi nodi theologici, ſuper ultimo reſolutivo noſtræ fidei. Reſolutivo, inquam, non metaphyſicæ evidentiæ, & contra quam nec muſſitare valeat ingenium humanum, aut contra quam tergiverſationes, cavillationeſque emergere nequeant. Hujuſmodi namque reſolutivum, non quæritur à Theologis, eſſet namque quærere, quod nuſquam invenietur, cum actus fidei noſtræ ſint ex ſua intrinſeca natura obſcuri, & conſequenter excludant ultimum ſui reſolutivum metaphyſicè evidens, & contrà quod, nulla exurgat cavillatio, dubium, tergiverſatio, & ſimilia, ſicut actus opinativi natura ſua excludunt principium certum omninò: quamobrem non quæritur ultimum reſolutivum, quod more, ac rigore ſcholaſtico dandum, explicandum, probandum, & defendendum ſit; ſed quod modo ſolo prudentiali, & obſcuro: & quia

aliqui

Digitized by Google

aliqui non ſunt hoc contenti, ſed aſpirant ad reſolutivum, contra quod, nullum emergat dubium, idcircò, & agunt contra naturam illius ejuſdem, quod diſputant, & creſcit in immenſum diſputatio. Igitur ultimum reſolutivum fidei, qua credimus Incarnationem, v. g. obſcurum ſanè, ſed prudens rationaleque, quamvis non metaphyſicum, & ſcholaſticum, eſt illa eadem antiqua, & publica revelatio. *Verbum caro factum eſt*; propoſita unicuique tripliciter *extrinſecè* quidem, per argumenta credibilitatis ſuo captui proportionata, & illa excolunt terram intellectus, ſicut arare, plantare, & rigare. 2. *intrinſecè negativè* per ſupernam miſericordem amorionem, vel ſaltem cohibitionem terrorum, ac difficultatum contra exiſtentiam talis revelationis. 3. *intrinſecè poſitivè* per dictam apprehenſionem ſuaſivam ſupernè illapſam intellectui, luce ſubobſcura, ſufficiente tamen, ac neceſſaria ad meritum, patefacientem exiſtentiam veram, & realem prædictæ antiquæ revelationis. *Ioan.1.*

18. Et hęc apprehenſio colligitur tum ex ſcripturis prolatis num.14. & 15. tum ex eo, quod quando elicimus actum ſupernaturalem, & valdè arduum prærequirentem actum alium voluntatis, non modo opitulatur Deus voluntati, ut imperet talem actum, verum etiam potentiæ illi, cujus proprius, & immediatus eſt actus ille ſupernaturalis, & valdè arduus, & ſane opitulatur illi potentiæ modo ipſius naturæ conſentaneo. At aſſenſus fidei eſt ſupernaturalis, valdeque arduus, & prærequirit imperium voluntatis,ergo non ſolum opitulatur huic Deus, ut velit elicere illum; verum etiam intellectui cujus proprius, & immediatus eſt actus fidei, & opitulatur illi modo ſuæ naturæ conſentaneo. At modus conſentaneus eſt per manifeſtationem veritatis, cui debet aſſentire, aut falſitatis cui diſſentire debet; ergo Deus in ſecreta ſchola cordis docet hominem, & manifeſtat ipſi antiquam illam revelationem. At non per actum omninò clarum, quia fides non eſſet obſcura; neque per actum, qui ſit judicium de exiſtentia illius revelationis, quia credere illius exiſtentiam non foret homini liberum, ac meritorium (cum tamen eſſe debeat) aut haberet homo duo judicia de exiſtentia revelationis, unum ſibi non liberum, ſed à ſolo Deo infuſum, alterumque ſibi liberum: ergo tandem hoc auxilium divinum, ſeu hæc arcana manifeſtatio exiſtentiæ revelationis, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo ſibilo auræ tenuis, de quo ſupra, id eſt in ea apprehenſione ſuaſiva de eo, quod Deus verè revelavit Incarnationem, v. g. quæ apprehenſio eſt vox Dei, aperitque luce ſubobſcura quantum ſufficit ad libertatem, & meritum, quod Deus verè illud revelaverit. Hæc modo ſufficiant pro explicatione diverſitatis cauſarum moralium reſpectu intellectus à quibus exorſus fui numerum 12. Redeamus jam ad inceptum iter diviſionum.

Digitized by Google

§. IV.

19. DEcima. Cauſa moralis objectiva reſpectu utriuſque dictæ potentiæ, alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. Intrinſeca, quæ etiam vocari ſolet proxima, & immediata, eſt illa, quæ attingitur, exprimiturque per actum, & in quam hic reflectit. V. g. *volo rem A, quia eſt bona. Nolo B, quia eſt mala. Vera eſt Incarnatio Verbi, quia Deus impotens falli, ac fallere, illam docuit.* Extrinſeca eſt illa, quæ non exprimitur per actum, neque is reflectit in illam; aſt movet ad illum, ſicut præmiſſæ movent ad concluſionem, tametſi hæc non ſemper reflectat ſupra illas, in illaſve intrinſecè tendat. Id poteſt contingere dupliciter. 1. quatenus actus producatur per actionem eſſentialiter alligatam notitiæ illius cauſæ moralis objectivæ, & non adſit actus alius potentiæ illius ejuſdem, poſitivè repellens motionem ex cauſa ea. Et enim ſicut ad hoc, ut homo verè, ac ſimpliciter committat peccatum, formale (formalitate utique ſubjectiva, & exercita, quamvis non objectiva, & ſignata) non eſt neceſſe, quod hunc actum concipiat. *Volo A; quia probibitum.* Seu; *quanquam probibitum.* Sed ſufficit, quod præcognoſcens prohibitionem, exercitè illam ſpernat, volens rem A per volitionem, cujus productio eſſentialiter præſupponat notitiam prohibitionis. In quo caſu volitio illa erit extrinſecè peccaminoſa, quatenus non tendit intrinſecè in malitiam; ſed non quatenus non ſit verè, ac coram Deo peccaminoſa, & ſufficiens inducendo peſſima illa effecta, quæ inducunt aliæ volitiones, quæ intrinſecè tendant in malitiam: ita ut concluſio, ſit concluſio formalis formalitate exercita, atque ſubjectiva, vereque moveatur ex objecto præmiſſarum, neceſſe non eſt, quod intrinſecè cauſaliter reflectat ſupra illud (& experientia Syllogiſmorum verbalium, quibus utimur inter diſputandum, & quorum concluſiones verbales ſunt in ſua ſphæra concluſiones formales, id videtur docere) ſed ſufficit quod producatur per actionem eſſentialiter alligatam præmiſſis ex ſe moventibus ad concluſionem: ſicut ad hoc, ut effectus phyſicus phyſicè naſcatur à cauſa phyſica, ſufficit, quod producatur per actionem eſſentialiter alligatam virtuti phyſicæ illius cauſæ. Et concluſio illa erit, ac non erit *extrinſecè* concluſio formalis in ſenſu nuper dicto. Item erit *intrinſecè* formalis non ſane intrinſeceitate reflexionis, ſed intrinſeceitate motionis ex objecto præmiſſarum;

20. Similiter, ut actus ſit aſſenſus fidei, verè, ſimpliciter, ac formalis formalitate exercita, & ſubjectiva, non eſt neceſſe, quod intrinſecè reflectat ſupra objectum formale fidei; ſat quippe eſt, quod concipiatur per actionem eſſentialiter alligatam notitiæ illius objecti motivi, & ex ſe moventis ad aſſenſum eum; & ſic in ſenſu nuper dicto, erit intrinſecè actus fidei, nempe intrinſeceitate motionis. Similiter ut actus ſit verè, ac ſimpliciter charitatis theologicæ, non purè materialis,

ſed

ſed formalis etiam, formalitate exercita, & ſubjectiva, non eſt neceſſe, quod intrinſecè tendat, atque reflectat ſupra divinam bonitatem; ſatis namque eſt, quod ſit appretiatio Dei ſuper omnia per actionem productam eſſentialiter ſupponentem notitiam bonitatis divinæ, ex ſe allicientis ad ſui amorem. Et ſic erit intrinſecè, aut extrinſecè in ſenſu inculcato, actus theologicus charitatis; quia verò actus voluntatis eſſentialiter ſupponit interdum notitiam alicujus motivi, & non movetur ex illo, v. g. ſi Deus decerneret ſic in alia providentia. *Volo dare tibi gloriam, non propter merita, quæ elicuiſti; ſed propter meam miſericordiam, liberalitatem &c.* (ob quem caſum utique poſſibilem dixi alibi rationem præmii, ac coronæ non ſtare adæquate in eo, quod bonum conferatur per actum eſſentialiter præſupponentem merita abſoluta) Hac de cauſa adjunxi actualem motionem actus, ex cauſa morali objectiva A, ſtare in complexo ex his duobus: nempe quod actus producatur actione eſſentialiter alligata notitiæ illius cauſæ allicientis, & quod non detur actus alius illius potentiæ, repellens, ut poteſt, motionem ex illa cauſa, quam ponimus indifferenter movere. Et ob hanc quoque rationem dixi alibi puram omiſſionem liberam (ſi forte eſt poſſibilis) eſſe potius ex motivo A, quam B, quando ambo ſimul occurrunt, ſtare in eo, quod omiſſio coexiſtat notitiæ motivi A inclinantis ad illam, & actui repellenti motivum B, & carentiæ actûs aliûs repellentis motivum A.

21. Alter modus quo cauſa moralis objectiva ſolet eſſe extrinſeca (& eſt modus magis proprius) eſt quando coincidit cum cauſa morali remota, v. g. quando actus A immediatè proximè movetur, & conſequenter ſpecificatur ex motivo B, & hoc ex motivo C. Tunc motivum C, eſt cauſa moralis extrinſeca, hoc eſt, remota actûs A. Eſt autem diſcrimen inter has duas cauſas morales, intrinſecam, ſeu immediatam ex una parte, atque extrinſecam, ſeu mediatam ex altera. Actus tam intellectus, quam voluntatis ex illa oriundus, ab illa ſpecificatur ſpecie, ſeu genere infimo; quoniam ex illa deprehendimus ſpeciem, aut ſaltem genus infimum actuum illorum. V. g. judicium proximè adæquatè conceptum, propter authoritatem Dei aliquid dicentis, dicitur eſſe actus in ſpecie, ſeu genere infimo *fidei theologicæ, ac divinæ*, ſive intrinſecè reflectat, ac tendat in eam authoritatem; ſive ſecus. Similiter actus voluntatis proximè, adæquatè conceptus propter divinam bonitatem, modoque huic proportionato tendens, dicitur actus in ſpecie, aut genere infimo charitatis theologicæ, ſive intrinſecè reflectat in eam bonitatem, ſive ſecus, ut num. 19. expoſui. Dico autem *modo proportionato tendens* propter illa, quæ notavi num. 10. & quia ille qui crederet quaternitatem, v. g. divinarum perſonarum propter authoritatem Dei erroneè judicatam, ut docentem illam, non eliceret actum qui formaliter in ſe ipſo foret judicium fidei theologicæ (quidquid ſit de æquivalentia, quoad meritum) ſicut nec eliceret actum charitatis theologicæ, qui ex errore dictante Solem eſſe Deum diligeret Solem ſuper omnia. Et ſicut nec haberet actum formaliter in ſe ipſo ſcientificum

cum

Digitized by Google

cum, qui ex principio merè probabili, ſed invincibiliter judicato, ut ſcientifico, eliceret firmiſſimam concluſionem. Oportet ergo actum, de quo fuerit ſermo, eſſe proportionatum objecto formali A, ut ab ipſo ſpecificetur ſtrictè, ac propriè.

22. Cæterum actus utcumlibet oriundus ex cauſa morali remota, & in hoc ſenſu extrinſeca, ex illa non ſemper ſpecificatur ſpecie, aut genere infimo, ut notavi diſp. 3. Dialecticæ num. 93. & ſic concluſio deducta ex aliquo antecedente, quod formaliter in ſe ipſo ſit actus fidei, quamvis ipſa etiam poſſit eſſe actus fidei, ut ſuo loco expono; attamen præciſe, ut deducta ex illo antecedente, non eſt actus fidei, ſed concluſio theologica, & negare illam, non ſemper eſſet hæreſis, ſed error, quæ ſunt duæ res diverſæ. V. g. objectum formale, ſeu cauſa moralis objectiva movens ad hoc Judicium *Chriſtus eſt riſibilis* poteſt eſſe hoc antecedens *Chriſtus eſt homo*, nam ex hoc bene ſequitur illud. Rurſus objectum formale hujus, eſt authoritas Dei dicentis. *Verbum caro factum eſt*. Ergo hæc authoritas, quæ alias eſt objectum formale ſpecificativum judicii fidei, eſt objectum formale remotum, & in hoc ſenſu extrinſecum, illius judicii *Chriſtus eſt riſibilis*. Et tamen hoc judicium non ſemper eſt actus fidei, ſed concluſio theologica deducta nimirum ex principiis fidei: & illam negare non foret hæreſis formalis, ſed error duntaxat. Ergo actus oriundus ex cauſa morali remota, & in hoc ſenſu extrinſeca, non ſpecificatur ab hac, quoad ſpeciem, ſeu genus infimum. Ob hanc eandem doctrinam dixi alibi, quod licet concluſio hujus enthimematis. *Deus impotens falli, & fallere, docuit Incarnationem. Ergo fuit Incarnatio*; Formaliter ut illata ex eo antecedente, ſit actus fidei theologicę, utpote proximè adæquatè mota ex objecto formali ſpecifico hujus virtutis, quod objectum formaliter per ſe ipſum eſt ſua connexio cum illa concluſione, & conſequenter dixi, quod in hoc ſenſu fides poteſt eſſe diſcurſiva. Attamen concluſio hujus Syllogiſmi. *Omne quod Deus docuit, eſt verum. Sed Deus docuit incarnationem. Ergo hæc eſt vera*. Concluſio, inquam, hæc, præcisè ut deducta ex his præmiſſis, non eſt actus fidei, quia non movetur proximè adæquatè ex objecto formali fidei, ſed ex complexo *veritatis omnium quæ dixit Deus*, &, ex divina revelatione: illa autem veritas non eſt objectum formale, ſed materiale fidei.

23. Idem dico de actibus voluntatis, remotè ſolum, ſive extrinſecè motis, ex aliqua cauſa morali objectiva; quamvis enim voluntas concipiens actum ex motivo B, oriundo ex motivo C; ſoleat contrahere bonitatem, aut malitiam moralē ſpecificam motivi C, eo quod ſoleat tunc durare in actu circa hoc motivum; aſt hoc non eſt ſimpliciter neceſſarium, quia non eſt neceſſarium omnem penitus actum voluntatis conceptum ex motivo B, oriundo ex motivo C, habere in ſe ipſo actu formaliter bonitatem, aut malitiam moralem propriam motivi C. Sic ſubditus faciens rem ex motivo præcepti ſui ſuperioris, quem ſcit habuiſſe tale aliquod motivum ad imponendum illud præceptum, neceſſe non eſt, quod contrahat bonitatem, aut fortè malitiam illius motivi pro-

propter quod ſuperior impoſuit illud præceptum, v.g. ſi impoſuit illud ex motivo faſtus, & ſuperbiæ: quia non eſt neceſſe, quod ſubditus moveatur ad rem illam, alias licitam, ex motivo faſtus ſuperioris ſui. Non ergo eſt neceſſe, quod actus, ſive intellectus, ſive voluntatis, ſemper ſpecificetur à ſua cauſa morali objectiva remota, ideſt, quod habeat in ſe ipſo bonitatem, aut malitiam, aut aliam qualitatem propriam, atque ſpecificam illius. Neque urget, quod ejuſmodi cauſa ſit quaſi primum principium, aut quaſi ultimum reſolutivum actus illius; tum quia id ad ſummum probat, illud eſſe ſpecificativum, quoad ſpeciem ſubalternam, ſeu quoad genus; non verò, quoad ſpeciem infimam, ut conſtare videtur exemplis intellectus, & voluntatis nuper productis, & inſuper num. 8. nam illi etiam actus non ſpecificantur infimè ab illis objectis formalibus, quæ ſunt quaſi prima principia, & quaſi ultima reſolutiva illorum; tum quia primum principium, ſeu ultimus finis (non quidem abſolutè qualis eſt Deus, ſed tantum ſecundum quid) ſolet ſpecificare ſeriem quidem, ac tenorem actionum. Hæ poſſunt eſſe invicem etherogeneæ, tametſi dimanantes ab eodem principio, ſive ordinatæ ad eundem finem, ut experientia conſtat. Ergo poteſt unaquæque ſigillatim habere ſuam propriam ſpecificam bonitatem, aut malitiam, aut alius generis qualitatem diſtinctam ab ea, qua afficitur ille finis. Tum demum, quia nil compoſſibile cum eo, quod voluntas omninò, per actum A, repellat motivum C, facit per ſe præcisè, quod voluntas per actum A, contrahat qualitatem bonam, aut malam motivi C. At voluntatem concipere actum A, ex motivo B, oriundo ex motivo C, quod ſit quaſi primum principium, & quaſi ultimum reſolutivum actus A, eſt compoſſibile cum eo, quod voluntas per actum A, omninò repellat motivum C, ut patet in ſubdito honeſtè obediente præcepto ſuperioris, quod præceptum ſcit habere pro motivo faſtum, vel alium finem malum coram Deo; ergo motivum C, eſſe quaſi primum principium, & quaſi ultimum reſolutivum actus A, non affigit illi per ſe præcisè ſuam bonam, aut malam qualitatem.

§. V.

24. Diviſio undecima. Cauſa moralis objectiva, ſive immediata, & intrinſeca: ſive mediata, & extrinſeca eſt duplex. Una quæ movet, *ut ſit*, & talis eſt cauſa finalis, quia propoſita animæ bonitas finis, inſtigat, ſollicitatque voluntatem ad tale, vel tale faciendum, tale, vel tale impediendum; ut exiſtat ille finis. Alia quæ movet, *quia eſt*, & talis eſſe ſolet cauſa meritoria, ac demeritoria, quia cognitum meritum à præmiatore, v. g. hunc movet ad tale, vel tale præmium tibi conferendum directè, vel indirectè mediatè, vel immediatè, quia feciſti, vel facies talem rem. Et idem dico de cauſa demeritoria reſpectu judicii. Fateor finem movere quoque interdum,

quia

quia erit, ſed hoc contingit, quando ibi ſiſtit voluntas, & ideò eſt finis. Per tendentiam verò, *quia eſt*, aut *quia erit* in cauſam meritoriam non ſiſtit ibi voluntas, ſed ultra progreditur ad aliud volendum. De hoc verò alibi fuſius. Rurſus hæc cauſa moralis, & non in genere meritorio eſt duplex. Una, quæ præciſè allicit, atque ſollicitat potentiam ad actum, & hæc eſt ſatis frequens. Altera, quæ apta nata eſt retrahendo ab actu, ſed propter hoc ipſum allicit, atque invitat ad illum; talis ſolet eſſe cauſa moralis actuum valdè heroicorum, qui eo ipſo ſolent eſſe valdè ardui, & difficiles. Ipſa tamen arduitas, quę alias retrahit ex ſe ab eis actibus, ſolet eſſe motivum aggrediendi illos, *Iob. 39.* maxime reſpectu generoſi illius, qui inſtar Aquilæ. *In arduis ponit nidum ſuum. In petra manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Et quod attinet ad actus illos, qui ſunt ſpei præſertim theologicæ, neceſſaria omninò eſt hæc ſpecies cauſæ moralis; quoniam ſpes, ut diſtincta à mero deſiderio, & fiducia, eſt conatus efficax in rem arduam: interdum quidem, quia contemnitur arduitas, interdum verò, quia hæc eadem invitat, & inſtigat, non quemlibet; ſed audacem, & generoſum animum, qui ad res faciles torpere ſolet; quemadmodum enim non ſolus potus dulcis, verum etiam potus, vel ſimpliciter acidus, vel mixtus ex acido, & dulci titillat palatum: ita non ſola jucunditas, ſed difficultas ipſa, ſeu mixtio ex jucunditate, ac arduitate, movere ſolet voluntatem audacis animæ, ſive in bono, ſive in malo ſenſu.

25 *Diviſio duodecima*. Cauſa illa moralis objectiva alia eſt motiva abſolutè, ac ſimpliciter, alia merè impulſiva. Illa eſt, quæ ita movet ad actum, & ex qua ita pendet hic, ut ſi illa abeſſet, hic nec formaliter, nec æquivalenter conciperetur. Impulſiva verò eſt illa, quæ ita movet ad actum, ut quamvis hic materialiter pendeat ex illa, eo quod ex illa concipiatur; aſt non ita, ut abſente illâ, non conciperetur alius actus huic æquivalens, quoad illud idem objectum materiale. Quamobrem hæc cauſa, eſt quaſi acceſſoria, & ſecundaria; motiva autem eſt cauſa primaria, & principalis. Res hæc explicari ſolet in contractu matrimoniali. Titius contrahit matrimonium cum Berta, quia putat eſſe Bertam, & non Cajam, & inſuper quia putat eſſe valdè divitem. Ita tamen, ut conſenſum matrimonialem omninò concipiat dependenter à Bertitate adeò, ut ſi non ſit Berta, nullum habeat conſenſum erga illam perſonam, non tamen omninò dependenter à divitiis. Tunc illam fœminam *eſſe Bertam* eſt cauſa moralis ſimpliciter motiva principalis, & primaria, vel una ex primariis conſenſus illius matrimonialis, & ea veritate deficiente, ita ut ſi revera illa fœmina non eſſet Berta, quam vir exiſtimabat, ſed Caja, matrimonium re vera eſſet nullum *Geneſ. 29.* (quidquid ſit de foro externo) Unde copula Jacob cum Lia, quam putabat eſſe Rachelem, non fuit conjugalis; fuerunt tamen ſubſequentes, poſtquam conſenſit in doctrinam ſoceri. Illam tamen *eſſe divitem* eſt cauſa moralis, purè impulſiva, & quaſi acceſſoria. Unde ob defectum illius: matrimonium non deſinebat eſſe validum. Eadem diverſitas

ras cauſæ motivæ, ac impulſivæ duntaxat contingit in aliis actionibus humanis, ut experientia docet.

26. Denique illud, quod ſubjectivè per ſe, & non ut cognitum: item, quod objectivè, ut cognitum, retrahit ſimpliciter potentiam ab actu, non eſt ſtrictè loquendo cauſa moralis illius: ſed ſolet eſſe conſtitutivum duntaxat libertatis indifferentiæ ad illum, & conſequenter quid neceſſarium, ut ille ſit bonus, aut malus moraliter (operari namque contra conſcientiam trahentem à malo, eſt malum: & operari contra cognitionem perterrefacientem à bono, ſolet eſſe bonum) Rurſus illud retrahens non eſt cauſa phyſica illius actus, ut patet. Et tamen debet eſſe pro priori ad illum: quia aliàs hic non concipietur contra retrahentem cognitionem, aut inclinationem, aut appetitum. Unde colligitur, quod quando vulgò dicimus, eſſe pro priori ad effectum id ſolum, quod eſt cauſa, aut prærequiſitum ad ipſam, intelligendum eſt cum hac exceptione cognitionis retrahentis, quia licet hæc ſit, prærequiſita ad talem, aut talem denominationem effectus, non tamen ad illius ſecundum ſe exiſtentiam. En diviſam, & explicatam ſegetem abundantem cauſarum moralium, ſive motivorum. Illarum quippè ignorantia, ſive oblivio infauſtas conſequentias inducit in Theologiam, ubi frequens ſermo eſſe ſolet de illis.

27. Jam cauſa phyſica, ſive ſit per modum principii, *quod*, qualis dicitur, à nonnullis ſubſtantia, quæ non eſt immediatè operativa, ſed congenitam habet virtutem operativam: ſive ſit per modum principii *quo*, qualis dicitur virtus ipſa operativa, eſt etiam multiplex. Nam 1. poteſt eſſe purè immediata, nempe inter quam, & effectum tametſi medient aliquæ diſpoſitiones præviæ ad hunc, atque oriundæ ab illa, ſicut mediare ſolent inter ignem A. V. g. & ignem B. quem producit in paſſo, quod prius diſponit ipſe ignis A, exſiccando, calefaciendo, ac aliis modis præparando illud: veruntamen nil penitus mediat, quod ſit cauſa phyſicè productiva illius effectus, & inſuper phyſicè producta per cauſam illam. Ut contingit in hoc caſu nupero, atque idcircò ignis A, licet non ſit cauſa immediata alterius immediatione excludente prævias diſpoſitiones ad eum; at abſolutè vocatur cauſa immediata, immediatione nimirum excludente aliam cauſam phyſicam mediantem, ideſt, priorem igne B, & poſteriorem ipſo igne A. Et hinc habes quid ſit, cauſam, ſeu principium, eſſe immediatum immediatione principii, immediatione potentiæ, immediatione virtutis. Eſt nimirum, quod inter ipſum, & productionem effectus non mediet alia cauſa, ſeu principium, alia potentia, ſeu virtus. Item quid ſit, eſſe cauſam, ſive Principium mediatum mediatione principii, ſeu potentiæ, ſeu virtutis. Illa namque duo ſunt de conceptu cauſæ, ſive virtutis mediantis inter unum, & alterum, videlicet eſſe poſt unum, & eſſe ante alterum, unde cauſa mediata poſcit in illa altera, quæ eſt medians duo hæc, quorum, ſi unum abſit non erit cauſa medians. Et hac de cauſa Moyſes vocatur à Paulo *Mediator*, quia legem, quam prius à Deo accipiebat, *ordinatam per Angelos*, ſeu ut olim dixerat Stephanus *Galat.3.*

Actor. 7. *in diſpoſitione Angelorum* ipſe communicabat poſtea Hebræis. Et ſimiliter ab eodem dicitur Jeſus Chriſtus Dominus Noſter *novi teſtamenti mediator*, quia ſanguine ſuo adeptus eſt nobis à Deo munditiem conſcientiarum noſtrarum. Hac item de cauſâ objicimus Thomiſtis, non cohęrere cum ſuis principiis, quod prædeterminatio ſit quid medium inter actum primum proximum libertatis creatæ, & actum ſecundum; quoniam cum de conceptu *mediantis* ſit, eſſe poſt unum, & eſſe ante alterum: Si prædeterminatio mediaret eo modo, deberet eſſe poſt libertatem creatam ad volendum v. g. & ante volitionem. Sed illud *poſt*, & *ante* nequeunt alludere ad tempus, ad locum, vel ad aliud ſimile. Ergo debent alludere ad ſeriem, & ordinem naturæ, ſive cauſalitatis, ergo prædeterminatio deberet eſſe effectus libertatis creatæ ad volendum, & cauſa volitionis.

Hebr. 9.

28. At ſi eſſet effectus, vel quaſi effectus libertatis creatæ, eſſet abhac impedibilis, & non penderet à ſolo Deo, ergo ſolutio illa non cohæret cum eis principiis; quod ſi dicatur prædeterminatio mediare, ſicut applicatio localis agentis ad paſſum mediat inter agens, & effectum. Exemplum eſt falſum: quoniam ea applicatio, vel confertur cum igne, v. g. ſecundum ſe præcisè. Vel cum illo, ut in actu primo proximo completo, & expedito ad comburendum. Si primum, non mediat inter illum & effectum, ob rationem erutam ex conceptu *mediationis*; ſed prærequiritur ab effectu: unde ſi hæc ſola mediatio enuntiatur de prædeterminatione nil aliud fit, quam repetere illam eſſe prærequiſitam. Si ſecundum, applicatio illa non mediat, ſed intrinſecè conſtituit actum primum proximum expeditum, & completum ad comburendum, quia ut poſtea dicam, ille conſtituitur eſſentialiter per omnia prærequiſita ad effectum. Ob eandem quidditatem *mediandi* objicimus iiſdem DD. fore, ut ſi potentia naturalis, v. g. voluntas non ſit virtus immediatè productiva (inadæquatè utique duntaxat) actus ſupernaturalis, neque erit virtus mediatè productiva illius, quo fiet ut in actu charitatis, & reliquis ſupernaturalibus, habebit ſe merè paſſivè, & nil agens, quod eſt malum: ſiquidem virtus immediatè productiva illorum, ſcilicet Principium ſupernaturale, non naſcitur phyſicè à voluntate. Ergo hæc non erit virtus mediata, aut immediata ad actus ſupernaturales. Ergo quando habet illos, merè paſſivè ſe habet, accipiens illos, & nil ipſa agens, de quo alibi.

29. Poteſt item cauſa phyſica eſſe purè mediata, nimirum quando inter ipſam, & effectum mediat alia, quæ verè eſt effectus illius, & cauſa hujus. Et ſic Avus eſt cauſa mediata Nepotis, quia inter utrumque eſt Pater, qui naſcitur ab illo, & generat hunc. An autem hæc cauſa ſit verè, ac propriè cauſa effectus remoti, eſt quæſtio de voce. Antiquum adagium ſuffragatur parti affirmativę, inquiens. *Cauſa cauſę eſt cauſa cauſati per cauſam.*, ſed jam ſcis diſtantiam inter adagia, principiaque metaphyſica. Igitur ſi cauſa mediata, & remota habeat ex ſua natura, vel ex ſua libera determinatione, quod cauſa medians cauſet effectum remotum: tunc majore proprietate eſt cauſa effectus illius

lius remoti. Et ideò faber verè, & propriè eſt cauſa ſciſſionis ligni, quia licet ambo ſint cauſa tantum mediata; faber, v. g. cauſat immediatè impulſum in ſerra ex intentione, quod hæc ſcindat lignum, & ideò faber ex ſua libera determinatione habet, quod cauſa medians, ſerra cauſet effectum illum mediatum nimirum ſciſſionem ligni. Similiter corpora ruentia in centrum verè ſunt cauſa ſuæ præſentiæ in centro, quia immediatè cauſantia motum illum deorſum, ſuapte natura habent, quod motus ille cauſet ſuo modo præſentiam in centro immediatè, aut mediatè. Cæterum quando cauſa mediata, neque ex ſuâ naturâ, neque ex ſua libera determinatione, habet quod cauſa intermedians cauſet effectum eum remotum, difficile apparet, quod tam verè, ac propriè ſit cauſa hujus, quam eſt cauſa illa intermedia, v. g. difficile apparet quod primus homo mundi modò non exiſtens phyſicè, tàm verè ac propriè ſit cauſa phyſica Petri, quam Joannes à quo Petrus immediatè generatur, & qui ab illo primo homine per generationũ ſucceſſionem deſcendit. Ubi adverte. Hæc cauſa phyſica mediata poteſt eſſe, aut pura, videlicet quando ipſa eſt cauſa phyſica rei A, & hæc eſt cauſa phyſica rei B, & ſic purus ſervatur ordo, ſeu ſucceſſio cauſalitatis phyſicæ: aut mixta cum cauſalitate morali: videlicet quando ipſa eſt cauſa phyſica rei A; hæc verò non eſt cauſa phyſica, ſed moralis duntaxat rei B, ut quando uteris precibus, imperio, aut conſilio ad extorquendum actionem phyſicam alius; tunc enim es cauſa phyſica illarum precum, aut imperii, & hæ ſunt cauſa moralis actionis illius, quando ille alius motus ex tuis precibus, v. g. facit phyſicè actionem illam. Similis mixtura cauſalitatis phyſicæ, ac moralis poteſt contingere in cauſa morali mediata: hæc namque poteſt cauſare moraliter rem A, & hæc phyſicè rem B. Imò, & ſimilis mixtura poteſt inveniri quoad reliquas ſpecies cauſæ phyſicæ mox dandas. Poteſt enim cauſa mediata eſſe principalis, & immediata poteſt eſſe inſtrumentalis, aut vice verſa &c. Demum poteſt cauſa phyſica eſſe immediata ſimul, & reſpectu ejuſdem mediata (unde hæ duæ ſpecies inſpectæ ſecundum poſitivum non opponuntur; tametſi opponantur ſecundum negativum, videlicet ſecundum illud *purè*) nempe quando A producit phyſicè B, & cum hoc producit immediatè phyſicè C. Sic Deus eſt cauſa phyſica immediata, & ſimul mediata effectuum creatorum, quia phyſicè producit cauſas omnes creatas, & cum his concurrit immediatè ad ſuos ipſarum effectus, ut infra dicam.

§. VI.

30. *Secunda diviſio*. Cauſa phyſica, alia eſt activa, de qua mox, alia purè paſſiva: nempe quæ non habet influxũ alium, quàm eſſe præſuppoſitum ſubjectum, cui unitur actio productiva effectus. Alia activa ſimul, & paſſiva, qualis eſt vivens reſpectu actionis vita-

lis immanentis. *Tertia* cauſa activa, alia eſt purè principalis, alia
purè inſtrumentalis, alia principalis ſimul, & inſtrumentalis, ſed re-
ſpectu diverſorum. Hæc diviſio non ſemel occurrit in Theologia occa-
ſione Sacramentorum, & Humanitatis Chriſti Domini, & ſubordina-
tionis cauſarum ſecundarum ad cauſam primam; atquè ob diverſas ho-
P. Hurtado diſp. 9. Phyſ. num. 136. rum terminorum acceptiones, quas vide apud Hurtado, diverſæ ſolent
eſſe ſententiæ; quidquid ſit de illis cenſeo, cauſam purè principalem
eſſe illam, cui in effectum influenti, primariò, & tanquam in radice
tribuitur effectus, eò quod in ſuo genere ſit prima origo movens phyſi-
cè, aut moraliter ad illum. Sic Deus eſt cauſa principalis gratiæ col-
latæ in Sacramentis, omniumque noſtrorum actuum honeſtorum, quia
Iacob. 1. ipſi tanquam in radice hæc jure tribuuntur. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Sic Da-
2. Reg. 12. vid fuit cauſa principalis homicidii Uriæ. *Interfeciſti eum gladio filio-
rum Ammon*, quia ſcribens illam Epiſtolam. *Ponite Uriam ex adverſo
belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, ut percuſſus intereat.*
Fuit in ſuo genere prima radix illius homicidii. Ubi duo obiter de-
prehendes. Primum non aſpirare nos in his definitionibus ad illam
logicorum exactionem, videlicet quod definitio duobus ſolis verbis
conſtet, quorum unum exprimat genus infimum, & alterum infimam
differentiam. Contenti namque ſumus definitione deſcriptiva, quæ
omni, & ſoli definito conveniat, qualis eſt iſta. Secundum. Cauſam
purè principalem interdum eſſe purè phyſicam, ut eſt ignis A, re-
ſpectu ignis B, interdum purè moralem. ut eſt reſpectu homicidii, qui-
duntaxat præcipit illud, interdum phyſicam, & moralem, ut eſt qui
cum ſocio vocato, & inſtigato perpetrat homicidium.

31. Dicitur ergo cauſa principalis, *cui in effectum influenti*, quia ſi
neutiquam in hunc influit, non erit cauſa illius. Dicitur *primariò, &
tanquam in radice*, quia hoc innuit vox ipſa *cauſa principalis* nempe,
quod ſit primaria, præcipua, & quaſi originalis. Dicitur *tribuitur effe-
ctus*; quia ſpecies principalitatis, de qua nunc, non ſtat in titulo alio
majoris perfectionis, æſtimabilitatis, aut ſimili ſe habente materialiter
in ordine ad rem præſentem; ſed in eo, quod cauſæ illi, aut ſoli,
aut ſimul cum alia, vel etiam aliis, tribuatur, imputeturque effectus;
quæ imputatio, ſeu imputationis fundamentum, licet ſit ſignum princi-
palitatis à poſteriori, eſt digna, ut hæc per illam definiatur, ſicut
paſſim alibi definimus res cum alluſione ad aliquem primarium earun-
dem effectum. Dicitur, *eo quod in ſuo genere ſit prima origo*, quoniam ſi
conceptus cauſæ principalis poſtularet eſſe abſolutè, atque in omni
genere primam originem, cum hoc repugnet creaturæ, repugnaret huic
eſſe unquam, atque in nullo ſenſu cauſam principalem; Sed hæc re-
Oſeæ 13. pugnantia eſt falſa. Tum quia; *perditio tua ex te Iſrael; tantummodo
2. Reg. 24. in me &c.* Sanctuſque pœnitens ajebat. *Ego ſum, qui peccavi. Ego
iniquè egi. Iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* Tum quia cum creatura
non ſit primum, aut ſecundum, ſed unicum in genere *deficientis*, ſeu
peccantis: non eſt dubium, quin ſit cauſa principalis in hoc ſaltem

gene-

genere; ergo falſum eſt, quod repugnet creaturæ, eſſe cauſam principalem in ullo genere. Dicitur denique *movens phyſicè, aut moraliter*, quia cauſa principalis interdum connectitur phyſicè cum effectu, ut ignis in actu primo proximo ex parte ſui: interdum metaphyſice, ut idem ignis in actu primo proximo, tum ex parte ſui; tum ex parte cauſę primę efficaciter volentis cum ipſo concurrere; interdum moraliter duntaxat, ut primus ille, qui conſilio, pręcepto, minis, precibus, aut ſimili alio modo inſtigat, movetque ad effectum.

32. Cauſa purè inſtrumentalis eſt illa, quæ cum neque ex ſua natura, neque ex ſua libera determinatione importet ſpecialem poſitivam determinationem ad effectum; mota verò, inſtituta, aut elevata per alium, eum verè, ſimpliciter cauſat: quandoque verè phyſicè, ut ſerra mota per fabrum phyſicè ſcindit lignum: quandoque purè moraliter, ut Sacramenta, & Sacramentorum miniſtri cauſant gratiam inſuſcipiente, & Sacerdos cauſat illam in ſe ipſo, quando ſibi ipſi Euchariſtiam miniſtrat. Hæc cauſa, quando eſt rationis expers, eſt purè inſtrumentalis, ut ſerra, gladius &c. quando verò eſt rationalis, magis propriè vocatur cauſa miniſterialis, quam inſtrumentalis, & talis eſt reſpectu Dei miniſter Sacramenti, & reſpectu Regis ſuus legatus, Prorex, Prætor &c. Demum cauſa inſtrumentalis ſimul, & principalis eſt illa, cujus effectus, quamvis originem trahat ex aliena determinatione phyſica, aut morali, ipſi tamen meritò tribuitur, quia ex propria etiam natura, vel libera determinatione inducit illum. Sic ignis admotus ſegeti, reſpectu admoventis eſt cauſa inſtrumentalis, ſive inſtrumentum ad nocendum aliis; reſpectu verò conflagrationis eſt cauſa principalis, quia ſuaptè natura eſt combuſtivus. Item Sicarius, & Procurator in contractibus efficiendis, reſpectu unius hominis eſt inſtrumentum, quo ille utitur ad homicidium, vel contractum; reſpectu verò horum eſt etiam cauſa principalis, quia etiam ex propria libera determinatione facit hoc, alias ſicarius non peccaret in peſſima illa executione. Sic demum creaturæ ſunt inſtrumenta, ſeu cauſæ inſtrumentales cauſæ primæ, & ſimul principales reſpectu multorum ſuorum effectuum: quia licet nullus penitus ſit effectus earum, qui non trahat originem ex divina providentia, aut cauſante per ſe, aut permittente tantum (*ſi erit malum in Civitate, quod non fecerit Dominus*. Et alia Scriptura. *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David*; & alia. *Unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro*) & in hoc ſenſu creaturæ omnes ſint inſtrumenta Dei, cui omnia ſerviunt; verumtamen cum Deus paſſim ſinat creaturas operari modo ſibi ipſis proportionato: idcircò earum effectus paſſim ipſis meritò adſcribuntur, eo quod, vel ex ſua natura, ut contingit in cauſis neceſſariis, vel ex ſua libera determinatione, ut contingit in cauſis liberis, determinantur ad eos. Unde fit, quod etiam ſint cauſæ principales ſuorum effectuum, ſed principaliori ſubordinatæ.

Amos 3.
2. Reg. 16.
Matt. 10.

33 *Quarta*. Cauſa, ſive virtus phyſica, alia eſt adæquata, totalis, completa, & non plena. Illa, ſi fuerit abſolutè, ac univerſaliter

ter

ter adæquata, & totalis, eſt quæ ſe ſola, ſine juvamine ullius alius concauſæ, poteſt producere effectum, & in hoc ſenſu Deus ſolus eſt cauſa adæquata, & totalis, quia cæteræ omnes cauſæ indiſpenſabiliter egent juvamine alius concauſæ, nimirum divinæ Omnipotentiæ ad quidquam producendum, Deus verò utpote identificatus cum ſua Omnipotentia, ſibi ſolus ſufficit ad quemcumque effectum abſolutum producendum, quin concauſa ulla egeat. Dico effectum *abſolutum*, quia ſi loquamur de actionibus ipſis productivis, cum hæ ſint per ſe eſſentialiter alligatæ cauſis illis, à quibus naſcuntur nequeunt ullatenus exiſtere, quin ab illis etiam naſcantur, quapropter nequeunt à ſolo Deo naſci: quod tam dedecet Deum, quàm non poſſe identificare hominem cum cane, quia non dedecet Deum non poſſe violare eſſentias rerum; quod ſi cauſa fuerit in genere ſolo creaturæ, cauſa totalis, & adæquata, eſt illa, quæ licet abſolutè indigeat concurſu divino ad operandum, non tamen indiget alia concauſa efficiente creata, & in hoc ſenſu reſtricto paſſim occurrunt cauſæ creatæ, quæ ſunt adæquatæ, ac totales; quanquam enim ignis A, v. g. egeat applicatione, nec non paſſo ad operandum, cum neutrum ſit cauſa efficiens ignis B. V. g. ſed unum ſit cauſa merè paſſiva, & alterum ſit duntaxat conditio prærequiſita, ſubſiſtit ignem A, eſſe cauſam totalem, adæquatamque ignis B, in genere tamen cauſæ creatæ. Cauſa inadęquata, & partialis eſt illa, quę poteſt ſanè producere effectum; at non ſe ſola, ſed ſimul cum alia, quę ſi fuerit ſolus Deus, cauſa illa erit partialis abſolutè, ſed totalis in genere cauſę creatę; ſin illa alia fuerit cauſa creata, illa prima erit abſolutè, & ſimpliciter cauſa partialis, & inadæquata. Sic quando moves pondus duplo majus tuis viribus, es abſolutè cauſa partialis, & inadęquata illius motus: quia ex una parte verè cauſas illum, & ex altera indiges non ſolum concurſu generali Dei, ſed etiam concurſu alius cauſę creatę te adiuvantis.

34. Hujuſmodi cauſa, interdum eſt per ſe partialis, nempe quando ex ſua natura, ut modo ſe habet, eſt impotens producere effectum, ſine illo juvamine: interdum eſt per accidens partialis, quando ſcilicet ex ſua natura eſt potens producere effectum, ſine juvamine illo; attamen hic & nunc producit cum eo juvamine, vel quia ſua natura eſt attrita, adjunctaque cum aliis circumſtantiis independentibus, ut ſolet eſſe natura humana pueri, & ſenis; vel quia hic, & nunc adeſt alia cauſa proportionata etiam ad effectum illum, & utraque operans, utraque attemperat ſuum concurſum, ut ſinat locum alteri. Et ſic eveniet, ſi idem effectus oriatur à duplici cauſa totali per unicum influxum. Rurſus cauſa, ſeu virtus per ſe partialis, & inadęquata interdum eſt *naturalis*, videlicet, quando concauſa illa, qua indiget eſt naturalis, & naturaliter poteſt illam habere, interdum *obendientialis* (non quia hęc non ſit entitativè naturalis, eſt enim: ſed quia effectus, ipſi cumulativè cum alia cauſa ſupernaturali reſpondens, eſt entitativè ſupernaturalis. & ſolet adſcribi cauſę nomen effectus, ſicut vice verſa, ut toties notavi) nimirum, quando illa concauſa, ſive convirtus eſt

enti-

Digitized by Google

entitativè ſupernaturalis, aut ſi naturalis ſit, non poteſt naturaliter adjungi huic alteri, ſicut adjutorium enti a'ivè naturale hominis exiſtentis Mexici non poteſt naturaliter adjungi mihi, ut nunc moveam hoc ingens ſaxum. In primo ſenſu docent multi, & graves Theologi potentias noſtras naturales, non ſolum eſſe principium, *quod*; ſed etiam principium, *quo*, immediatum immediatione non ſolum *potentia*, ſed etiam *virtutis* reſpectu actuum ſupernaturalium. Hoc eſt potentias noſtras eſſe virtutem immediatam, ſed partialem, & inadęquatam, obedientialem ad actus ſupernaturales, amandi, & videndi Deum. Unde lumen glorię, habituſque alios ſupernaturales, non eſſe totam rationem agendi actus illos ſupernaturales, ideſt, non eſſe totam, & unicam virtutem operatricem illorum.

35. Noſtra quippe anima non ſe habet reſpectu viſionis, & amoris Dei, ſicut aqua calida reſpectu calefactionis manus immerſæ: nempe inſtar meri vehiculi, & ſubjecti, in quo eſt calor, qui ſolus eſt virtus tota calefactiva, aut inſtar meri ſubjecti, in quo ſit lumen gloriæ, habituſque charitatis, quæ ſola ſint totales virtutes productivæ actuum illorum ſupernaturalium. Sed verè ſimpliciter, & non per denominationem, participationemve privilegiorum, ipſa anima, & non aliud, videt amatque Deum, ſicut in ſtatu viæ, ipſa anima elicit actus alios ſupernaturales meritorios, non denominationem figuratam, ſed ſtrictè verè ſimpliciter, & abſolutè. Cæterum ad actus tam ſublimes non ſolum indiget concurſu Dei, non ſolum adiutorio alius cauſæ creatæ; ſed talis determinatæ, videlicet, quæ ſit ſupra totam naturam quale eſt lumen gloriæ, habituſque infuſus charitatis: & in ordine ad effectum ſupra totam naturam; atque ob hanc rationem dicuntur hæc principia *elevare* animam, & non è converſo, quamvis nec ipſa poſſint ſe ſolis, ſine concurſu animæ elicere actum charitatis, v. g. Et ideò anima eſt principium, cauſa, virtus, partialis obedientialis actuum illorum; non partialitate effectus, quaſi in hoc ſint duæ partes, quarum una producatur ab anima, & non altera. Abſit; quia aliud eſt animam producere *totum* actum charitatis (& hoc eſt verum, quia is eſt indiviſibilis; in indiviſibilibus autem totum, aut nil producitur; & in hoc ſenſu anima eſt virtus totalis, nempè totalitate effectûs) aliud longe diverſum *ſolam* animam producere totum, vel minimam partem effectus; & hoc eſt falſum: quia ſicut in effectibus naturalibus non ſola cauſa creata, ſed ipſa cum Deo, hoc eſt, complexum ex illa, & omnipotentia illam adiuvante, producit totum ignem, v. g. eſtque virtus abſolutè adæquata. Ita in noſtro caſu, non ſola anima, ſed hæc cum habitu charitatis, eſt virtus plena, adæquata, & completa in ſuo genere producens actum charitatis: quamobrem utravis hæc ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè inſpecta, eſt remota, incompleta, inſufficiens, inadæquata, & partialis partialitate utique virtutis; complexum verò ex utraque eſt virtus proxima, completa, adæquata, & ſufficiens in ſuo genere virtutis creatæ. Sed hoc alibi fusè: inſinuaſſe ſufficiat explicationem terminorum.

Quinta

Digitized by Google

§. VII.

36. Quinta diviſio. Cauſa, ſeu virtus adæquata alia eſt univoca, ſive formalis: alia æquivoca, ſeu virtualis, ſive Eminentialis. Univoca & formalis dicitur illa, quæ ejuſdem ſpeciei infimæ eſt cum effectu, ut ignis A, & ignis B. Æquivoca ſeu eminentialis, quæ eſt ſpeciei diverſæ, ſed altioris atque perfectioris, non quidem reſpectu actionis, ſive operationis (quia cum hæc ſit accidens, plerumque eſt imperfectior ſuâ cauſâ, quæ plerumque eſt ſubſtantia identificata cum ſua virtute operatrice, ut alibi probo) Sed reſpectu effectus abſoluti, atque idcircò dicitur continere eminenter effectum. Talis cauſa eſt ignis reſpectu caloris. Ubi duo adverte. Non omne quod altioris eſt ſpeciei reſpectu rei A, eſt cauſa æquivoca ſive eminentialis illius. Alias homo qui altioris ſpeciei eſt quàm Sol, & Luna, eſſet cauſa eminentialis eorum. Et Angelus qui perfectior utique eſt, quàm homo, poſſet producere hominem, aliter quàm applicando activa paſſivis. Si veræ ſunt hiſtoriæ illæ, difficiles valde, de genitis à ſuccubo, vel incubo ſpiritu. Solum itaque eſt cauſa æquivoca, ſeu eminentialis, illud quod cum aliunde ſit virtus productiva rei A, (quod aliundè conſtare debet, vel à priori ex ſua definitione, vel à poſteriori ab effectu, vel aliunde,) eſt ſpeciei perfectioris, quàm res A. Secundum eſt. Omnis cauſa ſeu virtus adæquata debet eſſe vel univoca & formalis, vel æquivoca & eminentialis. Secus omnis virtus inadæquata ſolum, & partialis, quia ut nuper inſinuabam, anima eſt virtus inadæquata & partialis, reſpectu multorum actuum ſupernaturalium. Et tamen neque ejuſdem, neque altioris ſpeciei eſt, cum ſit entitativè naturalis, qui ordo ſeu genus eſt infra ſupernaturalitatem (quod non tollit animam utpote ornatam nobiliſſimis alijs attributis eſſe abſolutè, omnibuſque penſatis, perfectiorem multis rebus ſupernaturalibus, quæ ſunt entitativè accidentales, incapaceſque vivendi intentionaliter, & liberi arbitrij &c.) Ratio autem eſt; tametſi perfectio effectus ſit taxanda per perfectionem ſuæ cauſæ, ſive virtutis adæquatæ, atque idcircò hæc debet eſſe ſuperior, aut ſaltem æqualis illi perfectione: Unde conſequenter debet eſſe ejuſdem, vel altioris ſpeciei; aſt perfectio effectus, non taxatur per perfectionem ſuę cauſæ, ſive virtutis partialis duntaxat, & inadæquatæ, quia ſicut anima, v. g. non eſt homo, ſed pars hominis, ita ejuſmodi virtus non eſt cauſa, ſed pars cauſæ immediatè producentis effectum. Ergo neceſſe non eſt, quod cauſa, ſive virtus partialis, maximè ſi eſt per ſe partialis, ſit ſuperior, aut ęqualis effectui perfectione. Ergo neceſſe non eſt, quod illum præcontineat univocè, formaliter, aut eminentialiter.

37. *Sexta diviſio*. Utravis cauſa, univoca ſcilicet, atque ęquivoca, poteſt eſſe in actu primo remoto. In actu primo proximo ſecundum

quid

quid. In actu primo proximo omninò abſolutè, ideſt, ex parte ſui, & ex parte cauſę primę, & denique in actu ſecundo, quorum omnium explicatione, habebis quales, & quid ſint omnes hi actus, & quid ſignificent iſtę voces adeò frequentes. Primo ſumpta modo, eſt entitas ipſa, ſeu virtus cauſę, carens, aut pręſcindens ab omnibus conditionibus pręrequiſitis ad operandum, & ſic quamvis ſit cauſa neceſſaria, non connectitur cum effectu. Sumpta ſecundo modo, eſt entitas ipſa conjuncta cum aliqua, vel aliquibus ex illis; ſed non cum omnibus, ut ignis applicatus quidem paſſo, ſed non diſpoſito, & neque ſic eſt connexa. Sumpta tertio modo, eſt entitas ipſa conjuncta cum omnibus penitus pręrequiſitis creatis, tum poſitivis, tum negativis, ut conjungebatur ignis ille Babylonicus, in quem projecti fuerunt tres illi Sancti; ſed carens decreto applicativo Omnipotentię, ut carebat ille ignis. Et ſic eſt connexa quidem phyſicè cum illo effectu: ſed connexione ſupernè violata. Sumpta quarto modo, eſt entitas ipſa conjuncta cum omnibus pręrequiſitis creatis, & ſimul cum decreto applicante Omnipotentiam, modo proportionato naturę illius cauſę, necnon cum decreto determinante individuationem: tunc verè, ac ſimpliciter eſt cauſa in actu primo proximo, quia ita eſt vicina operationi, ut inter hanc, & illam, nil penitus mediet, quia ad operandum nil jam deſideratur, niſi operatio ipſa; tunc, ſi fuerit cauſa neceſſaria, connectitur metaphyſicè cum ſuo effectu, quoniam omne complexum ex connexione phyſica, & nolitione divina violandi illam, ſed potius volitione annuendi, eſt connexum metaphyſicè cum effectu. At complexum ex cauſa neceſſaria cum omnibus prorſus pręrequiſitis creatis ad operandum, & ex decreto dicto, eſt complexum ex connexione phyſica (nam hanc habet cauſa neceſſaria conjuncta cum omnibus ſuis pręrequiſitis) & pręedicta nolitione, ſiquidem volens Deus efficaciter concurrere cum illa, certè non habet volitionem violandi connexionem illam individuam: ergo. Sin fuerit cauſa libera, non connectitur phyſicè, aut metaphyſicè, ſed nonnunquam moraliter ſolum, cum effectu, quoniam ut jam dicam, de conceptu libertatis indifferentię, pręſertim ſi fuerit ſolius contradictionis, eſt non imbibere illas connexiones. Sumpta denique ultimo modo, eſt entitas ipſa, ut actu abſolutè producens, modo ſibi proportionato ſuum effectum, unde eſt complexum ex entitate virtutis cauſę cum omnibus, vel ſine aliquo pręrequiſito, ſi nimirum Deus ſupplet illud, & ex actuali productione effectus. En quid ſit cauſam eſſe in actu primo, quid ſit eſſe in actu ſecundo &c.

38. *Septima diviſio*. Cauſa ęquivoca poteſt operari, aut immanenter, ideſt, in ſe ipſa, ita ut eadem ſit cauſa activa, & paſſiva, ut quando ignis producit in ſe calorem, qui eſt proprietas ſua: aut tranſeunter, hoc eſt in paſſo diſtincto, ita ut una ſit cauſa activa, & altera paſſiva, ut quando ignis producit calorem in manu. Cauſa immanens poteſt item eſſe vivens, aut non vivens. Hęc eſt, quę operatur quidem in ſe ipſa, non ita verò, ut nutriatur, ſentiat, aut intelligat per talem operationem. Sic ignis operatur quidem in ſe calorem,

Digitized by Google

ſed non eſt vivens, quia neque intelligit, neque ſentit, neque nutritur per calorem, ita ut illo creſcat per intus ſumptionem, & fiat ſubſtantialiter major. Cauſa immanenter operans, & vivens, eſt illa, quę *operatur à ſe, in ſe, & per ſe*, quam definitionem ſuo loco exponam. Vel aliter; *quæ operatur in ſe, aut per nutritionem, aut per ſenſationem, aut per intellectionem, ac volitionem. Octava diviſio*. Cauſa vivens; alia eſt libera libertate indifferentię. Alia non libera. Illa eſt, quę poſitis omnibus pręrequiſitis ad agendum, poteſt abſolutè agere, & poteſt abſolutè non agere; quia, vel poteſt excutere à ſe unum ex eis pręrequiſitis, quod ſit determinatè connexum cum operatione, ut aliqui philoſophantur de libertate contrarietatis, compoſita, ex plena libertate ad odium, v. g. & ex potentia imbibente aliquid intimè connexum cum amore: vel poteſt conjungere cum eis omnibus pręrequiſitis tum actionem, tum actionis carentiam, ut neceſſariò debet contingere in libertate ſolius contradictionis. Hęc autem libertas indifferentię dici ſolet ſimultas poteſtatum, ſed non ad actuum ſimultatem, ideſt, compoſita ex gemina poteſtate, una ad agendum, altera ad non agendum; non quia revera ſit gemina poteſtas, quandoquidem rectum utriuſque eſt eadem potentia volitiva, & impropriè dicitur duplex veſtitus homo, qui duas ſimul induit veſtes; ſed quia ſunt gemina pręrequiſita: una ad operandum, altera ad non operandum, & libertas non eſt ad conjungendum actionem cum non actione; ſed ad unum, vel alterum. Cauſa non libera eſt illa, quę poſitis omnibus pręrequiſitis ad operandum, non poteſt non operari, eo quod tunc urgeat connexio, ut nuper dicebam cum operatione determinatè. Cumque contingere ſoleat, quod eadem individua cauſa poſitis omnibus pręrequiſitis ad actionem B, non poſſit illam non ponere, ideò hęc duo membra dividentia; *libera*. *Non libera*; poſſunt coire in una individua cauſa, ſed reſpectu diverſorum.

39. *Nona diviſio*. Cauſa libera libertate indifferentiæ (intellige ſemper hanc, quia libertate à coactione, qua contenti ſunt Janſenitæ ad meritum, & demeritum: item libertate à miſeria, qua ſoli Beati fruuntur ſuperſedeo nunc) alia eſt libera libertate contradictionis, alia libertate contrarietatis. Hæ ſunt magis famoſæ ſpecies libertatis, ſed non unicæ, ut legere potes apud P. Izquierdo. Illa eſt, quæ verſatur inter duo contradictoria, ſi fortè ſunt ex parte rerum contradictoria, ut diſputavi in Prodromo diſp. ultima, v. g. libertas ad amandum, vel non amandum. Hæc eſt, quæ verſatur inter duo contraria. ut libertas ad efficaciter volendum, & efficaciter nolendum. Ambæ conveniunt in eo, quod in ſenſu compoſito rei metaphyſicè oppoſitæ cum uno ex illis exercitiis, imbibunt poteſtatem ad ponendum oppoſitum exercitium: poteſtas namque ad omittendum amorem, v. g. coexiſtit cum amore ipſo, qui eſt oppoſitus metaphyſicè cum ea omiſſione; aſt neutra habet, aut habere poteſt facultatem ad illud oppoſitum in ſenſu compoſito rei illius: quæ appellationum diverſitas facit, ut unum ex dictis ſit de eſſentia libertatis, &

Izq. Diſp. 30. de Deo q. 3.

alterum

Digitized by Google

alterum ſit repugnans, & quia interdum non eſt præſens hæc diverſitas inter argumentandum, nebula ſolet offundi diſputationibus. Sed ambæ ſimul differunt. 1. quia libertas contrarietatis imbibit duas libertates contradictionis, unam plenam, & perfectam ad volendum, v. g. & non volendum, alteram plenam quoque, & perfectam, ad nolendum, & non nolendum. Libertas autem contradictionis non imbibit eo ipſo formaliter duas, aut unam libertatem contrarietatis, ſuppoſito quod ſit poſſibilis libertas ſolius contradictionis, eo, quod ſupponatur poſſibilis pura omiſſio, purave carentia actus contingentis.

40. 2. Quia libertas contradictionis non poteſt includere intra ſe quidquam per ſe, abſolutè, determinatè, ac metaphyſicè connexum cum uno ſuo exercitio, quia ſic non eſſet ad utrumlibet indifferens; libertas verò contrarietatis non ita clarè (de quo alibi) repellit hanc ſpeciem conſtitutivi; quoniam licet libertas proxima ad amandum Deum conſtituatur per habitum charitatis, homo Sanctus amans Deum, liberè eum amat: quia in eodem inſtanti poteſt habere libertatem ad odium Dei (cum qua libertate non opponitur habitus charitatis licet opponatur cum odio ipſo Dei) cumque illa libertas ſit plena poteſtas abjiciendi habitum charitatis per exercitium odii illius, ſequetur habitum illum non eſſe penitus inevitabilem homini illi, & conſequenter non conjungi in illo duo illa attributa, connexionis cum amore, & omnimodæ inevitabilitatis. Sed de hujus veritate, aut falſitate agam in proprio loco. Differunt 3. quia libertas contrarietatis poteſt eſſe ad omittendum ſimul utrumque contrarium, quia contraria ſolent habere medium. Aſt libertas contradictionis non poteſt eſſe ad omittendum ſimul amba contradictoria, quia impoſſibile eſt rem, neque eſſe, neque non eſſe. Unde omnis libertas contradictionis eſt antecedens neceſſitas ponendi unum, vel alterum ex ſuis exercitiis: & conſequenter eſt antecedens neceſſitas ſe exercendi liberè, neceſſitas, inquam, ſubjectivè determinata, ſed terminativè disjunctiva.

41. *Decima diviſio*. Ambæ hæ cauſæ liberæ, poſſunt eſſe liberæ immediatè: aut liberæ mediatè: quæ diſtinctio non tam verificatur de cauſa ipſa (eadem namque, quæ eſt libera mediatè, eſt libera immediatè, & multoties è converſo, quamvis non ſemper: quoniam interdum habemus libertatem immediatam ad volendum, aut nolendum talem, aut talem actionem, vel paſſionem noſtram; non verò ad vitandum, vel obtinendum illam) quàm de exercitiis ipſius: & ex eis reſilit per figuratam locutionem hæc diviſio in cauſam. Igitur cauſa immediatè libera, eſt illa inter quam, & effectum non eſt, aut non eſt neceſſe, quod ſit ullum exercitium immediatius liberum illi cauſæ: Id circò anima noſtra eſt immediatè libera ad ſolos illos actus, qui vulgò dicuntur voluntatis (tametſi in ſenſu reali, ſint etiam intellectûs, ob realem identitatem harum potentiarum) v. g. ad amores, odia, volitiones, nolitiones, gaudia, deſideria &c. quamvis enim pro priori ad aliquos horum actus interdum ſit alius actus liber, nempe imperium volitioque efficax habendi illos; cum hoc non ſit neceſſarium, non tollit quod illi actus

 ſint

ſint immediatè liberi, ut ſuo loco dicam. Eſt autem anima noſtra cauſa mediatè duntaxat libera ad cæteros actus, qui vulgò dicuntur potentiæ intellectivæ, viſivæ, auditivæ, nutritivæ (tametſi in ſenſu reali ſint actus quoque voluntatis, ob identitatem harum omnium potentiarum cum anima) quoniam hi omnes actus, quando voluntarii ſunt, & liberi, indiſpenſabiliter præarequirunt alium actum immediatiùs liberum, videlicet volitionem, ſive ſaltem permiſſionem ſui ipſorum. Habes ergo obiter explicatam cauſam mediatè liberam. Inter hanc autem, & illam, eſt diſcrimen notandum; quod cauſa immediatè libera, fungitur poteſtate, non ſolum ad omittendum ſuum exercitium, verum etiam ad illud poſitivè determinandum, quia non ſolum poſſumus omittere amorem, v. g. verum etiam poſitivè illum concipere. Cauſa autem mediatè ſolum libera, licet fungatur poteſtate ad impediendum ſuum terminum, & conſequenter poteſtate ad contradictorium, nempe *ipſam non impedire terminum illum*; at multoties non fungitur poteſtate ad illum poſitivè determinandum: habes namque libertatem mediatam, ut ingrediatur domum tuam, ille qui pulſat Januam; non quia poſſis poſitivè determinare efficaciter ingreſſum illius, nam ſi ille non vult, & viribus prævalet, non ingredietur; ſed quia potes impedire ſuum ingreſſum non aperiendo ſcilicet januam; quamobrem non omnis libertas mediata ad poſitivè impediendum, eſt eo ipſo libertas mediata ad poſitivè determinandum rem A, aut vice verſa.

42. En patefactam vaſtam ſylvam cauſarum, tum moralium, tum phyſicarum. Sed reſtat principalis alia diviſio. Quoniam cauſa poteſt eſſe *per ſe*: aut *per accidens*. Cauſa per ſe eſt illa, quæ influit in effectum, vel immediatè liberè, ut voluntas ſolet influere in ſuos actus: vel cum præcedentè inclinatione *innata* in effectum illum, ſaltem quoad ſpeciem, ut ignis influit in alium ignem, nec non intellectus, & voluntas in ſuos actus neceſſarios: vel cum præcedente inclinatione, ſive appetitu *elicito*. Cumque hic poſſit eſſe multiplex, út formalis, virtualis, indirectus &c. jam vides ſegetem copioſam cauſalitatum per ſe. Cauſa per accidens eſt illa, quæ influit ſane in effectum, ſed præter omnem prorſus inclinationem, ac libertatem propriam. Sic qui permittit alii actionem, quam non tenetur impedire, eſt cauſa per accidens illius. Sic monſtra, v. g. Dracones ſubterranei, Mulus, Mula, & ſimilia, ſunt effectus per accidens reſpectu ſingularum tunc concurrentium cauſarum: quamvis non reſpectu complexi ex omnibus. Tot autem diviſiones, ſi plures juſtò, tibi videantur, ſufficienteſque ad obruendum cerebrum, memineris duorum. Unum eſt Philoſophiam totam, atque Theologiam refertas eſſe difficultatibus circa utraſque cauſas, phyſicas, ſcilicet, & morales, aſperſaſque illis terminis. *Quia, Propter, Ut, Motio*, & ſimilibus; Et non ſine rubore poſtea hærebis, ſi hic non bene didiceris multitudinem generum, atque ſpecierum cauſarum: ex bona quippe, aut mala, aut nulla intelligentia hujus rei philoſophicæ, naſcitur bona, aut mala, aut nulla intelligentia rerum graviorũ. Alterum eſt. Priſcos illos homines inſtitutores, aut propagatores Ver-

borum

borum, non reliquiſſe nobis verba ſimplicia, ad ſignificandum plurimas, ac ſubtiles veritates; quas examinarunt, docueruntque poſteriores. Unde hi coacti ſunt uno eodemque Verbo uti in multiplici ſignificatione, adiungente tale, aut tale adiectivum, taleque, aut tale obliquum ad tollendum æquivocationes. Et hinc naſcitur multitudo diviſionum, quæ opus eſt diſputaturis ſcientificè de cauſis rerum.

CAPUT SECUNDUM.

De Prærequiſitis, Conditionibus, & Prioritatibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

43. VOX ſatis communis in hoc tractatu eſt. *Conditio ſine qua non*. Significat idem, quod *Prærequiſitum*, nimirum id, quod ita prærequiritur ad effectûs alicujus productionem, ut ſine ipſo non poſſit, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid, aut metaphyſicè, aut phyſicè, aut moraliter produci effectus. Cumque hæc prærequiſitio, ſit à parte rei connexio effectus cum illa, tot modis poteſt illud eſſe conditio *ſine qua non*, quot poteſt effectus connecti cum illo, de quo vide, quæ dixi in Prodromo diſp.5. Hinc conditio *ſine qua non*, ſive Prærequiſitum diſtinguitur à mero requiſito, quoniam licet hoc etiam tale ſit, ut ſine ipſo nequeat effectus exiſtere; veruntamen non eſt pro priori ad ipſum, ideſt, non conſtituit actum primum proximum cauſæ ad illum producendum (& hac de cauſa dicimus loco ſuo, quod licet Deus agnoſcat actionem liberam exituram pro caſu, quo exiſtant omnia *requiſita* ad illam, id tamen non agnoſcit per ſcientiam mediam, ſiquidem aliqua ex illis ſunt intimè connexa cum actione illa libera: quoniam ſcientia media aſſumit pro hypotheſi ſolam, & totam individuam libertatem creatam: intra quam imbibuntur *prærequiſita* ſola; non autem *requiſita*) Conditio autem, ſine qua non, innuit prioritatem reſpectu effectus. Hæc autem diverſitas habendi, aut non habendi ſe pro priori, non eſt ſpernenda, ut verbalis; ſed magni habenda, ut philoſophica, quandoquidem ad noſcendum proximam facultatem operatricem magni momenti eſt ſcire, per quid conſtituatur phyſicè, ac per quid non conſtituatur. Sic ſcientia, qua Deus videt abſolutè me nunc ſcribere, eſt requiſita ad hanc meam ſcriptionem, quia tum ob infinitam perſpicaciam divinæ mentis, quam nil prorſus latere poteſt, tum ob intimam connexionem hujus ſcriptionis cum attributis neceſſariis Dei, omninò repugnat me ſcribere, quin Deus hoc videat; cæterum hæc divina viſio non ſe habet pro priori ad meam ſcriptionem, unde non eſt conditio, *ſine qua non*, quia non ideò ſcribo, quia Deus videt me ſcribere, ſed è con-

Digitized by Google

è converſo, ideò à priori, videt Deus me ſcribere, quia ego ſcribo. Non ita decretum applicativum Omnipotentiæ, & decretum determinativum individuationis, de quibus poſtea. Et applicatio proportionata agentis ad operandum; quia ſine his, non modo, non poteſt exiſtere effectus, ſed inſuper ſe habent pro priori ad illum, quia ut dicam, conſtituunt obliquè actum primum proximum cauſæ ad producendum illum. Unde ſunt prærequiſita ad effectum; & hinc naſcitur, quod mea proxima facultas ad ſcribendum non conſtituatur phyſicè per illam viſionem, & conſequenter ſit indifferens ad ſcribendum; conſtituatur verò per illa decreta, quorum neutrum eſt poſitivè connexum cum ſcriptione, ut jam dicam. Diſtinguitur quoque Præquiſitum à cauſa. Nam licet etiam nequeat effectus exiſtere ſine hac, nihilominus hæc verè, ac ſimpliciter, ſuo modo producit effectum; cum tamen hoc non ſoleat ſignificari voce illa conditio, *ſine qua non*: quamobrem cauſa eſt illa, quæ in ſuo genere producit effectum, ſeu eſt origo, & radix illius. Requiſitum eſt illud, ſine quo effectus nequit eſſe; aſt non ſe habet pro priori ad illum, ſed in ſigno poſteriore, aut comitante. Conſequenter non conſtituit proximam facultatem cauſæ. Prærequiſitum, illud ſine quo nequit exiſtere effectus, & inſuper eſt pro priori ad illud, non tanquam cauſa, ſed tanquam conditio, *ſine qua non*, conſtituens obliquè actum primum proximum complexum, atque adæquatum cauſæ, ſeu proximam hujus facultatem.

44. Diſcrimen verò magis intimum, atque immediatum inter cauſam, ex una parte, atque prærequiſitum, ſeu conditionem, ſine qua non, ex altera, conantur aliqui indagare à priori. Sed hoc eſt quærere, quod nuſquam invenitur, tametſi infra diſp. 3. num. 205. aliqualem dabo rationem. Facilius eſt à poſteriori. In primis prærequiſita ſolent etiam eſſe cauſa moralis: quatenus, vel complexum ex omnibus, vel etiam aliquod illorum ſolet connecti cum effectu, & hac ſua connexione movent Deum, ut tanquam author naturalis concurrat in actu ſecundo ad effectum. Sic applicatio ignis ad pulverem nitratum, ita eſt prærequiſita ad inflammationem, ut ſimul ſit cauſa moralis illius. Nam connexione ſuâ phyſicâ movet Deum ad concurſum. Sic intuitio Dei, ita eſt conditio, ſine qua non reſpectu amoris beatifici, ut ſimul ſit cauſa moralis illius, movens Deum per ſuam connexionem cum illo, ut non ſuſpendat, ſed præbeat ſuum concurſum ad eum amorem. Solent etiam, non eſſe cauſa moralis, ut de conſcientia retrahente dixi, num. 26. & de cognitione regulante actum ſpei, & heroicos alios num. 24. Major difficultas eſt in diſtinctione à cauſa phyſica. Sed regula poteſt eſſe; quoties A, & B, ita conſtituunt actum primum proximum completum, ideſt, proximam completam facultatem operatricem, ut judicio prudente (per quod tandem res hęc definienda, quidquid ſit de contumace, & pueriliter cavilloſo) nulla detegatur proportio in A, detegatur autem in B, ad cauſandum effectum in eo genere, quod tunc occurrit, dicendum A eſſe

præ-

prærequiſitum purum, ſeu conditionem, ſine qua non; & rem B eſſe cauſam in eo genere illius effectus, v.g. amor nequit concipi ſine voluntate, ſine cognitione objecti, ſine Omnipotentia, ſine decretis applicativo hujus, & determinativo individuationis. Omnia ergo iſta, cum ſint præcedentia amori, conſtituunt actum primum proximum ad amandum, & non ſunt mera connotata illius, ut jam probabo. Hoc tamen diſcrimine: quod ex his omnibus ſola voluntas, & omnipotentia apparent prudenti menti (quidquid ſit de cavilloſa, & non cedenti, niſi evidentiis metaphyſicis) proportionatæ ad producendum phyſicè amorem. Voluntas ergo, & omnipotentia ſunt cauſa phyſica amoris, & reliqua ſunt mera prærequiſita. Similiter ignis, applicatio proportionata, capacitas paſſi, decreta prædicta, & omnipotentia, conſtituunt actum primum proximum ignis A ad producendum ignem B quia tamen proportio ad hunc producendum phyſicè non detegitur in applicatione, quæ conſiſtit phyſicè in ſolis talibus præſentiis agentis, & paſſi: nec in hujus capacitate, quæ conſiſtit phyſicè in ſola hujus eſſentia, aut etiam in exiſtentia quorumdam accidentium, abſentiaque aliorum: & detegitur in ipſo igne A, atque omnipotentia, idcircò hæ ſolæ duæ ſunt cauſa phyſica ignis B, & reliqua ſunt pura prærequiſita, ſive conditiones, ſine quibus non. Judicio igitur prudente dirimendum eſt diſcrimen inter cauſam ex una parte, & prærequiſitum, ſive conditionem, ſine qua non; lege, quæ ſcripſi diſp.2. Dialecticæ pro calibus, in quibus non ſuppetunt Principia metaphyſica.

45. Inter hæc prærequiſita, ſolet eſſe diſcrimen materiale: quia una prærequiruntur immediatè, ac directè ex parte cauſæ ipſius per ſe impotentis cauſare effectum, ſine tali re. Sic cum virtus phyſica ignis, v.g. ſit limitata, per ſe eſt impotens comburere paſſum plus juſto diſtans, unde applicatio phyſica eſt prærequiſita ex parte ignis ipſius. Similiter cum voluntas per ſe impotens ſit ferri in incognitum, cognitio eſt prærequiſita ex parte voluntatis ipſius ad amandum. Alia ſunt prærequiſita directè ex parte paſſi, in quo producendus eſt effectus. Sic capacitas paſſi, ſaltem radicalis, ut comburatur, eſt conditio, ſine qua non, ſeu prærequiſita directè ex parte paſſi ad comburendum. Alia ſunt directè prærequiſita ex parte effectus. Sic paſſum eſt prærequiſitum directè ex parte formæ producendæ per eductionem: quia illa ex ſua natura exigit actionem eductivam, & hæc non poteſt non eſſe eſſentialiter unita paſſo, tanquam ſubjecto præſuppoſito. Alia ſunt prærequiſita ex parte horum omnium: tale eſt decretum applicativum Omnipotentiæ: quoniam ignis A per ſe immediatè eſt impotens operari in paſſo, & hoc, per ſe immediatè eſt impotens recipere illam operationem, & ignis B per ſe immediatè eſt impotens produci ab igne A, quin Deus velit concurrere ad ipſum ignem B. Præterea unaquæque ex his poſſunt eſſe prærequiſita *in ſenſu poſitivo*; quatenus debent abſolutè, & ſimpliciter exiſtere, ut prædictum decretum. Alia ſunt prærequiſita *in ſenſu merè negativo*, quatenus præcisè, ſi exiſteret ſuum oppoſitum, exiſteret impedimentum effectus. Sic ignorantia ante-

Digitized by Google

tecedens eſt prærequiſita, ut filius probus jaculetur hic, & nunc in ſuum Patrem, quem invincibiliter putat eſſe aliquam feram, quatenus non jacularetur, ſi ſciret eſſe ſuum Patrem. Rurſus prærequiſita alia ſunt eſſentialiter, ac metaphyſicè talia; nempe illa ſine quibus, ut prioribus, nec divinitus poteſt produci effectus. Tale eſt prædictum divinum decretum. Alia prærequiſita phyſicè duntaxat, & naturaliter; talis eſt applicatio proportionata ignis ad paſſum, quia licet non naturaliter, at divinitus fieri poteſt, ut hic exiſtens ignis comburat lignum exiſtens Mexici. Alia prærequiſita tantum moraliter, quatenus ægrè admodum, ſine illorum precedentia poteſt haberi effectus, quamvis ſimpliciter ſine miraculo haberi poſſit. Sic adjutorium alienum eſt prærequiſitum moraliter ſolum ad faciendum, quod abſolutè ſine miraculo omnibus penſatis potes facere, ſed ægrè nimis. Tota autem hæc diverſitas prærequiſitionum, ſtat in diverſitate connexionum: quoniam A eſſe prærequiſitum ad B eſt ex parte rerum A eſſe terminum, cum quo connectitur res B. Denique prærequiſita, alia ſunt poſitiva, ut cognitio ad volendum. Alia ſunt negativa, v. g. carentia omnis neceſſitatis, ac impoſſibilitatis ſimpliciter antecedentis eſt prærequiſita ad actum liberum libertate indifferentiæ: quia ut mox dicam, conſtituit actum primum proximum expeditum, & completum ad illum. Cumque impedimenta effectûs ſint correlativè oppoſita prærequiſitis, numerum parem invenies impedimentorum numero prærequiſitorum.

46. Sed occurrit difficultas. Quæ prærequiſita, & cur, ſunt conſtitutiva phyſica eſſentialia, licet in obliquo, actus primi proximi ad operandum? Ubi vulgaris connotatorum occurrit controverſia modo ſolito decidenda. In primis notare oportet diverſum reſpectum quem prærequiſita habeant ad hæc tria. *Cauſa*. *Effectus*. *Proxima completa, & plena facultas*, ut illa cauſa ponat hunc effectum, idest, actus primus proximus illius ad hunc. Reſpectu *cauſæ*, quoad ſuam entitatem inſpectæ prærequiſita non ſunt conſtitutiva phyſica, imò neque ſolent eſſe adhuc connotata terminantia illius connexionem: quia certum eſt ignem A, hic & nunc producentem ignem B, neque conſtitui eſſentialiter per dicta decreta divina, neque cum illis connecti: ſiquidem poteſt exiſtere quin producat ignem B. Reſpectu *effectus* non ſunt conſtitutiva phyſica, quippe ignis B non conſtituitur phyſicè per decretum, v. g. determinativum ſui, quoad individuum; aſt ſunt connotata cum quibus ille ſolet connecti, quia ignis B, ex ſua eſſentia eſt impotens exiſtere, quin Deus velit concurrere ad ipſum, ipſumq; quoad individuum determinet. Reſpectu demum *actus primi proximi* cauſæ, hoc eſt facultatis proximæ, completæ, atque expeditæ, non ſunt connotata, aut prærequiſita, ſed intima, eſſentialia, phyſicaque conſtitutiva, non ut *quod*, atque in recto, quia ipſa non ſunt illud, de quo enunciatur producere effectum, ſed ut *quo*, & in obliquo: eo quod ſint illud *quo* cauſa conſtituitur proximè potens producere effectum, ſicut albedo eſt id *quo* ſubjectum conſtituitur abſolutè album. Unde ſicut

hæc

Digitized by Google

hæc non conſtituit phyſice in recto, aut obliquo illud, quod eſt album, v. g. parietem; conſtituit tamen obliquè hanc denominationem, ſive effectum formalem *Album*; ita prærequiſita non conſtituunt in recto, vel obliquo cauſam, quæ eſt proximè potens producere; conſtituunt verò phyſicè eſſentialiter in obliquo proximam facultatem illius cauſæ ad effectum producendum.

47. Unde obiter arcebis difficultatem, quæ naſci poteſt ex eo, quod res creata, qualis eſt actus primus proximus creaturæ ad operandum, conſtituatur phyſicè per quid divinum; qualia ſunt prædicta decreta; imò quod conſtituatur in recto, ut conſtituitur per Omnipotentiam divinam, quæ utique non eſt merum prærequiſitum, ſed cauſa phyſicè influens indiſpenſabiliter in omnem effectum creatum. Videtur autem repugnans, quod ulla creatura conſtituatur in recto etiam per quid divinum, quoniam ſequeretur creaturam non diſtingui adæquatè à Deo. Abigitur inquam umbra hæc; quoniam vel loquimur de actu primo proximo reſtricto, ſeu ex parte *creaturæ ſolius*. Et hic eſt adæquatè diſtinctus à Deo, & non conſtituitur per Omnipotentiam, aut per ullum ex eis decretis, ſed duntaxat per cauſam ipſam creatam, atque per prærequiſita creata ex parte creaturæ; & conſequenter per capacitatem, atque diſpoſitionem ſubjecti, in quo exercenda eſt operatio. Vel loquimur de actu primo proximo *abſolutè completo* cùm ex parte creaturæ: tum ex *parte Dei*. Et hic eſt, qui intrinſecè conſtituitur per Omnipotentiam, illaque decreta. Sed hic actus primus, ſeu hæc proxima abſoluta facultas operandi, non eſt adæquatè creatura (ſicut nec binarium ex Deo, & creatura) quia penitus repugnat proxima abſoluta, & undequaque completa facultas operandi, quæ ſit pura creatura, eò quia indiſpenſabiliter debet concurrere Deus ad omnia effecta creata; quocirca diſtinguenda eſt illa repugnantia de eo, quod ulla creatura conſtituatur in recto per quid divinum. Et concedenda eſt repugnantia, ſi ſermo ſit de creatura pura; neganda autem de creatura, quæ ſit binarium, ſeu complexum ex Deo, & creatura, qualis eſt omnis proxima, & unde quaque abſoluta facultas cujuslibet creaturæ ad operandum. Et proportione eadem explicanda eſt ſimilis difficultas de eo, quod res poſitiva, qualis eſt libertas indifferentiæ, conſtituatur per carentiam ullam, cum omnes ſint quid negativum. Explicatur, inquam: quia nulla eſt poſſibilis libertas creata indifferentiæ, quæ ſit purè adæquatè quid poſitivum. Et demum ſimilis alia, quæ naſci poteſt ex eo, quod omnis cauſa actionis tranſeuntis, debet diſtingui adæquatè à ſubjecto receptivo actionis illius. Nam licet hoc ſit verum; actus primus proximus cauſæ illius non diſtinguitur adæquatè à capacitate radicali, & remota ſubjecti, & conſequenter à ſubjecto ipſo, quia intimè conſtituitur per illam capacitatem, ut jam expono.

§. II.

48. DIco itaque. Prærequiſita metaphyſicè abſolutè talia, non ſunt mera connotata; ſed intima, & eſſentialia conſtitutiva in ſenſu dicto actus primi proximi creaturę cujuslibet ad operandum. Prærequiſita verò merè naturalia, puta applicationem localem ignis ad paſſum combuſtibile, non ſunt conſtitutiva eſſentialia *omnis* penitus actus primi proximi ad operandum. Sed illius duntaxat, qui eſt ad *naturaliter* operandum. Probo primam partem, & loquamur de decreto applicativo Omnipotentiæ, quo nimirum Deus vult abſolutè concurrere hic & nunc cum igne ad comburendum, quod decretum eſt merum prærequiſitum ad combuſtionem, ſed abſolutè, ac metaphyſicè tale. Proxima, plena, & completa facultas ignis ad comburendum, non identificatur adæquatè cum his ſolis *Virtus ignis combuſtiva. Ipſius applicatio paſſo diſpoſito. Omnipotentia divina;* ergo identificatur ſaltem inadęquatè cum aliquo alio. Sed hoc aliud non poteſt eſſe, niſi applicatio, ſive præparatio divinæ Omnipotentiæ, hoc eſt decretum, quo Deus velit concurrere cum igne in eis circumſtantiis ad producendum combuſtionem. Nam quodcunque aliud ingeras diſtinctum ab hoc decreto, repetam idem argumentum. Ergo facultas illa identificatur inadæquatè cum illo decreto: & conſequenter per illud intimè conſtituitur. Probo antecedens ratione ſolita. Si ea proxima, abſoluta, & completa facultas ad comburendum identificaretur adæquatè cum eis ſolis: omnis caſus poſſibilis, in quo illa exiſterent, eſſet caſus, in quo exiſteret ea proxima abſoluta facultas: quia penitus repugnat exiſtere omnia prorſus conſtitutiva rei A, nullo penitus dempto, & non exiſtere rem A: v. g. repugnat exiſtere corpus, animam rationalem, & hujus unionem cum illo, & non exiſtere hominem. Nam cum defectus connotati, ſive termini connexionis, eatenus præcisè inferat defectum fundamenti, quatenus infert defectum alicujus eſſentialis conſtitutivi, quando fundamentum eſt res compoſita, ut in præſentiarum eſt: ſi nullum penitus conſtitutivum deficit, ſignum eſt, quod nullum penitus deficiat connotatum, ſive terminus connexionis eſſentialis. At non omnis caſus poſſibilis, in quo exiſtant illa tria, eſt caſus, in quo exiſtat proxima, & completa facultas ignis ad comburendum. Prob. Nullus caſus, in quo Deus abſolutè nolit concurrere cum igne ad combuſtionem, eſt caſus, in quo ignis pollet proximâ abſolutâ, & completâ facultate ad comburendum. Hujuſmodi namque facultas eſt illa, inter quam, & combuſtionem nil omninò mediat, quia talis eſt, ut ad comburendum nil jam aliud deſideretur, quàm combuſtio ipſa, quando autem Deus abſolutè non vult concurrere cum igne, opus eſt, ad combuſtionem, quod Deus non habeat, ſeu potius non habuiſſet hanc nolitionem,

ut

ut ignis combureret. At exiſtentibus illis tribus poteſt Deus abſolutè efficaciter nolle concurrere cum igne ad combuſtionem, ut contigit in fornace Babylonica, nempe, quia nullum ex illis tribus eſt per ſe metaphyſicè abſolutè oppoſitum ei nolitioni. Ergo.

49. Explicatur; quoties deficit res aliqua compoſita (de hac namque procedunt omnes diſcurſus contra Connotatores: quoniam cum res entitativè ſimplex, v. g. anima rationalis, nulla habet phyſica conſtitutiva, ridiculum foret diſputare, an talis, aut talis alia res ſit conſtitutivum, aut merum connotatum extrinſecum illius) deficit aliquod ipſius conſtitutivum, ſive rectum, ſive obliquum. At quoties deficit connotatum, ſeu terminus connexionis eſſentialis rei illius compoſitæ, deficit res illa. Ergo quoties deficit connotatum, ſeu terminus dictus, deficit aliquod conſtitutivum, ſive rectum, ſive obliquum illius. At quoties deficiat decretum applicativum Omnipotentiæ ad comburendum, deficit illud, quod vocatis connotatum prædictæ proximæ facultatis. Ergo quoties deficit iſtud, quod vocatis connotatum extrinſecum, deficit aliquod conſtitutivum, ſive rectum, ſive obliquum illius proximæ facultatis. Quodnam eſt illud, præter ea tria dicta, quorum nullum neceſſe eſt, quod deficiat deficiente iſto decreto? Cumque nil congruè aſſignetur per adverſarios, concluditur decretum dictum applicativum, quod vocant merum connotatum extrinſecum, eſſe intimum phyſicum, & eſſentiale conſtitutivum ſaltem obliquum illius proximæ facultatis ignis ad comburendum. Et hinc refutantur reduplicationes quædam ſolemnes, v. g. ut applicatam, ut connotantem applicationem &c. Etenim hæc objectiva realitas. *Omnipotentia, ut connotans applicationem, ut præparata, ut diſpoſita, ut applicata*, vel identificatur adæquatè cum ſola Omnipotentia. Vel cum hac, & aliquo alio. Si primum, omnis caſus poſſibilis, in quo exiſtat Omnipotentia (non dico *ſola*, quia eſt implicatio, quod exiſtat Omnipotentia, & non exiſtant ſuo modo illa cum quibus connectitur metaphyſicè) eſt caſus, in quo exiſtet, *ut connotans, ut applicata &c.* quod falſum eſt. Si ſecundum; ergo illa proxima facultas conſtituta per Omnipontentiam, *ut connotantem*, conſtituitur per illud aliud; quoniam omne phyſicè conſtitutum per A, phyſicè conſtitutum per B, phyſicè conſtituitur per B. Sed illud aliud non poteſt eſſe, niſi applicatio ipſa, hoc eſt decretum applicativum Omnipotentiæ. Ergo.

50. Hinc 1. habetur ratio, ob quam carentia (loquor juxta frequentem, & communem loquendi modum ſupponentem eſſe cognoſcibile ab intellectu objectum, quod in ſe ipſo ſit pura carentia, purum nihil, purum contradictorium, quam ſuppoſitionem, nego in Prodromo diſp. ultima) carentia, inquam, cujuſvis antecedentis neceſſitatis, atque impoſſibilitatis, eſt conſtitutivum illius libertatis indifferentiæ proximæ, atque expeditæ, cujus nullum aliud certum conſtitutivum connectitur cum illa. Et loquamur de decreto prædeterminante, quod alibi probamus eſſe neceſſitatem antecedentem ſimpliciter; quoties deficit libertas indifferentiæ deficit aliquod conſtitutivum intrinſe-

Digitized by Google

cum illius, ſive rectum, ſive obliquum. Impoſſibile namque eſt, ut nuper dicebam, deficere ullam rem compoſitam, quando nullum penitus ipſius conſtitutivum deficit, ſed potius omnia omninò exiſtunt: & quod deficiat connotatum, aut terminus connexionis eſſentialis, eatenus infert rem deficere, quatenus infert deficere aliquod conſtitutivum illius, ſi res fuerit compoſita, aut rem totam, ſi fuerit res ſimplex, eo quod tota, aut aliquod ipſius conſtitutivum intimè connectatur cum illo connotato. Sed quoties deficit carentia illius prædeterminationis, hoc eſt, quoties exiſtit illa prædeterminatio, deficit libertas indifferentiæ in creatura prædeterminata, juxta illas probationes. Ergo quoties deficit carentia prædeterminationis, deficit aliquod intimum conſtitutivum, ſive rectum, ſive obliquum illius libertatis; quodnam eſt iſtud, niſi carentia ipſa prædeterminationis? Nam in ſenſu compoſito, quod illa carentia deficiat, ſeu quod exiſtat prædeterminatio, poteſt ſubſiſtere voluntas creata, Omnipotentia, decretum indifferenter applicativum hujus, ideſt, decretum hanc applicans, ſed quod *per ſe præcisè* non ſit metaphyſicè abſolutè connexum cum exercitio illius voluntatis, eo quod per aliud decretum prædeterminet Deus voluntatem illam. Poteſt item ſubſiſtere judicium indifferenter proponens objectum: nam conjunctìm cum eo, quod homo, neque rapiatur neceſſario per ſuam cognitionem in amorem, neque rapiatur neceſſariò in omiſſionem amoris, poteſt Deus irreſiſtibiliter, & inevitabiliter propellere illum ad amandum. Ergo conſtitutivum libertatis indifferentiæ, quod deficit, quando deficit carentia illius prædeterminationis, non poteſt eſſe aliud, niſi hæc eadem carentia. Ergo hæc non eſt merum connotatum extrinſecum illius libertatis, ſed intimum ipſius conſtitutivum. Et ſimiliter advocatur huc prima illa ratio.

51. Quoniam ſi libertas indifferentiæ identificaretur adæquatè cum voluntate, omnipotentia, decreto hujus applicativo indifferenter (hoc eſt non connexo per ſe præcisè cum amore) cogitatione alliciente, ac retrahente, omnis caſus poſſibilis, in quo exiſterent hæc omnia, foret caſus, in quo exiſteret libertas indifferentię; quod eſt falſum. Siquidem eis omnibus exiſtentibus poteſt Deus irreſiſtibiliter, ac inevitabiliter adigere creaturam in aliquod opus. Cæterum quando carentia neceſſitatis, aut impoſſibilitatis antecedentis ſit talis, ut cum ea intimè connectatur aliquod ex eis, quæ certius conſtituunt libertatem indifferentiæ, tunc neceſſe non eſt, quod hæc conſtituatur intrinſecè per illam carentiam. Atque ideò quamvis nolitio efficax divina conſervandi vitam hominis in A, ſit antecedens impoſſibilitas, ut hic amet, v. g. & eo ipſo ſit antecedens neceſſitas, ut non amet (quandoquidem eſt impoſſibile, quod ille operetur quando non exiſtit in rebus) & conſequenter quamvis omiſſio hujus nolitionis ſit carentia alicujus antecedentis impoſſibilitatis, & antecedentis neceſſitatis; veruntamen non conſtituit libertatem indifferentiæ, quia jam aſſignatur unum certum conſtitutivum hujus (nempe homo ipſe) connexum cum ea carentia, ſiquidem opponitur metaphyſicè cum ea efficace nolitione: & oppoſi-

poſitio metaphyſica cum uno contradictorio, eſt metaphyſica connexio cum altero; quamobrem ſi huc obvertas duas nuper datas rationes, illicò oſtendam conſtitutivum libertatis, quod deficit, quando datur illa nolitio divina. Nimirum homo ipſe, de cujus agitur libertate. Et quamvis duo invicem connexa poſſint ſeſſe conſtitutiva ejuſdem tertii; aſt non ſemper ac neceſſariò; ſed debet hoc aliunde probari; & in præſenti non probatur.

52. Hinc 2. rationem habes ob quam poſſibilitas formalis, & immediata effectus non ſit conſtitutivum eſſentiale prædicti actus primi proximi (Alias cum hæc poſſibilitas, & carentia impoſſibilitatis, ſit re ipſa ex parte rerum, effectus ipſe, qui non diſtinguitur à ſua formali poſſibilitate, ut alibi dixi: ſequeretur effectum ipſum conſtituere ſuam cauſam, ut proximè potentem producere illum, & conſequenter ſequeretur illum eſſe pro priori ad ſe ipſum) tametſi enim poſſibilitas illativa, radicaliſque, ut pote identificata cum proxima poteſtate cauſæ ad effectum producendum, ſit prærequiſita ad hunc, ſicut cauſa ipſa, & conditiones aliæ, ſiquidem non eſt dabilis cauſa proxime potens producere chymeram: unde proxima facultas producendi aliquid, connectitur metaphyſicè cum hujus poſſibilitate. Attamen poſſibilitas proxima, & formalis effectus, quippe quæ ſtat phyſicè ex parte rerum in ea individua non oppoſitione ſuorum prædicatorum, & conſequenter in ea individua ſumma eorundé convenientia, & conſequenter in ea individua identitate ipſorũ, & conſequenter in ipſis prędicatis, non eſt prętequiſita *in ſenſu poſitivo* ad hunc producendum (ſicut eſt prærequiſitum decretum applicativum Omnipotentiæ) quaſi ut cauſa ſit proximè potens producere effectum ſit neceſſarium, quod phyſicè abſolutè exiſtat illa poſſibilitas, ſicut eſt neceſſarium, quod phyſicè abſolutè exiſtat prędictum decretum. Alias cum voluntas liberè omittens aliquem ſuum actum, ſit proxime potens illum elicere, deberet exiſtere abſolutè poſſibilitas formalis actus illius, & conſequenter actus ille, quando voluntas liberè omittit illum. Duntaxat igitur eſt prærequiſitum *in ſenſu merè negativo*, ea poſſibilitas, ut dixi in Prodromo diſp. 6. quatenus eſt verum, quod ſi eſſet metaphyſicè impoſſibilis ille effectus, daretur impedimentum producendi illum. Sed hoc ipſo, quod non ſit prærequiſita in ſenſu poſitivo, ſicut eſt prærequiſita applicatio agentis ad paſſum, & ſicut eſt prærequiſitum dictum decretum, non conſtituit proximam facultatem ad illud, quia ea, ſolis prærequiſitis in ſenſu poſitivo talibus conſtituitur eſſentialiter, & de illis ſolis procedunt duæ illæ rationes ſupra datæ. Ergo.

53. Explicatur diſtinctione data numero antecedente; quando inter conſtitutiva certa complexi alicujus deprehenditur aliquod metaphyſicè connexum cum A, quamvis alias poſſit hoc conſtituere quoque illud complexum, quandoquidem, ut adverti, duæ res mutuo, aut non non mutuò connexæ, poſſunt intrinſecè conſtituere aliquod complexum; Veruntamen ex eo, quod tunc exiſtere nequeat ſine A, complexum illud, non ſequitur hoc conſtitui per A, & niſi aliunde probetur,

tur, negandum eſt. At inter conſtitutiva certa, proximæ facultatis producendi ignem B, v. g. deprehenditur aliquod ne dicam omnia, metaphyſicè connexum cum poſſibilitate formali, & immediata ignis B: nam proculdubio decretum divinum applicativum Omnipotentiæ ad illum producendum, decretumque determinativum illius, quoad individuum, connectuntur metaphyſicè cum illius poſſibilitate: ſiquidem Deus, neque applicat, neque applicare poteſt ſuam Omnipotentiam ad producendum chymeras, neque eas determinat quoad individuum, ergo quanquam dari nequeat proxima facultas producendi ignem B, quin hic ſit formaliter in ſe ipſo poſſibilis: hinc non ſequitur hanc poſſibilitatem eſſe conſtitutivum illius proximę facultatis, niſi aliunde hoc probetur. At probari nequit. Ergo. Non negabo, ſolitos eſſe nos apprehēdere poſſibilitatem, ut priorem, ac prærequiſitam ad effectum producendum: ſicut etiam ſoliti ſumus apprehendere rationalitatem, ut radicem riſibilitatis; ſed apprehenſiones non curo, quando realitates diſputo.

54. Probo jam ſecundam partem concluſionis ſcriptæ num. 48. Videlicet prærequiſita merè naturalia non eſſe intrinſeca conſtitutiva *omnis* penitus actus primi proximi, omnis omninò proximæ facultatis ad operandum. Omnis ſtatus, in quo ita ſe habet ignis, ut jam neque detur, neque dari poſſit quidquam aliud medians inter ipſum, & operationem, quam de facto elicit, eſt ſtatus, in quo ignis eſt in aliquo actu primo proximo, & immediato ad operationem. Actu, inquam, *proximo* non ſecundum negativum hujus, ſcilicet non operari in actu ſecundo, ſed ſecundum ſolum poſitivum, videlicet eſſe proximè potentem operari. Ab actu namque bene arguitur ad potentiam, non tantum radicalem, verum etiam proximam, & abſolutè expeditam. At deficiente prærequiſito merè naturali, poteſt ignis ita ſe habere, ut jam neque detur, neque dari poſſit quidquam medians inter ipſum, & operationem, quam tunc elicit; ergo deficiente ejuſmodi prærequiſito poteſt ignis eſſe in *aliquo* actu primo proximo ad operandum. Ergo illud prærequiſitum non eſt conſtitutivum *omnis* penitus actus primi proximi. Probo minorem. Eſto Deum utentem ſupremâ ſuâ potentiâ, ſic efficaciter decernere. *Volo ignem A comburere hic, & nunc paſſum illud, licet ſit valdè diſtans, & non ſit diſpoſitum.* In hoc caſu, poſſibili utique metaphyſicè, ignis comburet paſſum illud, & ita ſe habebit poſito hoc decreto, ut jam, neque detur, neque dari poſſit quidquam aliud medians inter ignem, & combuſtionem. Nam ſi aliquid, maxime applicatio, & diſpoſitio: hæ autem nequeunt dari in ſenſu compoſito illius decreti. Ergo. Fateor caſum non eſſe naturalem; aſt cum res compoſita, quæ ſit ex genere permanentium, neque naturaliter, neque ſupernaturaliter exiſtere poſſit, abſque ſuis phyſicis conſtitutivis, habebitur, quod ſi aliquis actus primus proximus ignis ad comburendum poteſt exiſtere, ſine naturali prærequiſito ad comburendum, hoc non eſt phyſicum eſſentiale conſtitutivum *Omnis* actus primi proximi.

55. Cæterum ſi loquamur de actu primo proximo ad *naturaliter* operandum, ille conſtituitur eſſentialiter per omnia prærequiſita naturalia,

ralia, v. g. per proportionatam applicationem ignis ad paſſum. Et hoc propter duas illas rationes productas ſupra contra connotantes; quoties deficit res aliqua compoſita, deficit aliquod intrinſecum conſtitutivum ipſius rectum, aut obliquum. Nam licet deficiat etiam, quando deficit connotatum eſſentiale, hoc ideò eſt quia deficiente connotato illo, deficit aliquod conſtitutivum rei; ſi enim omnia prorſus nullo dempto exiſtant, exiſtet infallibiliter res, & conſequenter, aut non deficiet ſuum eſſentiale connotatum, aut neceſſariò deficiet res, quando deficit illud cum quo non connectitur metaphyſicè. At quoties deficit naturale prærequiſitum ad operandum, deficit proxima poteſtas, ſeu actus primus proximus ad operandum *naturaliter*. Nam licet tunc poſſit etiam ignis, v. g. comburere, hoc continget de potentia abſoluta Dei, non verò naturaliter. Ergo quoties deficit naturale prærequiſitum ad operandum, deficit aliquod intrinſecum conſtitutivum actus primi proximi ad operandum *naturaliter*; quodnam eſt iſtud conſtitutivum, niſi prærequiſitum ipſum naturale (quod reſpectu operationis, eſt ſanè merum prærequiſitum, & non conſtitutivum; reſpectu verò illius actus primi eſt conſtitutivum, & non prærequiſitum juxta advertentiam ſupra datam) Cætera namque omnia conſtitutiva poſſunt perſeverare deficiente iſto prærequiſito, v. g. ignis ipſe, paſſum, Omnipotentia, hujus applicativum decretum &c. Ergo.

§. III.

56. HActenus de requiſitis, prærequiſitis, ac conditionibus, ſine quibus non. Nunc reſtat evolvere Prioritates, correlativè oppoſitas poſterioritates, atque cauſalitates. Triplicem prioritatem, & conſequenter poſterioritatem diſtinguunt Philoſophi. Unam vocant *univerſalitatis*, & in ſubſiſtendi conſequentia. Aliam *in quo*. Aliam *à quo*. Illud vocatur prius alio prioritate univerſalitatis, ſeu independentiæ, quod poteſt exiſtere ſine A, v. g. ſed ſine ipſo non poteſt exiſtere A, & ideò univerſaliore fungitur exiſtentia. Talis eſt Deus reſpectu cujuſvis creaturæ: Et hæc prioritas ſumpta in recto identificatur cum priore ipſo. Unde hoc per ſuammet eſſentiam conſtituitur prius hac prioritate univerſalitatis reſpectu creaturæ: quia per ſuammet eſſentiam fungitur univerſaliore exiſtentiâ, quàm creatura. Sumpta verò ſecundum rectum, & obliquum, id eſt adæquatè, identificatur cum priore, & cum poſteriore, quia ſic ſumpta, ſtat in eo, quod Deus, v. g. poſſit exiſtere, quin exiſtat Creatura. Sed prima potentia identificatur cum Deo: & ſecunda impotentia identificatur cum creatura, quippe quæ per ſuammet eſſentiam connectitur cum Creatore, & conſequenter per ſuammet eſſentiam eſt impotens exiſtere ſine illo. Ergo illa prioritas adæquatè ſumpta identificatur partim cum Deo, partim cum creatura. Ad hanc prioritatum ſpeciem alludunt illæ ſatis frequentes locutiones. A eſt in

in ſigno priore, & *independente*, eſt, in ſigno *antecedente*, &, *independente*, & *praſcindente* reſpectu re B. Non ſemper ſignificant influxum phyſicum, aut moralem rei A reſpectu B. Sed multoties ſolam prioritatem univerſalitatis, ſeu præciſionis objectivæ, aut formalis, ſeu independentiæ, ſeu in ſubſiſtendi conſequentia; quapropter hæc prioritas eſt duplex. Una pura, & ſolius univerſalitatis. Altera admixta prioritati naturę, ſeu *à quo*. Nempe quando illud, quod eſt univerſalius altero, eſt inſuper cauſa phyſica, vel moralis, vel prærequiſitum reſpectu illius. Rurſus prioritas univerſalitatis, admixta prioritati naturæ poteſt eſſe ſine prioritate, *in quo*, hoc eſt, temporis, v.g. anima rationalis, quæ univerſaliore fungitur exiſtentia, quam unio ſua cum corpore: & tamen non eſt prior tempore, quam illa, ſiquidem in eodem momento, in quo Deus creat animam, unit illam corpori. Et poteſt eſſe cum ea prioritate temporis, ut contingit in materia prima reſpectu illius unionis. Præterea prioritas univerſalitatis poteſt eſſe triplex. *Realis*. *Virtualis*; atque *rationis noſtræ*. Prima contingit, quando A, & B diſtinguuntur actu phyſicè, & unum poteſt exiſtere phyſicè ſine altero, non è converſo, ut in exemplo dato Dei, & creaturæ. Secunda quando diſtinguuntur virtualiter ſolum, aut alio ſimili modo, ita contingit inter decretum collativum libertatis A; *quia eſt efficax* ad actionem talem naturalem, & ſcientiam mediam de efficacia, v.g. quoniam cum hoc decretum, non diſtinguatur pluſquam virtualiter ab ea ſcientia, hęc poteſt exiſtere ſine illo, ſed non illud ſine hac.

57 Tertia contingit quando terminus, quo loquimur de uno, eſt univerſalior reſpectu termini, quo loquimur de altero. Et ſic animal; eſt prius prioritate univerſalitatis reſpectu hominis, non quia ſit ex parte rerum animal aliquod, quod ſit homo, & inſuper latius pateat quam homo. Sed quia hic terminus *animal* eſt univerſalior reſpectu hujus *homo*. Et ideò valet *eſt homo*. *Ergo eſt animal*: non autem è converſo. Hæc prioritas univerſalitatis per meram noſtram rationem, poteſt eſſe triplex. Prima quando terminus, quo agimus de A eſt univerſalior reſpectu termini, quo agimus de B, & inſuper apprehendimus ipſum A, ut radicem prædicti B, eo quod utamur illo ad probandum hoc à priori, vel quaſi; talo eſt rationale reſpectu riſibilis quia cum hic terminus *rationale* ſit univerſalior reſpectu hujus *riſibile*, quandoquidem extenditur ad Deum, ad quem non aſſurgit riſibilitas, neque admiratio, illo probamus à priori riſibilitatem in homine: quoniam ideò à priori hic eſt admirativus, & riſibilis, quia eſt rationalis. Secunda: quando terminus unus eſt univerſalior reſpectu alterius; ſed non probamus per illud unum, hoc alterum: & ideò non apprehendimus illud, ut radicem hujus. Tale eſt animal reſpectu hinnibilis: ſi quidem per animal non probatur hinnibilitas, ſed per hanc probatur à poſteriore illud. Tertia quando ob rationem dictam apprehendimus unum inſtar originis alterius; at terminus, quo loquimur de illo uno non eſt univerſalior reſpectu termini, quo agimus de altero.

Hac

Digitized by Google

Hac prioritate fungitur differentia ſpecifica reſpectu metaphyſicarum proprietatum ſpeciei. Nam cum ſit convertibilis cum his, & conſequenter non ſit univerſalior reſpectu harum; veruntamen apprehendimus illam inſtar originis harum, quia ex differentia ſpecifica hinnibilitatis, v. g. probamus metaphyſicas proprietates ſpeciei equinæ. Prius autem conſtituitur in eſſe prioris prioritate reali, & virtuali per ſuam eſſentiam, quia per hanc diſtinguitur utrovis reſpectivè modo à poſteriore. In eſſe verò prioris per rationem conſtituitur per noſtras expreſſiones, & apprehenſiones.

58. Prioritas, *in quo*, eſt prioritas temporis: illudque dicitur prius in quo, reſpectu rei A, quod exiſtentiam habuit tempore reali, vel poſſibili, antequam inciperet A. Cumque habere exiſtentiam in tempore ſtet formaliter immediatè in durationibus ipſis creaturarum (ſicut exiſtere in loco ſtat formaliter immediatè in præſentia) & hæ durationes, quamvis ſibi ipſis non ſint accidentales, ſint tamen accidentales reſpectu rerum aliarum durantium. Idcircò una res conſtituitur adæquatè prior, *in quo*, reſpectu aliùs per complexum ex ſua duratione priore, & duratione illius alterius poſteriore. Hæc prioritas diſparata eſſe ſolet reſpectu prioritatis naturæ, ſive cauſalitatis; ſiquidem neque omne ſic prius, eſt cauſa phyſica, aut moralis reſpectu ſic poſterioris; aliàs primum ſaxum mundi foret noſtra cauſa phyſica, vel moralis. Neque omne, quod eſt cauſa phyſica, debet neceſſariò eſſe prius, in quo, reſpectu ſui effectus. Valdè namque probabile eſt, potuiſſe Deum condere ab æterno creaturam aliquam, quia facere illam ex nihilo, non eſt, quod èx parte rerum detur aliquid, quod ſit nihilum, & ex illo, tanquam ex materia præexiſtente faciat Deus creaturam, ſicut faber facit ſtatuam ex ære, aut marmore præexiſtente. Abſit prava intelligentia Grammaticæ Philoſophicæ; ſed in eo ſtat, quod actio verè, ac ſimpliciter productiva rei, non uniatur per ſemetipſam ulli præſuppoſito ſubjecto, procedatque à principio diſtincto, quoad eſſentiam, à termino producto. Et hoc ſubſiſtere poteſt, tametſi nuſquam in tota æternitate à parte ante, res caruerit exiſtentiâ, ut conſtat ex Verbo divino, atque Spiritu Sancto: quæ duæ divinæ perſonæ verè, & ſimpliciter producuntur reſpectivè, & ſanè per productionem nulli ſubjecto præſuppoſito unitam: & tamen nuſpiam, & nuſquam fuit, aut eſſe potuit Pater ſine Filio, aut Spirator ſine Spiritu Sancto; non tamen creantur, aut fiunt hæ duæ divinæ perſonæ, quia principium à quo procedunt reſpectivè, non diſtinguitur, quoad eſſentiam, ab illis, de qua difficultate alibi. Eſt ergo diſparata prioritas temporis, ſeu *in quo*, reſpectu prioritatis *à quo*, ideſt, cauſalitatis ſeu naturæ.

59. Eſſe verò ſolet magni momenti reſpectu aliarum rerum; tum quia ſeniores, hoc ipſo titulo, quod ſeniores, & valdè priores ſint, *in quo*, ſpecialiter coli debent à junioribus, ut jure naturali, & poſitivo, tam divino, quàm humano conſtat; tum quia, ex fratribus gemellis, ille qui eſt prior *in quo*, quoad exitum ex maternis viſceribus

fungitur honore, atque hæreditate primogenituræ, ut conſtat ex Eſau, & Jacob, nam qui prior eſt tempore, potior eſt jure, quidquid ſit de philoſophica controverſia, uter ſcilicet ex gemellis prior generetur? qui prius erumpit, quique idcircò coagulatus videtur in cellula inferiore matricis, & conſequenter ſecundo loco genitus: an qui poſtea, qui idcircò videtur formatus in cellula ſuperiore, magiſque alta? tum quia ob hanc prioritatem, *in quo*, homines (inter quos victurus eſt Antichriſtus, patraturuſque cum ſuo Præcurſore portenta illa, quæ
Matt. 24. inſinuat Euangelium. *Dabunt ſigna magna*, & Apocalypſis) debent
Apoc. c. 13. potius credere miraculis prioribus Jeſu Chriſti, nam *quia prior eis*
& 19. (nempe Antichriſto, & ſuo præcurſore) *venit, priorque virtutum do-*
Tertul. 3. contra Marcion. *cumenta ſignavit: idcircò quaſi locum in balneis, ita fidem occupavit, poſteris quibuſque præripuit*, ſcribit Tertullianus. Prioritas itaque, *in quo* magni ſolet eſſe momenti in ordine ad alia diſtincta à prioritate cauſalitatis. Denique hæc prioritas interdum eſt pura, nempe quando non admiſcetur prioritati à *quo*, neque prioritati *univerſalitatis*, ſiquidem A exiſtere antequam incipiat B, non trahit ſecum, quod B non poſſit exiſtere ſine A, & conſequenter non trahit ſecum illud complexum, in quo ſtat prioritas univerſalitatis rei A reſpectu rei B. Interdum miſcetur cum hac, ſiquidem, quod exiſtit antequam incipiat creatura, poteſt eſſe univerſalius in exiſtendo, quam creatura, ut conſtat ex Deo. Interdum quoque miſcetur cum prioritate *à quo*: quia etiam cauſa ſolet exiſtere per aliquod tempus ante ſuum effectum. Nunquam verò cum prioritate *ſolius rationis*, quoniam hæc poſcit identitatem realem inter prius, & poſterius, alias non foret *ſolius rationis*. Prioritas autem, *in quo*, repugnat huic identitati; quoniam nil poteſt exiſtere in tempore, priuſquam exiſtat illud cum quo realiter identificatur.

60. Prioritas, *à quo*, poſitiva eſt idem, ac prioritas originis, naturæ, ſive cauſalitatis; quamobrem id vocatur prius *à quo*, ſeu prius naturâ reſpectu rei A, quod eſt cauſa, vel ſaltem principium phyſicum, aut morale, aut ſaltem prærequiſitum, conditio, *ſine qua non* reſpectu illius (vide, quæ ſupra dixi de cognitione retrahente ab actione) quia cum natura ſit principium, & cauſa motus, & quietis, hoc eſt, operationis, ac conſervationis, illud vocatur prius poſitivè prioritate naturæ, quod eſt prius prioritate principii, ſive cauſæ: & id ſignificatur illo verbo, *à quo*. Nempe, à quo procedit aliud. Ubi quotidianas cave, & pernicioſas æquivocationes circa hanc prioritatem. Cum ſignificatum magis vulgare hujus locutionis: *Hoc eſt, hoc exiſtit priuſquam illud*, ſit prioritas temporalis; item cum cauſæ paſſim exiſtant prius tempore, quam ſua effecta, ut primum audimus A exiſtere pro priori ad B, apprehendimus prioritatem temporalem, ſeu *in quo*. Hanc autem non eſſe de ratione cauſę mox dicam; quamobrem ſignificatum illius vocis *prioritas* datur ex parte rerum: ſed quod illud ſit prius in vulgari actione prioritatis, eſt mera apprehenſio noſtra cum fundamento dicto. Hoc bene tene, ni paſſim illudi velis.

Digitized by Google

lis. Jam legiſti ab initio hujus diſputationis, quot ſunt ſpecies principiorum, cauſarum, prærequiſitorumque, tot ergo ſunt ſpecies prioritatis naturæ, ſeu cauſalitatis, ſeu *à quo*. Præter illas, Prioritas *à quo* interdum miſcetur cum prioritate univerſalitatis, ut prioritas *à quo*, quam habet Deus reſpectu creaturarum. Interdum non miſcetur, eo quod detur reciproca connexio inter principium, & terminum productum, ut datur inter Patrem æternum, ac Filium. Similiter interdum miſcetur cum prioritate, *in quo*, quia cauſa interdum præcedit tempore ſuo effectui. Interdum non miſcetur, quidquid ſit de repentina apprehenſione, quam, ut nuper dicebam, excitat protinus vox illa *Prius*, exiſtit *pro priori &c.* quia interdum in illo primo inſtanti, in quo incipit cauſa, producit ſuum effectum, eo quod tunc habeat virtutem productricem illius, & omnia prærequiſita ad illum; quia fundamentum non eſt, ut dicamus, Solem in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ fuiſſe tenebris oppletum. Produxit igitur lucem in eo primo inſtanti, in quo incępit eſſe; ergo non fuit prior, *in quo*, ſed tantum *à quo* reſpectu primæ illius lucis. Neque premit, quod graves aliqui DD. dicunt, nempe quod prima operatio creaturæ tribuitur creatori: unde inferunt Angelos non potuiſſe peccare in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ; alias peccatum tribueretur Deo.

61. Non obſtat, inquam; tum quia id fundatur in adagio illo, *qui dat formam, dat conſequentia ad formam* quod in Prodromo explicui, nempe. Sicut qui conſervat formam, non dicitur conſervare privativè conſequentia ad formam, quaſi ille ſolus, non autem hæc, conſervet ſuum proprium effectum, ſiquidem forma ignis, v. g. verè, ac propriè conſervat calorem in ſe ipſo; ſed conſervare conſequentia illa quatenus conſervare ſolet illam formam, ex qua naturaliter procedit conſervatio conſequentium illorum. Ita qui dat, ſive qui primò producit formam, non dicitur dare privativè conſequentia ad formam, quaſi ipſe ſolus producat conſequentia illa; ſed quatenus producit formam, ex qua naturaliter emanant phyſicè illa conſequentia. Itaque cum Sol, cum ignis &c. in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ verè, & ſimpliciter exiſtant, verè, & ſimpliciter habeant virtutem operatricem, ſint reſpectivè applicati ſibi ipſis per ſummam identitatem, poſſitque Deus velle concurrere cum ipſis ad ipſorum naturales effectus, imò ut Author naturalis debeat id velle: non eſt cur otientur in illo primo inſtanti, quandoquidem habent tunc virtutem, & omnia prærequiſita ad operandum. Neque eſt cur apprehendamus illos tanquam novitios in Collegio hujus mundi, qui novitate rerum præoccupati, non audeant quidquam operari in primo eo inſtanti: ſunt enim cauſæ neceſſariæ. Et omnis cauſa neceſſaria operatur quantum poteſt, & quoties poteſt. Tum quia ſi ſermo fuerit de cauſa libera, qualis eſſet Angelus reſpectu peccati in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ, non eo ipſo, quod Deus daret illis eam libertatem, daret omnia conſequentia liberè ex ea, neque omnia id generis tribuerentur Deo; quoniam loquendo de agente rationali, & libero, qualis eſt Deus, id ſolum tribuitur ipſi, quod im-

Digitized by Google

immediatè liberè concipitur ab ipſo, vel mediatè, ac virtualiter aliqua ex illis quatuor virtualitatis ſpeciebus, quas memini num. 8. At quanquam Angelus peccaret in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ (in quo facultatem nec non omnia prærequiſita ad peccandum habere poteſt, & non exiſtit inſtar ſtupefacti novitii, novitate rerum correptus) peccatum illud non conciperetur immediatè liberè per Deum, ut conſtat, ſiquidem non foret exercitium immediatum divinæ voluntatis: neque mediatè, aut virtualiter, ut conſtabit memori illarum virtualitatis ſpecierum. Ergo quanquam Angelus tunc peccaret, neque Deus daret illi peccatum, neque hoc tribueretur Deo, ſed de hoc alibi.

62. Quæres; per quid conſtituitur cauſa prior prioritate naturæ, ſive à quo, reſpectu ſui effectus? Reſp. juxta ſupra datam diviſionem. Vel ſermo eſt de prioritate in actu primo remoto. Vel de prioritate in actu primo proximo ex parte ſolius creaturæ. Vel de prioritate in actu primo proximo, adæquato, & completo, ideſt ex parte creaturę, & ex parte cauſæ primę. Vel de prioritate in actu ſecundo operandi. Cauſa conſtituitur in actu primo remoto, & radicali prior reſpectu effectus, & actionis, qua hunc producit, per ſuam ſolam entitatem, & naturam; quia omne radicaliter, ac remotè capax producendi rem A, eſt in actu primo remoto prius reſpectu rei A, in hac enim radicali capacitate ſola, ſtat prioritas in actu primo remoto; atq; ideò cum ignis A, hic, & nunc procedens ab igne B, ipſoque poſterior in actu ſecundo, ſit radicaliter capax producendi illum, hac de cauſa, quod eſt in actu ſecundo poſterius altero, eſt in actu primo remoto prius illo; quin hæc mutuæ prioritatis ſpecies ſit abſurda. Sed omnis cauſa per ſuam ſolam entitatem, & naturam eſt radicaliter, ac remotè capax producere effectum in eo genere, in quo illum producit. Sicut omnis homo per ſolam ſuam naturam eſt radicaliter capax ratiocinandi. Ergo omnis cauſa per ſolam ſuam entitatem, ac naturam eſt prior in actu primo remoto &c. Prior autem in utroque illo actu primo proximo conſtituitur cauſa reſpectu effectus, & actionis productivæ illius effectus, partim per ſuam entitatem, & partim per omnia metaphyſicè prærequiſita ſupra explicata; quia omne intrinſecè conſtituens eum actum primum proximum, eſt id, per quod ille conſtituitur, & conſequenter eſt illud, per quod cauſa conſtituitur in eo actu primo proximo. Sed omnia metaphyſicè prærequiſita ad effectum conſtituunt eum actum primum proximum, juxta duas illas rationes productas à n. 48. Ergo omnia hæc prærequiſita ſunt id per quod &c.

63. Denique cauſa conſtituitur prior in actu ſecundo effectu per actionem illam, per quam hic, & nunc abſolutè producit illum. Et ſimiliter prior in actu ſecundo, hac actione, per hanc ipſam actionem. Probatur; cauſam eſſe priorem in actu ſecundo reſpectu rei A, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo quod producat actu abſolutè hic, & nunc, aut conſervet rem A. Id enim ſignificant illa verba, & conſervatio eſt continuatio productionis. Ergo per illud eſt cauſa prior in actu ſecundo, per quod actu abſolutè hic, & nunc producit in ſuo genere, aut conſervat illum. At cauſa per actionem ipſam productivam effectus, pro-

producit hunc, & producit quoque eam, ne abeamus in infinitum reflexarum productionum; & quia cum actio ſit actuale, formale, abſolutum, & immediatum exercitium naſcendi ab ea cauſa, per ſe ſolam ab ea naſcitur. Sicut unio phyſica per ſe ſolam unitur, & præſentia per ſe ſolam eſt præſens &c. Ergo. Dices 1. ſi cauſa conſtitueretur prior in actu ſecundo effectu, per actionem hujus productivam, ea eſſet prior effectu. Diſtinguo. Prior, ut quod, nego: quia actio non eſt preſsè loquendo cauſa, ſed exercitium cauſandi. Prior, ut quo, concedo; quia actio eſt cauſalitas, ſeu id, quo in actu ſecundo cauſa cauſat effectum, & conſequenter eſt forma conſtitutiva hujus denominationis *Prior in actu ſecundo*. Unde ſicut albedo non eſt formaliter alba; ſed id, quo ſubjectum eſt album: & calor non eſt formaliter calidus, quia non eſt ſubjectum habens calorem; ſed id quo ſubjectum eſt formaliter calidum, & ſic de aliis. Ita actio productiva effectus non eſt cauſa; ſed id quo actu formaliter cauſa cauſat effectum. Dices 2. ſequeretur actionem eſſe priorem ſaltem, ut quo, ſe ipſa, & cauſam conſtitui priorem per id, quod non, eſt prius, ſed poſterius, cum tamen propter quod unumquodque tale, illud magis. Ambo iſta ſunt vera, nullumque continent abſurdum; quidquid enim ſit de voce illa *prius*, *prioritas*: realitas ſtat in eo, quod ſine alio reflexo exercitio cauſa per actionem ponat ipſam actionem, ita ut hæc ſit unicum formale exercitium, quo & ipſa & ſuus terminus procedunt à cauſa. Sed hoc eſt verum, ut nuper dicebam. Ergo actio eſt prior, ut quo, ſe ipſa, quatenus eſt id, quo cauſa eſt in actu ſecundo prior reſpectu ipſius actionis, & cum ſit poſterior ad cauſam, illam conſtituit priorem ſicut Paterna humana generatio, quæ etiam eſt poſterior ad Patrem, hunc conſtituit priorem. Adagium illud explicui in Prodromo Diſp. 1. num. 86. ubi aperui exceptiones, quas patitur, quarum una eſt res præſens.

64. Ex dictis inferes 1. Etiamſi inſtans temporis fuerit phyſicè indiviſibile, ut multi putant, eſt locus, ut in uno eodemque inſtanti dentur innumera ſigna naturæ, quorum una ſint priora reſpectu aliorum, alia poſteriora, alia neutra. Non enim debes apprehendere ſigna naturæ inſtar cubilium quorundam, in quibus res ſint clauſæ, & quorum unumquodque occupet ſuum ſpatium, ſive particulam ſpatii temporalis, ſicut cellulæ occupare ſolent diverſa ſpatia loci. Abſit ignorantia Grammaticæ philoſophicæ. Signa rerum nil aliud ſunt phyſicè, ac realiter quam res ipſæ. Et ſigna naturæ ſunt cauſæ, atque effectus. At quamvis inſtantia temporis ſint phyſicè indiviſibilia, in eodem penitus ſibi coexiſtunt multæ res, quarum unæ ſunt cauſa, aliæ effectus, aliæ neque cauſæ, neque effectus illarum. Ergo quamvis inſtantia temporis ſint phyſicè indiviſibilia, in eodem nihilominus coexiſtunt, atque temporaliter compenetrantur multa ſigna, quorum una ſunt priora prioritate utique naturæ, alia poſteriora poſterioritate naturæ reſpectu illorum, alia neutra. Relege num. 60. ubi contrariæ apprehenſionis radicem detegi. Inferes 2. quanti momenti ſit, ut jam inſinuavi, quod res exiſtat pro priori, aut pro poſteriori, aut neutro modo in eodem in-

inſtanti temporis : quamque alienum à ratione ſit dicere, v. g. A, & B exiſtunt in eodem penitus momento temporis, & habere ſe pro priori, aut pro poſteriori eſt frivola ſpeculatio. Etenim rem eſſe cauſam, aut non eſſe cauſam, eſſe effectum, aut non eſſe effectum alterius, non eſt frivola ſpeculatio; ſed realitas prorſus neceſſaria ad aſſequendum multas veritates, declinandumque multas falſitates. At ſe habere pro priori, eſt eſſe cauſam; & ſe habere pro poſteriori, eſt eſſe effectum: & neutro modo ſe habere, eſt neque eſſe cauſam, neque effectum. Et totum hoc poteſt, reſpectivè quoad diuerſas res, evenire in eodem temporis momento, tametſi indiviſibile dicatur. Ergo quamvis A, & B exiſtant in eodem momento indiviſibili, non eſt inanis ſpeculatio, ſed realitas valdè neceſſaria, quod ſe habent pro priori, aut pro poſteriori, aut neutro modo.

65. Sic quamvis actio, & advertentia prohibitionis exiſtant in eodem inſtanti: hæc non inficit illam, ſi non ſe habeat pro priori ad illam (quia aliter actio non fiet contra illam retrahentem) ſed pro poſteriore, eo quia actione ipſa excitetur, ut ſolet memoria prohibitionis: quæ memoria, licet in ſequentibus inſtantibus inficiat continuationem illius actionis; aſt non individuam illam in eo primo inſtanti, in quo excitata fuit. Sic quamvis neceſſitas ponendi actionem A, & libertas ad hanc coexiſtant in eodem penitus inſtanti: illa non deſtruit indifferentiam hujus, ſi non ſit pro priori, ſed pro poſteriori ad hanc. Sic evidentia metaphyſica abſolutæ revelationis de futura damnatione, de futura beatitudine, de futuro peccato, poteſt exiſtere reſpectivè in

In Prodromo Diſp. 5. n. 251.

eodem inſtanti, ut alibi explico, cum libertate indifferentiæ ad ſpem obtinendi beatitudinem, ad timorem carendi illa, ad propoſitum non peccandi, ſi evidentia illa ſit pro poſteriori, ut eſſe poteſt; ſecus ſi ſit pro priori ad eas libertates. Eſt ergo non inanis, ſed utilis, & fœcunda hæc philoſophia ſignorum priorum, & poſteriorum, ſi tamen rectè intelligatur, & non incurratur ille error quem notavi num. illo 60.

CAPUT TERTIUM.

De cauſalitatibus, & actionibus.

66. POST cauſas in genere, ac præerequiſita, exponere oportet *cauſalitates*, de quibus philoſophamur, quoad multa, ſicut diſp. 1. philoſophabar de unione. Quinque hic occurrunt quæſtiones. Prima eſt. *Quid ſit metaphyſicè, & in quonam ſtet phyſicè cauſalitas, ſive actio?* Reſpondeo: cauſalitas eſt, cauſam actu, verè, abſolutè ponere in genere effectum, ideſt, phyſicè ſi cauſa fuerit phyſica: moraliter, ſi fuerit purè

Digitized by Google

purè moralis; atqui hoc neque eſt figmentum, neque apprehenſio, ſed veritas, & realitas phyſica; ergo cauſalitas eſt quid verum phyſicum, & reale; non quidem è numero eorum, quæ vulgò vocantur *res*, quia ſunt præcipua, & magis nota analogata hujus vocabuli; ſed è numero eorum, quæ vulgò dicuntur *modi*, quæque tam exiſtunt, & conſequenter participant rationem entis realis, quam illa altera, quæ dicuntur *res*. Cauſalitas igitur, ſive actio, ſive productio, quam *motum* etiam vocat Ariſtoteles infra citandus diſputatione 4. num. 2. eſt *actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium, quo unum cauſat alterum* modo ſibi proportionato. Cumque tot ſint ſpecies cauſarum, quot ab initio hujus diſputationis explicui, jam vides ſylvam cauſalitatum, ſeu actionum, ſeu modorum cauſandi. Cumque cauſæ intrinſecæ, v. g. materia, & forma ſubſtantialis, ſuo quoque modo cauſent, ideſt, conſtituant compoſitum actu abſolutè immediatè per unionem, qua reciprocè copulantur: ideò dixi ſupra unionem eſſe materializationem, ideſt cauſalitatem materiæ, & ſimul informationem, hoc eſt cauſalitatem formæ. Dixi autem quo unum *cauſat*; non autem quo *producit*; quia cum PP. Latini expunxerint in divinis in Concilio Florentino initio hujus diſputationis citato, verbum *cauſa* conſequenter expungendum videtur verbum *cauſalitas*: dicendumque, hanc non eſſe exercitium utcumque *producendi* (alias generatio æterna, æternaque ſpiratio, cum ſint exercitia producendi Filium, & Spiritum Sanctum, eſſent cauſalitates) ſed exercitium cauſandi. Dicitur *exercitium actuale*, quia cauſalitas eſt actus ſecundus, & non mera potentia, qualis eſt actus primus. Dicitur *abſolutum*, quia cauſalitas non expectat conditionem ſuſpenſam. Dicitur *formale*, quia non eſt æquivalens duntaxat. Dicitur *immediatum*, quia nil mediat inter ipſam, & cauſam, aut effectum.

67. Sed in quonam ſtat phyſicè ex parte rerum cauſalitas, ſive actuale hoc exercitium cauſandi? reſpondeo ſtare in actione productiva rei, de qua fuerit ſermo, & ei proportionata, eſſentialiter alligata virtuti effectrici, aut motrici, qua fruitur cauſa A reſpectu rei illius; Explicatur; ſupponendo duo: Primum eſt. Omnis cauſa extrinſeca, vel eſt phyſica, vel moralis, ad hanc enim reducuntur etiam finalis, & exemplaris, ut mox expono. Phyſica. vel eſt efficiens, vel materialis, cujus totum munus eſt, eſſe ſubjectum præſuppoſitum, cui eſſentialiter unitur actio productiva effectus: & quia materia prima in hoc ſenſu cauſat, ſuſtentat, recipit, & patitur formas materiales, idcircò omne aliud quamvis non ſit materia, imò neque corpus, cui eſſentialiter unitur actio productiva alterius, vocatur per analogiam ad materiam primam, cauſa materialis, paſſiva, receptiva, ſeu ſuſtentativa illius alterius. Cauſa moralis, vel eſt motiva aliquo ex illis multis motionum generibus, quæ ſupra memini. Vel eſt directiva, quatenus præcisè, aut primariè ſaltem, nil aliud præſtat quàm docere, aperire, pandere modum, quo res aliqua fieri debet. Et ſic doctrina methoduſque bona Magiſtri, præſcindendo etiam à motione poſitiva, eſt

cauſa

Digitized by Google

cauſa moralis ſcientiæ diſcipuli: quia hunc docet, inſtruit, ac dirigit, ut ſciat. Et ſcientia practica artificis, præſcindendo ſimiliter à poſitiva inclinatione, eſt cauſa moralis artefacti. Et peritia Medici, eſt cauſa moralis ſanitatis recuperatæ ab ægroto; quia hæc, & alia ſimilia, moveant, nec ne: invitent, aut inclinent, nec ne: at certè inſtruunt, dirigunt, & docent, & juſtum non eſt, quod expungantur ex cathalogo cauſarum moralium, ea, quæ pandunt viam efficiendi effectum. Omne namque ſe habens pro priori ad aliud, & non cauſans illud phyſicè, neque retrahens ab illo, eſt cauſa moralis illius; nam prærequiſita etiam ſunt cauſa moralis. At omnia dicta ſe habent pro priori ad effectus dictos: & non ſunt cauſa phyſica illorum, ſed directiva ſolum: & non retrahunt ab illo, quin potius conducunt. Ergo. Quia verò cauſa finalis cauſat, quatenus movet ſui deſiderium, & hoc mediante, movet ad ponendum media opportuna; inſuper quia cauſa exemplaris cauſat quatenus dirigit, & inſtruit artificem circa modum efficiendi artefactum: ideò dixi ambas contineri ſub genere cauſæ moralis.

68. Secundum eſt. In ſchola Peripatetica exploratum habemus, ſi non ex principiis metaphyſicè evidentibus; at ſaltem ex prudentialibus productis initio diſputationis primæ, materiam primam verè, ac ſimpliciter recipere, pati, & ſuſtentare formas multas. Hoc vocatur *Paſſio*, ſicut vocatur illud, quod contingit huic papyro cui affigo hos characteres: & ſicut vocatur illud, quod contigit ei cui vulnus, vibex, aut quidvis aliud infligitur. Rurſus ſimiliter exploratum eſt, multas creaturas phyſicè producere aliqua. Hoc vocatur *actio*, ſeu agere: *Productio*, ſeu, producere. Exploratum ſimiliter, res aliquas movere, & dirigere. Hoc vocatur, *motio*, &, *directio*. Etenim ſicut datur res quædam qua ſubjectum potius eſt album, quàm nigrum, & res illa dicitur *Albedo*, & datur res alia, qua formaliter potius eſt calidum, quàm frigidum, & res illa dicitur *Calor*. Ita datur res, qua unæ cauſæ potius agant, quàm patiantur. Et hæc vocatur *actio*, ſive productio. Et datur res, qua unæ cauſæ patiuntur, & recipiunt, & hæc vocatur *Paſſio*. Et res, qua aliæ cauſæ inſtigant, movent, alliciunt, provocant, & hæc vocatur *motio*. Dico igitur cauſalitates extrinſecas cauſarum extrinſecarum ſtare phyſicè ex parte rerum in eo, quod juxta genus ſuum actu agant, ſeu in actione productiva effectuum non quacunque (poteſt namque aliqua alia oriri ab alia cauſa ſimili) ſed in ea determinata, quæ naſcitur ab illis, quæque eſt per ſe eſſentialiter dependens immediatè ab illarum virtute phyſica, vel morali, prout fuerit cauſa. Unde cauſalitas cauſæ materialis (non quidem reſpectu compoſiti quod ſimul cum forma conſtituit, nam ea cauſalitas ſtat in unione; ſed reſpectu formæ materialis) eſt actualis productio hujus formæ eſſentialiter immediatè unita capacitati paſſivæ, ac receptivæ identificatæ cum cauſa materiali. Cauſalitas cauſæ phyſicæ efficientis ſtat in actione productiva effectus, per ſe immediatè pendente à virtute efficiente, qua fruitur illa cauſa: Cauſalitas cauſæ moralis moventis, aut ſubjectivè, ut volitio loquendi movet determinatque locutionem: aut objectivè, ut finis

movet

Digitized by Google

movet ad media ponenda, meritum ad præmium dandum, demeritum ad pœnam infligendam &c. Hæc, inquam, cauſalitas ſtat in actione productiva effectus, eſſentialiter præſupponente virtutem motivam, quàm habet illa cauſa, præſupponente, inquam, virtutem, aut in ſe ipſa, aut in ſua cognitione, aliave perceptione, prout fuerit cauſa illa. Cauſalitas demum cauſæ moralis non tam moventis, quàm dirigentis, ſtat in actione productiva effectus, eſſentialiter præſupponente virtutem illam directricem.

69. Ratio horum reſpectivè eſt. Actu abſolutè cauſare effectum A, actualis cauſalitas, actualis productio, actualis actio illius non eſt quid purè ideale, ac de genere entium rationis; ſed quid verum, phyſicum, & reale ex parte rerum, intimèque connexum proportionatè cum illo, quod actu cauſat, & cum illo, quod actu cauſatur. Ergo in aliquo verè, & realiter exiſtente, atque ſic connexo debet poni. Sed hoc aliquid, non poteſt eſſe ſola cauſa, aut ſolus effectus, aut complexum ex utroque; nam multoties contingit, quod cauſa, & effectus ſint tales, ut abſolutè poſſint exiſtere in rebus, quin illa cauſa cauſet illum effectum, eo quia hic poſſit naſci à cauſa alia, v.g. ignis A, & ignis B poſſunt exiſtere, quin hic producatur ab illo, ſed à ſolo Deo, vel ab alio igne. Ergo illud aliquid debet eſſe aliquid adæquatè diſtinctum ab utroque. Ergo debet eſſe actio, ab utroque diſtincta. Sed non poteſt eſſe quævis actio productiva ignis B; quia, ut nuper dicebam, aliqua actio hujus productiva poteſt naſci à ſolo Deo, vel ab alia cauſa: & tunc certè ignis A non producet ignem B, ergo debet eſſe talis ſpecifica actio, quæ ſit eſſentialiter pendens ab igne A. Sed non ab igne B utcunque (nam etiam actio, qua hic patitur aliquid, pendet eſſentialiter ab eo, & tamen non eſt actio, qua hic phyſicè producat illud, quod patitur) ſed ab igne A, ut habente virtutem phyſicè productivam ignis B, ergo debet eſſe actio eſſentialiter pendens à virtute ignis A phyſicè productiva ignis B. Sed non pendens, utcunque eſſentialiter, ſed eſſentialiter immediatè, ac per ſe, ne abeamus in infinitum reflexarum actionum. Ergo tandem dicendum videtur, cauſalitatem cauſæ A ſtare phyſicè ex parte rerum in actione, qua hæc juxta genus ſuum cauſat effectum, quo actio eſſentialiter per ſe immediatè præſupponat virtutem illius cauſæ, quæ phyſicè, aut moraliter ſit productiva illius effectus.

70. Hinc 1. Cauſalitas creata eſt accidens: diſtinguitur, namque adæquatè à ſuppoſito. Non eſt qualitas, quia non eſt accidens abſolutum, ſed modale: quoniam omne creatum, actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium ſubeundi aliquam denominationem, quę ex genere ſuo non identificatur cum ſubjecto denominato, (ut identificatur denominatio *identificati*, denominatio *diſtincti*, & ſimiles) eſt modus phyſicus illius ſubjecti. At omnis cauſalitas, ſeu actio creata, eſt id generis. Nam eſt actuale, abſolutum, formale, atque immediatum exercitium, quo cauſa ſubit denominationem actu cauſantis, & effectus denominationem actu cauſati (quæ ſane non

Digitized by Google

identificantur ex genere ſuo cum ſuis ſubjectis denominatis) cum enim hæc duo contingant à parte rei, exercitium eorundem datur à parte rei. Ergo omnis cauſalitas eſt modus, tum cauſæ, tum effectus, interdum intrinſecus ſoli cauſæ efficienti: nimirum quando in ipſa recipitur, & tunc vocatur actio immanens; interdum ſubjecto alii diſtincto, & tunc vocatur actio tranſiens: interdum eſt modus intrinſecus ſoli effectui per ipſum producto, ut eſt creatio animæ rationalis, quæ nullibi recipitur, ſed eſſentialiter unitur ipſi animæ tanquam termino per ipſam producto. Porrò modos non eſſe figmenta, ſed realitates, & entitates quaſdam verè ex parte rerum diſtinctas à rebus, quarum ſunt modi, ſæpè explicui. Sæpiſſimè namque exiſtunt res ſine tali, aut tali modo. Reſpondere autem, Deum etiam exiſtere ſine multis decretis, quæ habere poterat, quin diſtinguatur ab illis; eſt ineffabile, & nobis inintelligibile myſterium divinum intrudere paſſim in creatis. Et hoc eſt explicare clarius, & facilius naturam? Eſt inſuper cauſalitas in loco illo, in quo eſt ſubjectum, in quo recipitur, aut terminus, cui intimè unitur. Conſervatur phyſicè ab illa eadem cauſa, à qua incipit, vel hac deficiente, à ſolo Deo conſervatur juxta exigentiam termini per ipſam producti. Mutatur ſingulis inſtantibus, nam durationes ſunt eſſentialiter ſucceſſivæ, & durationes ſtant phyſicè in actione productiva rerum, ut ſuo loco dixi.

71. Hinc 2. Cauſalitas cauſæ moralis motivæ non ſtat phyſicè in eo, quo cauſa utcunque movet, atque tantum ex parte ſui (idem reſpectivè dic de cauſalitate cauſæ moralis dirigentis) nam cum moveat per ſuam exiſtentiam identificatam utique cum ipſa cauſa morali, ſequeretur cauſalitatem cauſæ moralis identificari cum ipſa: & conſequenter ſequeretur, aut cauſam moralem eſſe metaphyſicè connexam cum ſuo effectu, aut dari poſſe abſolutam, actualem, immediatamque cauſalitatem effectûs, qui actu abſolutè non eſt; quæ ambo ſunt falſa: quapropter exigentia, ſeu allicientia, qua cauſa hæc moralis movet ex parte ſui ad effectum, eſt duntaxat cauſalitas in actu primo. Stat igitur cauſalitas in actu ſecundo cauſæ moralis, non in ſola actione productiva effectûs, eſſentialiter præſupponente virtutem illam realem, vel apparentem, quæ movet; quoniam poteſt Deus, ſic decernere. *Volo tibi conferre hoc bonum non propter tua merita, & preces ex ſe moventes; ſed propter meam liberalitatem, aut propter preces Deiparæ.* Stat itaque cauſalitas hæc in complexo ex ea actione, & carentia actûs aliûs repellentis motionem ex illa cauſa (Agentia enim libera fungi ſolent libertate, non ſolum, quoad ſubſtantiam ſuæ operationis, ſed etiam, quoad motionem ex tali, vel tali motivo) quoniam hoc complexum videtur ſufficiens, ut cauſa moralis cauſet hic & nunc abſolutè ſuum effectum: & hoc ipſo, quod hic producatur, ſeu concipiatur hoc modo, eſt actu abſolutè ex motione illius cauſæ, & propter illam in genere cauſæ moralis. Unde cum omnis cauſa finalis ſit cauſa moralis, tum ſuæ intentionis, tum mediorum neceſſariorum

rum

rum ad ipſam; eo, quod finis cauſet quatenus excitat, & movet ſui cupiditatem, executionemque mediorum: ideò cauſalitas, qua finis cauſat intentionem ſui, atque media, ſtat phyſicè in actione productiva illius intentionis, eſſentialiter præſupponente virtutem attractivam finis ipſius, nec non carentiam aliûs actûs voluntatis repellentis motionem ex illo; quando liberum eſt voluntati repellere illam motionem. Hæc autem actio eſt modus extrinſecus utique cauſæ moralis; quando ſit è numero creaturarum, quia de conceptu modi eſt eſſe creaturam, ſiquidem modus ex ipſis terminis innuit imperfectionem: quapropter quando actio ea ſit entitativè divina, non eſt modus, licet ſit actuale, abſolutum exercitium ſubeundi aliquam denominationem: nempe eſt denominatio ex genere divino, & quidem intrinſeca, & conſequenter identificata cum Deo. Similiter cum cauſa exemplaris ſit etiam cauſa moralis, dirigens ad artefactum: cauſalitas ipſius ſtat in actione hujus productiva, eſſentialiter præſupponente virtutem directricem exemplaris, nec non carentiam actus repellentis attentionem ad illud exemplar, directionemque ex illo.

§. II.

72. S*Ecunda quæſtio; quotuplex ſit ratione ſui ipſius, & non tantum ratione cauſæ actio?* Reſpondeo eſſe multiplicem. Nam 1. Alia eſt divina, alia creata. Divina alia eſt entitativè in ſe ipſa divina ob totalem identitatem ſui cum Deo, ut actiones vitales Dei, in quarum intelligentia, quoad concordiam libertatis, & identitatis cum Deo, in quo nil eſt, quod non ſit Deus, plus laborant homines, quam in intelligentia Sanctiſſimæ Trinitatis; & nihilominus DD. athomiſtæ, qui promittunt explicare brevius, clarius, & facilius res naturales, quàm Peripatetici, actionibus his divinis explicant modificationes, & combinationes athomorum non diſtingui à ſubſtantia ipſa athomorum. Egregia ſanè explicatio, & facilitas! Et hoc eſt lucrum comparatum ex diſceſſione tam ſtrepitoſa, nempe quod loquendo de rebus creatis, poſſit una exiſtere phyſicè abſque altera, & tamen non diſtinguatur ab illa? At aliqui ex Peripateticis per hunc eundem angiportum fugere conantur à ſimili argumento, quo impugnantur in aliis ſuis concluſionibus. Fugiant illi, quid ad me? Adoriantur illos athomiſtæ, non me, quia propter inſinuatam rationem mihi illa diſplicent, cum nuſquam audierim illam ſolvi; quantunque verba ſupra verba ingeminentur. Sed de hoc alias. Alia actio dicitur divina, non entitativè; ſed denominativè, quatenus videlicet à Deo ſpecialiter procedit: & tales ſunt actiones prorſus miraculoſæ, tametſi entitativæ creatæ, quia licet Deus poſſit donare creaturæ phyſicam facultatem patrandi miracula, aſt de facto nullum ſtrictè miraculum ſit phyſicè, niſi à ſolo Deo, quamvis moraliter ratione pre-

Digitized by Google

cum, & meritorum fiant à Deipara aliiſque Sanctis. Item auxilia ſupernaturalia, quibus Deus illuminat, quando vult, quandiu vult, & quomodo vult omnem hominem, venientem in hunc mundum, licet ſint entitativè creata. Videlicet actus quidam noſtri intellectus, aut voluntatis, ſunt actiones divinæ denominativè: quia ab illo ſolo procedunt, qui ſolus facultatem habet ſcribendi legem ſuam in cordibus noſtris. Imò cum omnes prorſus actiones creatæ ſimul, ac indiviſibiliter procedant à ſuis cauſis creatis, à divinaque Omnipotentia, poſſunt largo modo vocari actiones divinæ. Unde invaluit vox illa. *Concurſus divinus in actu ſecundo*; qui concurſus eſt à parte rei entitativè creatura, nempe illa eadem actio, qua operatur creatura juxta ſententiam docentem, Deum concurrere ad omnes effectus creatos per eandem actionem, per quam concurrit creatura; eſt tamen *divinus* denominativè duntaxat.

73. Actio entitativè creata eſt duplex. Alia eſt creatio; alia eductio, de quarum quidditate, atque diſtinctione mox. Eductio alia eſt ſimpliciter *interna*, nempe quæ immediatè procedit à voluntate, ut actio, qua amamus, odimus, volumus, nolumus &c. Et ſolæ hujuſmodi actiones ſolent eſſe immediatè liberæ, in eiſque ſtat formaliter, ac primariè, tanquam in radice, meritum, aut demeritum. Alia *externa*, vel ſimpliciter, & abſolutè, ut actio ambulandi, loquendi, ſcribendi, vel externa ſecundum quid, ut actio intelligendi, quæ dici ſolet *externa*, non quidem abſolutè, cum ſatis conſtet eſſe actum, ſive operationem internam; ſed ſecundum quid, atque ad actum voluntatis, qui cum immediatè procedat à voluntate, magis internus cenſetur. Et actiones id generis, quæ liberæ fuerint, mediatè tantùm ſunt liberæ, quia præſupponunt actum alium magis immediatè liberum videlicet imperium, ſeu volitionem efficacem ſui ipſarum; & conſequenter plerunque, ſed non ſemper, juxta alibi dicenda, actiones hæ non ſunt formaliter in ſe ipſis meritoriæ, aut peccaminoſæ; ſed tantum denominativè à bono, vel malo imperio voluntatis, ex quo procedunt. Rurſus actio ſimpliciter externa alia eſt *creativa*, v.g. actio, qua Deus ſolus producit Angelos, animas rationales, materias primas, quæ actio creativa eſt, nec non ſimpliciter externa reſpectu Dei, cum non ſit entitativè divina. Alia purè *eductiva*, ut actio, qua accendis lignum convertens ipſum in ignem.

74. Præterea eductio externa, alia eſt entitativè *naturalis*, ut omnes iſtæ, quæ paſſim contingunt: alia entitativè *ſupernaturalis*, ut productio unionis hypoſtaticæ, quæ profectò eſt externa reſpectu Dei, qui ſolus poteſt facere eam arcanam, atque indicibilem unionem, ut loquitur Cyrillus; & eſt ſupernaturalis, ob hanc eandem rationem: & eſt eductio, quia non conſtat unionem illam factam fuiſſe per creationem; & eſt corporea, utpote ex ſua eſſentia affixa humanitati corporeæ. Ulterius actio eductiva alia eſt *immanens*, nimirum quæ eſſentialiter habet uniri principio eidem, à quo phyſicè procedit: & tales ſunt omnes actiones vitales, undè nulla actio creata eſt immanens

Digitized by Google

nes reſpectu Dei. Alia eſt *tranſiens*, non quia duret unicum inſtans (nam cum omnes actiones creatæ ſint durationes ſuorum terminorum, omnes ſunt in hoc ſenſu tranſeuntes, quia omnes ſunt ſucceſſivæ) ſed quia unitur rei diſtinctæ à principio, à quo ipſa egreditur, ſive res fuerit terminus per ipſam creatus, & conſequenter non ſit ſubjectum, in quo recipiatur, ut contingit animæ rationali reſpectu ſuæ creationis: ſive res illa ſit ſubjectum, in quo recipiatur actio illa, eo quia per illam non producatur, ut contingit in aliis actionibus tranſeuntibus. Unde omnes actiones entitativè creatæ ſunt reſpectu Dei tranſeuntes. Neque dicas actionem omnem in ipſo ſuo *egredi* recipi in agente ſuo, & conſequenter eſſe tunc immanentem; tum quia egreſſus hic non eſt localis, ſicut quando egredimur domo, ita ut actio per aliquod inſtans hærere debeat in agente, ſicut nos hæremus in limine per quod egredimur. Abſit peſſima intelligentia phraſis illius *egredi ab agente*, ſed ſtat in eo, quod agens ponat, efficiat, exerceat rem, de qua fuerit ſermo; atqui quando accendis ignem, v. g. in pulvere, illum huic applicando, neque per unicum inſtans, neque in ipſo limine tuo, neque in ipſo ponere, aut efficere, ponis, vel efficis in te ipſo illam applicationem ignis, aut pulverem. quia hęc applicatio ſtat phyſicè in illa utriuſque præſentia, quo in ſolo utroque reſpectivè recipitur; ergo actio illa, neque in ſuo egredi eſt in te. Ergo nuſquam eſt immanens.

75. Tum quia cum non detur actio reflexa actionis, actio quælibet eſt ſuum egredi à ſuo agente. Ergo dicere omnem actionem in ſuo egredi, recipi in agente, eſt dicere actionem omnem in ſe ipſa, recipi in agente; & quid eſt hoc? Si enim ſignificat actionem in inſtanti temporis, in quo ponitur ab agente, recipi in ipſo, & poſtea recipi in paſſo diſtincto, jam vides improprietatem: ſcilicet quod eadem numero, & individua actio tranſeat de uno ad aliud, & in uno inſtanti ſit hic, in alio verò ſit alibi: experiris etiam falſitatem, nam quando accendis ignem, neque in uno inſtanti experiris ignem in te ipſo, aut in chalibe, aut in ſilice. Falſa itaque, vel purè metaphorica videtur illa locutio, quod actio, in ſuo egredi, ſit per receptionem in agente. Ad hæc. Actio immanens alia eſt vitalis, alia non vitalis. Vitalis eſt illa quam agens ponit *à ſe, in ſe, & per ſe*, de quo ad libros de Anima. V. g. actio, qua nutrimur, ideſt, qua producimus unionem materiæ alimenti cum noſtro corpore, & anima, quæ actio in origine, non autem in ſe ipſa, eſt libera nobis, item actio qua ſentimus, ſeu objectum percipimus per ſenſum internum, phantaſiam, aut per externum, v. g. per tactum, per oculos, per auditum &c. item actiones quibus apprehendimus, judicamus, diſcurrimus, volumus, nolumus &c. Non vitalis eſt illa, quæ recipitur quidem in ſuo agente, aſt hoc neque nutritur illâ, neque ſentit, neque intelligit, neque voluntatem exercet, v. g. actio, qua ſaxum, vel cadaver producit in ſe ipſo præſentiam ſuam. Item actio loco motiva, qua noſtrum movemus corpus ab uno in alium locum; quoniam licet actio hæc arguat vitam, ideſt, unionem noſtræ animæ

cum

cum noſtro corpore, eo quia illa nequit movere corpus, cui non eſt unita; at non eſt formaliter in ſe ipſa vitalis, quia non eſt nutritio, aut ſenſatio, aut immediatum exercitium intellectus, vel voluntatis. Denique actio vitalis poteſt eſſe entitativè ſpiritualis, ut actio qua exercetur intellectus, & voluntas. Vel entitativè corporea, ut actio nutritiva, ſenſitiva, imaginativaque, quam beſtiæ, & nos dormientes, exercemus. Omnes has ſpecies, ac diviſiones datas ſub nomine actionis, intellige ſimiliter ſub nomine cauſalitatis.

§. III.

76. Quæſtio tertia; *quid ſint creatio, & eductio*? quodnamque inter ambas diſcrimen? Reſpondeo. Creatio eſt *productio rei ex nihilo*. Eductio eſt *productio rei ex aliquo*. En præcipuam, ne dicam unicam, originem novaantiquæ Philoſophiæ DD. athomiſtarum, quam vermibus ferè conſumptam, primi, ut jam adverti, & etiam notarunt alii, vivificare per partes, atque initialiter conati ſunt, duo inſignes Medici: unus Complutenſis *Valles*, qui materiæ primæ negationem, aut potius dubium, renovavit: alter Salmanticenſis, *Pereyra*, qui in authomata convertit animalia cuncta irrationalia, per metamorphoſim pluſquam Poeticam; quibus poſtea ſubſcripſit Sebaſtianus Baſſon Medicus etiam, explicans formas materiales per viam combinationum diverſarum athomorum: ita ut tres Medici Authores fuerunt hujus novantiquitatis, judicantes elici poſſe canones univerſales pro tota natura, ex privatis anathomicis experientiis, quæ utiliſſimæ quidem ſunt, & copioſam lucem Philoſophiç affuderunt; ſed impares ſtabiliendo canones univerſales pro cunctis protſus entibus naturalibus. Origo, inquam, ſunt hæ duæ definitiones. Apprehendunt aliqui rem creari, eſſe, fieri *ex nihilo*, quaſi ex parte rerum detur res aliqua, quæ ſit nihilum, & ex illa formetur id, quod creatur, ſicut veſtis ex panno, aut ſtatua ex marmore. Sed jam vides ruſticitatem hujus apprehenſionis. Putant alii, rem fieri *ex nihilo*, ſtare in eo, quod ante ipſam fuerit nihilum ipſius, hoc eſt, quod aliquando non fuerit res ipſa, ſed ſua carentia: & ſic fit ex ligno. Sed omnes, qui opinantur potuiſſe Deum producere ab æterno aliquam creaturam, negant hanc intelligentiã illius definitionis, ajentes non eſſe de conceptu rei creatæ, quod aliquando non extiterit ipſa, ſed extiterit ſua carentia, ſive ſuum nihilum. Opinantur alii, rem fieri ex nihilo, eſſe rem fieri ſimpliciter de novo, ita ut modo cauſa A, faciat illud, quod prius non erat quoad ſubſtantiam, & entitatẽ ſuam. Cumq; nulla creatura poſſit facere ex nihilo, quia nulla poteſt creare, ideo authores hi docent nullam creaturam poſſe facere quippiam de novo quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modificationem, ſeu combinationem unarum athomorum cum aliis: ſicut tota diverſitas in latrunculorum ludo conſiſtit in diverſis combina-

P. Gabriel Daniel p. 2 pag. mihi 129.

na-

Digitized by Google

nationibus, modificationibus, ſitibuſque illorum eorundem inſtrumentorum ludi. Cum his DD. fusè egi diſp. 3. Ratio non tam fuit multiplex, quàm una compoſita ex multis titulis, quorum ſinguli non ligant omninò intellectum evidentiâ prorſus metaphyſicâ, complexio tamen ex omnibus, rem ponit intra terminos evidentiæ moralis, cui intellectus docilis (quidquid ſit de pervicace, aut novitatum amante, quos non curo) contradicere nequit; quod etiam contigit reſpectivè in Religione: quoniam licet ſingula argumenta credibilitatis non evincant: item licet complexum ex omnibus non faciat prorſus metaphyſicè evidentem noſtram Religionem, ſicut *bis tria, ſunt ſex*. Attamen complexio ex omnibus illis, ita reddit illam moraliter evidentem, ut non niſi temerè poſſit intellectus diſſentire (atque hanc ob cauſam haud immeritò abſtinent aliqui verbo illo *argumenta*, & utuntur hoc *argumentum credibilitatis*, quia re vera eſt unicum, ſed compactum ex multis titulis) Sic autem cultum, præparatum, & irrigatum intellectum per extrinſecum miniſterium Pauli, v.g. & Apollinis, Deus intrinſecus illuminat ſuis inſpirationibus, interdum efficacibus, & ſic Deus incrementum dat: interdum inefficacibus, quia mediat libertas indifferentiæ, quam Deus conſervare vult in homine, & ſic ob hujus culpam non fructificat Evangelii ſemen. Lege parabolam exeuntis ad ſeminandum. *Math. 13.*

77. Igitur ſumma titulorum, quibus conſtat argumentum illud eſt. 1. quia cum hi DD. maximè ſibi blandiantur de ſua novantiquitate, eo quod clariùs, faciliùs, breviùſque explicet phænomena naturæ: & cum ſenſus ipſi oſtendant, multas res fieri poſſe ſimpliciter de novo, quoad entitatem, quæ paulo ante non erant, nullo poſitivo efficace argumento refringunt hi DD. illas univerſales, quoad ſæcula, & cunctos mortales, experientias, prout refringuntur illæ, quæ revera decipiunt ſenſus. 2. quia in tot, ac tam etherogeneis combinationibus, ac modificationibus tot athomorum, quoad numerum, quoad ſitum &c. non explicatis per hos authores, nec quoad nomen ſaltem, niſi ſub illis abſtractis vocibus *ſic, & ſic, taliter, & taliter* incurrant verè, & ſimpliciter coram hominibus in illam candem confuſionem, quam propter multitudinem formarum immeritò exprobrant Peripateticis. 3. quia enervant, & frivola reddunt cuncta argumenta naturalia, ad probandum eſſe in hominibus animas rationales immortales, quoniam Atheiſta quilibet ex eis, qui dicunt *comedamus, & bibamus; cras moriemur*: *Iſai. 22.*
Item. *coronemus nos roſis antequam &c.* poteſt transferre totam horum *Sapient. 2.*
Magiſtrorum doctrinam ad animam rationalem, quin ullum ſuppetat argumentum in natura ad refutandum illum, ſi vera ſit doctrina iſta: unde conficitur illam multum probare, & conſequenter nil. 4. quia ſequetur, nos in toto vitæ decurſu nil verè, & ſimpliciter agere (quidquid ſit de luſu, & abuſu terminorum) ſive quoad bonum, ſive quoad malum, ſive quoad actus indifferentes: unde in negotio ſalutis noſtræ *Seſs. 6. can.*
haberemus nos purè paſſivè contra Tridentinum. 5. quia cauſæ viventes non nutrirentur unquam de novo, quoad ſubſtantiam, non ſentirent unquam de novo, quoad ſubſtantiam, non intelligerent, non *4.*

vel-

vellent, non amarent de novo quoad ſubſtantiam harum operationum, ſed vel nuſquam haberent hos actus: vel ab initio habuiſſent illos omnes, quoad entitatem, & ſubſtantiam bonos, & malos, meritorios, ac demeritorios, oppoſitos, & non oppoſitos: quod tam longè abeſt à majore facilitate, brevitate, ſimplicitate, & perſpicuitate, quam pollicentur hi DD. in ſuo ſyſtemate, ut palam appareat, vel erroneum, vel ſaltem mutatio ſignificationum vocum latinarum; & non tam ſit novum ſyſtema rerum, quam novum dictionarium verborum. 5. quia innituntur valdè quaſi firmiſſimæ columnæ opinionis ſuæ, doctrinæ aliquatenus ſimili aliquorum Peripateticorum in aliis quæſtionibus: quaſi duo, aut tres homines, licet alias illuſtres, pares ſint dando regulam ſcholæ toti Peripateticæ, & quaſi ceteri non repellamus illos in eis quæſtionibus, ſicut athomiſtas repellimus in hoc. 6. quia cum ipſa modificatio, ipſa combinatio athomorum ſit quid verum, & reale: & cum hæc individua combinatio, ſeu modificatio, ſeu nomen aliud, quod voluerint, in qua per illos ſtat ignis nuper accenſus, non fuerit paulò ante: & ſit realiter ſimpliciter diſtincta ab entitate, ac ſubſtantia illarum athomorum, quandoquidem hæ phyſicè exiſtebant ſine illa: rationabiliter concluditur, quidquid ſit de prurigine contradicendi, aliquid phyſicum, & reale, ſive modale, ſive combinabile, ſive quodcunque aliud novum habeat vocabulum, fieri de novo, quoad ſuam entitatem.

78. Sed mira prorſus, & incredibilis eſt facilitas, claritas, & brevitas, qua ſe explicant ab hoc argumento. Nimirum eam modificationem, & combinationem non diſtingui ab entitate, & ſubſtantia athomorum, quia nec actus divini liberi diſtinguuntur ab entitate, & ſubſtantia Dei. O mira claritas! ò ſtupenda facilitas, & brevitas explicandi phęnomena naturæ! quoties volat una muſca, quoties rudit ille, quoties pungit pulex, quoties ſtertit canis, ideſt, quoties datur modificatio, & combinatio athomorum, quæ prius non dabatur, cum tamen darentur illæ athomi eædem: quoties, inquam, contingunt hæc, contingit arcanum illud ineffabile myſterium actuum divinorum, ad quod credendum opus eſt captivare intellectum in obſequium fidei docentis has duas veritates. *Deum potuiſſe non decernere exiſtentiam hujus mundi. Deum eſſe puriſſimam ſubſtantiam ſine contagione ullius rei creatæ.* Hæccinè eſt illa major decantata facilitas, claritas, & brevitas in explicando naturam? quod proferunt hi Magiſtri argumentum, ut captivemus intellectum, quoties accenditur lucerna, quoties concoquimus cibos, quoties canis blanditur cauda, ut judicemus athomos verè, & ſimpliciter extitiſſe, quoad entitatem, & ſubſtantiam, ante has combinationes, ac modificationes; non tamen diſtingui, quoad ſubſtantiam, & entitatem ab illis? Argumentum igitur compactum ex his titulis, quos ſimul cum aliis produxi diſp. 1. evidentia ſaltem morali probat iſtam novaantiquitatem non eſſe admittendam ab intellectu ſerio, & virili, quamvis alias, non ſit prorſus inepta pro ſcholis Poeticis, & pro animis junioribus, novitatem amantibus, ſicut in veſte, in calceis,

in

in capillitio, ita in doctrinis. Condona mihi ingenue lector hunc brevem regreſſum ad ea, quæ ſcripſi initio diſp. 1. ſciens me non negare agentia naturalia, ſæpiſſimè operari, combinando præcisè unas res cum aliis, ut Pictor combinat colores, ut Architectus diſtribuit materialia ædificii, ut ego modo diſtribuo atramentum, combinoque characteres ad formandum dictiones. Sæpiſſimè, inquam, ita accidit. Sed ſæpiiſſimè etiam operantur de novo, & faciunt id, quod paulò ante non erat. V. g. hanc eandem combinationem, hanc eandem diſtributionem, hanc eandem modificationem rerum, quæ ſanè non eſt figmentum, quæque eſt realiter diſtincta ab entitatibus, quæ combinantur, quæ modificantur, quæ coordinantur. Item motum localem, calorem, formam ignis &c.

§. IV.

79. Senſus ergo illarum definitionum eſt, quem toties ibi inculcavi. Rem fieri ex nihilo, ſive creari, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo ſolo, quod *producatur per actionem ex ſua eſſentia nulli penitus ſubjecto præſuppoſito unitam*, ſed ſoli termino, per ipſam producto, quando is diſtinctus eſt, ſecus quando non eſt diſtinctus; quia id eſt, quod convenit omni, & ſoli actioni creativæ. Sic unitur ſoli Angelo actio productiva ipſius, & eſſentiâ ſuâ repugnat uniri immediatè alii, quidquid ſit de actione reflexa, qua poſſit, aut non poſſit, produci, & uniri ſubjecto per ipſam non producto. Sic actio productiva animæ rationalis eſſentiâ ſuâ habet non uniri immediatè, niſi ipſi animæ. Sic productio materiæ primæ eſſentiâ ſuâ habet non uniri immediatè, niſi ipſi materiæ primæ. Sic conſervatio quantitatis Euchariſticæ eſſentiâ ſuâ habet non uniri immediatè, niſi ipſi quantitati. Creatio autem ipſa, eſt formaliter creatio ſui ipſius (quia non datur actio actionis) quin ſibi ipſi uniatur: nempe quia ſecum ipſa identificatur; & illa ſunt, quæ de facto producuntur per creationem. Ergo illa definitio convenit omni creationi hactenus notæ. Deinde ſoli; quippe cætera omnia producuntur per actionem eſſentialiter unitam alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito, ideſt, tanquam ſubjecto per ipſam non producto. Ergo illa definitio omni, & ſoli creationi convenit. Et illa, quæ naturaliter creantur ex ſua natura habent produci per ejuſmodi actionem. Similiter, atque ob ſimilem rationem, rem annihilari, eſt deſitio rei, quæ à nullo ſubjecto præſuppoſito pendebat ex ſua natura: ſeu rei cujus *naturalis productio* non erat eſſentialiter unita alii ſubjecto; & actio annihilativa (impropria locutio, quia nihilum non eſt aliquid phyſicum, ſed purum non ens) eſt ſuſpenſio divini concurſus ad illam rem. Cumque Deus liberrime conſervet rem; ſicut liberrime producit illam, idcirco, *ſubſtantiæ omnes creatæ, ſive ſpirituales, ſive corporeæ per ipſum poſſunt ad nihilum redigi*, contra quod

aliqui cenſebant, meritò cohibiti in ſcholis noſtris. Atqui ex eo, quod aliquid producatur ſimpliciter de novo, quoad entitatem, quod abhorrent prædicti Authores, non ſequitur, quod producatur per actionem eſſentialiter non unitam ſubjecto præſuppoſito: quoniam per actionem ei eſſentialiter unitam poteſt forma ignis produci de novo, quoad entitatem, in materia, quæ nuper erat ligni. Et nulla cauſa creata poteſt operari niſi ſic, ideſt, niſi in ſubjecto aliquo non producto per individuam eam productionem, & conſequenter præſuppoſito negativè ad illam (quod non tollit aliquando præſupponi etiam poſitivè, nempe quando recipit, & ſuſtentat diſpoſitiones poſitivè prærequiſitas ad eam operationem) Ergo ex eo, quod aliquid producatur ſimpliciter de novo, non ſequitur, quod creetur, aut fiat ex nihilo in ſenſu ſignificante creationem, ut timent illi, licet ſequatur fieri ex nihilo in ſenſu alio diſparato, nimirum fieri id, cujus nihilum, ſive carentia dabatur paulò ante.

80. Neque ſequitur fore, ut terminus creationis ſit pro priori ad illam; quoniam licet ſit de ratione *ſubjecti* unionis, eſſe cauſam paſſivam hujus, quia id innuit vox illa *ſubjectum*; non tamen eſt de ratione illius, quod eſt merus terminus unionis; atqui anima rationalis, v. g. non eſt ſubjectum, ſed terminus unionis reſpectu ſuæ creationis: quia hæc unitur illi, non tanquam rei aliunde exiſtenti, ſed tanquam rei per ipſam productæ. Ergo. Fateor, quod in eo ſigno priore creationis reſpectu animæ datur unio creationis (nempe ipſamet creatio) cum anima; ſed in eo priori non datur anima; quia non omne ſignum unionis eſt per identitatem, ſed ſolum per metaphyſicam connexionem, ſignum termini, ſeu extremi uniti. Cum enim ſignum rei non ſit aliqua burſa, vel cubile, in quo res claudatur, neque aliqua particula inſtantis, quod occupat illa ſola res, ut ſupra adverti; ſed ſit phyſicè, & realiter res ipſa, ſequitur quod, animam non eſſe in eo ſigno, in quo eſt unio creationis, nil aliud ſit, quàm animam non identificari adæquatè, aut inadæquatè cum ea unione. At quanquam hæc neque divinitus ſit realiter ſeparabilis ab anima: imò quanquam neque ſit mentaliter præſcindibilis ab anima (eo quia nequimus cognoſcere fundamentum connexionis, ut tale, quin per eandem cognitionem apprehendamus ſaltem terminum, ut dixi in Prodromo diſp. 5. num. 130. veruntamen ſubſiſtit, quod anima, neque adæquatè, neque inadæquatè identificatur cum ea unione creationis, ideſt, cum creatione ipſa, ut patet. Ergo. Et hinc habes jus, quo anima rationalis, tametſi nunquam producatur à Deo, antequam uniatur materiæ; naturaliter tamen conſervatur poſt ſeparationem ab illa. Nam quoties naturaliter exiſtit conſervatio rei, naturaliter exiſtit res. At quoties ſolvitur unio animæ rationalis cum corpore, naturaliter exiſtit conſervatio animæ, quia eſt actio, quæ ex ſua eſſentia habet non uniri immediatè per ſe materiæ, ſed ipſi ſoli animæ, & connexio metaphyſica cum anima ſuapte natura connexa cum materia, eo quod ſit entitas ſubſtantialis incompleta, non infert illam conſervationem eſſe connexam cum ma-

materia: ſiquidem fundamentum metaphyſicè connexum cum fundamento connexionis naturalis, non ſemper connectitur adhuc phyſicè cum termino, ut probavi in Prodromo diſp. 5. num. 158. Ergo. Cæteræ autem formæ naturaliter deficiunt ſoluta unione ipſarum cum materia, quia earundem propria conſervatio, ex ſua eſſentia unitur materiæ, eo quod ſit eductio. Ergo, ut tunc conſervarentur illæ formæ, opus erat actione alia miraculoſa.

81. E'converſo. Rem educi de potentia ſubjecti (quam eſſe locutionem metaphoricam explicui diſp. 1.) ſeu fieri ex aliquo ſtat phyſicè ex parte rerum, in eo, quod producatur per actionem eſſentialiter unitam alteri, tanquam ſubjecto præſuppoſito negativè ſaltem. Et rem eſſe naturaliter educibilem, eſt quod naturâ ſuâ poſcat ejuſmodi actionem. Hoc enim convenit omni, & ſoli eductioni. Sic formæ materiales educuntur de potentia materiæ; non quod imbibantur intra unum, aut multos ſinus hujus, ſicut gemelli intra viſcera matris. Abſit poetica apprehenſio, aut decumanus ſolœciſmus in grammatica phyloſophica; ſed in eo, quod omnes illæ producantur per actionem eſſentialiter unitam illi, tanquam ſubjecto præſuppoſito ſaltem negativè, ideſt tanquam rei non per hanc actionem, ſed per aliam productę. Sic actus ſupernaturales intellectus, & voluntatis, ſic gratia ſanctificans, ſic unio ipſa hypoſtatica, & reliqua ſuperna chariſmata, educuntur non ex potentia naturali, ſed obedientiali naturæ, quia hæc omnia producuntur per actionem eſſentialiter unitam naturæ, non productæ per actionem ipſam. Sicut rem corrumpi eſt deſitio rei, cujus *naturalis productio* eſſentialiter unitur alii ſubjecto; & actio corruptiva poſitivè eſt, qua in ſubjecto producitur aliquid oppoſitum naturaliter cum illa productione; corruptiva autem merè negativè, eſt ceſſatio conſervationis rei, naturaliter productæ productione illa. At quod creaturæ non poſſint operari, niſi per actionem alicui ſubjecto præſuppoſito eſſentialiter unitam, non probat, quod non poſſint facere aliquid ſimpliciter de novo, quoad ejus entitatem, v. g. quod ego non poſſim ſcribere, niſi in aliquo ſubjecto, puta, carta, non probat me non facere ſimpliciter de novo hos characteres, has lineas, quoad entitatem talium characterum, talium linearum, quæ profectò paulò ante non erant in rebus, *ut tales characteres*, & *tales lineæ*, ideſt, non erat atramentum ſub tali vera, & reali modificatione, ac diſtributione, quæ modificatio eſt realiter entitativè diſtincta ab entitate atramenti, alias omnis caſus, in quo daretur entitas atramenti, foret caſus, in quo daretur cum hac individua modificatione, niſi ad explicandum clariſſimè, ac breviſſimè hoc proferas clariſſimum illud, & breviſſimum ſolitum exemplum Dei, reſpectu actuum ſuorum liberorum, quod eſt myſterium nobis prorſus in intelligibile pro hoc ſtatu, & in cujus obſequium neceſſe eſt captivare intellectum. Ergo ex eo, quod creaturæ nequeant operari, niſi per eductionem, ex eo, quod omnia quæcunque faciunt, faciant *ex aliquo*, & *in aliquo* non ſequitur illas non poſſe facere quidquam ſimpliciter, & quoad enti-

Digitized by Google

entitatem de novo, quamvis ſæpiſſimè non faciant de novo, novitate appellante ſupra res illas, quæ combinantur, coordinantur, modificantur &c. quæ duo novitatis genera oportet diſtinguere, ut jam inſinuavi num. 78. & ex unis, ac etiam plurimis caſibus particularibus, non elicere canones prorſus metaphyſicè univerſales, ut diſp. 1. adverti. Concedo agentia naturalia *multoties* non facere de novo, quoad entitatem. Nego, quod *ſemper*.

82. Hinc 1. Quemadmodum non repugnat, quod idem corpus ſit in uno loco per præſentiam circumſcriptivam, & in alio, per definitivam, ut contingit corpori Chriſti Domini. Ita non repugnat rem per unam actionem creari, & per aliam educi, poſito, quod gemina actione totali, à duplici cauſa totali producatur. quoniam non repugnat, quod una; ſecus altera, ex eis duabus actionibus, habeat ex ſuâ eſſentiâ uniri ſubjecto præſuppoſito. Sed eo ipſo hæc, ſecus altera erit eductio. Ergo. In hac autem Hypotheſi res illa penderet, & ſimul non penderet à ſubjecto præſuppoſito, ſed per actiones adæquatè inter ſe diſtinctas, atque inconnexas, & à quibus ipſa quoque res diſtincta foret, & cum quarum neutra connecteretur eſſentialiter determinatè. Quod ſi dixeris. Nil quod creatur, exiſtit dependenter à ſubjecto præſuppoſito, ut patet in anima rationali. Item, nil quod exiſtit dependenter à ſubjecto hoc, creatur, ut patet informis materialibus. Concedo ambo, ſi referantur ad actionem eandem. Item quamvis referantur ad actiones diverſas, ſi duæ iſtæ propoſitiones procedant in ſenſu phyſico, & merè naturali; ſed nego ambo, ſi referantur ad actiones diverſas, & procedatur in ſenſu metaphyſico, ac inſpecta abſoluta potentia Dei. Similiter, quemadmodum quantitas Euchariſtica, quæ naturâ ſuâ producitur per eductionem, conſervatur ibi per actionem independentem à ſubjecto præſuppoſito. Ita formæ materiales, & alia accidentia abſoluta, naturâ ſuâ producibilia per eductionem, poſſunt produci à Deo per creationem. Et ita etiam termini abſoluti naturâ ſuâ creabiles, poſſunt forſan divinitus produci per actionem eſſentialiter affixam, & unitam ſubjecto alicui, per ipſam non producto; quoniam hic non eſt alia difficultas, quàm violatio exigentiæ, & connexionis, oppoſitioniſque naturalis horum

Luc. 1. terminorum. *Non eſt autem impoſſibile apud Deum omne Verbum*. Et 2

Iſai. 59. *Non eſt abbreviata manus Domini*.

83. Neque dicas: actionem illam fore metaphyſicè connexam cum eo termino, quandoquidem foret productio ipſius. Et ſimul cum eodem oppoſitam, quandoquidem ille terminus ſuaptè natura eſſet oppoſitus illi. Jam enim dixi in Prodromo diſp. 5. num. 162. non omnem oppoſitionem phyſicam, & naturalem, eſſe reciprocam. Et patet in duarum quantitate penetratione, intimè connexa abſolutè cum illis, quæ ſanè non opponitur phyſicè illis, & illæ phyſicè opponuntur ei. Neque replices, fore ut terminus ille evaderet materialis, ſeu pendens à materia, quamvis alias eſſet ſpiritualis. Etenim ſolum eſt materiale id, quod *ex ſe*, atque *ſuaptè natura* pendet à materia; non autem

illud

illud, quod per accidens, ac contra ſuam naturam ab illa pendet. Præterea terminus ille ſpiritualis, poterat produci per actionem eſſentialiter unitam, non quidem materiæ corporeæ, ſed alii rei ſpirituali. Rurſus terminus ille poterat eſſe materia prima etiam: quoniam licet una materia prima, nequeat eſſe ſubjectum naturaliter præſuppoſitum ad aliam, ut ſatis paret; veruntamen poteſt eſſe ſupernaturaliter præſuppoſitum: quatenus Deus ob fines ſibi notos producat unam materiam primam, per actionem eſſentialiter unitam alii, non productę per actionem illam, in quo ſtat tota præſuppoſitio præſens. Sic neque Spiritus, eſt ſubjectum naturaliter præſuppoſitum ad combuſtionem, & ardorem ignis materialis, neque Humanitas Chriſti Domini ad unionem cum divina hypoſthaſi. Et tamen de facto ſpiritus damnati, & animæ purgantes, ſunt præſuppoſitum ſubjectum ad actionem, qua ignis materialis urit illos, & conſequenter operatur in illis. Et Humanitas Chiſti ad unionem illam, quorum omnium ratio eſt duplex, illa ſcriptura prolata. Unde, vel anima rationalis opponitur per ſe metaphyſicè abſolutè, ac determinatè cum ſui eductione ex materia. Vel non. Si primum, ob iſtam eandem oppoſitionem nequit Deus, velle producere illam per actionem eſſentialiter affixam materiæ, quia ut ſequitur ex data definitione, illa anima educeretur ex materia. Si ſecundum, poteſt Deus velle producere animam per actionem illam; & tibi imputa conſequentiam ex antecedente, quod admittis. Ubi ne confundas hanc animam *produci in materia*. Et; *educi* ex potentia materiæ. Primum eſt verum, quia ſolum ſignificat unionem animæ cum materia, quæ ſuſtentet naturales diſpoſitiones, prærequiſitas ad animam naturaliter appetentem unionem animæ cum corpore. Secundum verò eſt falſum, quia anima rationalis ex natura ſua repugnat ei eductioni.

84. Hinc 2. impoſſibile eſſe, eandem omninò actionem eſſe ſimul creationem, atque eductionem, adhuc reſpectu diverſorum terminorum; quoniam actio iſta, vel haberet per ſuam eſſentiam uniri alicui ſubjecto præſuppoſito, ideſt, non producto per ipſam. Vel non haberet hoc per ſuam eſſentiam. Si primum, eſſet eductio reſpectu quorumlibet terminorum, quos habeat: quia in hoc ſtat eſſentia eductionis. Si ſecundum, eſſet creatio reſpectu quorumlibet terminorum, quia in hoc ſtat eſſentia creationis: quocirca ſi fingas actionem habentem duos terminos, & ex ſuâ eſſentiâ unitam ſoli termino A; illa foret creatio adhuc reſpectu termini B; quia licet huic non uniretur, aſt neque uniretur eſſentialiter ſubjecto præſuppoſito ad terminum B. Probatur. Uniretur eſſentialiter, ut ponitur, ſoli termino A. Sed hic non eſſet ſubiectum præſuppoſitum ad terminum B. Probatur. Omne, quod in ſenſu reali non eſt ſubjectum præſuppoſitum ad actionem productivam termini B, non eſt in ſenſu reali, quidquid ſit de noſtris præciſionibus, ſubjectum præſuppoſitum ad terminum B; quia in præſenti, non eſt alius modus præſuppoſitionis ad terminum, niſi præſuppoſitionis ad actionem productivam illius. At termi-

minus A; non eſſet ſubjectum in ſenſu reali præſuppoſitum ad actionem productivam termini B; ſiquidem non eſſet in ſenſu reali ſubjectum præſuppoſitum ad actionem ſui productivam, ideſt, non eſſet res non producta per eam actionem; & actio ea eſt in ſenſu reali productiva quoque termini B. Ergo. Ubi præoccupata habes, tum effugia præciſionum, reduplicationum, & formalitatum, quæ opportunæ ſunt logicalibus quæſtionibus, importuna verò phyſicis, & realibus; tum etiam exempla rerum aliarum, quæ reſpectu terminorum diverſorum poſſunt ſubire denominationes oppoſitas, v. g. hęc cognitio *Pallium Petri eſt nigrum* reſpectu pallii eſt judicium, & non mera apprehenſio, reſpectu verò Petri, eſt pura apprehenſio, & non judicium. Etenim eſſe apprehenſionem, aut judicium definitur per objecta ipſa. Si cognitio ita exprimat unum, ut nil penitus enunciet de illo, eſt mera apprehenſio illius. Si ita alterum, ut aliquid enunciet de illo, eſt judicium reſpectu illius. Atqui hoc ita poteſt evenire, ergo cognitio poteſt eſſe judicium, ac mera apprehenſio reſpectu diverſorum. Cæterum eſſe creationem, aut eductionem, non definitur per terminum ipſarum, ſed per hoc, quod actio ex ſuamet eſſentiâ habeat, aut ex ſuamet eſſentia non habeat, non uniri rei per ipſam non productæ; atqui, ut nuper philoſophabar, repugnat, quod reſpectu diverſorum habeat ex ſuamet eſſentia uniri, & ſimul ex ſuamet eſſentia habeat, non uniri rei per ipſam non productæ. Sicut repugnat, quod eadem res reſpectu diverſorum temporum, aut locorum, aut circumſtantiarum aliarum, ex ſuamet eſſentia ſit animal rationale, & ſimul ex ſua eſſentia habeat, non eſſe animal rationale. Ergo. Præterquamquod ſatis apparet eſſe verba nil ſignificantia. Actionem habere ex ſua eſſentia uniri reſpectu A, ſubjecto præſuppoſito; & ex ſua eſſentia non uniri reſpectu B, ſubjecto præſuppoſito, quid ſunt, quid realitatis ſignificant iſti reſpectus?

§. V.

85. Quæſtio quarta. *An eductio, & paſſio ſint idem, ita* ut formam educi ex materia ſit idem, ac materiam pati, recipere, ac ſuſtentare formam. Ubi non diſputo de Actione in genere: quia ſic complectitur creationem etiam, quæ ſane non eſt paſſio: atque ideò. Reſpondeo. Quanquam non omnis actio eſt paſſio, ut conſtat ex actione creativa, atque ideò *agere*, & *pati* ſunt diverſa prædicamenta, ſicut genus, & ſpecies, ſunt diverſa prædicabilia: eo quod Prædicamentorum, ac prædicabilium diſtinctio non ſemper ſit realis, ſed multoties ſit rationis, duntaxat ob diverſos reſpectus, ac conſiderationes, ſub quibus agere ſolemus de una eademque re. Quamvis, inquam, hoc ita ſit; veruntamen omnis paſſio ſumpta pro actione (non autem pro illa qualitate, quæ permanenter afficere ſolet ſubjectum, quamque explicui diſp. 4. logicæ) eſt realiter actio

Digitized by Google

actio eductiva, & vice verſa. Probatur. Omne habere ſibi unitam actionem productivam termini, per quam actionem ipſum non producatur, eſt eductio juxta dicta à num. 81. Sed omne pati aliquem terminum, eſt in ſenſu reali habere ſibi unitam actionem hujus productivam, & per hanc ipſam non produci; quia ex una parte *pati* ex ſuis terminis importat, quod res patiens, ſit ſubjectum præſuppoſitum ad paſſionem, & conſequenter, quod per ipſam non producatur, atque ideò terminus creationis non niſi abuſivè dici poteſt *Pati creationem*: ex altera parte non eſt alius modus patiendi phyſicè terminum aliquem, niſi quatenus agens ponat in paſſo terminum paſſionis, & ipſius actionem productivam, ut inductione omnium actionum conſtat, quæ paſſiones phyſicæ cenſentur; ergo omne pati, eſt in ſenſu reali, actio eductiva. Similiter è converſo. Omne uniri rei, ut præſuppoſitæ, actionem productivam termini, eſt rem illam pati hunc terminum, ſeu illum ſuſtentare, ſeu illum recipere in ſe. Sed omne educi terminum ex re aliqua, quidquid ſit de metaphora grammatica, eſt realiter in phraſi philoſophica actionem productivam termini uniri rei illi, ut ſubjecto non producto per actionem eam, & conſequenter, ut ſubjecto præſuppoſito ſaltem negativè ad illam. Ergo omne educi terminum ex re aliqua, eſt in ſenſu reali, quod res hæc patiatur illum terminum. Confirmatur. Omne agere in ſubjecto, eſt hoc pati aliquid bonum, malum, aut indifferens ab agente (Non enim loquimur modò de *pati* in vulgari acceptione ſuſtinendi aliquid ingratum præcisè) & è converſo, omne phyſicè pati ab agente, eſt quod hoc agat aliquid in patiente. Sed omne educere aliquid ex ſubjecto in ſenſu philoſophico (cum ſit improprium illud, & prorſus alienum à viro Philoſopho, ſcilicet, foras extrahere illud, ſicut pueri extrahuntur ex maternis viſceribus, aut ſicut pecuniæ extrahuntur è burſa, aut ſicut incarcerati extrahuntur de ergaſtulo) eſt re ipſa à parte rei, quod agens agat *in illo*, & per actionem illi intimè unitam, qua converſione illius *ex ſubjecto*, in hoc, *in ſubjecto præſuppoſito* tollitur radix peſſimæ intelligentiæ inſinuatæ phraſeon illarum bonarum. *Educere de potentia ſubjecti*. *Fieri ex aliquo*, & ſimilium. Ergo omne educere eſt, in ſenſu reali, pati, & vice verſa. Impræſcindibile namque eſt in ſenſu reali agens movere actione ſua paſſum, & paſſum moveri ab agente illa eadem actione.

86. Hinc 1. id intelligendum eſt de *actione*, *& paſſione* ſumptis in abſtracto, ut contingit in aliis relationibus prædicamentalibus: & conſequenter intelligendum eſt *agere* unius eſſe ſemper pati *ſui*, aut *alterius*, aut viciſſim non verò omne agere unius, eſſe ſemper pati ſui ipſius, ſiquidem non omne agere eſt immanens. Et in hoc ſenſu eſt verum non omne agere eſſe pati, quia hæc locutio alludere ſolet ad idem ſubjectum; ſubſiſtit tamen omne agere unius, eſſe pati in ſenſu dicto, aut ſui ipſius, aut alterius; quod ſi loquamur de actione, & paſſione in concreto, illæ imbibunt intrinſecè agens ipſum, & paſſum, quæ interdum ſunt realiter diſtincta. Et tunc philoſophandum eſt ſicut de re-

liquis

Digitized by Google

liquis concretis phyſicis. Vide illa, quæ dixi diſp. 4. logicæ inter explicandum relationes prædicamentales. Hinc 2. Hi termini ſignificant penitus idem in vocabulario philoſophico. ***Eductio***, ***Paſſio***, ***Receptio***, ***Suſtentatio***, ***Educere***, ***Pati***, ***recipere***, ***Suſtentare***: actionem nimirum productivam alicujus termini per ſe eſſentialiter unitam alicui rei, tanquam ſubjecto non producto per ipſam, & conſequenter negativè præſuppoſito ad ipſam. Hoc tamen diſcrimine: quod eductio, & educere innuunt primariè, ac directè, ac in recto agens; cæteræ autem voces directè, ac in recto paſſum. Sed forma eſt prorſus eadem, ſicut eadem eſt in abſtracto via, quę Madrito ducit Complutum, & quæ Compluto ducit Madritum, quamvis termini, hoc eſt initia, & fines ſint diverſi: atque ideò non eſt via eadem in concreto. Inter *inhærentiam*, &, *adhærentiam* ſolet eſſe diſcrimen; quoniam *inhærere* ſolet ſignificare non ſolam unionem unius cum altero; ſed inſuper unionem eſſentialem ſuæ actionis productivæ cum illo altero. *Adhærere* autem ſolet ſignificare ſolam unionem unius, & alterius. Unde locutio magis caſtigata eſt. *Anima rationalis adhæret*, quàm *inhæret* materiæ. Sed non eſt regula prorſus univerſalis: quapropter in hoc, vel illo caſu particulari, ex aliis circumſtantiis penſandus eſt ſenſus eorum verborum, vel æquivocatio arcenda per diſtinctionem. 3. cum anima rationalis non producatur per eductionem, impropriæ ſunt hæ locutiones, *materia patitur*, *recipit*, *ſuſtentat animam rationalem*. Neque opponas, illam verè eſſe formam, actumque corporis, ut revera eſt; quoniam ad hoc ſufficit, quod ſuppoſitis cæteris attributis formæ, uniatur phyſicè ſubſtantialiter corpori. At ſine iſta paſſione, receptione, ſuſtentatione, & ſimilibus, unitur phyſicè ſubſtantialiter corpori; quia id generis unio, non importat ſecum iſta, ut patet in unione hypoſtatica, nec non in ipſa unione materiæ cum anima. Ergo, quod ſi illis terminis nil aliud ſignificetur, quàm unio phyſica animæ rationalis cum corpore, neutiquam autem eſſentialis unio actionis productivæ animæ, tranſeant minus propria verba, modo non detorqueantur ſenſim ad ſignificandum hanc unionem, ut ſolet evenire.

87. Quęſtio quinta. *Utrum actio diſtinguatur ab agente, termino, & paſſo, & ſit modus? & cujus? & intrinſecus, an extrinſecus?* Hæc omnia coincidunt cum eis, quæ diſp. 1. dixi de unione, & poſtea dicam de præſentia, & alibi dixi de duratione; quoniam ſuper his omnibus ſunt eædem difficultates, & eodem modo explico illas, & eiſdem rationibus rejicio congeriem terminorum, quibus utuntur connotatores. Reſpondeo igitur: quamquam actio non diſtinguitur à cauſa, *ut quo*, neque ab effectu, *ut quo*, quia certè non diſtinguitur à ſe ipſa, quæ eſt id, *quo* cauſa producit effectum, & *quo* is producitur ab illa. Aſt plerumque diſtinguitur realiter ab utroque, v. g. actio, qua ignis A, producit ignem B, diſtinguitur realiter ab utroque, nec non à ſubjecto, in quo producitur ignis B. Dico *plerumque*; Nam ſicut virtus cauſæ per ſuam ſolam eſſentiam, pręſcindendo à quolibet ſuperaddito, eſt potens

tens

Digitized by Google

tens producere effectum , & hic per ſolam ſuam eſſentiam , eſt potens produci à cauſa: ita forte non repugnat virtus cauſæ,quę per ſolam ſuam eſſentiam , abſque intermedio exercitio producat ſuum effectum , ſitque actuale , ac formale exercitium producendi illum : & forte etiam non repugnat effectus , qui ſit actuale , & formale exercitium naſcendi à ſua alia cauſa , ſicut Paternitas divina per ſemetipſam , eſt in ſenſu reali , *quod* , & *quo* producit Filium , & filiatio eſt ſimiliter , *quod* , & *quo* producitur à Patre . Sed de hoc alibi . Nunc loquor , prout de facto plerunque contingunt res , & probo concluſionem .

88. Si ignem A , producere in paſſo B , ignem C , identificaretur adæquatè , plenè , ac totaliter cum ſolis his tribus , omnis caſus poſſibilis , in quo exiſterent hæc tria , foret caſus , in quo ignis A , produceret in paſſo B , ignem C . Sed hoc eſt falſum , nam poſſunt exiſtere hæc tria, quin A, producat in B, ignem C, eo quod hic producatur ab alia cauſa in alio paſſo , quandoquidem eſt effectus abſolutus , qui ex nullo capite probatur per ſe metaphyſicè , abſolutè connexus cum hac determinata cauſa efficiente , aut materiali : & ſaltem per ſolum Deum produci poteſt in alio paſſo , vel in nullo . Ergo ignem A , actu producere in paſſo B , ignem C , non identificatur adæquatè plenè , ac totaliter , cum ſolis eis tribus . Ergo etiam cum aliquo alio . Hoc eſt , quod vocatur actio , ſive productio , qua A , producit in B , ignem C . Ergo hæc actio , quæ hoc ipſo eſt paſſio , juxta num. 85. diſtinguitur ab eis tribus . Majorem hujus diſcurſus ſæpiſſimè oſtendi . Tum quia impoſſibile eſt exiſtere omnia prorſus conſtitutiva rei creatæ , nullo penitus dempto , & non exiſtere rem illam . Niſi confugias ad exemplum actuum divinorum liberorum : quæ eſt egregia paritas ad explicandum clarius , ſimplicius , & facilius res naturales . Tum quia cum omnis caſus poſſibilis , in quo exiſtunt illa tria , ſit caſus , in quo exiſtunt cum ſuis connotatis eſſentialibus (nam eſt impoſſibile exiſtere rem ullam, abſque ſuis terminis connexionis metaphyſicæ) dicere ignem A producturum ignem C , in B , quoties exiſtant hæc tria cum ſuis connotatis eſſentialibus, eſt dicere dandam productionem illam , quoties exiſtant illa tria , ſiquidem quoties exiſtunt , exiſtunt cum hujuſmodi connotatis. Ergo ſubſiſtit illa major. Tum quia quoties deficit iſtud anonymum connotatum , deficit , aut formaliter , aut illative hæc objectiva realitas . *Ignem A , actu abſolutè producere in B , ignem C .* Ergo cum realitas non ſit quid ſimplex , ac indiviſibile : neceſſe eſt quod deficiat aliquod conſtitutivum intrinſecum phyſicum realitatis hujus : defectus quippe termini connexionis , arguit quidem defectum fundamenti ; ſed quatenus arguit defectum totius illius, ſi fuerit ſimplex, vel alicujus eſſentialis conſtitutivi , ſi fundamentum illud fuerit compoſitum . At neceſſe non eſt , quod deficiat ullum ex illis tribus , quando deficit iſtud anonymum connotatum . Ergo aliquid aliud eſt , quod tunc deficit . Hoc eſt , quod vocatur actuale , abſolutum , & immediatum exercitium , ſive actio, qua A , producit in B, ignem C .

89. Obvertuntur ſimiliter hi diſcurſus contra illam catervam di-

Digitized by Google

ſtinctionum, quibus aliis ſupra alias conglobatis, affectant Philoſophi contrarii obſtruere hunc antiquum hiatum; v. g. deficere prædictam objectivam realitatem illativè, non formaliter. Deficere de conſequente, non de conſtitutivo. Deficere ſecundum explicitum, non ſecundum implicitum. Deficere quoad denominationem, non quoad entitatem. Secundum obliquum, non ſecundum rectum; & ſexcenta alia idem diverſis vocabulis ſignificantia. Diſputans ſuper unione, hanc eandem difficultatem, iſta omnia repuli ſola explicatione terminorum. Neque eſt cur hi Philoſophi ſibi blandiantur, quaſi ſimplicius, & brevius explicent res naturales reſecantes multitudinem conſtitutivorum, quoniam tantum augent numerum *connotatorum*, quantum minuunt numerum *conſtitutivorum*; atque ut Hiſpanicum docet proverbium, *quod non expenditur lacrymis, expenditur ſuſpiriis.*

90. Reſp. 2. Prædicta actio eſt modus illorum trium. Eſt namque actuale abſolutum, formale, & immediatum exercitium, quo A, producit, & quo C, producitur, & quo B, patitur, & recipit ignem C. (hoc eſt, formam huius: nam materia prima, qua eſſentialiter conſtituitur, non recipitur in paſſo, quoniam eſt paſſum ipſum) hæ autem denominationes, ut nuper probavi, non ſunt ex illis, quæ ex genere ſuo identificantur cum ſubjectis denominatis, ut identificantur denominationes *identificati*, *Poſſibilis*, & ſimiles. Eſt ergo actio modus phyſicus. Eſt denique modus intrinſecus *ſoli paſſo*, quando eſt eductio tranſiens, quia hæc ſoli paſſo unitur per ſe eſſentialiter: *ſoli agenti*, quando eſt eductio immanens, quia tunc agens operatur in ſe ipſo, ut operamur in nobis ipſis, quando intelligimus, meminimus, volumus &c. Ergo tunc agens, & paſſum ſunt idem. Ergo actio illa eſſentialiter unitur ſoli agenti, non quidem ſolitudine excludente paſſum, ſed terminum. Ergo illius ſolius eſt modus intrinſecus. Eſt tandem modus intrinſecus ſolius *termini*, quando actio eſt creativa; quia hæc, ob ſupra dicta, eſſentialiter unitur ſoli termino ſuo, à quo realiter diſtinguitur; non autem agenti, aut paſſo, quia alias uniretur eſſential iter ſubjecto præſuppoſito, & conſequenter eſſet eductio. Aliæ quinque hic reſtarent explicandæ quæſtiones, niſi ipſas, jam evolviſſem in Prodromo. Nimirum. An una actio poſſit reflexè produci per aliam actionem, ab agente diſtincto ab eo, à quo nunc producitur? ſed in prodromo diſp. 4. num. 62. & 70. explicui rem hanc. Secunda, an diſſimulata hac impoſſibilitate, poſſit creatio reflexè educi, ac eductio reflexè creari. Ibidem reſpondi num. 74. Tertia, an ſit poſſibilis creatura, quæ operari poſſit per creationem? fusè reſpondi ibidem à n. 82. Quarta, an ſit poſſibilis creatio identificata cum divina volitione, ſeu volitio, quæ per ſe formaliter ſit immediatum exercitium creandi Angelum, v. g.? ibidem ſatisfeci num. 116. Quinta, an duratio conſiſtat in actione productiva rei, de quo ibidem diſp. 7. num. 11. quid demum ſit *Motus* in phraſi Ariſtotelica exponam diſp. 4. num. 2.

Finis Secundæ Diſputationis.

DISPU-

DISPUTATIO III.

DE CAUSIS IN SPECIE.

POſt principia univerſalia circa Cauſas extrinſecas, cauſalitates, Prærequiſita, & actiones; Cauſæ determinatæ, atque in ſpecie veniunt. Quatuor diſputandas ſuſcipio, ut jam adverti. *Cauſam Primam*. *Cauſam efficientem creatam*. *Cauſam finalem*. *Cauſam exemplarem*. Alias namque duas, materialem ſcilicet, atque formalem, quæ reſpectu Entis naturalis ſunt Cauſæ intrinſecæ, tametſi reſpectu ſui ipſarum ſint extrinſecæ, eò quia neutra conſtituitur eſſentialiter per alteram, ſatis explicui diſp. 1.

CAPUT I. *Quidditas*. *Exiſtentia*. *Demonſtrabilitas*. *Atque concurſus Cauſæ Primæ*. num. 1.
CAPUT II. *De Cauſa efficiente creata*. n. 78.
CAPUT III. *De Cauſa Finali*. num. 166.
CAPUT IV. *De Cauſa Exemplari*. num. 211.

Digitized by Google

DE CAUSA PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Quidditas, Exiſtentia, atque Concurſus Cauſæ Primæ.

1\. SOLUS Deus eſt, ac dicitur *Cauſa Prima* abſolutè, & ſimpliciter: hoc eſt: Tota Beatiſſima Trinitas ratione Omnipotentiæ intimæ, atque eſſentialis omnibus, ac ſingulis Divinis Perſonis, quarum Una Divinitas, Una Majeſtas, Una Omnipotentia; & quæ, ſicut ſunt Unus Solus
Athanaſ. in Symbolo. Deus, Unus Solus Dominus, ita Unus Solus Omnipotens, & ratione Omnipotentiæ efficiunt cuncta effecta, ut Principium Unicum. Credi-
Conc. Flor. mus namque *in Unum Deum Factorem Cœli, & Terræ Viſibilium omnium, & inviſibilium*. Et in hoc amplo ſenſu Creationis, non ſolus Pater, ſed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt Phyſicè *Pater Noſter*: Et non ſolum probi, ſed etiam improbi ſunt Phyſicè *Filii Dei*. Non enim erant Sancti Omnes illi, quos alloquens, & docens Chriſtus, ajebat
Marc. 25. *Pater Veſter Cœleſtis.* Et qui lapſus in lethale incipit converti ad Deum, poteſt etiam dicere, converſionem incipiens. *Pater Noſter qui es in Cœlis*. Sola autem Prima Perſona eſt, ac dicitur abſolutè *Pater*, propter alluſionem ad æternam generationem, cujus illa ſola eſt Principium; & propter reſpectivam proceſſionem aliarum perſonarum Divinarum ex illa. Soli item probi, ſive Angeli, ſive puri Homines dicuntur propriè *Filii Dei*, propter alluſionem ad gratiam ſanctificantem, qua nobilitantur, & quæ ſemen, ac participatio dicitur Divinitatis. Sed Solus Jeſus Chriſtus eſt, ac dicitur ſtrictè propriiſſimè, ac ſimpliciter *Filius Dei*, quia ille ſolus gignitur à Patre per æternam generationem in ſimilitudine Naturæ. De quibus omnibus alibi.

2\. Porrò Primatus Cauſæ, quo fungitur Deus, ſtat phyſicè ex parte rerum in ſolis duobus illis, uno poſitivo, & altero negativo, quæ toties dixi. Videlicet, quod cæteræ omnes cauſæ habent ex Deo ſuas virtutes operatrices, hoc eſt, ſe ipſas. Deus autem, hoc eſt, Tota Beatiſſima Trinitas, ex nullo alio habet ſuam Omnipotentiam. Quibus duobus primariis addito alia duo, quę ſunt quaſi corollaria. Nempe, quod Deus conſervet actu, immediatè cæteras omnes Cauſas, quando hæ exiſtunt. Et quod cum illis immediatè concurrat ad omnes ipſarum effectus. Similiter definiendus videtur Primatus libertatis, Primatuſque motionis, quibus fruitur Deus. Alia verò, quæ Doctores

ali-

aliqui adiungunt, ſcilicet, quod prædeterminet, quod irreſiſtibiliter, ac ſimul inevitabiliter moveat cauſas ſecundas, ſunt extra illum primatum, & non videntur cohærere cum aliis, quæ etiam curare debemus.

3. Jam circa cauſam primam, ſic philoſophicè intellectam, quæſtiones quinque occurrunt. Quæritur 1. Quid ſit Metaphyſicè, non abſolutè, & in ſe (nam quis Viatorum reſpondebit) ſed quoad nos, & quoad noſtram qualemcunque intelligentiam? Unde non quæritur cognitio quidditativa Dei, quæ ſine indulgentia mereatur nomen hoc; ſed cognitio quidditativa Dei *humana*, & quæ habeatur à Viatoribus. Et in qua non valeat canon ille aliàs univerſaliter verus. *Defintiones non ſunt de ſingularibus, ſed de univerſalibus.* Deus namque eſt ſingularis, & utcunque definiri poteſt, nempe modo Viatoris, humano, & valde imperfecto, & conſequenter longè diſtante à comprehenſione, quia ſola definitio prorſus clara, vi cujus nil prorſus objecti lateat formaliter cognoſcentem (ita ut de omnibus, & ſingulis rationem expreſſam dare poſſit) eſt comprehenſio objecti, quod non contingit omni definienti objectum, & multo minus definienti Deum, humano Viatorio modo. Reſpondeo ergo: Cauſa prima, ideſt, Deus definitur in hoc ſenſu. *Ens fruens negativè, ac poſitivè omni perfectione pura ab omni imperfectione*, quæ perfectio vocari ſolet ſimpliciter ſimplex. Neque propterea Deus erit compoſitus ex genere, ac differentia, ſed apprehenditur à nobis inſtar compoſiti, ſicut Æternus Pater apprehenditur inſtar ſenis. Hoc autem non arguit imperfectionem in illo, ſed in nobis, qui imperfectè apprehendimus exercitè Deum, etiam quando perfectiſſimum apprehendimus ſignatè illum. In primis dicitur *Ens*, quia licet definitio debeat dari per genus infimum, ut eſt *animal* reſpectu hominis: & ſint alia genera magis infima quam *Ens*: Nimirum, ſubſtantia, & vivens, & intellectivum; attamen cum hæc formaliter ex propriis terminis ſignificent ſpecialem perfectionem, includuntur in eo altero termino *fruens omni perfectione*, quocirca genus definitionis imbiberetur in differentia, cum tamen debeat non imbibi, quia debet eſſe univerſalius. *Ens* autem dicit quoque perfectiones illas tranſcendentales, quas meminerunt dialectici; aſt tranſcendentales, & omnium abſtractiſſimæ ſunt; & quod caput eſt, non ſuppetit alius terminus amplior, & minus dicens perfectionis, nam minimum perfectionis eſt, eſſe aptum exiſtere, quod non accidit in iſtis aliis generibus, ſiquidem eſſe ſubſtantiam, eſſe vivens, eſſe intellectivum, ſpeciales, ac non vulgares important perfectiones ſupra baſim omnis perfectionis, ſcilicet, ſupra realem poſſibilitatem, ſive aptitudinem ad exiſtendum. Et non ſine cauſa omnes hactenus excogitatæ definitiones Dei exordiuntur ab *Ens*.

4. Dicitur fruens *omni perfectione*, & ubi ne intelligas *primò*, hanc eſſe differentiam propriiſſimam in ſenſu Logicorum, ideſt, *ſpecificam* ob rationem dandam numero ſequente. Ne intelligas *ſecundò*, eſſe de conceptu quidditativo Dei, omnem illam perfectionem diſtributivè,

aut

aut collectivè ſumptam ſub propriis terminis: quaſi dicam eſſe de conceptu Metaphyſico Cauſæ Primæ, eſſe Omnipotentem, eſſe Sapientem &c. Vel eſſe de conceptu ipſius complexum ex Omnipotentia, Sapientia &c. hæc enim ſunt attributa, & quaſi proprietates oriundæ ex eſſentia Metaphyſica illius, & conſequenter ſunt extra illam, non in ſenſu reali, ſed Logico, & ſecundo intentionali, quatenus hi termini *Omnipotentia, Sapientia*, & ſimiles non debent ſonate in definitione, ſed ex illa, & per illam probari. Eſt ergo de conceptu quidditativo Cauſæ Primæ, poſſeſſio, ſeu fruitio *Omnis perfectionis ſimpliciter ſimplicis*, ſub hoc conceptu abſtracto. *Frui omni perfectione purâ prorſus ab imperfectione*; aliunde autem ſcitur, talem, aut talem rem eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, puramque ab omni imperfectione, v. g. Unitatem in eſſentia, Trinitatem in Perſonis, Juſtitiam &c. & tunc concluditur ex vi etiam hujus aliunde habitæ notitiæ illam talem rem convenire Deo; præterea quamvis in eo termino *omnis perfectio* ſonet multitudo, non propterea differentia propriiſſima Dei eſt multiplex, aut compoſita ex multis. Quoniam differentia hæc non explicatur per illum terminum, ſed per hunc *Fruitio*, vel *Poſſeſſio* omnis perfectionis. In fruitione autem ſonat Unicitas, non vero multiplicitas, quæ apparet in *omnis perfectio*. Neque mireris ſcrupuloſitatem in his minutiis: inter definiendum namque res, occurrunt, definitio objectiva, ſive ſignata, nec non definitio ipſa ſubjectiva, ſive exercita. Illa eſt independens à noſtris conceptibus. Hæc ſtat Phyſicè in illis. Et neque decet confundere unam cum altera, neque ita curare unam, ut obliviſcamur alteram. Ubi demum intellige fruitionem, tum *negativam*, id eſt immunitatem ab omni prorſus imperfectione, tum *poſitivam*, id eſt actualem habitionem omnis dictæ perfectionis, quoniam licet Cauſa Prima modò non habeat multos actus, intellectus, & voluntatis, quos in alia providentia habere poterat; habet tamen actu totam illorum entitativam perfectionem, quippe tota illorum in ſenſu reali perfectio ſtat Phyſicè in ſola Deitate, ſeu Divina Eſſentia: & Cauſa Prima actu abſolutè eſt Deus, ſed de hac difficultate alibi.

5. Probo igitur fruitionem illam, ſeu perfectionem eſſe differentiam, non ſane ſpecificam Dei (quippe Deus non eſt ſpecies) ſed propriiſſimam, & quidditativam, & Metaphyſicam, eo modo, quo à Viatoribus haberi poteſt. Quoties agitur de re penitus ſingulari, ut in præſenti, non eſt quærenda definitio, aut differentia propriiſſima, quæ conveniat *omni* definito (quandoquidem ſingulare eſt Phyſicè incapax univerſalitatis, & regula illa dialectica procedit de definitionibus, quæ ſunt univerſales, atque conceptuum univerſalium) ſed *ſoli* definito, quæque aperiat, id quod eſt prima origo, non utique phyſica, ſed pura Logica omnium attributorum, proprietatumque definiti, quatenus per illam benè, atque immediatè probantur hæ (ſuppoſito tamen quod aliundè habeatur notitia, & intelligentia illarum in genere, quia certe rationale non docet nos hunc terminum riſibile, aut ipſius ſignificationem) ob hanc rationem ſunt definitiones, ſeu differentiæ

pro-

priiſſimæ illæ omnes, quæ unanimi conſenſu tales cenſentur, & in hanc rationem reſolvuntur omnes proprietates, ac requiſita differentiæ propriiſſimæ. At fruitio, tum poſitiva, tum negativa omnis perfectionis puræ ab omni imperfectione convenit ſoli Deo. Et inſuper eſt prima origo Logica in ordine ad probandum cętera attributa, & proprietates ipſius. Ergo illa fruitio eſt differentia propriiſſima Dei, quantum ſufficit, & congruit ſtatui viæ. Differentia, inquam, non in eo ſtrictiſſimo ſenſu, quem notavi in Logica diſp. 3. cap. de differentia, ubi dixi duo differre invicem, ſtare in eo, quod diſtinguantur, & ſimul conveniant in aliqua ratione; ſed in ſenſu paulo laxiore, quatenus illa fruitio diſcernit Deum in ſe, & quoad nos ab omni non Deo. Probo primam partem minoris. Tum quia omnia alia à Deo, vel ſunt creata, & hęc inſitam habent à natura imperfectionum congeriem, v. g. eſſe ab alio, alietate non ſolum perſonalitatis, ut Æternus Filius eſt à Patre; verum etiam alietate eſſentiæ. Eſſe defectibilem, & ſimilia. Vel ſunt nihila contingentia, ut vulgò cenſentur carentiæ formales. Vel nihila neceſſaria, ut vulgò cenſentur chymeræ, & neutris convenit illa definitio. Tum quia licet *eſſe ſubſtantiam. Eſſe vivens. Eſſe intellectivum*, ſint in ſenſu Logico, & negativo perfectio ſimpliciter ſimplex, quatenus per hos conceptus apparet perfectio, & nulla penitus apparet imperfectio. Aſt non ſemper ſunt in ſenſu Phyſico, poſitivo, & reali, perfectio ſimpliciter ſimplex (ideſt, *quæ ſit melior ipſa, quam non ipſa*, ut vulgo definitur, cujus ſenſus eſt, quod ita bona ſit, ut nullam penitus admixtam habeat imperfectionem) Nam certe iſta prædicta conveniunt multis creaturis, & conſequenter multoties admixta ſunt imperfectionibus. Neque ulla Creatura fruitur ulla perfectione, quæ in ſenſu Phyſico poſitivo, & reali, ſit ſimpliciter ſimplex, quidquid ſit de noſtris obſcuris, inadæquatis, præciſiviſque modis cognoſcendi. Neque ex eo, quod Cauſa Prima fruatur omni perfectione ſimpliciter ſimplici, ſequitur Deum habere prædicatum ſubſtantiæ, viventis, intellectivi, & ſimilium, quæ realiter identificantur cum Creaturis, licet ſequatur Deum univocari Logicè (ſecus Phyſicè) Cum Creaturis ſub eis inadæquatis, & præciſivis conceptibus, ſicut univocatur ſub conceptu *Ens*; quemadmodum non ſequitur hominem habere animalitatem equi, ex eo quod ſit animal, amboque univocentur Logicè ſub eo conceptu.

6. Probo ſecundam partem illius minoris. Eſto, quod ex *Aſſeitate*, ut putant multi, ex *intellectione radicali*, ut malunt Graves alii Doctores, noſcantur, ideſt, probentur cætera attributa Dei, aſt certè per longas, & obſcuras, & materiales conſequentias. Non enim facilè detegitur immediata energia illius *Ergo* in his conſequentiis. *Deus eſt à ſe*, ſive *eſt radicaliter intellectivus. Ergo eſt immenſus. Ergo eſt Iuſtus. Ergo eſt Miſericors. Ergo eſt Fidelis. Ergo poteſt fabricare alios Mundos infinitos.* Juxta datam verò definitionem, plana, facilis, & immediata videtur energia conſequentiarum. V. g. *Deus, ſi eſt in rebus, fruitur negativè, ac poſitivè omni perfectione pura ab omni*

im-

imperfectione. Sed eſſe à ſe; eſſe exiſtentem, eſſe ens neceſſarium, eſſe radicalitèr intellectivum, eſſe Immenſum, eſſe Iuſtum, eſſe Miſericordem. Poſſe infinita. Sunt, vel ſaltem poſſunt eſſe perfectiones puræ ab omni imperfectione, ur aliundè novimus. *Ergo Deus, ſi eſt in rebus, eſt à ſe, eſt radicalitèr intellectivus &c.* Ubi jam vides 1. Hunc diſcurſum non haberi ex pura, nuda, & præciſa noticia illius fruitionis; ſed ex illa ſimul cun noticia aliundè habita de natura, & poſſibilitate perfectionum illarum. Sed hoc nil refert: quia neque riſibilitatem, neque volibilitatem concludimus in homine ex pura, & præciſa noticia rationalitatis, quia hæc ſola noticia non infundit nobis eos terminos, aut eorum ſignificationem, ſed grammatica: Item nec eſt nobis ratio immediara, formalis, & à priori poſſibilitatis eorum attributorum; Sed Philoſophia, & principia alia perſuadent nobis attributa illa eſſe poſſibilia. Eſt tamen *rationale* prima Origo Logica attributorum horum, quatenus horum in genere noticiâ, & eorundem poſſibilitatis ſuppoſitâ, atque per eam exculro intellectu, jam tunc ex ſola rationalitate concludimus hominem illis fungi. Idem in præſenti. Aliundè, nimirum ex grammatica habemus illas voces, & illarum ſignificationem. *Eſſe à ſe, eſſe intellectivum radicalitèr*, & reliquas: Item aliundè habemus noriciam poſſibilitatis horum attributorum. Intellectus jam ſic bene exculcus, facilis eſt ad eliciendum attributa illa, ſi tunc ſuperverniat illi ſola noriria divinæ fruitionis omnis perfectionis ſimpliciter ſimplicis. Non enim loquimur in his rebus de intellectu, aut pertinace, aut qui ſir ranquam rabula raſa vocum, & vocum ſignificationis, atque veritatis prorſus ignarus, ſed qui docilis ſit, & inſtructus.

7. Vides 2. diſcurſum illum procedere conditionatè, ſcilicet *Deus, ſi eſt in rebus*; quoniam modo non probo exiſtentiam cauſæ primæ, ſed definirionem, ex qua quidem probabo infra exiſtenriam, ſed modo ab hac præſcindo. Et inſuper quoniam verba in definirione non ſolent petere actum, ſed potenriam: ideſt, plerunque dant ſenſum conditionatum, ne confuſio naſcatur ex commixtione duarum illarum quæſtionum. *Quid eſt res. An ſit res.* Vides 3. Aſſeitatem (quæ ægrè admodum dicitur ſpectare ad eſſentiam metaphyſicam Dei: cum duæ perſonæ divinæ ſinr ab alio, qui eſt *alius*, quamvis non *aliud*, in qua diſtinctione imbibitur myſterium Trinitatis ſuperans lumen naturale: unde ad explicandum quidditatem Dei per Aſſeiratem, opus eſt recurrere ad myſterium Trinitatis) irem radicalem intellectionem probari à priori per fruitionem omnis perfectionis puræ ab imperfectione; non è converſo; quia licet plana, & immediata ſit argumentatio hæc. *Deus, ſi eſt in rebus, fungitur omni perfectione pura. Aſſeitas, & radicalis intellectio ſunt perfectiones puræ. Ergo Deus, ſi eſt in rebus, fungitur illis.* Non tamen eſt ita plana, & immediata, ur per ſe patet hæc inverſa. *Deus, ſi eſt in rebus, eſt à ſe, eſt radicaliter intellectivus. Ergo fungitur omni perfectione pura ab imperfectione.* Sed hoc ipſo potius dicendum eſt, fruitionem illam eſſe radicem, & originem logi-

cam

cam Aſſeitatis, radicaliſque intellectionis, quàm alterutram illius. Ergo illa eſt prima origo logica divinarum proprietatum, & iſta duo redigenda ſunt in numerum attributorum divinorum, ſicut Omnipotentia, Immenſitas &c. Hinc quamvis in omni re prius ſit *eſſe*, ſumptum non pro exiſtentia, ſed pro eſſentia metaphyſica, quam aliud quodvis non imbibitum in *eſſe*, non infertur, quod in Deo, prius ſit omni alio *eſſe*, *à ſe*, nam hic addis Aſſeitatem, quæ aliquid eſt ultra *eſſe*, cum non omne *eſſe*, ſit à ſe: atque ex iſto principio ſequetur, prius apprehendi in Deo *eſſe*, quam eſſe à ſe: unde Aſſeitas non erit primum, quod in Deo apprehenditur. Vides 4. datam definitionem poſſe coincidere cum illa, v. g. *Ens omnium perfectiſſimum. Ens, quo melius excogitari non poteſt. Ens ſummè bonum*, & cum ſimilibus. Sed quam dedi videtur magis caſtigata, ſcholiſque aptata. Vides 5. definitionem datam non eſſe contrariam verbis perſonæ illius, quæ Moyſi apparuit in rubo, quęque dixit. *Ego ſum, qui ſum*. Et rurſus; *qui eſt, miſit me ad vos*. Etenim ille, qui ex rubo loquebatur, ſive fuerit Perſona Angelica creata, ut non leviter inſinuat Stephanus, inquiens. *Apparuit illi in deſerto Montis Sina Angelus in igne flamma rubi*, qui tamen nomine Dei pronuntiavit illa verba: ſive fuerit perſona Verbi, ut alii credunt, ſiquidem Æternus Filius vocatur etiam Angelus per Malachiam, ajentem *ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis*: quidquid de hoc ſit modo, ille certè non præfixit ſibi, dare Moyſi, & Populo definitionem *Scholaſticam Dei*, quam nos modò quærimus, quia non eſt iſte mos ſcripturarum; ſed reſpondere Moyſi quærenti nomen ſuum. Reſpondere autem quærenti nomen, non eſt eo ipſo dare *ſcholaſticam* definitionem; ſed dare nomen cum notitia Primarii alicujus attributi, ſicut quando Deus dicit ſe eſſe Omnipotentem, non eſſe alium præter ſe ipſum, neminem eſſe, qui de manu ejus poſſit eruere, ſe eſſe Adonai &c. non idcircò dat definitionem *ſcholaſticam* ſui ipſius, ſed revelat tale, aut tale ſuum attributum, quod tunc revelari oportet. Idem contingit nobis paſſim, quia non ſemper, ac dicimus. *Hoc eſt tale, aut tale*, definimus *ſcholaſticè* illud *Hoc*. Vides demum, non eſſe metaphyſicam definitionem Dei. *Prima neceſſitas divinarum perfectionum*. Sicut neque hominis. *Prima neceſſitas perfectionum humanarum*; tum quia in definitione ſonat definitum, nempe *divinarum*, *humanarum*; tum quia, ſi iſte modus definiendi valeret, nil penitus foret, quantumvis abſtruſum, cujus metaphyſica definitio ignoraretur (cum tamen ſæpiſſime in ea invenienda laborent Doctores) v. g. quid eſt Pyropus? Prima neceſſitas perfectionum Pyropi; quid eſt cete? Prima neceſſitas attributorum cete; & ſimiliter de cunctis aliis? tum quia iſtam primam neceſſitatem quærimus *quænam ſit*? Ergo ſicut hęc non eſt bona definitio logica. *Homo eſt genus & differentia hominis*, quia exercitè, non verò ſignatè debet dari per genus, & differentiam definitio logica: ita non eſt iſta definitio metaphyſica: nam hæc exercitè; non verò ſignatè debet dari per primam neceſſitatem perfectionum ſubjecti.

Exod. 3.

Act. 7.

Malach. 3.

§. II.

8. QUæſtio ſecunda eſt. *An ſit demonſtrabilis à priori exiſtentia cauſa prima?* Demonſtrationem à poſteriori egregiam, Sanctis, ac Theologis uſitatam, & à Paulo inſinuatam, & conſequenter, exiſtentiam Dei paſſim leges, tum ſtylo Oratorio, tum ſcholaſtico, tum ex principiis Prudentiæ, tum ex principiis Philoſophicis, tum ex Theologicis erutam contra verè Atheiſtas, ſi qui ſunt, & contra affectatos. Solam demonſtrationem à priori diſputo nunc. Non quidem innixam medio communi, & conſequenter fabricatam in ulla ex tribus illis figuris Ariſtotelicis, quia medium commune Deo, & creaturis, quodque ſit prius exiſtentiâ Dei, non ſuppetit; ſed innixam medio ſingulari, ex quo ſit demonſtratio, ſicut ſolent eſſe ſyllogiſmi expoſitorii, & conditionales, & disjunctivi, & alii extra illas tres figuras. Prius tamen memineris quatuor. *Primum eſt*, quæſtionem non eſſe, de priori *Phyſico*, quoniam perſpicuum eſt, nil eſſe cauſam, aut principium phyſicum cauſæ primæ, quoad ſuam naturam, & eſſentiam (alias non foret cauſa prima) item nil eſſe cauſam materialem, formalem, finalem, exemplarem, aut alio modo moralem illius. Quoniam cauſa prima, utpotè actus ſimpliciſſimus, fruens omni perfectione pura ab imperfectione, neque componitur ex materia, & forma: neque à ſe, aut ab ullo alio poteſt fieri propter aliquem finem, & aliquam ideam, aut propter motivum ullum, alias careret perfectione incauſabilitatis. Ergo extra quæſtionem eſſe debet, cauſæ primæ exiſtentiam non eſſe demonſtrabilem à priori phyſico, ideſt, à cauſa; Sed tantum, ſit, necne, demonſtrabilis à priori Logico, ſeu Metaphyſico, ideſt, à ſuamet definitione, in qua cum imbibatur differentia propriiſſima, ſeu potius, diſtinctio ipſius à non ipſo: & hæc differentia ſit prima Origo attributorum rei, hac de cauſa demonſtratio ſumpta ex definitione, eſt demonſtratio à priori, ſcilicet à prima radice Logica proprietatum rei. *Secundum*; quæſtionem non eſſe de demonſtratione reſpectu intellectûs, terminos, & voces non ſatis penetrantis; quoniam ſicut demonſtratio, quæcunque tali nomine digna ſit, propoſita idiomate ignoto, non convincit ignarum idiomatis illius, nam quomodo erit mihi evidens, quod ſub terminis mihi ignotis proponitur? Item demonſtratio, quam dabo exiſtentiæ Dei, non eſt demonſtratio reſpectu intellectûs, ex ignorantia non penetrantis, aut ex malitia nolentis penetrare voces, & terminos, quibus illam proponam. Non ergo loquor de eo intellectu, quando dico exiſtentiam cauſæ primæ eſſe demonſtrabilem à priori, ſed de intellectu bene capiente actu abſolutè ſignificationem eorum terminorum, & non cavillante ex induſtria, aut contradicente ex præconcepto judicio. Neque hoc eſt ſpeciale in re præſenti, ſed com-

commune omnibus. Nam cum omnis humana demonſtratio reſpectu Petri. V. g. tametſi Metaphyſica ſit, fieri debeat his, aut illis ſignis, ſeu verbis; quomodo poteſt ullus per ſigna, ſeu verba demonſtrare aliquid Petro, ſi hic non bene notam habet ſignificationem illorum, aut ſi ex officio, & profeſſione illi contradicit? Quamobrem, vel abjiciendæ ſunt omnes humanæ demonſtrationes, vel dicendum, non eſſe contra illarum quidditatem, quod homo indigeat intelligentiâ exactâ terminorum, quibus conſtat: ſicut non eſt, quod ſimiliter indigeat potentia intellectiva. Et conſequenter dicendum, difficultatem objectam ex hac indigentia, contra demonſtrationem mox dandam, multum probare, & ſubinde nil.

9. *Tertium*. Neque procedere quæſtionem de intellectu, ut cunque capiente vim, atque energiam terminorum; ſed de intellectu, qui inſuper docilis ſit, hoc eſt, neque pervicax, & refractarius, neque prurigine contendendi correptus, neque timidus plus juſto; quoniam infelices has tres intellectûs ſpecies, non curo. Sunt alii, qui hoc feliciter curant. Neque ſufficit, quod aliquis ore proteſtetur, ſe ab omni paſſione liberum eſſe, ut etiam in rebus fidei proteſtari ſolent Hæretici, quia in hoc ipſo reflexa contumacia regnare ſolet. Nec Geometricas ipſas, Arithmeticas, aut alias Euclidianas demonſtrationes hoc nomine dignaberis, ſi ſemel datur facultas tergiverſandi, contradicendi, cavillandi, dubitandi, an definitiones, quibus fulciuntur ſint rectę, maximè cum harum rectitudo plerumque non ſit per ſe præcisè evidens, ſed prudentèr admiſſa. Adeò in ipſis quoque Metaphyſicis, & invictis evidentiis opus eſt judicio, atque prudentia. Imò demonſtratio ipſa à poſteriori de exiſtentia Dei, quam admittimus, cadet etiam; ſi locus permittitur cavillationibus, dubiiſque imprudentibus; ut illa namque valeat, opus eſt, quod impoſſibilis ſit metaphyſicè mutua prioritas phyſica: item ordo ſucceſſivus generationum ab æterno: cumque multi Graves Authores utramque hanc impoſſibilitatem negant, qua evidentia omnibus hominibus irreſiſtibili probabimus utramque impoſſibilitatem? qua item probabis te vivere, cum toties fallat experientia, & cum ſit probabilis opinio, quod homo poteſt intelligere per actus ſibi aliunde affixos? Hinc ad pruritum contradicendi ſpectat ſolemnis illa aliquorum vox. Talis, aut talis diſcurſus non probat evidenter rem A, *quia poſſunt dicere adverſarii hoc, & illud*. Nil refert, quod dicunt, aut poſſunt dicere; ſed quod *probant* rationabiliter: quia non verbis, ſed probationibus panditur veritas, ac falſitas rerum; quancumque demonſtrationem producas, probandi ergo te habere animam diſtinctam à corpore, eludam, inquiens ſimiliter, iſtud non probat, quia Athomiſtę præſcindentes à principiis fidei, dicent iſtud probare, duntaxat talium, & talium Athomorum, talem, & talem combinationem, ſicut contingit in totis artificialibus. Quamcunque proferas demonſtrationem, probandi ergo Solem lucere, aut calefacere, & eludam ſimilitèr, inquiens. Qui de omnibus dubitandum cenſent, reſpondebunt, nos

 falli,

falli, quoad lucem Solis, ſicut fallimur, quoad Irydis colores, & quoad cæruleum velum, quod Cœlo, & Montibus diſtantibus obductum videre videmur nobis. Patientem vehementiſſimam ſitim, famem, dolorem calculorum, dentium, hemicranii &c. Conſolabor, inquiens: qui cenſent eſſe meram apprehenſionem, combuſtionem damnatorum Spirituum, dicent iſtam eſſe meram apprehenſionem: itaque non vere dolet tibi caput, non dentes &c. eſt nè rationalis, & viro Philoſopho dignus hic modus jocandi potius, quam diſſerendi? Ergo ſolemnis illa evaſio *Adverſarii dicent* parum decet, ni probetur, quod Adverſarii dicent *prudenter, & rationabiliter*, abſolutè quidem, & non tantùm conſequenter ad ſua principia, quia ſi hæc ſunt abſurda, valet, quod dato uno abſurdo, cętera accidunt. Poſtulant ergo omnes humanæ demonſtrationes prudentiam, non inſtar ultimi ſui ipſarum reſolutivi, quia ſic eſſent tantùm opiniones, ſed tanquam præparationem, ac diſpoſitionem intellectûs ad demonſtrandum. Sicut poſtulant vim ipſam remotè, ac proximè intellectivam, non tanquam ultimum reſolutivum veritatis demonſtratæ, ut patet, ſed tanquam conditionem, ſine qua non habebit homo demonſtrationem; & ſicut judicium fidei efflagitat, juxta ordinariam prudentiam, notitiam argumenti credibilitatis, non tanquam ultimum reſolutivum; ſed tanquam diſpoſitionem, atque præparationem intellectûs, ut credat: Quia Paulus plantat, Apollo rigat; Deus autem incrementum dat.

10. Explicatur. Aliud eſt demonſtratio, quæ habeat has duas qualitates, nimirum, *eſſe penitus independentem ab omni contingente, atque fallibili*: item: *convincere omnem penitus intellectum*, ita ut oppiletur os omni prorſus cavillationi, ac tergiverſationi. Aliud autem demonſtratio, quæ pendens more ſolito ab aliquo contingente, ac fallibili, par ſit convincendo intellectum, alias bene diſpoſitum judicio, & prudentia, quique non ſit officio, & profeſſione cavilloſus. Illam primam non polliceor, quia nuſquam, & nuſpiam invenitur ſub Luna. Tum quia demonſtrationes practicæ, ac mechanicæ pendent ab experientia, inſtrumentiſque; & ſenſibus: quæ omnia ſunt fallibilia. Speculativæ autem pendent ab acceptione, uſu, & intelligentia terminorum, quibus eæ demnnſtrationes conſtant. Hæc pendent à ſenſibus; quia anima noſtra in hoc incolatu non poteſt intelligere, niſi dependenter à phantaſmatibus, ſeu potius à ſenſibus, unde merito quærit Apoſtolus, loquens etiam de his, quæ maxime ſunt
Ad Rom. 10 remota à ſenſibus *quomodo credent ei, quem non audierunt*. Ergo demonſtrationes etiam ſpeculativæ pendent pro hoc ſtatu à contingentibus, & fallibilibus, ſed quia non pendent ab eis, quoad veritatem, ſed quoad ſuam exiſtentiam: neque ab eis, tanquam ab ultimo reſolutivo, ſed tanquam à præparatione diſpoſitioneque intellectuali, ideò illæ demonſtrationes non cadunt à dignitate hac: ſicut judicia fidei non deſinunt eſſe infallibilia, eo, quod pendent ab argumentis extrinſecis, plerumque metaphyſicè fallibilibus, nec non ab intelligentia vocum, & rerum, quæ contingens eſt, nempè, quia, ut nuper dicebam.

Digitized by Google

bam, non pendent ab eis, tanquam ab ultimo reſolutivo, ſed tanquam à mera diſpoſitione habilitante ad judicia illa: tum ulterius, quia omnis ſpeculativa demonſtratio reſolvenda, eſt in aliquod evidens principium. Illud autem, vel ſolet negari, ut negatur *quodlibet eſt, vel non eſt* à quodam, vel ſolet habere multas, æquivocaſque acceptiones, ut in hoc eodem principio notavi diſp. 1. Prodromi. Ergo demonſtrationes etiam ſpeculativæ reſolvuntur in ambiguum, cavillationibus, dubiis, aut ſaltem ſcrupulis obnoxium. Ergo demonſtratio; quæ duas illas habeat qualitates, non invenitur inter homines. Tum quia ut valeat demonſtratio à poſteriore exiſtentię Dei, neceſſe erit, quod per irreſiſtibilem omnibus evidentiam metaphyſicam probentur hęc. Primum eſſe metaphyſicè impoſſibilem mutuam prioritatem phyſicam quoad primum eſſe. Secundum eſſemetaphyſicè impoſſibile infinitum generationum à parte ante: tertium eſſe metaphyſicè evidentem exiſtentiam creaturarum, quas ſolo ſenſu, & experientia toties fallente, deprehendimus; qua ergo prorſus irreſiſtibili metaphyſicâ evidentiâ probabis hæc omnia? Oportet ergo ad prudentiam recurrere. Non ergo polliceor evidentiam, quæ duas illas habeat qualitates; ſed quæ more ſolito pendens à contingentibus, & fallibilibus, ſufficiat convincendo à priori intellectum aliàs benè diſpoſitum de exiſtentia Dei. *Quartum*; aliud eſt, quod in ſenſu directo ſit demonſtrabilis à priori exiſtentia Dei, aliud, quod in ſenſu reflexo: ideſt, quod ſit demonſtrabile, *illam eſſe à priori demonſtrabilem*. Non dicam hoc, ſed illud, & quidem probabiliter, ſicut dicuntur paſſim opiniones hinc indè controverſæ. Undè, ſequetur quidem, demonſtrationem, quam dare cogito, non eſſe angelicam, & oppilantem os omnl cavillationi; ſed non ſequetur non eſſe humanam, & ſicut cæteras, quæ paſſim volant, in quarum rariſſimè conveniunt omnes omninò. Sic multa diſputantur à Theologis, ſint, necne de fide: qui affirmant, affirmanr in ſenſu rantum directo, & quidem probabiliter; ſed non in ſenſu reflexo, quaſi affirment eſſe quoque de fide *rem illam controverſam eſſe de fide*, ſeu eſſe certè, & indubitanter de fide: quia aliàs non ambigerent Catholici de illa. Similiter cum in præſenti diſputetur. *Sit, necne demonſtrabilis, quaſi à priori exiſtentia Dei* hoc ipſo ſupponitur exercitè, non eſſe dabilem demonſtrationem os penitus obturantem omni prorſus contradictioni, quia aliàs res præſens non foret materia prudentis diſputationis. Dicam itaque, non hoc; *eſt probabile, quod eſt demonſtrabilis quaſi à priori exiſtentia Dei* (quia neque id eſſet materia quæſtionis, & ab uno ſenſu reflexo detorqueretur quæſtio ad alium ſenſum reflexum, ſed hoc. *Eſt demonſtrabilis quaſi à priori exiſtentia Dei*; probatio autem hujus, hoc eſt, demonſtratio danda, eſt ſolum probabiliter demonſtratio. Hoc autem in omnibus aliis reſpectivè contingit concluſionibus, in quibus res ipſa affirmatur, aut negatur directè, ſed probatio eſſe ſolet merè probabilis; maximè autem quando affirmatur *eſſe de fide* id, de quo diſputatur, *ſit, nec ne, de fide*. Concluſio eſt hęc abſoluta. *Res hac eſt de fide*; ſed probatio non evincit prorſus,

ſus, rem illam eſſe de fide, quia alias jam non haberet quæſtio locum.

11. Conſequenter ergo ad reſponſionem quæſtionis primæ, reſpondeo huic ſecundæ affirmativè in ſenſibus dictis, quos præſentes habeto, abigendi ergo objectiunculas. Et ſic arguo: Omnis diſcurſus, in quo ex quidditate ipſa, eſſentiaque Metaphyſica rei *prudenter* præſuppoſita, & conſequenter *prudenter* indicata, ut evidenter vera (definitiones quippe non ſunt probandæ, ſed prudenter ſupponendæ) per Metaphyſicam evidentiam eruitur A, eſt demonſtrativus, & quidem à priori logico, ſeu Metaphyſico rei A. Sed dabilis eſt diſcurſus, in quo ex quidditate ipſa, ſive eſſentia Metaphyſica Dei *prudenter* præſuppoſita, & *prudenter* indicata, ut evidenter vera, per Metaphyſicam evidentiam eruatur exiſtentia Dei. Ergo dabilis eſt diſcurſus demonſtrativus à priori in ſenſibus dictis exiſtentiæ Dei. In hoc reflexo diſcurſu ſolas præmiſſas probare oportet. Et major quidem videtur vera. Tum quia multæ demonſtrationes geometricæ, Arithmeticæ, algebræque eruuntur ex definitionibus terminorum, figurarum, numerorum, ſegmentorumque: & quia illatio eſt metaphyſicè evidens, definitioneſque prudenter cenſentur eſſe legitimæ, ac metaphyſicè evidenter veræ; idcircò illæ cenſentur, & ſunt *humano modo, id eſt, prudente*, demonſtrationes. Tum quia omnis diſcurſus, cujus concluſio eſt ſcientia, & demonſtrativus, quia ſcientia humana, juxta definitionem illius, quam explicui diſp. 3. Dialecticæ, non niſi per demonſtrationem acquiritur. Sed omnis diſcurſus, in quo ex quidditate ipſa, eſſentiaque Metaphyſica rei *prudenter* præſuppoſita, & conſequenter *prudenter* indicata, ut evidente, eruitur per Metaphyſicam evidentiam res A, eſt diſcurſus, in quo hæc concluſio eſt ſcientia (directè utique, non autem reflexè, juxta quartum notatum) ſiquidem illatio, & præmiſſæ ſunt metaphyſicè evidentes in eo ſenſu, in quo Metaphyſicas evidentias nanciſcimur pro hoc ſtatu, nimirum humano, & prudentiali ſolo modo. Ergo. Deinde eſt demonſtrativus à priori logico, ſeu Metaphyſico, quia cum in eſſentia Metaphyſica imbibatur, ut dixi, illud, quod eſt prima radix attributorum rei, nempe ſua propriiſſima differentia, concluſio inde emanans à priori emanat.

12. Probo jam ſecundam partem primæ minoris. Dabilis eſt hic diſcurſus. Deus, ſi poſſibilis eſt, ſi non eſt chymæra aliqua, ludibriumque humanæ imaginationis, debet carere omni imperfectione, fruique omni perfectione ſimpliciter ſimplici, hoc eſt in ſenſu reali, purâ ab omni imperfectione, ſive, *quæ melior ſit ipſa, quam non ipſa*, ut dicitur. Sed defectibilitas eſt imperfectio, neceſſitaſque eſſendi ſemper eſt, in ſenſu poſitivo, & reali, perfectio ſimpliciter ſimplex, in qua nulla eſt imperfectio, ſed ſumma perfectio. Ergo ſi Deus eſt poſſibilis, ſi non eſt, ut Lucretius cum Atheiſtis blaſphemat, monſtrum aliquod ludificans humanam imaginationem, debet carere defectibilitate, fungique neceſſitate eſſendi ſemper. Atque evidens eſt contra illos blaſphemos, non quidè evidentia obturante omne os omni humanæ tergiverſationi, quæ evidentia non invenitur infra lunam; ſed evidentia metaphyſica ex illis,

illis, quæ dantur inter homines cordatos, Deum non eſſe monſtrum aliquod Chymæricum; ſed eſſe verè poſſibilem. Sicut evidens eſt, eſſe poſſibilem alium mundum, quamvis eum, nec ſenſu, nec alia ratione experimur exiſtentem. Nempè quia tam Deus, quam alius Mundus ſunt formaliter poſſibiles,ſiquidē Ens reale, quamvis dubitetur an tranſcendat formaliter, nec ne differentias, certo tranſcendit formaliter ſpecies,atq; individua;quoniam hæc,quidquid ſit de reflexis cavillationibus eorum,qui negant quidquam eſſe evidens, aut certum per expreſſiones proprias, apparent nobis,ut habentia ſua prædicata,& hæc apparent,ut nullam invicem habentia oppoſitionem,& inſuper ex nullo alio capite aſſurgit prudens dubium de tali oppoſitione,quidquid ſit de ſcrupulo imprudente. Et alias de omni ſpecie, ac genere, quæ cenſentur formaliter poſſibilia, v. g. de ſubſtantia, de ſpiritu &c. poſſemus prudenter dubitare (dubium imprudens, timorem, ac ſcrupulos non curo) ſint, nec ne poſſibilia! Decipiamur nec ne! Somniemur nec ne! Ergo Deus non eſt defectibilis, ſed ſemper neceſſario exiſtens. Atque hoc eruitur ex eo, quod careat omni imperfectione, fruaturque omni perfectione ſimpliciter ſimplici, quæ prudenter cenſetur definitio Dei, ut conſtat ex reſponſione primæ quæſtionis. Ergo ex Definitione illa Dei, quam utcunque prò hoc ſtatu habere poſſumus, eruitur per Metaphyſicam evidentiam exiſtentia Dei. Neque putes me defendere demonſtrationem Carthæſianam Dei,ſumptam *ex clara idea entis ſummè perfecti*. Diſcurſus enim quem dedi, eruitur ex quidditate *poſſibilitatis*, ac, *identitatis formalis*, ſeu, *ex terminis* communiter admiſſa. Ex quo infero, Ens fruens omni perfectione ſimpliciter ſimplici, eſſe formaliter poſſibile, ſive ens reale;& ex hoc infero eſſe exiſtens, quæ illatio bona eſt in hac materia. Et confirmatur exemplo Attributorum Omnipotentiæ, Sapientiæ, Juſtitiæ, Veracitatis &c. quæ ſanè per evidentiam metaphyſicam inferuntur ex quidditate ipſa Dei. Et conſequenter probantur per demonſtrationem à priori logico, ſeu metaphyſico. Sicut ergo illa ſunt demonſtrabilia à priori in hoc ſenſu: ita exiſtentia. Et quod objeceris contra hujus demonſtrabilitatem, eo modo pugnat contra aliorum attriburorum demonſtrabilitatem. Et in eodem ſenſu, & cum eiſdem explicationibus intelligenda eſt una, quibus altera demonſtrabilitas: quo circa diſcurſus, quem humano tantum modo, & prudente (ſed tergiverſationibus obnoxio, ſicut omnes aliæ evidentiæ metaphyſicæ) demonſtrativum reor, eſt hic; quoties res ex propriis terminis apparet habens prædicata determinata, quæcunque fuerint, & neque ex propriis terminis, neque ex ullo prorſus alio capite conſtat fundamentum ad *prudenter* dubitandum de contradictione in eis prædicatis (quidquid ſit de aliis, quæ tunc non diſputantur) toties res *prudenter* dicitur eſſe ex propriis terminis poſſibilis, ſeu, eſſe humano modo evidenter metaphyſicè poſſibilis, evidentiâ utique metaphyſicâ haberi ſolita ab hominibus, ideſt evidentiâ metaphyſicâ humanâ, & prudente, non verò, quæ reflexè iterum ſit evidens. Si hæc propoſitio cum his omnibus ſuis terminis vera non eſt, nil penitus oſtendes

quod

Digitized by Google

quod ſit evidenter ex terminis poſſibile, evidentiâ humanâ dictâ: recurſus enim ad illa, quæ experimur, & ſenſu tangimus, eſt, ut jam dixi, recurſus ad teſtes, qui multoties fallunt, atque ad ſummum fundabit evidentiam purè phyſicam. Sed Deus ſub his terminis *Ens fruens omni perfectione ſimpliciter ſimplici, & purum ab omni imperfectione* (ſub his namque ſolis terminis, & ex his ſolis demonſtrabilem dico exiſtentiam Dei; non autem loquor de abſtruſioribus aliis, v. g. de Æternitate, de Aſſeitate, de Libertate, quorum difficultas arcebit quidem evidentiam de *modo*, quo hæc competunt Deo; ſed non de *ſubſtantia*, & *exiſtentia*, ut paſſim experimur in nobis, qui habere ſolemus evidentiam *exiſtentiæ* rei; non verò *modi*, quo eſt. V. g. habemus evidentiam noſtrorum actuum vitalium, noſtrarum memoriarum, noſtrorum ſomniorum, hujus cartæ, hujus pennæ; ſed non habemus evidentiam modi, quo hæc fiant) ſub illis, inquam, terminis apparet habens illa prædicata fruendi omni perfectione ſimpliciter ſimplici, & carendi omni imperfectione: deinde neque ex illis terminis, neque ex ullo prorſus alio capite, conſtat fundamentum ad *prudenter* dubitandum de contradictione in eis prædicatis, quidquid ſit de aliis, quæ non dico eſſe per ſe ex terminis evidentia. Vel aſſigna fundamenta ad *prudenter* dubitandum de contradictione in eis ſolis terminis: modo non recurras ad tranſcendentale illud, & nimis probans. *Forte fallor. Forte latet contradictio. Non ſcio omnia.* Quia iſta, cum detorqueri poſſint in evidentiſſima quæque (imprudenter utique, ſicut etiam in re præſenti) probabunt nil penitus eſſe inter homines humano modo evidens metaphyſice. Ergo Deus ſub illis terminis, *prudenter* dicitur eſſe *ex propriis terminis* poſſibilis, ſeu, eſſe humano modo *evidenter metaphyſicè* poſſibilis. Evidentia, quam dico, non eſt pure moralis, ſed metaphyſica; habetur tamen modo humano, ideſt, prudente ſolum, & morali, quia unumquodque operatur, ſecundum quod eſt in actu, & homo in ſtatu viæ non niſi modo humano, & morali poteſt nanciſci evidentias metaphyſicas.

13. Hinc 1. Hanc concluſionem do, ut ſignatè adverti, & exercitè vidiſti, eo ſenſu, in quo paſſim dantur aliæ concluſiones; non ſanè, *ut probabiliter vera*, quia probabilitatem ſententiæ ſibi contrariæ raro negant cordati Authores; ſed probabiliter probabilitate ſubjectiva, & exercita, nempe ſe habente ex parte rationum ſuaſivarum ſemper dantur, ut *ſimpliciter, & omninò vera*. Et ſicut dicitur eſſe de fide, id quod à Theologis diſputatur an ſit de fide. Ideſt: qui affirmant, non affirmant eſſe *probabiliter* de fide, quia contrarii id non negant, ſed probabiliter affirmant, abſolutè *rem eſſe ſimpliciter de fide*: quæ diverſitas ſtat in diverſitate appellationis termini illius *probabiliter*. Similiter, non dico exiſtentiam Dei eſſe *probabiliter* demonſtrabilem à priori; ſed probabiliter dico: illam eſſe *ſimpliciter demonſtrabilem* à priori logico, aut metaphyſico in ſenſu, in quo multa alia demonſtrabilia per Homines dicuntur, nempè *rationabiliter* ſuppoſita tali definitione rei, & ſic, ut jam adverti, dantur, ac defenduntur omnes prorſus concluſiones, quæ

pru-

Digitized by Google

prudenter diſputantur. V. g. non dicunt Thomiſtæ. *Eſt probabile dari prædeterminationem*, hoc enim non negatur à nobis; ſed abſolute dicunt. *Datur*; hoc tamen rationibus ſolum probabilibus probant. Similiter non dicimus nos. *Eſt probabilis ſcientia media*; ſed abſolute dicimus. *Datur*; rationibus autem ſolum probabilibus id probamus. Quod ſi dixeris, hoc tandem probare ſolam demonſtrabilitatem moralem: concedam de moralitate ſubjectiva, & exercita (ſed id in omni prorſus evidentia ſub luna contingit, ut ſæpedixi: unde fervore negandi evidentiam, de qua nunc, negabis omnem prorſus evidentiam metaphyſicam inter homines mortales: recurrere quippe tanquam ad ultimum reſolutivum, ad ſenſus, & experientiam, jam vides eſſe recurſum ad teſtes, qui non ſunt metaphyſicè infallibiles) negabo autem de moralitate objectiva, & ſignata, quoniam prudenter dico, demonſtrabilitatem metaphyſicam non Angelicam, ſed qualem experimur inter homines. Multum eſt de modo loquendi, quando utimur terminis ſecundò reflexis. Sed puto, modum noſtrum loquendi eſſe magis caſtigatum, ſi conſervare volumus in hominibus ſignificatum harum vocum. *Evidentia metaphyſica*: ſuſpicor enim argumenta contraria omnem hanc arcere ab hominibus: cum nullus, quem ſciamus, nactus huc uſque ſit evidentiam, omni prorſus homini ſatisfacientem, & omnem prorſus tergiverſationem reſcindentem. Hinc 2. Tametſi verba in omnibus aliis definitionibus non ſignificant actum, ſed potentiam, hoc eſt, non ſignificant definitum actu abſolutè prædicatis frui, quę explicat definitio. Nempe quia de omnibus aliis definitis, utpote defectibilibus, verificati poteſt poſſibilitas, quin verificetur actualis abſoluta exiſtentia. Aſt cum in Deo, illa ſit omninò impræſcindibilis ab hac, per intellectum capientem terminos: hac de cauſa Verba illa in definitione Dei, *Fruens omni perfectione &c.* non ſolum ſignificant ex parte objecti potentiam, ſed actum quoque: non ſolum ſignificant Deum eſſe determinatum, ut *ſi exiſtat, fruatur omni perfectione*, ſed, *actu frui illa!*

14. Verum eſt quod protinus hinc infertur Deum exiſtere. Sed hoc neque infert illationem non eſſe formalem, neque probat exiſtentiam Dei includi formaliter in definitione Dei. Quiſquis enim penetrat terminos, ex homine infert protinus animal rationale; & tamen illatio eſt formalis, & non identica, ſicut hæc frivola: *Eſt homo. Ergo eſt homo.* Et inſuper definitio hæc: *animal rationale,* non includitur formaliter in definito *Homo*, ita ut ſit redditio ejuſdem per idem. Et ratio eſt. Ad vitandum hoc vitium in definiendo ſufficit, quod expreſſiones ita ſint diverſæ, ut una clarior ſit, quam altera. Sed quanquam objectum unius ſit realiter, & formaliter idem, cum objecto alterius, poſſunt expreſſiones, ſive termini ita eſſe diverſi, ut unus ſit clarior, quàm alter, ut conſtat in exemplo nupero. Ergo quanquam objectum unius expreſſionis ſit realiter, & formaliter idem cum objecto alterius, poteſt vitari vitium illud probandi, ac definiendi idem per idem. Hoc in præſenti. Actu abſolutè frui omni perfectione eſt realiter, & formaliter exiſtere abſolutè. Cæterum hæ expreſſiones. Actualis fruitio

omnis perfectionis. Actualis abſoluta exiſtentia in rebus. Sunt diverſæ. Et hæc ſecunda per ſe formaliter ſine illatione exprimit exiſtentiam, illa verò per conſequentiam, licet immediatam. Ergo probare exiſtentiam per fruitionem, non eſt probare idem per idem, ſed probare idem per illud, ex quo per immediatam conſequentiam infertur: ſicut ex definito infertur definitio, & vice verſa.

15. Hinc 3. Propoſitio *Deus exiſtit*: licet Beatis (& Viatoribus etiam ſpecialiſſimo elevatis lumine cœleſti) ſit per ſe nota, ſed non Viatoribus ordinariâ providentiâ adjutis: quia aliàs, ob meram ignorantiam ſignificationis verborum poſſet negari *Deum exiſtere*, ſicut ob illam ſolam poteſt negari *bis tria eſſe ſex*. Unde Atheiſmus reſolveretur tandem in puram ignorantiam grammaticæ. Ergo juxta ordinariam providentiam neceſſe eſt, quod intellectus prius noverit, quid ſit Deus, nempè eſſe ens fruens omni perfectione ſimpliciter ſimplici: ut protinus hinc inferat illum, quem aliàs evidenter ex terminis agnoſcit eſſe poſſibilem (ſicut agnoſcuntur alia poſſibilia, nempe ex terminis modo humano, & prudente; ſed non obſtruente os omni prorſus tergiverſationi) inferat, inquam, illum frui exiſtentiâ. Ergo hanc per ſolum diſcurſum aſſequitur intellectus, juxta ordinariam providentiam. Ergo non eſt illi per ſe nota, ſicut *bis tria ſunt ſex*. Licet enim ſit de quidditate Dei, quatenus per immediatam conſequentiam infertur ex illa; ſed non quatenus ſub hoc ipſo termino formali *Exiſtentia* ſit genus, aut differentia, quibus conſtat definitio Dei. Hinc 4. Demonſtrabilitas exiſtentiæ cauſæ primæ non impedit, aut peccatum Atheiſmi, quod videtur negari non poſſe, cum conſtet inſipientem non oretenus, ſed in corde ſuo dixiſſe *Non eſt Deus*; aut invincibilem aliquando, & in aliquibus ignorantiam Dei attenta ſola natura lapſa (licet ob ſpecialem dignationem illuminat Deus *omnem hominem, venientem in hunc mundum*, quidquid ſit de Braſilianis quibuſdam, de quibus dubitatur, ſint nec ne homines; & de monſtris illis, quæ meminit Hyeronimus in vita S. Pauli) Etenim multæ ſunt veritates demonſtrabiles in Metaphyſica, in Geometria, in Arithmetica &c. quæ ignorantur, vel etiam negantur ab eis, qui nunquam audierunt illas, vel auditas intelligere nolunt, quia nolunt vacare illarum meditationi per tempus, & tranquillitatem mentis, quibus mens humana indiget ad illas intelligendas, atque demonſtrandas. Ergo quamvis exiſtentia Dei ſit demonſtrabilis, poteſt attenta, ut dixi, ſola natura, invincibiliter ignorari ab hominibus, qui nunquam illam audierunt, nam *quomodo credent ei, quem non audierunt*. Et poteſt negari ab eis, qui traditi in deſideria cordis ipſorum, nolunt tempus illud, illamque mentis tranquillitatem, quæ ſuppoſitâ præſente humanâ conditione, requiruntur ad intelligendum, atque demonſtrandum exiſtentiam illam. Stat ergo formaliter immediate peccatum Atheiſmi, non in negatione ipſa Dei, quę eſt actus intellectus, atque ideò non eſt immediate libera; ſed in eo, quod ſufficienter apprehendens homo eam exiſtentiam, nolit incumbere in illius intelli-

Pſalm. 13.

Ioan. 1.

gentiam,

gentiam, & perſuaſionem, tempore, modo, & aliis circumſtantiis neceſſariis ad illius ad aſſenſum.

§. III.

16. QUæſtio tertia eſt. *An cauſa prima, ita indiſpenſabiliter concurrat immediate cum omnibus cauſis ſecundis ad harum effectus, ut concurſus hic nequeat delegari ulli alii. Et concurſus hic eſſe debeat per actionem eandem, per quam concurrit creatura?* Duplicem concurſum divinum ſolent diſtinguere Theologi. Unum *in actu* 1. & eſt exercitium illud voluntatis Divinæ, ſive poſitivum, ſive negativum, quo Deus applicat Omnipotentiam igni A, v. g. ut producat ignem B. Applicat, inquam, non localiter, & ſicut ignis applicari ſolet ligno; ſed intentionaliter. Ideſt, concurſus Divinus in actu primo, eſt exercitium illud Divinæ voluntatis, quo Deus, aut vult concurrere cum cauſa ſecunda ad talem, vel talem ejus effectum, aut non vult impedire actionem productivam illius effectus indiviſibiliter eggredientem ab Omnipotentia, & ſimul à cauſa ſecunda, juxta varietatem opinandi ſuper decreto applicativo Omnipotentiæ. Atqui perſpicuum eſt hoc decretum non procedere phyſicè à creatura. Ergo concurſus divinus in actu primo, non eſt concurſus creaturæ, ſive cauſæ ſecundæ. Ergo Deus non concurrit concurſu in actu primo ad effectus creaturæ per eandem actionem, per quam concurrit illa. Non ergo eſt quæſtio de hoc concurſu. Alterum *in actu ſecundo*, & eſt, actio illa Phyſica, per quam cauſa ſecunda actu Phyſicè producit ſuum effectum, quam vocamus nos concurſum *ſimultaneum Dei*, eo, quod oriatur ſimul à Deo, & à creatura. Et de hac quæritur, an ſimul indiviſibiliter procedat immediatè à Divina Omnipotentia, ita ut nequeat Deus delegare, ac quaſi ſubſtituere ullam creaturam, dando ipſi ſuas vices, ad hoc, ut quaſi nomine Dei concurrat cum alia creatura, per illam actionem, ita ut actio illa non naſcatur immediate à Deo.

17. Reſpondeo affirmative quæſtioni, quoad omnes ſuos tres articulos. Explicatur, & probatur concluſio. Deum indiſpenſabiliter concurrere cum omni cauſa ſecunda ad quemcunque ejus effectum, & per eandem actionem, per quam concurrit illa, & ita ut non poſſit delegare ſuas vices ulli alii creaturæ ad hoc, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod omnis prorſus actio, qua creatura quælibet producit quemlibet effectum, ex ſua eſſentia habeat immediate procedere phyſicè ex Deo, abſque ulla actione reflexa. Id, & non aliud ſignificant termini illi reſponſionis; cum enim concurrere phyſicè ad effectum, nil aliud ſit, quam actionem hujus productivam procedere per ſe immediatè phyſicè ab eo concurrente: ſi omnis actio cujuslibet effectus productive phyſicè, procedit phyſicè immediatè ex Deo, palam

 ſit,

ſit, hunc concurrere phyſice immediate ad omnem effectum omnis cauſæ ſecundæ. Rurſus cum Deus nequeat ſpoliare rem ſua eſſentia, palam quoque ſit, non poſſe Deum delegare alii ſuas vices, ita ut actio productiva effectûs, non procedat immediate phyſicè ex Deo, ſi actio illa habet per ſuam eſſentiam procedere immediate phyſicè ex illo. Et quando Deus ſuas vices daret creaturæ ad patrandum miracula, ad inſtituendum Sacramenta, ad remittendum peccata, & ſimilia non deſineret influere phyſicè immediate in illa effecta, quia Jus, & Dominium immediatum in hoc eſt per Deum inabdicabile. Stat ergo, quod omnes tres articuli reſponſionis reducuntur ad hoc punctum. Nimirum omnem prorſus actionem, qua creatura quælibet producit quemlibet effectum, habere ex ſuamet eſſentia procedere phyſicè ex Deo, abſque ulla reflexa actione. Sed hoc ita eſt. Probatur. Omnis actio, qua creatura quælibet producit quemlibet ſuum effectum, habet ex ſuamet eſſentia pendere à Deo majore dependentia poſſibili. Sed procedere phyſicè immediate, abſque reflexa alia actione, cum ſit dependentia *immediata* ex Deo, *eſt* major, & ſtrictior, quam procedere mediatè per ſuperadditam reflexam actionem, ita ut detur actio actionis. Deinde eſt poſſibile, ut ſolvendo contrarias difficultates conſtabit, quod omnis prædicta actio ſic immediatè procedat ex Deo. Ergo. Confirmatur. Deus ita dominatur cuivis effectui creato, ut nulla creatura cauſa illius, illi magis dominetur. At ſi actio cauſæ creatæ, qua ponit ſuum effectum immediatè, phyſicè procederet ab illa; à Deo autem non immediatè phyſicè, ſed mediante aliâ reflexâ actione, creatura, illa præſertim ſi eſſet libera, magis dominaretur actioni illi: Siquidem illi dominaretur immediatè, Deus verò mediatè. Ergo.

18. Denique. Sicut eſt perfectio Divinæ Providentiæ, omnia
Matth. 10. prorſus, vel minutiſſima curare. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt &c.* Et *Veſtri Capilli Capitis omnes numerati ſunt*. Et proprium Juſtitiæ prorſus, vel minima peccata judicare. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die*
Idem 12. *Judicii*. Et rurſus. *Dico tibi non exies inde donec etiam noviſſimum minu-*
Luca 12. *tum reddes*. Omniaque, vel minima merita munerare: *quicunque potum*
Matth. 10. *dederit aqua frigida, Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam*. Et pro-
Joſue 23. prium fidelitatis, omnia prorſus promiſſa exequi. *De omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe, pollicitus eſt, unum non præterierit in caſum*. Ita proprium eſt Omnipotentiæ, quæ titulo Immenſitatis præſentiſſima eſt omni Cauſæ ſecundæ in omni loco, & tempore, omnia prorſus, quæ fiunt, facere. Atqui non modo fiunt effecta Cauſarum ſecundarum, ſed etiam actiones ipſæ, quas ſupra dixi eſſe entitates modales diſtinctas à cauſis, & effectis ipſis. Ergo proprium eſt Omnipotentiæ facere has actiones Cauſarum ſecundarum, modo ſcilicet ipſarum naturis proportionato. At non per actionem aliam reflexam à ſolo Deo oriundam. Tum quia non eſt neceſſaria. Tum quia illa conniveret concurſui prædeterminanti, quem non admittimus. Tum quia licetnon nunquam inſinuet S. Thom. Omnipotentiam operari per actio-

actionem à ſe indiſtinctam , videtur uti phraſi illâ ſatis antiquâ , & ſacrâ , & profana , nempe ponendi actum ſecundum , pro actu primo , ut *venit deſideratus* (hoc eſt deſiderabilis) *cunctis gentibus*;nam certè non cunctæ gentes habebant notitiam Chriſti venturi , unde non poterant illum deſiderare . Et Titus acclamatus fuit à Romanis *Deliciæ Orbis* , ideſt, dignus , quo Orbis delectaretur : ſiquidem adhuc in Orbe ſuo Romano multi erant , qui Tito non delectarentur . Cum enim actio in præſenti ſignificet actuale , abſolutum , formale , ac immediatum exercitium cauſandi , infertur actionem eſſe entitatem modalem per ſe metaphyſicè , abſolutè , ac determinatè connexam cum effectu . Atqui Omnipotentiæ penitus repugnat hæc connexio . Ergo ei repugnat eſſe actionem in præſenti acceptione . Utitur itaque S. Doctor actu ſecundo , pro actu primo , & ſenſus videtur eſſe Omnipotentiam operari per actionem , ideſt , per principium quo , ſive per virtutem à ſe indiſtinctam , & ſic contraponit illam cauſis creatis, quæ juxta ipſum, operantur per virtutes ſuperadditas . *Agger.2.*

19. Hæc ſufficiunt ad formandum rationale Judicium concluſionis datæ, videlicet, Deum concurrere cum omni prorſus cauſa creata ad quemlibet hujus effectum,& per eandem penitus actionem,ita ut delegare nequeat ullam aliam Creaturam ad hoc munus , ſive reſpectu omnium ſive reſpectu unius tantum cauſæ ſecundæ,abſtinendo ſe à concurſu in talem, vel talem effectum, qui hic,& nunc fiat . Item ad prudenter judicandum hunc eſſe legitimum ſenſum verborum Symboli , *Factorem Cœli* , & *Terræ , viſibilium omnium , & inviſibilium*, & aliorum Joannis , *Sine ipſo factum eſt nil* Nempè reſpectivè ad uniuſcujuſque naturam : una facta ſunt per creationem , alia per eductionem , una tanquam à cauſa per ſe , alia tanquam à cauſa merè permiſſiva , & per accidens . Neque dicas Joannem loqui de ſolo Verbo . Perſonæ quippe omnes Divinæ operantur ad extra per principium ipſis commune , videlicet per Omnipotentiam . Ex hac doctrina infertur . 1. Admittendum eſſe concurſum ſimultaneum Divinum cum cauſa qualibet ad effectum quemlibet . Quoniam , ut monui , concurſus ſimultaneus , non ſtat in eo , quod Deus ponat unam actionem,& Creatura aliam in eodem loco,aut tempore : & propter hanc ſimultatem actionum , concurſus Divinus dicatur ſimultaneus . Abſit . Sed in eo , quod tota , eademque numero actio naſcatur Phyſicè à Deo , & à Cauſa ſecunda (ſicut paſſim contingit in actionibus indiviſè provenientibus à duplici cauſa , v. g. motus , & impulſus ſaxi proveniens à duobus ſimul Hominibus) tanquam ab uno principio ſimpliciter totali : & à quolibet autem tanquam à principio partiali , non utique partialitate actionis ipſius , quaſi in ipſa detur una pars , quæ procedat à Deo ſolo , & altera à ſola Creatura ; ſed partialitate cauſæ : quatenus actio illa indiviſibilis, cum habeat per ſuam eſſentiam naſci à Deo , & per ſuam quoque eſſentiam naſci à ſua cauſa creata , nequit naſci à ſolo illo , neque à ſola hac . Unde Deus, quia ex dignatione vult , quod cauſæ ſecundæ non otientur , ſed quod operentur , eſt cauſa partialis illius , & cauſa creata , eſt cauſa partialis ejuſ- *Ioan.1.*

Digitized by Google

ejuſdem: complexum vero ex utroque eſt cauſa totalis. Concurſus itaque divinus dicitur ſimultaneus, non alia ſimultate, quam identitatis cum concurſu Creaturæ. Et concurſus idem, nempe actio eadem, eſt Divinus, & Creatus. *Divinus*, non utique entitativè, ſicut Deus ipſe, ſed denominativè, quatenus naſcitur à Deo, à quo licet naſcantur etiam effectus omnes creati, non dicuntur Divini, quia ob inopiam vocum invaluit licentia applicandi adjectivum illud actioni, non verò applicandi illud termino actionis. Et non eſt alia diſparitas: *Creatus* etiam, quia actio illa naſcitur à Cauſa ſecunda, & eſt entitativè creatura. Neque eſt contra Dei Omnipotentiam, non poſſe ſe ſolâ ponere actionem illam determinatam, quæ per ſuam eſſentiam, & ex ſua eſſentia, habet naſci, etiam à Cauſa ſecunda, eo quia eſt actuale, abſolutum, immediatumque exercitium Phyſicum illius. Sicut non eſt contra Divinam Omnipotentiam non poſſe facere, quod canis Philoſophetur, aut quod Angelus ſit piſcis, aut quod piſcis argumentetur. Nempe quia non eſt de ratione potentiæ infinitæ, invertere eſſentias rerum, aut facere chymæras. Et ſicut eſſentia canis non eſt ſacrilega contra Deum, ex eo quod inferat eſſe Deo antecedenter impoſſibile, illum convertere in rationale animal. Ita eſſentia actionum cauſarum ſecundarum non eſt ſacrilega, ex eo quod inferat Deo eſſe antecedenter impoſſibile illam ſe ſolo facere.

20. Infertur 2. quod licet in ſenſu materiali, atque identico, actio illa, ſeu concurſus divinus in actu ſecundo, ob realem identitatem cum actione, ſeu concurſu Creaturæ, carentiamque diſtinctionis virtualis, & omnis aliûs ſimilis, ſit tam malus, tam vitioſus, tam defectibilis, tam reprehenſibilis, quam actio, ſeu concurſus creaturæ, quando hic laborat his exceptionibus. Nunquam tamen dicendum eſt abſolutè, concurſum Divinum *eſſe malum*, *eſſe vitioſum &c.* Tum quia hæc locutio alludit plerunque ad concurſum in actu primo. At hic, utpotè conſiſtens in decreto, quod memini numero 16. eſt ipſe Deus, & conſequenter adæquatè diſtinctus ab actione, ſive concurſu creaturæ. Ergo illa locutio plerunque eſt filia chymericæ veritatis. Tum quia licet locutio illa ſignanter procedat de concurſu in actu ſecundo; aſt ſemper, aut ferè ſemper habet ſenſum formalem præciſivum, atque reflexum, videlicet. *Concurſus prout à Deo, quatenus ex Deo, attenta ſola formalitate procedendi ex Deo, eſt malus, & vitioſus &c.* Sed hic ſenſus manifeſtè eſt falſus; neque eximitur à falſitate ob realem Phyſicam identitatem cum pravo concurſu, ſive actione creaturæ, quia ut ſæpe adverti, peſſimè arguitur à ſenſu directo, Phyſico, materiali, & primo intentionali, ad reflexum, mentalem, præciſivum, & ſecundo intentionalem. Ergo illa locutio abſolutè prolata ſemper, aut ferè ſemper habet ſenſum manifeſtè falſum, maleque ſonantem; ergo nunquam eſt admittenda abſolutè. Quod ſi caſtigata proferatur ſic. Concurſus Divinus in actu ſecundo eſt *in ſenſu duntaxat Phyſico, & materiali*, malus, ſicut malus eſt concurſus creaturæ quando hęc peccat: innoxia eſt propoſitio, fundatur quippe in identitate ſola Phyſica, & materiali

ſine

ſine mixtura diſtinctionis virtualis eorum concurſum, ita ut non ſint duo concurſus, ſeu duæ actiones, ſed una ſola reſpiciens duo valde diverſa principia: nec non in eo, quod Deus purè permiſſivè ponat actionem illam, ut creaturæ conſervet libertatem indifferentiæ, quam conſervare decrevit, quia voluit. At hæc omnia ſunt vera. Ergo propoſitio illa fundatur in vero.

21. Quod ſi adhuc aſpera tibi videatur, nego illam. Sed ideo eſt, quia propter illum terminum *Divinus* adhuc retinet ſenſum reflexum, atq; præciſivũ dictũ, tametſi adjungantur illi alii termini, *in ſenſu duntaxat Phyſico*, & *materiali*. Et tunc propter iſtam eandem retinentiam ſenſus formalis, & reflexi, dicam, quod ſæpè alibi dixi inter explicandum prædicta, quæ videntur contradictoria, cum tamen non ſint, & verificantur de rebus creatis realiter identificatis. Fateor concurſum Divinum in actu ſecundo eſſe penitus eundem cum concurſu creaturæ. Fateor hunc ſæpiſſimè eſſe turpem, vitioſum, & reprehenſibilem. Hinc tamen non infertur idem, de illo concurſu Divino. Quoniam hunc fore vitioſum, & reprehenſibilem ſtaret in eo, quod actio illa quatenus à Deo, vitioſa eſſet, quod actio illa Deo tribueretur vitio (ad hanc præciſionem, & reflexionem cogere videtur illud adjectivum *Divinus*) atque ex eo, quod actio illa ſit penitus eadem cum actione Creaturæ, & hæc ſit vitioſa, & reprehenſibilis, non ſequitur actionem illam, *quatenus à Deo* eſſe reprehenſibilem, nec ſequitur actionem illam Deo verti poſſe vitio; paſſim namque contingit unum, & idem, ſub una reduplicatione, in unoquoque ſenſu habere prædicatum, quo in alio ſenſu, ſub aliaque reduplicatione, caret, quoniam hoc non probat mutationem in eſſentia rei illius, ſed diverſitatem reduplicationum, atque ſenſuum, quam habent propoſitiones, quibus utimur. Ergo. Lege ſimilem doctrinam, quam dedi ad extricandum ſimilia involucra tum diſp. 1. Logicæ, agens de diſtinctione virtuali, atque formali ex natura rei in creatis, tum in Prodromo diſp. de Poſſibili, diſputans in diſtinctionem inter poſſibilitatem, & exiſtentiam rerum. Demum ſi hæc quoque via acclivis tibi fuerit, diſtingue illam propoſitionem. Concurſus Divinus in actu ſecundo eſt tam malus, quam malus eſt concurſus creaturæ, quando hæc peccat: diſtinguo, tam malus *reſpectu Dei*, nego ſuppoſitum, quia neuter eſt reſpectu Dei malus: tam malus *reſpectu Creaturæ*, concedo. Abſurdum non eſt, quod individua actio peccaminoſa, quæ tota determinatur à Creatura (nam *Perditio tua Iſrael*) totaque Phyſicè duntaxat, & per accidens eſt à Deo, tota ſit mala, vitioſa, & reprehenſibilis *reſpectu Creaturæ*, & tota non ſit talis, ſed laudabilis quoad Deum, ſeu reſpectu Dei, qui Sanctiſſimè ponit cum creatura illam actionem, permittendo Creaturæ, quod abutatur libertate, quam illi concedit. *Oſee. 3.*

22. Infertur 3. unus ex ſenſibus, quos habere poteſt famoſa illa querimonia Dei. *Servire me feciſtis in peccatis tuis*. Licet enim percelli videantur Sacerdotes illis his verbis, eo quià cultu Dei, religioniſque velamine, atque pretextu utebantur ad propria commoda, unde facie- *Iſai. 43.*

bant

bant Deum ſervire ſuis ipſorum iniquitatibus. Aſt Laici etiam, & Homines omnes corripiuntur querimonia illà. Non quia Deum verè Phyſicè cogant, aut omnipotentiam ſibi ſubjectam habeant in ordine ad illud, quod voluerint. Abſit. Sed quia nequeuntes quidquam, vel minimum facere abſque immediato concurſu Phyſico Omnipotentiæ, ſunt unica cauſa à priori determinativa (ſubjecta tamen eſſentialitèr Deo purè permiſſivè, ex dignatione ſe habenti) illius immediati concurſus Phiſici Divini. Quia *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*, ſicut ſi robuſtiſſimus Gigas ex dignatione permitteret, puerum abuti ſuà manu ad percutiendum puerum alium. Unde homines quaſi ſervire faciunt Deum in ſuis ipſorum iniquitatibus. Infertur 4. Omnipotentiam eſſe Phyſicum, eſſentiale conſtitutivum proximæ, adequatæ facultatis cujuſcumque cauſæ creatæ ad quamcunque ſuam operationem. Quia omne prærequiſitum eſſentiale ad quamcunque operationem poſitivam conſtituit eſſentialitèr ſaltem in obliquo proximam adęquatam facultatem ad illam operationem, ut probavi diſput. 2. num. At omnipotentia eſt principium eſſentialitèr prærequiſitum ad quamcunque operationem poſitivam cujuſcunque cauſæ creatæ, eo quod quævis operatio hujus per ſuammet eſſentiam habeat Phyſicè immediatè procedere ab Omnipotentia, ut paulò ante dixi. Ergò Omnipotentia conſtituit eſſentialitèr illam in obliquo proximam, adæquatam, facultatem cujuſvis cauſæ creatæ, Cumque ex alia parte Omnipotentia nequeat quidquam Phyſicè agere abſque decreto, quo Deus aut velit poſitivè, aut ſaltem permittat actionem illam, (quià nullum agens rationale poteſt operari, ut rationale, abſque actu voluntatis quo velit, aut ſaltem permittat illam operationem) item abſque decreto determinativo quoad individuationem, de quibus decretis mox agam: Concluditur hæc decreta reſpectivè, ſive actus Divinæ Voluntatis, eſſe eſſentialiter prærequiſita ad quamcumque actionem Creaturæ: Et conſequenter eſſe intima eſſentialia conſtitutiva cujuslibet proximæ adequatæ facultatis creatæ operatricis. Ergo tàm Omnipotentia, quàm illa decreta, quæ vulgò dicuntur applicativa Omnipotentiæ, nec non determinativum individuationis, intrinſecè conſtituunt quamcunque activam libertatem creatam indifferentiæ. Cumque libertas paſſiva, ideſt, *Actum eſſe hic & nunc abſolutè liberum libertate indifferentiæ*, ſit denominatio à libertate activa, & per hanc intrinſecè conſtituatur, ſicut quævis alia denominatio conſtituitur per formam ſuam, ſequitur Omnipotentiam, hujuſque applicativum decretum (unum ex illis duobus) intime conſtituere, obliquè tamèn, libertatem paſſivam noſtrarum operationum, quoniam omne conſtitutivum conſtitutivi eſt conſtitutivum conſtituti. Et demum. Cum omnis malitia, & bonitas formalis, noſtrarum operationum intimè, ac eſſentialitèr imbibat libertatem indifferentiæ ad eaſdem, concluditur ultimò Omnipotentiam, & ipſius applicativum decretum, non eſſe mera connotata, ſed intima conſtitutiva, (ſed obliqua, inſtar prærequiſitorum) bonitatis, ac malitiæ formalis noſtrarum operationum. Quod tam obſurdum eſt, quam eſt abſurdum,

dum,

dum, oppoſitionem peccati cum lege Divina ſumpram adequatè intimè conſtitui in obliquo per ipſam legem Sanctiſſimam Divinam, tanquam per terminum oppoſitionis. Et Juſtificationem peccatoris intimè conſtitui in obliquo per ante actum peccatum, tanquam per terminum *à quo*. Sed de hoc aliàs.

23. Infertur 5. Omnipotentiam præcontinere cunctos prorſus effectus Creaturarum bonos, malos, indifferentes, actioneque ſuâ attingere illos: illoſque omnes Phyſicè egredi ab Omnipotentia. Verum tamèn has Phraſes ne intelligas in ſenſu materiali, quem præſeferunt: quaſi hæc omnia continerentur in Omnipotenria, ab eaque egrederentur, ſicut puer continetur in Maternis viſceribus, ab eiſque eggreditur. Abſit. Et quia aliqui materiali intelligentiâ phraſeon illarum imbuuntùr, per illaſque tam alienas ſpecies, apprehendunt rem præſentem: ideo unus, vel alter horrere ſolet ad illas. Igitur Omnipotentia attingit omnes penitus effectus creatos, continet illos, illique Phyſicè egrediuntur ab ea unicè, ac præcisè, quatenus Deus eſt Factor omnium Viſibilium, & inviſibilium, uniuſcujuſque autem modo proportionato ad ipſius eſſentiam. In hoc ſolo ſtat Phyſicè ex parte rerum illa continentia, attactio, & egreſſio. At, quod Deus ſit Factor omnium rerum creatarum, & quidem immediatè, & non purè mediatè quatenus producat cauſas, & hæ poſtea, ſine ullo alio concurſu immediato Dei, producant ſuos effectus, non dedecet, quinimò commendat valdè Omnipotentiæ Divinæ extenſionem. Sicut Immenſitas commendatur per præſentiam Dei in omni loco, Æternitas per præſentiam in omni tempore, ſcientia per omnium ſcibilium plenam notitiam &c. Ergo attactio illa, continentia, & egreſſio non dedecent, ſed commendant Deum.

§. IV.

24. SED duæ graves aſſurgunt difficultates contra hunc concurſum ſimultaneum univerſalem Cauſæ primæ. Una eſt. Si Deus indiſpenſabilitèr concurrit immediatè cum omni Creatura ad omnem hujus operationem, ſequetur Deum concurrere Phyſicè immediatè ad malitiam formalem peccati commiſſionis (poſito quod ea conſiſtat in entitate poſitiva, ut multi contra multos opinantur) eo quià malitia formalis mendacij v. g. nil aliud ſit ex parte rerum, quidquid ſit de noſtris apprehenſionibus, quàm realitas ipſa mendacij prolati liberè contrà conſcientiam, quæ omnia ſunt res poſitivæ. Et eo quia, cum multi ſint actus eſſentialitèr mali, v. g. odium formale Dei, illi ex ſuamet eſſentia ſunt incapaces habendi rectitudinem. Unde illorum malitia non poteſt conſiſtere in privatione rectitudinis, ſiquidem privatio formæ imbibit intrinſecè capacitatem habendi illam, Recurrere autem ad capacitatem rectitudinis ex conceptu generico *actus humani*,

Digitized by Google

mani, eſt recurrere ad rem logicam mentalem, & præciſivam, quando agitur de realitatibus. Tunc ſic. Vel Deus concurrit liberè, ſpontaneè, voluntariè ad eam malitiam formalem. Vel determinatus, & quaſi tractus per Creaturam. Et utrumque pejus. Quoniam primum inferret, eſſe cauſam per ſe peccati contra Tridentinum ſeverè Anathematizantem hanc blaſphemiam. Secundum autem Deum ſubjectum eſſe Creaturæ, quod neque ex dignatione, neque ex Decreto ullo Divino, neque ex ulla hypotheſi poſſibili evenire poteſt.

25. Facilè ſe ſe explicare videntur ab hoc modo, qui autumant malitiam formalem conſiſtere in negativo, videlicet in mera privatione rectitudinis. Sed cum multi ex his Doctoribus ſubjungant, Deum non tantum concurrere Phyſicè, verum etiam efficacitèr velle, ac prædeterminare illud, quod vocant materiale peccati materialitèr ſumptum, & hoc, quibuslibet alijs terminis mitigetur, non ſit ſola, & nuda entitas mendacij, nec illa liberè, utcumque facta, (quia neutro hoc modo connectitur Methaphyſicè cum malitia formali, proùt connectitur juxtà illos materiale peccati, materialitèr ſumpti) Sed, *entitas mendacij, ut liberè facta contra conſcientium*, videtur inferre ex illorum Doctrina, Deum non modo concurrere Phyſicè, verum etiam efficacitèr velle, ac prædeterminare Entitatem mendacij, *ut liberè factum contra conſcientiam*. Ex quo, quot, & quanta abſurda? Ergo Doctores hi videntur incidere in unum, vitandi Causà aliud. Neque multum prodeſſe illis videtur, quod fuerint peccaminoſa verba illa Caiphæ apud Ioan. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur Homo pro Populo*. Ad quæ tamen impuliſſe eum videtur Deus, quia hic ſolus eſt Author omnis prophetiæ, & verba illa fuerunt prophetica, ut ibidem aſſerit Joannes. Præter illa namque quæ alibi dico, v. g. æquivocam eſſe in ſcriptura ſignificationem illius verbi *Prophetare*: item judicare, ac dicere, neceſſariam fuiſſe mortem Chriſti prò ſalute Populi, non eſſe peccatum ex ſe, cum David, & alij Prophetæ, & ipſe Dominus toties id dixerint, ſed pravam intentionem incitandi ad necem, quæ prava intentio non fuit utique prophetia. His, inquam, parcens, dico. Deus eſt cauſa per ſe ſolius prophetiæ ſimplicitèr talis, nempè interni Judicij, rei humanitus non ſcibilis; non autem abusûs huius judicij, ſivè, per actum voluntatis, ſivè per actum externum: Verba, & intentio Caiphæ, licet connecterentur cum illo judicio, illud autem non connectebatur cum eis, quià Propheta poteſt non manifeſtare quæ ſcit. Ergo Deus non fuit cauſa per ſe illius, in quo fuit peccatum. Quamobrem conceſſo malitiam formalem peccati conſiſtere in rebus poſitivis inſinuatis, reſpondeo ad contrarium dilemma; primum membrum ſub explicationibus, quas jam ſubjicio, eſſe verum, quin ſequatur, Deum eſſe cauſam per ſe peccati. Igitur ad hoc concurrit Deus *liberè*, libertate indifferentiæ, quia nulla premitur antecedente, ac ſibi inevitabili neceſſitate concurrendi, ſed non concurrit liberè immediatè, quià peccatum cum ſit opus extrà Deum, non eſt exercitium immediatum Divinæ voluntatis. Quemadmodum licet liberè loquamur v. g. & hæc locutio immediatè Phy-

ſicè

ficè procedat à noſtra potentia locutrice; attamen non loquimur liberè immediatè, quippè libertas immediata ſolum cadit ſupra exercitia immediata voluntatis, quæ vulgo dicuntur amor, odium, volitio, nolitio &c. atqui locutio licet ſit immediatum exercitium potentiæ locutricis, atque ob identitatem huius cum voluntate, ſit etiam in ſenſu Phyſico, ac materiali exercitium immediatum voluntatis; nihilo tamen minus non eſt ex illis, quæ vulgò dicuntur amor, odium &c. Ergò licet locutio immediatè Phyſicè procedat à potentia locutrice, & inſupèr ſit exercitium liberum, attamèn non eſt exercitium immediatè liberum. Nimirum quia illa Syncathegoremata *Immediatè, liberè*, diviſa, dant unum ſenſum, & conjuncta alterum: unde diviſa, dant ſenſum verum, & conjuncta falſum. Ut contigit in ludibrio illo logicorum. *Hæc avis eſt Mater*. Deindè *eſt tua*. *Ergo eſt Mater tua*. idem in præſenti. Actio peccaminoſa immediatè Phyſicè producitur ab Omnipotentia, ſicut quę vis alia creata. Deinde eſt libera Deo, qui nulla antecedente neceſſitate urgetur ad illam. Aſt non eſt immediatè libera Deo.

26. Rurſus neque Deus concurrit ad illam liberè mediatè *in ſenſu poſitivo*. Hoc namque conſiſteret in eo, quod Deus immediatè liberè conciperet actum, qui foret cauſa efficax actionis peccaminoſæ, ideſt, connexa, & omnino antecedens reſpectu illius: ſicut nos loquimur liberè mediatè, quatenus immediatè liberè *volumus efficaciter* loqui, quæ volitio eſt cauſa efficax locutionis. Sed hoc repugnat, quia ſequeretur Deum eſſe Authorem peccati, & quia licet Deus immediatè liberè decernat libertatem creatam, quam prævidet peccaturam, hęc libertas non eſt ex ſe connexa cum peccato: & completum ex illa ac præviſione peccati, non eſt antecedens purè & ſimplicitèr reſpectu peccati, ſiquidem præviſio eſt poſterior, quandoquidem ideo à priori Deus prænoſcit peccaturam illam libertatem, quia illa ſpontè ſua peccabit, & non è contrario. Ergò Deus non concurrit liberè mediatè *in ſenſu poſitivo* ad actionem peccaminoſam Creaturę. Et hinc habes rationem, ob quam licet Deus ſimul indiviſibilitèr cum voluntate noſtra concurrat ad noſtras liberas operationes, has non determinat *in ſe*; ſed ex indulgentia conſervandi in nobis libertatem indifferentiæ, ſinit illas, quia vult, determinandas ſoli noſtræ libertati. Nimirum, omnis, & ſolus qui *immediatè liberè*, vel, liberè mediatè in *ſenſu poſitivo* ponit actionem, determinat illam. At non Deus, ſed voluntas noſtra immediatè liberè, aut, liberè mediatè *in ſenſu poſitivo* ponit noſtras liberas operationes. Ergò. Reſtat itaque quod concurrat liberè mediatè in *ſenſu mere negativo*, & permiſſivo. Hoc namque ſtat in eo, quod Deus immediatè phyſicè ponat cum Creatura illam actionem, & potens concipere nolitionem efficacem omninò illius, hanc nolitionem non concipiat, ob fines ſuę Providentię; quemadmodum robuſtum hominem concurrere liberè, mediatè, *in ſenſu merè negativo*, & permiſſivo ad actionem, quam Puer facit abutens manu, viribus, & robore hominis illius, unicè ſtat in eo, quod Homo vere Phyſicè efficiat cum Puero actionem illam, & potens nolle facere illam, abſti-

 neat

neat ab hac nolitione, aut per puram omiſſionem, aut per poſitivam reflexam nolitionem illius. At Deus ex una parte ponit immediatè Phyſicè cum Creatura actionem Peccaminoſam ob dicta ſupra [1]. Si quidem modo uniuſcujuſque Creaturæ proportionato naturæ eſt *Factor Viſibilium omnium, & Inviſibilium*: Et rurſus: *omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nil*, nimirum modo illis proportionato, ideſt, aut per ſe, aut per accidens, ſicut per creationem, aut per eductionem. Ex altera parte potens nolle efficaciter omninò actionem illam, abſtinet ab hac reſoluta, efficace nolitione, nam certè nullum patraretur, aut patrari poſſet peccatum, ſi Deus omnino reſolutè, ac efficaciter nollet ullum committi peccatum. Ergo Deus mediatè liberè *in ſenſu merè negativo*, ſeu permiſſivo concurrit immediatè phyſicè ad actionem peccaminoſam creaturæ.

27. Concurrit quoque ſpontaneè; quia hoc ſtat in eo, quod Deus non cogatur aliunde ad concurſum, libertas enim ab hac coactione eſt ſpontaneitas, & ideò Beati dici ſolent amare liberè Deum, non utique libertate indifferentiæ, ſive libertate à neceſſitate, ſed libertate à coactione, ſive a violentia. At Deus a nemine patitur, aut pati poteſt coactionem, ſive violentiam, ut concurrat cum creatura, ut patet. Ergo ſponte concurrit. Quando autem unus, vel alter dicit Deum concurrere *determinatum à creatura* (quæ locutio mihi non probatur) ſenſus non eſt, qui apparet (quod paſſim contingit in figuratis locutionibus) ſed actionem illam, de qua eſt ſermo, quæque indiviſibiliter procedit phyſicè à Deo, & creatura, *ab hac ſola determinari*, eo quia ex dignatione, vult Deus creaturæ conſervare libertatem indifferentiæ, non autem à Deo; ſicut ſola creatura vivit, meretur, aut demeretur actione illa, eo quod actio ſit immediatum exercitium libertatis creaturæ, aut ſit res efficaciter volita per exercitium creaturæ. Cumque actio illa nunquam ſit immediatum exercitium Divinæ voluntatis, & multoties nequeat eſſe res volita efficaciter per Deum, ſaltem quando eſt formaliter mala. Ideò Deus illam non determinat. Hanc determinationem, cadentem utique ſupra actionem, ſecus ſupra Deum, intelligunt, qui propter verba illa Iſaiæ, *ſervire me feciſti &c.* duriuſculâ eâ utuntur Phraſi. *Deus concurrit determinatus à creatura*. Concurrit demum voluntariè; non voluntarietate poſitiva, quaſi directè, aut indirectè, formaliter, aut virtualiter velit actionem peccaminoſam. Sed voluntarietate merè negativâ. Quia hæc conſiſtit in his ſolis tribus. Primum, quod immediatè phyſicè ponat actionem illam. Secundum, quod pleniſſimè poſſit nolle efficaciter illam ponere. Tertium, quod juſtis de cauſis abſtineat ab hac nolitione, ad quam certè non tenetur, ſicut plerumque tenentur humani ſuperiores non permittere peccata ſuorum ſubditorum. Aſt omnia hæc verificantur de Deo. Ergo hic concurrit ad actionem peccaminoſam voluntariè negativè, & hæc eſt illi negativè voluntaria, ideſt, nec concurrit ad illam coactus per violentiam, nec antecedente neceſſitate oppreſſus. Et hinc infertur, Deum non eſſe Auctorem, aut cauſam

appe-

Digitized by Google

per ſe peccati, ut Tridentinum Anathematizat, aud determinare illud; ſed eſſe cauſam mere permiſſivam, ac per accidens. Etenim quidditas cauſæ per ſe, ac determinativæ, ut nuper, atque etiam diſp.2. dixi, eſt immediatè liberè concurrere ad effectum, ut concurrit voluntas ad multos proprios actus. Vel concurrere ſub prævio appetitu innato illius effectus, ut concurrunt cauſæ neceſſariæ. Vel ſub prævio appetitu elicito, qui poteſt eſſe, aut formalis, aut directus. Vel virtualis, interpretativus, ac indirectus. Hicque poteſt eſſe unus ex illis quatuor, quos ſupra notavi diſputatione illa ſecunda: in aliquo ex his ſtat *eſſe ductorem, eſſe cauſam per ſe, determinare*. E' converſo, eſſe cauſam purè phyſicam, purè per accidens, purè permiſſivam, permiſſione cauſæ primæ (cauſæ quippe ſecundæ multoties concurrunt permiſſivè, quin phyſicè immediatè concurrant ad effectum, quem permittunt. Nempe quia hi non poſcunt indiſpenſabiliter illarum phyſicum immediatum concurſum, ſicut poſcunt divinum) ſtat in eo, quod cauſa prima immediatè phyſicè concurrat ad effectum, ſed neque immediatè liberè, neque cum ullo prævio affectu, appetitu, aut inclinatione, ſive innata, ſive elicita, formali, ſive elicita virtuali, ulla (ex eis quatuor) virtualitatis ſpecie. Hæc eſt radix diſcernens cauſam poſitivam, & per ſe, à cauſa merè negativa, permiſſiva (permiſſione cauſæ primæ propria) & per accidens. Ergo quoties Deus ita immediatè phyſicè concurrat ad aliquem effectum, ut non concurrat ullo ex eis primis modis, ſed hoc ſecundo, non eſt cauſa poſitiva, ſed negativa, non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens illius effectus, non demum eſt Author, ſed Permiſſor.

28. At nullo ex eis primis modis concurrit Deus immediatè phyſicè ad peccatum; ſed ſecundo. Ergo. Et en rationem, ob quam licet Deus, & creatura immediate phyſicè ponant actionem liberam hujus, ſola creatura *determinat illam*: Sicut ſola vivit per illam. Nempe ſola creatura concipit illam *immediatè liberè*, aut vult aliquid antecedens purè, ac ſimul connexum cum illa, aut ſaltem affectivè approbat illam. Minor eſt plana. Ex eo enim, quod Deus immediate, ſed tantum phyſicè concurrat, non ſequitur 1. actionem peccaminoſam eſſe actum Divinæ voluntatis, ut patet. Non 2. Deum habere inclinationem innatam in illam, ſicut habent in ſuos effectus cauſæ neceſſariæ. Non 3. habere appetitum elicitum, ideſt, volitionem, aut amorem formalem, ac directum: quia non eſt de ratione agentis rationalis, quod determinatè velit omne illud, quod phyſicè immediatè agit ſimul cum alio, atque ex dignatione ſinendi illum facere, quod voluerit, ſed disjunctivè: nempe, quod velit, aut permittat, ſinatque illum alium, uti cooperatione agentis illius. Sic robuſtus vir, qui juſtis de cauſis non vult impedire puerum, uti ſuæ manus quantitate ad trudendum aliam vicinam quantitatem, phyſicè immediate quantitate ſuæ manus trudit alteram ſimul cum puero, quin ſit neceſſarium, quod poſitivè velit expulſionem illam, ſiquidem non ipſe, ſed ex ipſius dignatione, ac permiſſione, puer ſolus

deter-

Digitized by Google

determinat expulſionem illam: quapropter ſufficit, quod ſe habeat merè permiſſivè in expellendo quantitate ſuæ manus illam alteram. Ideſt. Sufficit, quod permittat, ſinatque puerum agere viri ipſius manu, quod vult. Non 5. habere volitionem indirectam interpretativam (interpretatione vera, quidquid ſit de falſa) aut virtualem actionis illius. Omnis quippe virtualitas volendi, aut eſt virtualitas *objectivæ determinationis phyſicæ*. Aut *ſubjectivæ determinationis phyſicæ*. Aut *objectivæ determinationis moralis*. Aut *ſubjectivæ determinationis moralis*, ut ex P. Junio dixi loco citato. At ex eo, quod Deus immediatè phyſicè, ſed purè per accidens, ac permiſſivè, non autem propriè, ac per ſe, concurrat ad actionem formaliter peccaminoſam modo dicto, ideſt, abſque omni affectu, & inclinatione, ſed cum mera nolitione concipiendi Decretum efficaciter impeditivum actionis illius (unde quando hic audis, Deum concurrere *eo modo*, quo non concurrit creatura: Ne intelligas modum objectivum, quaſi Deus non faciat phyſicè immediatè modum aliquem, quem facit creatura; ſed modum ſubjectivum dictum, ſe habentem ex parte Dei) ex eo inquam, quod ſic concurrat, non ſequitur, velle virtualiter actionem illam, ſive concurſum ullâ ex eis quatuor ſpeciebus virtualitatis.

29. Probatur. Volitio virtualis rei A virtualitate objectivæ determinationis phyſicæ eſt illa, quæ eſt volitio rei purè antecedens reſpectu A, & ſimul cum hac intimè connexæ, ſicut volitio virtualis virtualitate ſubjectivæ determinationis phyſicę eſt illa, quæ eſt purè antecedens reſpectu volitionis rei A, & cum ea volitione intimè connectitur. Atque ideo volitio efficax finis eſt volitio virtualis mediorum, quia eſt purè antecedens reſpectu hujus, ad hanc, quam inducit ex ſua natura. Volitio virtualis virtualitate objectivæ determinationis moralis eſt, quæ eſt volitio rei alicujus antecedentis reſpectu A, & animum ſollicitantis ad rem A. Et ſic volitio periculi proximi peccandi, eſt volitio virtualis peccati. Volitio demum virtualis virtualitate ſubjectivæ determinationis moralis eſt volitio, quæ eſt purè antecedens reſpectu volitionis rei A, & ſuapte naturâ ſollicitat animum, ut tranſeat in hanc volitionem. Et ſic volitio cogitandi aſſiduè rem periculoſam, quamvis non valde provocantem, eſt volitio virtualis labendi, quoniam aſſiduitas illa volendi cogitationem eam, ſuaptè natura ſollicitat animum, ut tandem aliquando cadat in volitionem illius rei, & reſpectu hujus ſecundæ volitionis illa prima eſt omninò antecedens. At ex eo, quod Deus immediatè phyſicè concurrat modo dicto ad actionem creaturæ formaliter peccaminoſam, non ſequitur Deum habere ullam ex his quatuor volitionibus, ut ſingulas inſpicienti conſtabit. Ergo non ſequitur Deum velle virtualiter, indirectè, ac interpretativè interpretatione vera, actionem peccaminoſam.

30. Hinc 1. Si Deus hoc eodem modo concurreret ad actionem creaturæ bonam, ut in alia Providentia concurrere poterat (nulla enim bonitas creata, quantumvis maxima, corripit neceſſario infini-

tam

Digitized by Google

tam Dei voluntatem in ſuum amorem, ſeu volitionem: cum omnis creata bonitas ſit coram Deo, tanquam *momentum ſtateræ*, & *ſicut gutta roris antelucani*, &, *quaſi pannus menſtruatæ univerſæ Iuſtitiæ juſtæ*) tunc etiam foret Deus cauſa purè permiſſiva, & per accidens illius actionis bonæ. Hinc 2. quando Deo dicitur. *Nil odiſti eorum, quæ feciſti*. Et *lætabitur Dominus in operibus manuum ſuarum*. Et *univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*: Et multa alia ſimilia, omnia intelligenda ſunt de effectibus, quos Deus facit, *ut Author*, &, *cauſa per ſe*; ſecus de illis, quos facit, ut cauſa merè permiſſiva, id eſt, quos facit purè phyſicè immediatè, abſque omni tamen affectu innato, elicito, formali, aut virtuali. Et ſic concurrit ad peccatum. Hinc 3. Quamvis non ſit de conceptu Permiſſoris in genere, facere, phyſicè immediatè rem, quam permittit, ut contingit in cauſa permiſſiva creata; eſt tamen de ratione Permiſſoris, qui ſit cauſa prima, facere illud: Unde concurrens Deus immediatè phyſicè ad peccatum, facit pluſquam permiſſio creata poſcit; ſed non pluſquam permiſſio in actu ſecundo cauſæ primæ requirit. Ratio eſt. De conceptu permiſſionis in genere eſt, non impedire efficaciter in actu ſecundo id, quod permittitur. Ergo eſt non facere id, quod eſſet actualis impeditio illius; ſed cauſam primam abſtinere à concurſu in actu ſecundo ad actionem peccaminoſam, eſſet actualis impeditio illius, quia illa, utpote actio creata, per ſuammet eſſentiam habet pendere immediatè phyſicè à cauſa prima, ſicut cæteræ omnes actiones creatæ: Et ſicut habet per ſuammet eſſentiam, eſſe notam Deo, & ſicut habet per ſuammet eſſentiam pendere à Divina Providentia &c. Ergo de conceptu permiſſionis in actu ſecundo, quæ ſit propria cauſæ primæ eſt, quod hæc non abſtineat à concurſu in actu ſecundo ad actionem peccaminoſam. Ergo eſt, quod in actu ſecundo ad illam concurrat. Et en diſparitatem ad cauſam ſecundam permiſſivam, quia actio peccaminoſa ſubditi non habet per ſuam eſſentiam pendere immediatè phyſicè a ſuperiore permittente. Ergo neceſſe non eſt, quod hic immediatè phyſicè concurrat ad illam. Ergo ſi concurreret, non eſſet cauſa purè permiſſiva. Geminam itaque permiſſionem propriam cauſæ primæ diſtingue. Unam, quæ eſt permiſſio in actu primo: & conſiſtit in decreto collativo libertatis, quæ prævidetur peccatura. Alteram, quæ eſt permiſſio in actu ſecundo: & hoc cum ſit actualis non impeditio: & non impeditio actualis ſit actualis concurſus ipſius cauſæ primæ, quia ſi hoc actu non concurreret, actu impediretur peccatum: hac de cauſa permiſſio in actu ſecundo propria cauſæ primæ, eſt actualis concurſus, & influxus purè phyſicus illius in actionem illam.

Sap. 11. Iſai. 64. Sap. 11. Pſ. 103. Pſ. 24.

31. Hinc 4. licet quilibet poſſit ſanctè velle id, quod ſanctè facit, quando Sanctitas faciendi non conſtituitur per carentiam volitionis. aſt quando ſanctitas faciendi ſtat in eo, quod quis faciat abſque omni volitione, eſſet implicatio in terminis, quod quis ſanctè vellet, id quod ſanctè facit. Sed quod Deus ſanctè, atque prout ſe decet, concurrat in actu ſecundo ad peccatum, conſtituitur per carentiam omnis Divinæ volitionis reſpectu peccati; nam ſi Deus vellet peccatum, non concurreret

feret ſanctè, ac prout ipſum decet, ad peccatum, ſiquidem foret cauſa per ſe illius. Ergo ex eo, quod Deus ſanctè concurrat ad peccatum non ſequitur, quod velit ipſum ſuum concurſum in actu ſecundo. Quod autem concurrat Deus, abſque omni poſitiva volitione concurrendi, probat ſanè concurſum fore, abſque providentia *cauſativa per ſe*; non autem abſque providentia *permiſſiva*. Et ambæ ſunt admittendæ in Deo reſpectu diverſorum effectuum. Rurſus concurrere abſque omni volitione, imò cum poſitivo odio, & nolitione effectivè inefficaci illius ejuſdem concurſus, non probat Deum concurrere ſimpliciter coactum, & ex violentia, quamvis interdum inſinuari videatur aliquid
Gen. 6. ſimile, v. g. *tactus dolore cordis intrinſecus, delebo inquit &c.* ſed liberè, ſpontaneè, ac voluntariè concurrit in ſenſu dato num. 26. & 27. Hinc 5. Quoties loquens Adverſarius in re præſenti de Deo, dicat *ſuum concurſum*: *ſui muneris Cauſæ Primæ impletionem*, aut ſimile quid, probandi ergo Deum amare illum, & illum eſſe bonum, & non eſſe Deo odibilem, ut hinc inferat concurſum Divinum in actu ſecundo eſſe realiter diſtinctum ab actione ipſa peccaminoſa Creaturæ: quoties, inquam, id contingat, memineris terminum illum *ſuus concurſus*, *ſua impletio* muneris &c. imbibere eandem difficultatem, quam imbibit ille alter terminus *Divinus* concurſus, quem explicui num. 20. & ſeqq. Atque idcirco applicanda eſt illi termino *ſuus concurſus*, tota illa Doctrina, qua ibi explicui eum alterum *Divinus concurſus*. Denique baſis hujus concluſionis ſtat in eo, quod Deus concurrit immediatè Phyſicè ad actiones peccaminoſas Creaturarum, non ut cauſa per ſe, ſed ut cauſa per accidens, ac purè permiſſiva, quibus duobus terminis, traditis nobis à Concilio Tridentino, explicatiſque, ac probatis in toto hoc diſcurſu diſtinguere debes argumenta contraria, & ad illos, illorumque explicationem, ac probationem ſemper redire.

§. V.

32. ALtera difficultas, quæ inſurgit contra prædictum ſimultaneum concurſum Divinum oritur ex Decreto indifferenter applicativo Omnipotentiæ, ex quo magnas quaſdam res depromere ſibi videntur contra ſcientiam mediam nonnulli Doctores: In primis. Eo ipſo, quod malitia formalis peccati conſiſtat in negativo, ideſt, in mera privatione rectitudinis, ut aliqui ex noſtris cenſent, Deus non concurrit Phyſicè immediatè ad illam, & conſequenter non datur decretum ullum applicativum Omnipotentiæ ad illam. Sed quanquam detur ſcientia media, poteſt ſalvari, malitiam illam conſiſtere in negativo, quia licet hoc ſit falſum, aſt ſua falſitas non infertur ex ſcientiæ mediæ exiſtentia. Ergo quanquam hæc detur, poteſt ſalvari, quod non detur illud decretum. Ergo ex illo, illiuſque tendentia, quæ falſæ ſuppoſitionis tunc erunt, nil elicitur contra ſcien-

ſcientiam mediam. Deinde eo ipſo, quod Deus non concurrat Phyſicè immediatè ad illam malitiam, non datur illud decretum, & ceſſant difficultates ex illo oriundæ. At quamvis detur ſcientia media, & malitia peccati ſit quid poſitivum, poteſt ſalvari quod Deus non concurrat Phyſicè immediatè ad illam: quia licet hoc ſit falſum, ejus falſitas non infertur ex illis ſolis. Ergo. Rurſus aliud eſt decretum dictum quoad ſubſtantiam, ſit, nec ne, hujus, vel alius tendentiæ. Aliud decretum hoc, quoad talem, aut talem determinatam tendentiam. In hoc ſecundo ebulliunt difficultates, & uni Authores ponunt unam, alii aliam tendentiam. Sed hoc ſecundum eſt impertinens reſpectu ſcientiæ mediæ: quoniam hæc ad ſummum infert, prænoſcere Deum, quid ageret, quidve non ageret creatura ſub hypotheſi, quod haberet libertatem A, v. g. conſtitutam, inter alia, per decretum applicativum Omnipotentiæ, cujuſcunque illud fuerit tendentiæ, quod ſi non placet una, elige aliam, ſi neque hæc, elige aliam, nam ideo tot ſunt excogitatæ ab Authoribus. Ergo non rectè conſideratur ſcientia media, pendens ab hac alia difficultate decreti indifferenter applicativi Omnipotentiæ in ordine ad peccatum. Vel enim cenſes, tale decretum eſſe poſſibile (& hoc ſufficit ſalvando ſcientiam mediam, quemcunque modum tendendi adſcribas illi Decreto) vel eſſe impoſſibile. Et ſic ceſſat fundamentum tuarum ex hac parte difficultatum contra ſcientiam mediam: quia tunc dicam, hanc, non aſſumere illud pro parte ſuę hypotheſis objectivę. Demum quia iſtæ difficultates ſuper decreto indifferenter applicativo Omnipotentiæ ad peccatum, non ſubſiſtunt, quando agitur de operatione bona, vel de indifferente. Ergo ſaltem ſcientia media enuncians aliquam ex his duabus, eſt immunis ab iſtis difficultatibus. Parco aliis, quia inſinuaſſe ſufficit has controverſias eſſe invicem diſparatas, & ex unarum reſolutione parum, vel nil poſſe elici contra reſolutionem aliarum.

33. Igitur Decretum applicativum Omnipotentiæ, non dicitur applicativum localiter, ſicut ignis applicatur paſſo, quod comburit, aut ſicut Angeli boni, ac etiam mali applicantes activa paſſivis, mira prorſus effecta edere ſolent; ſed dicitur præparativum, applicativumque Omnipotentiæ, ideſt, *determinativum*, jam poſitivè, jam efficaciter, jam indifferenter juxta naturam operationum, de quibus fuerit ſermo. Etenim ſicut noſtræ potentiæ, executrices actionum externarum, ſunt per ſe indifferentes ad exercendum, aut non exercendum illas: Atque ut modo congruo Agenti rationali exerceant illas, opus eſt prævio actu intellectus, & prævio etiam actu aliquo voluntatis, cujuſcunque ille tendentiæ proportionatæ fuerit, quo actu applicatur, diſponitur, præparatur (non inſtar medicinæ, aut rei ſimilis) determinaturque potentia locutiva, v. g. ad loquendum, ambulativaque ad ambulandum, quia ſine illo actu voluntatis, locutio, & ambulatio non fierent modo rationali, ſed irrationali, caſu, aut violenter. Ita Omnipotentia, ideſt, Deus ipſe, eſt ex ſe indifferens ad concurrendum, vel non concurrendum Phyſicè immediatè cum creatura ad hujus operationes,

quandoquidem nulla antecedente urgetur neceſſitate ad unum potius, quàm ad aliud. Ex alia parte concurſus ille, non eſt exercitium immediatum Divinæ libertatis (quod ſolum non indiget pręvio alio actu determinante, ne abeamus in infinitum) ſed eſt exercitium purè mediatum, & externum, ut explicui num. 26. Ergo ut Deus hic, & nunc concurrat Phyſicè immediatè cum creatura ad hujus operationem, modo rationali, ſe digno, & non caſu, aut violenter, aut coactus, neceſſarius eſt aliquis alius actus, quo præparetur, diſponatur, applicetur, hoc eſt, quo determinetur ſua Omnipotentia determinatione proportionata naturæ illius operationis. Sed actus ille non poteſt non eſſe Divinę Voluntatis: quia, ut jam monui, creatura *non determinat* Deum, ut ſecum concurrat (hęc enim phraſis innuit creaturam imponere Deo, pro priori ad hujus concurſum aliquam neceſſitatem concurrendi, quod abſit) quamvis ipſa ſola determinet illum concurſum, utpotè indiſtinctum à ſua ipſius operatione: Sicut ipſa ſola vivit, meretur, aut demeretur per illum concurſum Divinum, hoc eſt, per illam ſuam operationem. Ergo ut Deus modo ſibi digno concurrat Phyſicè immediatè cum creatura, neceſſarius eſt actus aliquis Divinæ Voluntatis, quo velit, aut promittat talem concurſum. Hic eſt actus, qui dicitur decretum pręparativum, applicativumque Omnipotentię, ſeu determinativum ejuſdem ad concurrendum cum creatura. Determinativum, inquam, determinatione proportionata illi concurſui, videlicet, interdum poſitiva, interdum pure negativa, ſeu permiſſiva, quam mox explico. Neceſſarium igitur eſt, quod Deus concipiat pręviè ad ſuum dictum concurſum, decretum applicativum Omnipotentiæ, ſi concurrit phyſicè cum creatura.

34. Hoc decretum poteſt conſiderari dupliciter. 1. poſitivè applicans, ſeu determinans Omnipotentiam. Et eſt actus ille, quo Divina Voluntas ſic dicit (loquor juxta imperfectum noſtrum modum loquendi) *volo producere talem rem*. 2. negativè tantum, ac permiſſivè applicans Omnipotentiam, & eſt actus ſic tendens. *Nolo impedire talem actionem.* Et hoc dupliciter. Vel directè, vel reflexè. Si ſit nolitio directa omnis impeditionis, erit volitio actionis, unde coincidet cum decreto applicativo poſitivè. Quoniam omnis nolitio unius, eſt volitio ſui contradictorii. Ergo nolitio directa omnis impeditionis actionis, eſt volitio contradictorii impeditionis illius; ſed contradictorium impeditionis actionis, eſt actio ipſa. Ergo nolitio directa impediendi actionem peccaminoſam, v. g. eſſet volitio ipſius actionis peccaminoſæ. Cumque volitio hæc repugnet Deo, idcircò ei repugnat hæc ſpecies applicandi negativè ſuam Omnipotentiam ad actionem peccaminoſam per decretum, quod ſit directa nolitio impediendi peccatum. Nolitio reflexa impediendi talem, vel talem actionem, eſt nolitio concipiendi *decretum impeditivum illius* actionis. Et hanc nolitionem dicam mox eſſe decretum applicativum Omnipotentiæ ad actiones peccaminoſas Creaturarum, ob ſpecialem illarum naturam. Rurſus decretum poſitivè applicans Omnipotentiam poteſt eſſe, aut in ordine ad effectum

à ſolo

Digitized by Google

à ſolo Deo, independenter à quocunque alio producendum, v. g. *fiat lux, fiat firmamentum in medio aquarum*; Et tunc ſimpliciter eſt determinativum Omnipotentiæ, & ſemper eſt efficax, ideſt, omninò connexum cum effectu, pro eo tempore, loco, & circumſtantiis, pro quibus eſt applicatio Omnipotentiæ, nam cum eis etiam connectitur: omne autem connexum cum A pro tali caſu, & inſuper connexum cum eo caſu, eſt abſolutè connexum cum A. Atque ideo æterna volitio efficax creandi Mundum in tali individuo tempore imaginario, fuit abſolutè connexa cum mundo, & connexa cum eo tempore. Quando autem licet effectus ſit per ſolum Deum producendus, pendet tamen ab aliqua extrinſeca circumſtantia, v. g. Æterna Beatitudo, quæ pendet à perſeverantia finali, tunc decretum applicativum non eſt per ſe abſolutè connexum cum effectu, ſed complexum ex illo, & ex illa circumſtantia. *Gen.1.*

35. Poteſt item prædictum Decretum eſſe applicativum Omnipotentiæ in ordine ad effectum producendum quidem per Deum; at non ſolum; ſed ſimul cum aliqua cauſa ſecunda. Et hoc eſt quod modo maximè diſputamus, & quod ſupra dixi eſſe intimum conſtitutivum cujuslibet actus primi proximi creaturæ ad Phyſicè operandum. Hoc item poteſt eſſe duplex. Unum in ordine ad operationem non liberam cauſæ ſecundę, v. g. decretum, quo Deus applicat ſuam Omnipotentiam, eamque ſimiliter determinat ut cum igne producat calorem. Et hoc eſt omninò efficax, & metaphyſicè connexum cum ea operatione, *Volo hic, & nunc concurrere cum hoc igne ad producendum hunc numero calorem*. Et ſimiliter reſpectu aliarum omnium cauſarum neceſſariarum, nec non aliàs liberarum, ſed quando ſermo eſt de operationibus non liberis paſſivè. Alterum in ordine ad operationes liberas creaturæ libertate indifferentiæ, quale eſt Decretum applicativum Omnipotentiæ in ordine ad noſtras operationes moraliter bonas, aut malas. Et hoc nequit eſſe metaphyſicè abſolutè connexum cum eis operationibus, tum quia, cum alias ſit nobis penitus inevitabile, operatio non eſſet nobis libera, utpote præſupponens decretum divinum prorſus inevitabile nobis, & ſimul metaphyſicè connexum per ſe abſolutè, ac determinatè: Tum quia cum decretum applicativum Omnipotentiæ, quippè quod eſt indiſpenſabile prærequiſitum ut operemur, intimè conſtituat noſtram proximam facultatem operandi, ſequeretur hanc intrinſecè conſtitui, per aliquid connexum determinatè cum uno exercitio. Ergo non poſſet eſſe libertas contradictionis, indifferens ad utrumvis. Ob hanc cauſam, decretum applicativum Omnipotentiæ ad eas operationes, dicitur *indifferenter* applicativum, ideſt, non connexum determinatè cum uno exercitio. Et dicitur *non eſſe efficax* effectivè, aut ſignatè; ſed exercitè, ac ſubjectivè, quia licet per ſe ſufficiat, ut Omnipotentia ſit parata, expeditaque ad influendum cum Creatura in eam operationem: At non connectitur cum hac. Et dicitur non determinare *poſitivè*, ſed *negativè* Omnipotentiam ad eam operationem, quatenus removet ſuam omiſſionem, quę prohiberet operationem il-

Digitized by Google

lam prodire ab Omnipotentia. Ut enim dixi, ſi decretum illud de-
terminaret poſitivè operationem eam Creaturæ, præterquam quod in-
ferret, Deum eſſe cauſam per ſe peccati, ſi operatio illa foret peccami-
noſa: inferret inſuper ruinam libertatis indifferentiæ, in creatura. Et
poſito quod Deus conſervare velit ex ſua dignatione illam libertatem,
impotens omninò eſt illam pro tunc deſtruere, ſicut impotens eſt occi-
dere unam formicam, poſito quod efficaciter velit illam conſervare
vivam, nempe impotens eſt Deus, eſſe ſibi ipſi contrarius. Et rurſus
impotens eſt Deus eſſe cauſa per ſe peccati. Non ergo determinat po-
ſitivè illud Decretum Omnipotentiam ad illum hujus influxum, ſive
concurſum in actu ſecundo, qui eſt prorſus idem cum actione libera
Creaturæ, cujus libertatem vult Deus conſervare, ſed eſt indifferens
omninò, & indifferenter applicat Omnipotentiam modo mox expo-
nendo.

36. Hinc 1. Actus primus proximus completus cauſæ ſecundæ ad
operationem non liberam, eſt quidem phyſicè duntaxat connexus cum
ea operatione, ſi completio ſit ex parte creaturæ ſolius, v.g. com-
plexum ex igne, & hujus applicatione ad paſſum diſpoſitum; aſt ſi
completio ſit integra, & adæquata, nempè ex parte creaturæ, &
etiam Dei, actus ille primus completus eſt metaphyſicè connexus cum
operatione. Quia omne conſtitutum, cujus aliquod intimum conſti-
tutivum connectitur metaphyſicè cum ea operatione, connectitur me-
taphyſicè cum illa: Sed omnis actus primus, proximus, & undequa-
que completus cauſæ ſecundæ, ad operationem naturalem (ſed non
liberam) eſt conſtitutum, cujus aliquod intimum conſtitutivum con-
nectitur metaphyſicè cum ea operatione: Quoniam decretum appli-
cativum Omnipotentiæ ad illam operationem (utpotè omninò efficax,
ut dixi, ſi quidem tunc non eſt libertas indifferentiæ cui conſulen-
dum ſit) eſt metaphyſicè connexum cum illa operatione: Et tale de-
cretum eſt intimum conſtitutivum prædicti actus primi proximi, ut
ſupra dixi, eo quod ſit indiſpenſabile prærequiſitum ad operationem
illam. Ergo. Ob rationem oppoſitam, nullus actus primus creaturæ
ad operationem immediatè liberam, etiam undequaque completus,
nempè ex parte ſua, & ex parte Dei, eſt connexus phyſicè, aut me-
taphyſicè (connexionem purè moralem non rarò experimur) cum ea
operatione: quia neque decretum applicativum Omnipotentię ad illam,
neque ullum aliud conſtitutivum illius actus primi proximi; neque
ipſe actus primus proximus adæquatus, & completus connectuntur
phyſicè, aut metaphyſicè, ſaltem per ſe loquendo, cum ea opera-
tione; ſed omnia hæc ſunt ad illam, & ſuum oppoſitum indifferentia.
Dixi *immediatè liberam*: Nam quando operatio eſt mediatè tantum
libera, v.g. homicidium oriundum ex omninò efficace voluntate oc-
cidendi, tunc actus primus proximus completus, adæquatus ad illam,
eſt ſaltem phyſicè connexus cum illa, quoniam ille non eſt libertas
activa indifferentiæ, aliàs operatio ea foret immediatè libera; ſed
ſolus actus primus proximus ad effectum illius volitionis.

Hinc 2.

37. Hinc 2. Ut aliquis proſpiciat libertati indifferentiæ, non ſufficit, quod dicat Omnipotentiam applicari indifferenter, ſeu per decretum indifferens ad operationem, de qua fuerit ſermo: ſicut neque ſufficit recurſus DD. quorundam ad judicium indifferens, hoc eſt, indifferenter proponens bonitatem objecti. Quid enim refert, quod non inferatur lethalis plaga ex uno latere, ſi inferatur ex altero? Quid refert unum, vel duo conſtitutiva unius conſtituti non eſſe connexa, ſed indifferentia, ſi aliud conſtitutivum eſt connexum? Evadet procul dubio connexum conſtitutum ipſum. Hoc in præſenti. Judicium indifferens, & decretum indifferenter applicativum Omnipotentiæ, ſunt ſanè conſtitutiva actus primi proximi ad operationem immediatè liberam: ſed non ſunt unica. Poteſt aliquis ſuperaddere his aliquid aliud, quod ſit exiſtentia rei connexæ, atque ſimul inevitabilis creaturæ: Vel ſit carentia rei prærequiſitæ, & ſimul inacquiribilis. Et tunc non occumbet libertas indiſſerentiæ, ex titulo judicii indifferentis, aut decreti applicativi Omnipotentiæ; occumbet tamen ex iſto altero titulo. Requiruntur ergo iſta duo, quorum quodlibet indifferens ſit; aſt non ſufficiunt: Sicut requiruntur corpus, & anima, ut homo ſit, ſed non ſufficiunt.

38. Hinc 3. Quamvis omne decretum applicativum Omnipotentiæ ad operationes etiam immediatè liberas, ſit earum *executivum* in actu primo, ideſt, ſufficiens, ut Omnipotentia illas phyſicè immediatè exequatur (actus enim voluntatis non aliter ſunt executivi, niſi quatenus reddunt proximè capacem potentiam executricem, ut actu exequatur) Attamen non omne actu *exequitur* illas, ſeu non eſt executivum in actu ſecundo, ſeu, non ex vi omnis talis decreti exequitur Omnipotentia illas; tum à priori, quia ut dixi, non omne tale decretum eſt efficax effectivè, imò nullum poſitivè determinat Omnipotentiam ad illas, nullum connectitur per ſe cum illis; tum à poſteriori, quia quoties homo liberè omittit operationem, adeſt decretum applicativum Omnipotentiæ pro illa operatione; alias non daretur proxima facultas in creatura ad illam, & conſequenter non omitteret illam liberè. At quoties homo liberè omittit operationem, prædictum decretum non exequitur in actu ſecundo illam, aut illam poſitivè determinat, ut patet; ergo aliquando exiſtit dictum decretum, quin determinet poſitivè, exequaturve in actu ſecundo illam operationem. Ergo non omne decretum applicativum Omnipotentiæ, eſt executivum in actu ſecundo operationis. Cæterum omne decretum, vi cujus Omnipotentia exequitur in actu ſecundo operationem, eſt illius applicativum. Quia omne decretum vi cujus formaliter immediatè Omnipotentia eſt prompta, expedita, proximèque potens operari phyſicè, eſt applicativum ipſius, ſiquidem hæc applicatio non eſt localis, ut jam dixi, neque ſicut applicatio ignis ad lignum. Sed omne decretum, vi cujus formaliter immediatè Omnipotentia exequitur in actu ſecundo operationem, eſt decretum vi cujus formaliter immediatè Omnipotentia eſt proximè potens operari, ſi-

qui-

Digitized by Google

quidem in re præſenti ab actu ad potentiam valet benè conſequentia. Ergo.

39. Hinc 4. Verum eſt, quod non omne decretum applicativum Omnipotentiæ, ſeu executivum ex ſe in actn primo operationis creatæ eſt efficaciter intentivum ejuſdem, ut dicebam num. 35. Veruntamen omne decretum, omnis volitio divina, omnis prædefinitio efficax cujuslibet operationis creatæ, eſt decretum applicativum Omnipotentiæ, executivumque illius operationis creatæ, quia licet ſolemnis ſit apud Theologos diſtinctio inter ordinem *intentivum*, & *executivum*, hoc eſt, inter actus Divinæ voluntatis, qui dicuntur *intentivi*, & eos, qui vocantur *executivi*; hæc tamen diſtinctio eſt, ſicut quam ſupra notavi inter Prædicamentum actionis, & paſſionis. Hoc eſt, eſt diſtinctio, quoad nos, & quoad noſtrum modum apprehendendi, & loquendi, eo quia multas Theologicas difficultates explicare nequimus, niſi loquentes de decreto intentivo, & executivo, tanquam de diverſis, ſicut eſſentias metaphyſicas nequimus commodè explicare, niſi tanquam ſi eſſent duo, prædicatum genericum, & differentiale, cum tamen ex parte rerum non ſint, niſi una ſola realitas, Item ideò eſt, quia in nobis experimur hanc diverſitatem inter noſtros actus intentivos, & executivos, quoniam ſolemus prius velle, ſtatuere, intendere efficaciter aliquem finem per unum actum: & poſtea per actum alium exequi media, atque finem illum: Antiquum autem eſt nobis, tribuere aliis, quod in nobis experiri ſolemus. Aſt loquendo de decreto divino efficaciter intentivo, & de decreto executivo, prout ſunt in ſe ipſis ex parte rerum, tergumque vertentes noſtris præciſionibus, modiſque inadæquatis cognoſcendi, illa ſunt unum, & idem prorſus, non tantum identitate reali, quæ communis eſt omnibus actibus divinis inter ſe; verum etiam virtuali. Quod ſic probo cum P. Junio.

40. Omne decretum, omnis volitio, ſive prædefinitio, qua Deus efficaciter abſolutè vult producere rem A, eſt decretum executivum illius, applicativumque Omnipotentiæ ad operationem illam; licet enim tanta efficacia non competat, juxta dicta, *omni* decreto applicativo Omnipotentiæ, nihilominus omne, cui competit, eſt applicativum Omnipotentiæ, quia hanc determinat ad operationem illam, & nos certè non aliter applicamus noſtras potentias operatrices, niſi volentes efficaciter talem, aut talem operationem illarum; v.g. volentes loqui applicamus potentiam locutivam, volentes ambulare, applicamus potentiam ambulativam &c. Sed omne decretum, omnis volitio, ac prædefinitio efficaciter abſolutè intentiva rei A, eſt re ipſa, quidquid ſit de noſtris præciſionibus, inadæquatiſque cognitionibus, decretum, ſeu prædefinitio, qua Deus efficaciter abſolutè vult rem A exiſtere in rebus, eſt re ipſa decretum, quo efficaciter vult ſuam Omnipotentiam (quæ ſanè eſt ipſe Deus) producere illam: is namque eſt unicus, & indiſpenſabilis modus, quo illa poteſt exiſtere, nempè, quod producatur ab Omnipotentia, aut ſola, aut ſimul cum aliqua cauſa

ſecun-

ſecunda: & conſequenter, quod Omnipotentia illam ſola, aut ſimul cum cauſa ſecunda, producat. Sed omne decretum divinum efficaciter abſolutè intentivum rei A, eſt re ipſa decretum, quo Deus efficaciter vult exiſtere in rebus rem A: hoc namque eſt eſſe efficaciter abſolutè intentivum illius, quia non eſt volitio, aut decretum illius in aere, ut ita dicam, ſed decretum, volitio, efficaxque intentio de eo, quod res illa exiſtat in rebus. Ergo.

41. Neque obſtat Doctorum quorundam Complutenſium Doctrina ajentium, valere hunc diſcurſum, quando decretum intentivum habet pro objecto rem determinandam per Deum ſolum: ſecus quando rem determinandam per creaturam. Non obſtat, inquam. Tum quia nil; ſine quo decretum poteſt eſſe applicativum Omnipotentiæ, requiritur, ut ſit applicativuum, & conſequenter ob illius defectum non deſinit eſſe applicativum. At decretum poteſt eſſe applicativum Omnipotentiæ, tametſi non velit Deus per illud, rem determinandam per ipſum Deum. Nam procul dubio datur juxta DD. hos decretum applicativum Omnipotentiæ ad noſtros actus immediatè liberos, imò ad formaliter peccaminoſos: & tamen juxta eoſdem DD. illo decreto non vult Deus actus illos (& multò minus, quando peccaminoſi ſunt) exiſtere per divinam determinationem, ſed ſignanter ex mera determinatione libertatis creatæ congruè conſtitutæ. Ergo ad rationem decreti applicativi Omnipotentiæ non requiritur, quod Deus velit rem, ad cujus productionem applicatur, fieri ex divina determinatione. Ergo abs jure dicitur decretum efficaciter intentivum operationis aliàs liberæ creaturæ non eſſe applicativum Omnipotentiæ, eo quod illud non ſit volitio de eo, quod operatio illa exiſtat ex divina determinatione. Tum quia, cum diſcurſus ſupradictus exercitè, ac ſignatè ſuadere videatur, objectum decreti efficaciter intentivi, exiſtere ex divina determinatione, & non relinquere in creatura libertatem indifferentiæ, videtur petitio principii, & ſuppoſitio rei probandæ, dicere decretum illud eſſe volitionem de eo, quod exiſtat operatio ex determinatione creaturæ; non autem Dei. De hoc eſt quæſtio, & juxta dictum diſcurſum eſt implicans in terminis, quod Deus ex ſe omninò antecedenter velit exiſtere rem A *ex determinatione libera creaturæ*, quia modo ipſo volendi deſtrueret libertatem creaturæ, & conſequenter everteret exercitè id ipſum, quod ſignatè adſtrueret. Sicut ob eandem rationem foret implicatio in terminis, neceſſitate ſimpliciter antecedenter creaturam ad ponendum liberè actionem A determinatam. Neceſſitare autem ſimpliciter antecedenter, ſed vagè tantum, ac disjunctivè ad operandum liberè, paſſim contingit in libertate ipſa indifferentiæ, quando quidem per ſuammet eſſentiam eſt antecedens neceſſitas ad liberè operandum, vel omittendum operationem, antecedensque impoſſibilitas abſtinendi ab utroque. Tum demum, quia juxta hos Authores datur decretum applicativum Omnipotentiæ ad producendum merè phyſicè peccatum. Et tamen illo decreto non vult Deus peccatum produci *ex determinatione* Dei, ut conſtat,

Digitized by Google

ſtat. Ergo iſte modus volendi non eſt neceſſarius ad decretum applicativum Omnipotentiæ.

42. Neque obſtat 2. Decretum purè intentivum eſſe illud, quo Deus vult rem ſecundum ſe præcisè, abſtrahendo à circumſtantiis temporis, loci, cauſæ creatæ, & ſimilibus. Decretum autem executivum eſſe illud, quo Deus hæc omnia vult in ſigno poſteriore. Unde fit, quod ſint duo decreta virtualiter diſtincta. Non obſtat. Tum quia illud *purè* ſupponit falſum, quodque in præſenti diſputatur: Nimirum Decretum Divinum poſſe eſſe efficaciter intentionem, quin ſimul ſit executivum. Tum quia jam præmonui, quod licet iſta puritas, ſive præciſio ab executione ſit poſſibilis, quando fit purè mentalis, & cum alluſione ad noſtras inadæquatas cognitiones; aſt non quando fingatur objectiva, realis, & in ipſis decretis: & hoc propter rationem jam datam. Tum immediatè, quia licet in nos paſſim cadant iſti modi volendi res abſtractè, ac ſecundum ſe, eo quod pro priori ad noſtras volitiones, etiam prudentes, non ſoleamus exploratas habere omnes circumſtantias comitaturas rem, quam novimus eſſe ſimpliciter poſſibilem nobis, aſt prorſus dedecent Deum, qui infallibili præſcientiâ conditionata fungitur pro priori ad ſuas volitiones; quique nonniſi modo valde à prudentia alieno, poteſt per unum decretum velle rem ſecundum ſe, & per aliud in ſigno poſteriore velle rem pro tali tempore, & per aliud in tertio ſigno poſteriore velle rem à tali cauſa creata fieri, & per aliud in quarto ſigno poſteriore velle tales alias circumſtantias; iſtas moras, & dilationes etiam ſignorum naturæ, nobis ob noſtram tarditatem familiares, non expedit affigere Deo, ſicut Navigantes ajentes, ut totius monui, *terræque, Urbeſque recedunt*, tribuunt terræ motum, quem ipſi patiuntur: & ſicut vulgus comminiſcitur in Sole eclypſim, quam nos patimur, non autem Sol, & ſicut oculus indoctus tribuit Lunæ motum, quo rapiuntur exhalationes, ac vapores tranſcurrentes inter illam, & nos.

43. Hinc demum concluditur: quod licet volitio divina, decretum, ſive prædifinitio efficax actionis immediatè liberę, poſſit admitti, poſſitque componi cum libertate, ſi Deus alio decreto indifferente applicet ſuam Omnipotentiam ad actionem illam, ita ut primum illud decretum ſit principium redundans actionis illius, eo quod non ſit tunc prærequiſitum, & conſequenter non conſtituat actum primum proximum ad illam actionem, de quo alibi; verum tamen ſi decretum illud, ſive prædefinitio ſit unica, unicitate excludente aliud decretum applicativum, penitus evertet libertatem indifferentiæ ad illam actionem, & conſequenter eſt impoſſibilis, utpotè exercitè deſtruens id ipſum, quod efficaciter adſtruit. Ratio eſt; quoties actus primus proximus ad amandum, v. g. intimè conſtituitur per aliquid metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexum cum amore, actus ille non eſt libertas activa indifferentiæ, quia non eſt indifferens ad utrumvis, ſed determinatè connexus cum uno: & conſequenter amor ille non eſt paſſivè liber. At quoties datur decretum efficax divinum, abſolutum, atq; deter-

determinatum amoris, & non adſit aliud decretum applicativum Omnipotentiæ, actus primus proximus ad amandum intimè conſtituitur per aliquid metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexum cum amore. Quoniam conſtituitur per aliquod decretum applicativum Omnipotentiæ, quippe quod ſupra dixi eſſe indiſpenſabiliter prærequiſitum ad quancunque operationem creaturæ: & tunc ponitur non eſſe aliud decretum applicativum, quam prædicta prædefinitio, ſive decretum intentivum, quod, utpotè efficax, abſolutum, atque determinatum, connectitur metaphyſicè abſolutè, ac determinatè cum eo amore. Ergo quoties &c. Neque quidquam prodeſſet fingere, hujuſmodi prædefinitionem regulari per ſcientiam mediam. Tum quia id probaret, illud, utpotè ſic regulatum, fore evitabile creaturæ: & inſuper eſſet inevitabile; quia nulla libertas poteſt liberè evitare ullum ſuum eſſentiale conſtitutivum. Tum quia iſta ſcientia media, vel aſſumeret pro hypotheſi objectiva illum actum primum proximum conſtitutum per iſtam prædefinitionem, ſive decretum efficaciter intentivum (& ſic non eſſet ſcientia media, ideſt contingens, ſed neceſſaria, cum eſſet ſcientia conditionatè enuntians amorem ſub hypotheſi prorſus connexa cum illo) Vel aſſumeret pro hypotheſi alium actum primum proximum. Et ſic ille, qui conſtitueretur per decretum dictum, non poſſet impedire iſtam ſcientiam mediam (quoniam nullus actus ſcientiæ mediæ poteſt impediri niſi ab ea libertate, quam aſſumit pro hypotheſi) ergo neq; poſſet impedire iſtud efficax decretum intentivum. Ergo hoc eſſet inevitabile creaturæ. Ex alia parte eſſet omninò connexum cum amore; Ergo eſſet ſimul connexum, & inevitabile creaturæ. Ergo in hac non relinqueret libertatem indifferentiæ, juxta principia, quę in Prodromo explicui diſp. 5.

§. VI.

44. His præmiſſis pro intelligentia decreti applicativi Omnipotentiæ ad operationes cauſarum ſecundarum, noveris totam hujus difficultatem ſtare in explicando duo. Primum: quid vult Deus hoc decreto, ſeu quodnam eſt ſuum objectum? Secundum, quem modum tendendi habeat? Reſpondeo. Si ſermo ſit de operatione cauſæ naturalis, vel de operatione non libera cauſæ aliàs liberæ, nulla eſt difficultas in eo, quod decretum applicativum Omnipotentiæ habeat tendentiam abſolutam, & efficacem in operationem illam, ut talem in individuo, atque ut ponendam ab illa etiam cauſa ſecunda, v. g. *quia hic ignis in hoc tempore, loco, & circumſtantiis, cum hiſque omnibus prærequiſitis ex parte ſui connectitur naturaliter cum productione alicujus caloris, volo cum ipſo concurrere ad hanc individuam calefactionem A, & non aliam*; quo fiet ut decreto eodem applicet Deus Omnipotentiam, determinetque individuationem, quam cauſa ſecunda plerunque non poteſt per ſe determinare, ut infra dicam. Et ſimiliter de omni alia

Digitized by Google

cauſa ſecunda in ordine ad quamcunque operationem non liberam, quando Deus non determinat illam à ſe, & ex ſe antecedenter, ſed ut indulgeat, annuatque exigentiis rerum creatarum. Etenim ratio propter quam decretum non poteſt habere prædictam tendentiam abſolutam, efficacem reſpectu actionis liberæ, eſt, quia deſtueret libertatem, quam conſervare vult efficaciter: Et inſuper, quia foret Author, & cauſa per ſe peccati, ſi actio illa eſſet peccaminoſa. At neutrum valet quando actio illa non eſt libera. Deinde non apparet ulla alia difficultas contra illum modum applicandi Omnipotentiam. Ergo. Quando autem actio eſt ex illis, quæ à ſolo Deo fiunt: vel quanquam fiant à Deo, & cauſa aliqua ſecunda, veruntamen à ſolo Deo determinantur, ſine exigentia ſpeciali illius cauſæ, tunc decretum applicativum habet certiùs illam abſolutam, efficacem tendentiam. *Volo ponere actionem A.* Quod ſi actio à ſolo Deo fiat, & determinetur ſub quibuſdam tamen conditionibus, ut omnium hominum ſalus, tunc decretum applicativum Omnipotentiæ ad ponendum rem illam habet tendentiam conditionatam, ſed efficacem omninò pro illis circumſtantiis, & earundem exiſtentiâ per Deum cognitâ, determinatur abſolutè Omnipotentia ad rem illam producendam. Demum ſi actio ſit quidem libera creaturæ, ſed mediatè duntaxat, v. g. aſſenſus fidei, diſſenſus hæreticus, locutio, ambulatio &c. Tunc licet non everteretur ipſius libertas per decretum eodem modo applicativum Omnipotentiæ, ſed præſupponens in Deo ſcientiam illius actus voluntatis immediatè liberi, ex quo procedit hic alter mediatè liber; Veruntamen, quia Deus eſſet cauſa per ſe peccati externi, quando actio mediatè libera eſſet peccaminoſa: v. g. hæreſis formalis, parricidium &c. Et quia neceſſe non eſt duplicare decreta applicativa Omnipotentiæ, unum pro actu interno voluntatis immediatè libero, alterum pro actu libero mediatè, ſed naturaliter procedente ex illo interno. Idcirco, neque pro actu mediatè libero applicat Deus Omnipotentiam per Decretum habens hunc modum tendendi, ſed per habens tendentiam quam dico mox reſpectu actus immediatè liberi.

45. Reſpondeo 2. Si ſermo ſit de operatione immediatè libera cauſę ſecundę, Omnipotentia non applicatur 1. per decretum hujus tendentiæ. *Volo facere, ſeu concurrere cum hac creatura ad quodcunque voluerit.* Tum quia, hujuſmodi generalitates, confuſæque univerſalitates longè abſunt à Deo, & in noſtram ſolam anguſtam mentem cadere poſſunt. Tum quia, ſi concurſus, ſive actio creaturæ eſt peccaminoſa, Deus volet formaliter, ac directè peccatum, ſi vult ſuum concurſum penitus identificatum cum concurſu creaturæ. Tum quia, cum illa volitio creaturę, ſit aliqua operatio cauſæ ſecundæ, imò ſit illa, in qua ſtat primaria, prę ſens difficultas, non explicatur decretum applicativum Omnipotentiæ ad iſtam volitionem, ſed tantum ad illud, quod iſta volitio habet pro objecto; tum propter rationem dandam infra num. 64. Non applicatur 2. per decretum hujus, licet inefficacis, atque indifferentis, tendentiæ. *Volo facere cum hac creatura hanc actionem.* Quia licet

hæc

hęc volitio, utpote indifferens compoſſibilis ſit cum libertate creaturę, poſſitque concipi à Deo, quando actio illa eſt bona, aut ſaltem indifferens; non tamen quando fuerit formaliter prohibita, quia nec inefficaciter poteſt Deus velle poſitivè peccatum, alias foret cauſa per ſe illius, utpote concurrens cum aliquo poſitivo affectu, & inclinatione elicita, quamvis non determinaret ſtrictè phyſicè illud. Nec applicatur 3. per decretum hujus tendentiæ. *Volo cum hac creatura concurrere ad peccatum, vel ad carentiam peccati*, ideſt, *vel non concurrere ad peccatum*, ut alii putant; quia licet hæc volitio non benè refellatur ex eo, quod eſſet volitio rei ſimpliciter neceſſariæ: quandoquidem non eſt ſic neceſſarium, quod Deus concurrat *cum hac creatura* ad peccatum, vel carentiam peccati (defficiente nimirum à rebus hac creatura) tametſi abſolutè, ac in genere ſit neceſſarium, quod Deus concurrat, vel non concurrat ad peccatum. Item, neque ex eo, quod abſolutè, ac ſimpliciter eſſet volitio peccati, quandoquidem nullus actus, qui æquè eſt volitio, ac nolitio peccati, eſt ſimpliciter volitio peccati: Iſtaque volitio, æquè foret volitio, ac nolitio peccati, cum ęquè foret volitio peccati, ac volitio carentię peccati, & volito hujus carentię, eſt nolitio peccati. Veruntamen iſtius tendentię volitio, dedecet Deum ob iſtam eandem rationem. Quia dedecet Deum individuus ille actus, quo ęquè vellet peccatum, ac carentiam peccati, ęquè vellet id quod prohibet, & deteſtatur, ac illud quod pręcipit, & amat. Ergo dedecet Deum individuus ille actus, quo ęquè vellet peccatum, ac carentiam peccati. Sed iſto decreto ęquè vellet Deus peccatum, ac carentiam peccati. Ergo.

46. Nec applicatur 4. per decretum, quo, pręnoſcens Deus quidnam ex ſe faceret creatura, ſi adjuvaretur per Deum, ac quidnam non faceret, vult cooperari, & concurrere cum illa ad actionem A, quando prænoſcit illam, ſi adjuvetur, elicituram actionem A. Tum quia, ſi actio A ſit formaliter peccaminoſa, ut toties eſt, redit nuper factum argumentum: ſcilicet fore, ut Deus poſitivè velit id ipſum, quod prohibet, ac deteſtatur, ſitque cauſa per ſe peccati. Tum quia, præſcientiâ iſtâ, vel pręvidet Deus quid ageret, aut non ageret creatura *ex ſe*, hoc eſt, attento pręcisè ſuo genio, atque inclinatione. Vel quid ageret, aut non ageret ex ſe, hoc eſt, abſolutè, ac ſimpliciter, ſi Deus illam adjuvaret. Primum eſt inſufficiens, quia cum multoties homo operatur contra proprium genium, & vehementem etiam inclinationem, non ſufficit quod Deus ſciat quid ageret attento pręcisè ſuo genio, ut ſciat quid abſolutè, ac ſimpliciter ageret. Preterea cum impoſſibile ſit creaturam quidquam agere abſolute, relictam ſoli ſuę inclinationi, ſcire hoc Deum, eſſet ſcire quid ageret creatura ſub hypotheſi impoſſibili, Si ſecundum, cum in illo *Deum adiuvare creaturam* ſtet præſens difficultas, non explicas illam, ſi non explicas quid ſit illud, quod creatura ageret, *ſi per Deum adiuvaretur*. Adjutorium in actu primo eſt decretum, cujus tendentia, & objectum modò diſputatur. Adjutorium in actu ſecundo eſt concurſus ſimultaneus cum creatura, ideſt, actio ſimul, ac indiviſibiliter procedens à Deo, & creatu-

ra, quæ actio indiſpenſabiliter prærequirit adjutorium illud in actu primo. Hoc eſt, cujus explicatio poſtulatur. Ergo poſt circuitum, iſtius explicationis res inexplicata reſtare videtur. Nec applicatur 5. per decretum, quo Deus velit ſuam Omnipotentiam eſſe applicatam, eſſe promptam ad concurrendum cum creatura; quia cum hęc applicatio, & promptitudo conſiſtat actu formaliter in ipſo decreto applicanre, & præperante, hoc ipſum decretum vellet Deus per decretum applicativum Omnipotentiæ, ſed hęc reflexio decreti ſupra ſe ipſum, & eſt impoſſibilis, & inexplicatam relinquit difficultatem, quæ eſt de objecto, quod habet decretum. Ergo.

47. Quamobrem directè reſpondens difficultati, dico. In ordine ad actiones immediatè liberas præſertim peccaminoſas creaturæ ſufficienter applicatur Omnipotentia per decretum hujus tendentiæ. *Nolo impedire, quod mea Omnipotentia hic, & nunc concurrat cum hac creatura habente cætera conſtitutiva libertatis ad talem, vel tales individuas operationes, ſed quod concurrat ad ullam aliam individuam operationem ejuſdem ſpeciei, ac intentionis præter operationem A.* V. g. Explicatur. Hoc ultimum addo, quia decretum applicativum Omnipotentiæ, poteſt eſſe ſimul determinativum, quoad individuum (de quo decreto infra) Deus autem non determinat poſitivè, quoad individuum, quando ſermo eſt de operatione immediatè libera, ne pereat libertas indifferentiæ; ſed ſolum negativè, quatenus negat ſuum concurſum ad reliqua omnia individua præter A, v. g. illius ſpeciei, aut intentionis 2. Hoc decretum non explico per *Volo*, ſed per *Nolo*: quia operatio illa creaturæ poreſt eſſe peccaminoſa; ad hanc autem non applicatur, non præparatur, non determinatur *poſitivè* Omnipotentia, ſed *negativè* duntaxat, & permiſſivè per nolitionem impediendi illam, nam *ignem, & aquam appoſuit illi ad quodcunque voluerit porriget manum.* Et *perditio tua, Iſrael.* Quod ſi operatio fuerit bona, vel indifferens, ſi volueris, poteſt applicari poſitivè Omnipotentia per actum dictum num. 45. 3. Impeditio, quæ eſt objectum nolitum per hoc decretum, non eſt illa, quæ eſt contradictorium formale, immediatum illius operationis: quia cum nolitio unius contradictorii fit indirectè ſaltem volitio alterius, ſequeretur hoc decretum fore volitionem poſitivam, operationis dictæ. Ergo ſi hæc eſſet peccatum, decretum eſſet volitio peccati; quocirca impeditio, quæ eſt objectum nolitum per illud decretum, eſt volitio effectivè efficax, quam Deus habere poterat (affectivè autem efficacem de facto habet, ſed hæc non impedit peccata) non concurrendi in actu ſecundo cum creatura ad operationem illam, ideſt, volitio effectivè efficax de eo, quod creatura non peccaret. Unde prædictum decretum eſt reflexum, quippè, quod habet pro objecto nolito aliud decretum, nimirum hanc volitionem non concurrendi, ſeu nolitionem, ſi malueris concurrendi.

48. 4. Licet hoc ſolo decreto applicativo inſpecto Deus æquè ſe habeat reſpectu operationis bonæ, ac reſpectu malæ, & ęquè ſit cauſa purè permiſſiva illius, ac hujus. Veruntamen abſolutè loquendo omni-

Digitized by Google

omnibuſque penſatis, ut penſari debent, Deus eſt cauſa purè permiſſiva, purè negativa, purè per accidens operationis malæ, quia reſpectu hujus non habet ullum alium actum, qui ſit amor, volitio, approbatio, aut ullus alius de genere proſecutivorum, quin imò multos habet, qui ſunt de genere averſivornm; reſpectu verò operationis bonæ, habet multos actus proſecutivos, v. g. præceptum, conſilium, approbationem, exhortationem, laudem &c. Ergo licet attento illo ſolo decreto applicativo, æquè ſe habere videatur Deus reſpectu actus boni, ac mali, abſolutè tamen, & ſimpliciter Deus eſt cauſa per ſe illius, & purè permiſſiva hujus. 5. Per viam dictæ nolitionis explicatur, Deum non habere ullam volitionem peccati, aut ſui phyſici concursûs ad illud, penitus indiſtincti, à concurſu ipſo, ſeu actione peccaminoſa creaturæ: quia ex eo, quod hæc nolitio ſit reflexa nolitio volitionis efficacis impediendi peccatum, ſolum ſequitur eſſe volitionem carentiæ volitionis hujus directæ. At carentia hæc non eſt peccatum, aut quid antecedenter connexum cum peccato, ut patet. Ergo nolitio ea reflexa non eſt volitio peccati, aut rei antecedenter connexæ cum peccato. Item explicatur creaturam reſtare omninò indifferentem ad operationem illam, & conſequenter explicatur decretum eſſe indifferenter applicativum (non poſitivè, ſed negativè) Omnipotentiæ: Siquidem præfata nolitio, neque eſt metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexa cum illa operatione, neque cum illius omiſſione. Explicatur denique Omnipotentiam eſſe promptam, expeditam, præparatam, & in actu primo proximo ex parte ſui, ad concurrendum, vel non concurrendum phyſicè, immediatè cum creatura ad illam operationem, quod ſic probatur.

49. Quoties potentia phyſicè cooperativa aliûs cauſæ ad operationem A, ita eſt per ſe eſſentialiter facilis, prompta, & expedita ad cooperandum phyſicè, ut non indigeat poſitivo impulſu voluntatis ſuę, ſed contenta ſit actu hujus ſufficiente ſubordinationi, ac dependentiæ cooperationis illius à voluntate, ſufficienter applicatur ad phyſicam illam cooperationem per actum tendentiæ dictæ *Nolo impedire &c.* Quandoquidem eo ipſo, quod ſaltem hic actus voluntatis ſit indiſpenſabiliter prærequiſitus ad illam phyſicam cooperationem, ſubſiſtit hanc ſubordinatam, atque dependentem eſſe à voluntate: Eſt namque evidens, pendere à voluntate illud, ad quod eſt indiſpenſabiliter prærequiſitus hujus actus permiſſivus, qualis eſt ille *Nolo impedire &c.* At Omnipotentia, quæ eſt phyſicè cooperatrix cauſarum ſecundarum liberarum ad proprias harum operationes immediatè liberas, ita eſt per ſe eſſentialiter facilis, prompta, & expedita ad cooperandum phyſicè, ut non indigeat poſitivo impulſu voluntatis, ſicut tardæ noſtræ, atque hebetes potentiæ executrices (quinimò eſt eſſentialiter incapax illius poſitivi motûs voluntatis, quando operatio phyſica eſt peccaminoſa) ſed contenta eſt actu voluntatis divinæ, ſufficiente ſubordinationi, atque dependentiæ illarum operationum à Divina voluntate. Ergo Omnipotentia ſufficienter applicatur (negativè utique, ut toties

ties dictam, ſecus poſitivè) ad phyſicè cooperandum illas operationes per actum, ſive decretum illud *Nolo impedire &c.* In hoc diſcurſu conſequentia eſt legitima, major ibi eſt ſufficienter explicata: Minorem explico:

50. In primis fateor, eam tendentiam plerumque imparem eſſe in nobis, ut noſtræ potentiæ executrices operentur, quia cum tardæ, difficiles, ac quaſi terreæ ſint, calcaribus egent, ut moveantur, & non ſolet ſufficere mera voluntatis permiſſio, qualis eſt ille actus: aſt potentia divina cooperatrix per ſe eſſentialiter eſt facilis, prompra, tum poſitivè, ob infinitas ſuas vires, tum negativè, ob carentiam omnis difficultatis in cooperatione, quia nullum experitur. Et interdum etiam noſtræ ipſe hebetes potentiæ ſunt exemplum rei præſentis. Quando enim objectum eſt proportionatè præſens oculis, proportionatèque luce perfuſum, & perſpicace ſtueris potentiâ viſivâ obversâ illi objecto: ut viſio tunc ſit ſubordinata, & pendens à tua voluntate, utque potentia tua viſiva exerceat viſionem, non eſt neceſſe, quod velis *poſitivè* producere viſionem, ſed ſufficit, quod nolis illam impedire, nolendo habere volitionem claudendi, aut detorquendi aliò oculos. Nempè quia licet oculi, ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè, non ſint determinati, ſed indifferentes omninò ad videndum, vel non videndum objectum illud; nihilò tamen minus in eis circumſtantiis, ita omnia ſunt illis facilia, & prompta ad viſionem producendam, ut poſitivo impulſu voluntatis non egeant, ſed contenti ſint mera permiſſione, eo quia ſuaptè producent viſionem, niſi ſupernè cohibeantur per voluntatem. Idem dico de aere, & de luce diffuſa per aerem, quæ ut cubiculo illabantur, non indigent prævio poſitivo impulſu: Sed ſufficit, quod illapſum impedire nolis, nolendo claudere januam, ſeu feneſtram. Idem reſpectivè in præſenti. Omnipotentia divina facilis, præſens, & prompta eſt utrovis modo dicto ad phyſicè cooperandum creaturæ, imò per ſe eſſentialiter eſt determinata ad operandum ſimul cum creatura actionem, quam hæc immediatè liberè concipit, & quando illam concipit, non autem ex ſuppoſitione, quod creatura concipiat eam actionem (quia locutio hæc innuit prioritaté actionis illius reſpectu divinę cooperationis, cum tamen ſint unum, & idem prorſus) ſed ex verè antecedente ſuppoſitione, quod Deus ex dignatione decreverit, relinquere creaturam in manu conſilii ſui, nolueritque flectere illam irreſiſtibiliter in unum potiùs, quàm in aliud, & ex ſuppoſitione, quod creatura habeat cætera omnia conſtitutiva libertatis indifferentiæ. Quamvis Omnipotentia, ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè, non ſit determinata, ſed penitus indifferens ad cooperandum phyſicè creaturæ in ordine ad eam operationem; attamen ex ſuppoſitione, quod adſint cætera conſtitutiva libertatis, & quod Deus velit relinquere creaturam in manu conſilii ſui, ita omnia ſunt parata, & expedita ad illam cooperationem, ut poſitivo impulſu voluntatis Divinæ non egeat Omnipotentia, ſed contenta ſit merá illâ permiſſione, *Nolo impedire &c.*

Fateor

51. Fateor inſuper, eam tendentiam non ſufficere ad hoc, ut Omnipotentia phyſicè operetur, quando operatio determinanda eſt per ſolum Deum, quia nulla tendentia purè permiſſiva ſufficit determinando actionem. Sed illa tendentia *Nolo impedire &c.* eſt in Deo purè permiſſiva. Ergo quando actio eſt determinanda per ſolum Deum non ſufficit. Cæterum cum actio peccaminoſa non ſit determinanda per Deum, ſive ſolum, ſive non ſolum, idcircò tendentia illa, ſeu modus ille decernendi ſufficit, ut Omnipotentia cooperetur creaturæ, quando hujus operatio eſt peccaminoſa. Ob eandem rationem non ſufficit tollendo indifferentiam, quam Omnipotentia habet ad operandum, quando operatio determinanda eſt per ſolum Deum, eo quia illi ſoli ſit libera, & ex parte cauſarum ſecundarum nil detur phyſicè connexum cum illa. Rurſus neque quando operatio eſt peccaminoſa, & conſequenter à ſola creatura determinatur, ſufficit tollendo poſitivè prædictam indifferentiam; ſufficit verò tollendo negativè illam, hoc eſt ſufficit amovendo unicum obicem, qui ex parte ipſius Dei impedire poterat concurſum phyſicum Omnipotentiæ ad eam operationem, ſuppoſito quod adſint cætera omnia conſtitutiva libertatis: quia in hac ſuppoſitione ita facilis, prompta, & expedita eſt Omnipotentia ad hunc concurſum, juxta nuper dicta, ut ex parte Dei, & quantum attinet ad Deum ſola volitio efficax non concurrendi cum creatura poteſt impedire concurſum illum (libertas enim creata, quæ abſolute poteſt impedire eum concurſum, continendo manum à peccato, prout debet, ſe habet ex parte creaturæ ipſius) at prædicta tendentia ſufficit, ut patet, amovendo illam volitionem divinam, ſiquidem eſt efficax nolitio ipſius, inquiens: *Nolo impedire &c.* Ergo prædicta tendentia ſufficit tollendo negativè indifferentiam Omnipotentiæ. Sed hæc ablatio negativa ſufficit, ut hæc phyſicè cooperetur creaturæ in ordine ad eam operationem, ut dixi numero antecedente. Ergo. Quamobrem videtur plena minor illius diſcurſus ſcripti num. 49. Videlicet Omnipotentiam, maxime in eis duabus ſuppoſitionibus, ſcilicet quod præſentia ſint cætera omnia libertatis conſtitutiva, & quod Deus nolit uti ſupremo ſuo dominio, ſed potius velit relinquere creaturam in manu conſilii ſui, ita facilem, promptam, & expediram eſſe ad cooperandum phyſicè creaturæ, ut non indigeat poſitivo impulſu, ideſt, volitione, divinæ voluntatis, ſicut egent graves, ac Terreæ noſtræ potentiæ executivę, quarum operationes nos ipſi poſitivè determinamus, & non purè permittimus, quod non convenit Omnipotentiæ reſpectu concurſus phyſici ad peccatum, ſed contenta ſit actu divinæ voluntatis ſufficiente ſubordinationi, atque dependentiæ illarum operationum à Divina Voluntate.

52. Explicatur hęc ratio. Eatenus, ut Omnipotentia phyſicè immediatè concurrat nobiſcum ad noſtras operationes immediatè liberas, opus eſſet poſitivâ volitione divinâ, poſitivo impulſu hujus, poſitiva applicatione, ſive determinatione Omnipotentiæ, poſitivâ ablatione indifferentiæ, quam hęc habet, & ſimilibus poſitivis: quatenus alias 1. Deus

Deus non concurreret ſpontaneè, voluntariè, ac liberè (ſed initio explicui, quo ſenſu hæc ſint vera, & quo ſenſu falſa) vel quatenus alias 2. Omnipotentia eſſet ſubjecta creaturæ, & huic eam Deus quaſi locaret (hoc etiam explicatum eſt ſupra) vel quatenus 3. concurſus hic Omnipotentiæ non eſſet ſubordinatus, & dependens à Divina Voluntate (hoc quoque explicui num. 49. & addo dependentiam debere eſſe proportionatam ipſi concurſui: Cumque hic reſpectu Dei, ſit purè permiſſivus, & per accidens, ſufficit actus voluntatis purè permiſſivus, *Nolo impedire &c.*) Vel quatenus 4. ſine poſitiva volitione, ſive impulſu voluntatis divinæ, non poſſet auferri indifferentia, quam habet Omnipotentia ad prædictum concurſum, & hoc etiam eſt ſolutum. Quoniam, vel loqueris de ablatione poſitiva, vel de negativa, ſi primum, certè non poteſt dari ablatio illa poſitiva, quin detur volitio illius concurſus; cæterum ablatio poſitiva illius indifferentiæ ad cooperandum operationi peccaminoſæ creaturæ, non eſt neceſſaria, juxta diſcurſum ſcriptum num. 49. & inſuper, non eſt poſſibilis, quia argueret Deum eſſe cauſam per ſe peccati, juxta num. 45. Si ſecundum, ablatio negativa illius indifferentiæ ſufficit, ut Omnipotentia actu cooperetur creaturç, juxta num. 50. Ergo ex nullo capite requiritur iſta poſitiva applicatio, poſitiva determinatio, poſitivus impulſus, poſitiva volitio, ut Omnipotentia phyſicè immediatè concurrat cum creatura ad actionem peccaminoſam. Ergo ſufficit nolitio illa, quam dedi num. 47. qua ſatis apparet Deum concurrere phyſicè immediatè ad actionem peccaminoſam, in qua ſtat tota præſens difficultas quin ſit cauſa per ſe illius. Ex quibus omnibus habes: quòd cum vox illa *Applicativum* innuat, & ſonet quid poſitivum, neganda, vel diſtinguenda eſt in præſenti, quando ſermo ſit de peccato, & dicendum: non dari decretum applicativum pluſquam merè negativè Omnipotentiæ ad peccatum.

§. VII.

53. QUarta difficultas eſt. *An præter concurſum ſimultaneum hactenus probatum, admittendus ſit alius cauſa prima concurſus prævius, phyſicè prædeterminans cauſas ſecundas ad ſuas operationes?* Phyſica præmotio, ſive prædeterminatio vocatur qualitas quędam habens quatuor hæc attributa. 1. eſſe per ſe, metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexam cum operatione ad quam prædeterminat. 2. eſſe prorſus inevitabilem à creatura, ita ut hęc nulla penitus fungatur poteſtate, aut ex natura ſua, aut ex divina conceſſione, ut à ſe excutiat qualitatem illam, ſi illam habuerit, vel ut impediat ne ſibi imprimatur. 3. eſſe omninò metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè prærequiſitam ad quamcunque operationem cauſæ ſecundę ob intimam, eſſentialem connexionem operationis cujuſvis

juſvis cum illa. 4. eſſe omninò inacquiribilem à creatura, quando hęc caret illa. Tota ſchola PP. Dominicanorum, quos multi ſequuntur, defendunt hanc qualitatem; Tota ſchola Jeſuitarum, quos multi alii ſequuntur, illam qualitatem illis attributis refertam negant, ob trinam maximè rationem. Prima. Quia ad ſalvandum in Deo primatum cauſæ, primatum liberi, primatum agentis, & ſimiles alios, quos conſtanter revereri debemus, non eſt neceſſaria illa qualitas. Secunda. Quia ſi illa admitteretur, ſequeretur hominem carentem illa, ad loquendum, v. g. & ſimul omni poteſtate acquirendi illam, cariturum libertate indifferentię ad loquendum, ſicut caret libertate indifferentiæ ad cogendum conventus generales Regnorum homo privatus, qui neque habet Regiam dignitatem, nec poteſtatem ullam acquirendi eam: item hominem habentem illam ad loquendum, & non habentem ullam facultatem explicandi ſe ſe ab illa, non habiturum libertatem ad ceſſandum à locutione: ſicut nec habet ad currendum, qui catenis, à quibus ſe expedire nequit, conſtringitur. Tertia. Quia ſi Deus irreſiſtibiliter, & inevitabiliter prædeterminaret creaturam ad actionem peccaminoſam, eſſet Author, & cauſa per ſe peccati contra Concilium Tridentinum, imò contra lumen rationis: & quando peccator corripitur, judicatur, damnatur, & punitur à Deo, verace excuſatione poſſet ſe defendere, inquiens: *Quid aliud potui facere? Tu me determinaſti, imò prædeterminaſti.* Hę tres Cardinales rationes negandi prædeterminationem, & omne, quatuor illa habens prædicta, ſunt rationes adſtruendi ſcientiam mediam, quia hęc, quaſi corollarium eſt deſcendens ex negatione prędeterminationis. Nam licet Graves aliqui Theologi conati fuerint ab una, & altera ſententia declinare, neceſſarium omninò videtur in unam, vel alteram incidere. Cæterum cum duas poſteriores rationes ſufficienter explicuerim in Prodromo diſp. 5. Ideo re hac, in pręſenti ſuperſedeo. Seſſ.6.

54. Quinta difficultas eſt. *An & quomodo Cauſa Prima determinet ſecundas, quoad ſpeciem, intenſionem, durationem, ac individuationem ſuorum effectuum.* Quoties operatur cauſa ſecunda, ſive neceſſaria, ſive libera, verificantur duo. Unum eſt quod talem, aut talem determinatam ſpeciem effectuum producat: & ratio pravia, ſi qua datur, connexa phyſicè, aut metaphyſicè cum eo, quod producat ſpeciem illam, vocatur determinatio quoad ſpeciem. Alterum, quod tale, aut tale producat individuum determinatum ſpeciei illius: & ratio illius prævia, ſi qua datur, connexa cum eo, quod producat tale ſingillatim individuum, dicitur determinatio quoad individuum. V. g. quoties ignis comburit, producit calorem, & non frigus, aut arborem, aut ſpeciem aliam diſparatam: & non producit quemlibet calorem, ſed tale individuum determinatum, & non in qualibet intenſione, ſed in tali determinata. Similiter quoties voluntas libera vult, producit volitionem, & non eo ipſo odium, gaudium, ſpem, aut aliam ſpeciem diſparatam: & non quamlibet volitionem, ſed talem individuam determinatam, & non in qualibet intenſione, aut duratione; ſed in tali

Tt indi-

individua, & determinata. Quæritur ergò quænam ſit cauſa determinativa ſpeciei, intenſionis, durationis, & individuationis effectuum cauſarum ſecundarum? Deus nè, an ipſæ cauſæ ſecundæ, an aliud quippiam, an nil?

55. Dico 1. Aliquid oportet aſſignari, quod vel ſtrictè phyſicè per viam connexionis antecedentis, vel immediatè liberè citrà omnem antecedentem connexionem, determinet, ſive poſitivè, ſive negativè hæc omnia reſpectivè. Probatur. Omne entitativè contingens, quoad exiſtentiam, ab aliquo debet determinari, ſive poſitivè, ſive negativè, quando exiſtit. Sed omnia illa ſunt entitativè contingentia, quoad exiſtentiam, ut patet. Ergo. Major eſt clara. Tum quia omne cujus exiſtentiæ aſſignabilis eſt legitima efficax ratio, & hanc non habet à ſe, aut à ſuamet eſſentia, ab aliquo debet determinari, aliquo ex eis duobus modis, utrovis namque deficiente, nulla erit aſſignabilis legitima ratio exiſtentiæ illius. Sed omne entitativè contingens, quoad exiſtentiam tale eſt, ut ſi exiſtat, exiſtentiæ ſuæ aſſignabilis ſit legitima efficax ratio: nam ſi exiſtat, prudenter quærere poſſumus, *Cur*? Deindè hanc rationem non habet à ſe, ſive ſuamet eſſentia, aliàs non foret ex ſe contingens, quoad exiſtentiam. Ergo. Tum quia, omne quod eſt aut exercitium immediatum alicujus libertatis, aut illud præſupponit, ab aliquo determinatur poſitivè, aut ſaltem negativè. Sed omne entitativè contingens, aut eſt exercitium immediatum alicujus libertatis, aut illud præſupponit, quoniam divinæ ſaltem libertatis exercitium aliquod præſupponere debet. Ergo aliquid oportet aſſignare. Jam cauſa determinativa, quoad locum, & tempus, ideſt ratio, quæ determinat cauſam ſecundam formaliter immediatè ad operandum in hoc loco, & tempore potius, quam in alio, facilis eſt; nempe duratio, ſive tempus ipſum intrinſecum, item præſentia, ſive locus intrinſecus agentis, paſſi, & termini. Difficultas eſt in illis aliis circa quæ.

56. Dico 2. Cauſæ ſecundæ à ſe ipſis ſolis, hoc eſt, à ſuamet ipſarum natura, à concurrentibuſque tunc circumſtantiis, ſi ſint cauſæ neceſſariæ, vel ſi ſint liberę, à ſuamet libertate, quam ex dignatione conſervare vult Deus, determinantur poſitivè, quoad ſpeciem, intenſionem, continuationemque, ſive durationem ſuarum effectuum. Probatur prima pars de cauſis neceſſariis. Non eſt dubium, quod quando cauſa neceſſaria operatur abſque aliquo naturaliter prærequiſito, v. g. ſi ignis mediocris comburat paſſum valdè diſtans, tunc determinatur poſitivè per Deum ad ſpeciem illam operationis, quia cauſa illa tunc non habet ex ſe connexionem abſolutam cum eo effectu. Item quando non operatur, quia caret aliquo naturaliter prærequiſito, non determinatur abſolutè ex ſuamet natura ad operandum, ut conſtat, ſpeciem illam effectûs, ſive quoad inceptionem, ſive quoad intenſionem. Item quando ratione potentiæ obedientialis operatur aliquid ultra ſuas vires naturales, determinatur poſitivè per Deum. De his non procedit concluſio. Item quando cauſa neceſſaria habet omnia omnino prærequiſita ex parte creaturarum ad inceptionem, intenſionem, atque duratio-

rationem talis ſpeciei effectûs, quodammodo determinatur poſitivè per Deum, quoad illa omnia, quatenus decretum applicativum Omnipotentiæ eſt tunc volitio efficax divina concurrendi cum ea cauſa ad talem ſpeciem determinatam, intenſionem, & durationem. Cæterum hæc volitio efficax divina duntaxat eſt determinatio conſequens ad naturam illius cauſæ ſecundæ, ut habentis omnia illa prærequiſita, non autem antecedens. Quia cum Deus, ut Author naturalis non utatur ſupremo ſuo Dominio, ſed cooperetur cauſis ſecundis, juxtà earum naturam, & circunſtantias, ideo à priori in genere motivo vult Deus efficaciter hic, & nunc concurrere cum igne, v. g. ad inceptionem, ac durationem talis intenſionis caloris, quia ignis in his circunſtantiis eſt naturaliter connexus cum his tribus: & ideo ſimiliter non habet volitionem efficacem ad concurrendum cum illo, antequam habeat illa cuncta, illa prærequiſita, aut poſtquam jam non habet, aut ad majorem intenſionem, quam ipſi debetur: quia prima radix, origo, ac determinatio proxima eorum omnium, eſt ignis ipſe cum eis prærequiſitis. Ergo ille ex ſua natura ſimul cum ſuis prærequiſitis determinatur proximè ad ſpeciem illam effectus, quoad inceptionem, intenſionem, ac durationem: A Deo autem ſolùm determinatur *remotè* quatenus voluit exiſtere ignem habentem naturam eam, ſociarique cum illis prærequiſitis; *& proximè* etiam, ſed à poſteriori, quatenus ſuppoſitâ exiſtentiâ ignis cum eis prærequiſitis, vult efficaciter concurrere cum illo ad eam ſpeciem, intenſionem &c. potius quam ad oppoſita. Ratio autem ſumitur ex noto diſcrimine inter cauſam liberam, & neceſſariam. Illa, adhuc in actu primo proximo ad operandum poteſt operari, & poteſt non operari. Hæc verò in actu primo proximo, ideſt, cum omnibus omninò prærequiſitis ex parte cauſarum omnium ſecundarum, ita eſt phyſicè connexa cum operatione in tali ſpecie, intenſione, ac duratione, ut ſine miraculo, non poſſit non operari in illa ſpecie, intenſione, ac duratione. Ergo ad hæc omnia determinatur poſitivè, proximèque à priori, cauſa neceſſaria per ſuammet naturam, ſimul cum præſentia omnium prærequiſitorum ex parte naturæ creatæ, & ſuperfluum eſt, quod per Deum determinetur.

57. Probatur ſecunda pars de cauſis liberis. Si hæ per Deum determinarentur poſitivè ad ſpeciem amoris, v. g. inceptionem, intenſionem, aut durationem, ea determinatio, vel eſſet creaturæ reſiſtibilis, vel irreſiſtibilis. Si primum, adhuc illâ poſitâ poſſet creatura omittere iſta quatuor, & in ſenſu compoſito illius determinationis. Ergo eſſet, & non eſſet determinatio poſitiva ad illa: Si ſecundum rogo iterum. Vel creatura poſſet impedire exiſtentiam iſtius determinationis: Vel non poſſet. Si primum, foret determinatio illorum, ſed non antecedens, atque à priori, quę una diſputatur modo; ſed conſequens, & à poſteriori. Si ſecundum, coirent in iſta determinatione illa duo prædicata irreſiſtibilitatis, atque inevitabilitatis. Ergo juxta doctrinam, quà jugiter impugnamus phyſicam prædeterminationem, rueret libertas indifferentiæ, quam ſupponimus Deum ex digna-

tione velle conſervare in creatura ad illa quatuor. Ergo creatura neque mereretur, neque peccaret in ullo ex eis quatuor. Præterea non determinat Deus negativè quoad illa. Quoniam hæc negativa determinatio ſtaret in eo, quod Deus efficaciter nollet concurrere cum creatura ad aliam ſpeciem actus liberi, ad aliam intenſionem amoris majorem, aut minorem, ad aliamvè durationem majorem, aut minorem. At quoties Deus vult conſervare in creatura libertatem contrarietatis, non habet eam nolitionem: quia tunc eſt proximè potens creatura velle, & etiam nolle, velle cum tanto ardore, velle cum alio majore, aut minore: Velle per tantum ſpatium temporis, aut per aliud minus, vel majus: & conſequenter debet eſſe Omnipotentia parata, & expedita, ut concurrat ad hæc omnia; non eſſet autem parata, & expedita, ſi Deus efficaciter nollet concurrere cum creatura ad aliquod ex his. Ergo nec poſitivè, nec negativè determinat Deus cauſas liberas ad ſpeciem, intenſionem, aut durationem ſuarum operationum. Poſitivè nunquam, negativè autem non determinat, quando illas conſervare vult cum libertate contrarietatis. Ergo cauſæ liberæ ex ſuamet libertate, ſuppoſito quod illam conſervare velit Deus, determinantur quoad ſpeciem, intenſionem, durationemque ſuorum effectuum.

58. Determinantur, inquam, non quia hæc libertas faciat quidquam antecedens, & connexum cum ſpecie, intenſione &c. ſuorum effectuum. Abſit peſſima intelligentia, quia abibimus in infinitum reflexarum determinationum. Et de illa, qua libertas poneret amorem, v. g. in tali intenſione, ac duratione fieret eadem difficultas, an determinetur à ſola libertate creaturæ, an à Deo? An ſit irreſiſtibilis, & inevitabilis creaturæ? An non? Dicitur ergo libertas determinare ſpeciem, intenſionem, ac durationem actuum ſuorum, ſolum exercitè, immediatè, ac directè (ſecus reflexè, mediatè, aut ſignatè) quatenus *ſine ulla irreſiſtibili, ac ſimul inevitabili determinatione prævia concipit volitionem talis ſpeciei, intenſionis, ac durationis, potens proximè non concipere illam: aut omittit volitionem, potens proximè illam concipere.* In hoc enim ſtat formaliter immediatè, quod operetur immediatè liberè, libertate indifferentiæ. Et in hoc ſolo ſtat phyſicè à parte rei, quod *determinet* ſuas operationes immediatè liberas, non verò in ullo alio reflexo, cujus rationem à priori non rarò dedi. Nimirum: ſicut ea eſt natura concluſionis obſcuræ, qua talis, ut excludat evidentem ſui illationem ex præmiſſis evidentibus, quia aliàs concluſio non eſſet obſcura, ſed evidens: & ea eſt natura concluſionis merè probabilis, ut excludat certam ſui illationem ex præmiſſis certis, quia aliàs concluſio certa foret. Ita ea eſt natura actus *immediatè liberi*, ut excludat præviam ſui irreſiſtibilem determinationem, quia aliàs, aut non eſſet libera, aut ſaltem non eſſet immediatè libera, quamvis non excludat rationes motivas, impulſiones finales &c. non connexas omninò cum actu ipſo libero, & quamvis actiones mediatè ſolum liberę, non excludant præviam determinationem, ſcilicet voluntatis, ex qua procedunt. Verum eſt, nos pro ſtatu hoc non

agno-

Digitized by Google

agnoſcere intuitivè, ſicut nec abſtractivè, multum clarè noſtros actus, quoad ſpeciem, intenſionem, aut durationem, ſicut neque quoad individuationem; aſt benè novimus, non ſolum ſpeculativè, ſed practicè etiam, atque experimentaliter *Velle* eſſe valdè diverſum à *Nolle*. Velle fervidum, atque intenſum eſſe diverſum valdè à *Velle* tepido, & remiſſo, ſi non quando paucioribus differunt gradibus, at ſaltem quando pluribus differunt, & ſenſibiliter. Demum *Velle* per quadrantem eſſe diverſum, à *Velle* per tempus breviſſimum, & inſtar nebulæ tranſeuntis: quam practicam, & experimentalem diſcretionem non habemus circa individuam volitionem A, & individuam B. Ergo licet nequeamus ſignatè, aut exercitè eligere, ſeu præponere volitionem A, volitioni alii, ſolo numero diſtinctæ, ut mox dicam; poſſumus ſignatè, ut nonnunquam evenit, aut ſaltem exercitè ſine ulla reflexione, ut plerumque accidit, eligere, ac præponere volitionem nolitioni, volitionem intenſam remiſſæ, quando multis gradibus differunt, volitionem durantem per tempus longum, citò tranſeunti, & tunc erit, vel non erit majus, aut minus meritum, vel demeritum, prout fuerit, aut non fuerit practicè diſcernibilis, & conſequenter exercitè voluntarius ille exceſſus, ut mox dicam. Ergo licet nequeamus ullatenus nos determinare, quoad individuationem, poſſumus nos determinare jam ſignatè, ac reflexè, jam exercitè, ac directè ad ſpeciem volitionis, v. g. ad intenſionem, atque durationem,

59. Quod ſi diſcrimen intenſionis, ac remiſſionis, majoris, ac minoris durationis ſit verè coram Deo, & Angelis intuentibus actus noſtros; ſed adeò tenue, ut fugiat omninò noſtram cognitionem practicam, experimentalem, atque prærequiſitam ad bonitatem, & malitiam moralem noſtrorum actuum, v. g. quod intenſio ſit, ut duo, vel ut tria, quod verbis quidem, ſed non mente poſſumus diſcernere practicè, tunc non determinamus nos directè, ac formaliter, ſed indirectè, ac virtualiter ad eam intenſionem, aut remiſſionem, quatenùs voluntariè, & magis liberè (quia cum vivaciore cognitione) nos determinamus exercitè, aut ſignatè ad actum illum, ſive ad illas circumſtantias actus, ex quibus, quaſi naturaliter reſultat illa major, aut minor intenſio. Sit autem, necnè magis, aut minus meritorius, vel demeritorius ille actus, *quoad illos plures, vel pauciores gradus* intenſionis, durationiſve, imperceptibiles practicè homini, Deus ſcit: & propior verò eſt pars affirmativa propter nuperam rationem, & quia, non tam requiritur ad moralitatem actuum noſtrorum reflexa advertentia ſupra ipſos, ut conſtat experientia, quam ſupra objectum, & circumſtancias ipſorum, ſed de hoc alibi. Demum quando initium actus, ſive quoad ſpeciem, ſive quoad intenſionem prævenit rationem, & protinùs eggreditur ex vehementia cogitationis, ſive habitualis inclinationis, aut averſionis, tunc non determinamus noſmetipſos ad actum illum, ſive quoad ſpeciem, ſive quoad initium, ſive quoad intenſionem, ſive quoad talem determinatam durationem brevem, quam Deus ſcit; ſed determinamus nos, quoad proſecutionem,

vel

vel |ſuſpenſionem actus illius, quem jam ſentimus nobis infixum immediatè à Deo (ut accidit in motionibus voluntatis ad bonum, quibus Deus excitat noſtram pigritiam, ac ſuavè reddit illud, quod olim non delectabat) vel mediatè à diabolo, vel ab aliis naturalibus circumſtantiis, quales ſolent eſſe vehementia,& duratio cogitationis, naturalis humorum corporis complexio, habitualis propenſio, ſive averſio voluntatis in objectum illius actus &c. Unde fit, quod actus illi voluntatis non ſint meritorii, aut demeritorii in primo, vel primis inſtantibus ſuæ exiſtentiæ, ſed in ſubſequentibus. Stat igitur, quod Deus non determinat ſtrictè nos, ad noſtros actus immediatè liberos, quia ipſe non vult uti ſupremo ſuo dominio flectendi nos irreſiſtibiliter in unam potius, quam in aleram partem, ſed quod nos determinamur, modo jam explicato à noſtrâ ipsâ libertate, quoad ſpeciem, quoad ſenſibilem intenſionem, atque durationem eorum; quamvis non negem ipſam noſtram determinationem formalem, actualem, idest, ipſum noſtrum actum liberum, qui eſt determinatio formalis ſui ipſius (determinationem aliam prævìam ſæpè negavi) provenire phyſicè à Deo, ſicut proveniunt phyſicè reliquæ omnes actiones creatæ; aſt provenit à Deo, ut ſimultaneè concurrente, non ut præviè determinante.

§. VIII.

60. DIco 3. Sola cauſa prima determinat cauſas ſecundas præſertim diſtinctas ab Angelis, cùm liberas, tum neceſſarias, ad individuationem ſpeciei, intenſionis, aut durationis: æquivocè tamen, nam cauſas neceſſarias determinat poſitivè proximè à priori; liberas autem determinat negativè duntaxat. Probo primam partem. Omne contingens debet determinari ab aliquo, ut dicebam num. 55. & quidem non purè phyſicè, ac materialiter, ſed formaliter ratione libertatis eligentis illud, aut ratione connexionis determinatæ cum illo. At quod hic, & nunc ponatur potiùs effectus A, quàm B. ſolo numero diſtinctus, eſt quid contingens. Ergo ab aliquo debet determinari, non tantum materialiter, ſed formaliter quoque. Sed non à cauſis ipſis ſecundis diſtinctis ab Angelis (qui utique ſunt etiam cauſæ ſecundæ) quia ſi ſermo ſit de cauſis neceſſariis, v. g. de igne A, non eſt cur ipſi debeatur productio potiùs ignis B, quàm ignis C, aut caloris A, quàm caloris B, aut potiùs intenſionis, ſive durationis A, quàm B ſolo numero diſtinctæ, quandoquidem ignis, ut in actu primo proximo ex parte ſui ad hos effectus reſpectivè, æquè contentus eſt uno individuo, quàm alio: ſicut materia prima æquè contenta eſt completione per formam A, quàm per formam B; unde quamvis phyſicè, ac moraliter determinet ignem B, ideſt, producat illum potiùs, quàm C, non tamen formaliter. Deindè non determi-

minatur à materia, aut ab aliis circumſtantiis, quia nullum producitur argumentum ad probandum, materiam, aliaſve extrinſecas circumſtantias ſuapte naturâ exigere potius unius, quàm alterius individui productionem. Ergo. Sin de cauſis liberis, non Angelicis, dico idem; quia nec ratione *connexionis* poſſunt determinari ad unum potiùs individuum, quàm ad alterum, quoniam cum nullo connectuntur, eo quod ſint indifferentes ad operandum, & non operandum. Nec ratione *electionis*, atque cauſæ ſolius exercendi libertatem, ſicut inter poma prorſus æqualia poſſumus, ex mero noſtro arbitrio ſine ulla ratione ſuaſiva, eligere potius pomum A, quàm B; quoniam licet Angeli, quippè qui claré, ac evidenter poſſunt diſcernere inter multos ſuos actus immediatè liberos, & ſolo numero diſtinctos, poſſint ex mero ſolo libito eligere inter illos, & velle ſignatè, aut exercitè exercere ſuam libertatem potiùs per individuum A, quàm per B ejuſdem ſpeciei, aut etiam intenſionis, aut durationis; verum tamen homines ſaltem in hoc ſtatu id non poſſunt.

61. Quia nullus ignorans practicè quodnam, & quale ſit individuum A, quodnam, & quale ſit individuum B, nullumque prorſus deprehendens diſcrimen inter utrumque, poteſt pluſquam verbaliter, aut pluſquam Pſittacus, eligere ſignatè, aut exercitè unum potiùs, quam alterum. At quanquam homines pro hoc ſtatu diſcernant ſpeculativè, atque omninò abſtractè amorem A, non eſſe amorem B, intenſionem A, amoris, non eſſe intenſionem B &c. penitùs ignorant practicè quiſnam, & qualis ſit amor A, quænam, & qualis ſit intenſio A, & nullum penitus deprehendunt diſcrimen inter utrumque, eo quia differentiæ purè individuales, præſertim actuum internorum, non ſunt à nobis diſcernibiles pro hoc ſtatu, in quo ratione ſolæ diverſitatis loci, coloris, aut aliorum ſimilium, deprehendimus practicè unum individuum non eſſe alterum: & ſicut, quamvis ſpeculativè, atque in genere ſciamus arenam A maris Mexicani non eſſe arenam B, & Turcam A non eſſe Turcam B, ignoramus practicè, quænam ſit, & qualis arena A: quiſnam ſit, & qualis Turca A. Ergo homines in hoc ſtatu nequeunt pluſquam verbaliter, & inſtar Pſittaci, eligere ſignatè, aut exercitè inter duos amores v. g. nullam prorſus habentes differentiam, quam individualem puram, unum potiùs, quàm alterum: Et idem de intenſionibus, durationibus &c. Ergo quando hæc potiùs, quàm alia faciunt, determinant hæc phyſicè duntaxàt, & materialiter, quod non nego; ſecus formaliter, & propriè, quod tantum nego. Dico *nullam prorſus*: quia ſi duo diſtinguantur *tantùm* individualiter, illo *tantùm* excludente diſtinctionem ſolam ſpecificam, non verè aliàs practicè diſcernibiles, ſaltem indirectè, atque à poſteriore differentias, licet non majores individuali, ideſt, non aſſurgentes uſque ad ſpecificam: tunc poteſt homo ſignatè, ac exercitè eligere potius unum, quàm alterum. Si tuus amor erga Petrum, & tuus prorſus æqualis & ſimilis amor erga Joannem non diſtinguuntur, niſi individualiter; quia ex nullo capite invenitur in illis ſpecifica diſtinctio; & tamen exercitè,

ac

ac ſignatè præferre potes amorem unius, amori alterius. Sic actio ſpeciei, quam volueris, in loco, aut tempore A, non diſtinguitur ſpecificè ab actione alia ſpeciei ejuſdem in loco, & tempore B; & tamen exercitè, ac ſignatè potes velle actionem potiùs in uno tempore, aut loco, quàm in alio. Sed hoc provenit ex eo, quod in his caſibus conglobantur multa capita diſtinctionis individualis, & aliquod, ſeu aliqua ex illis ſunt practicè diſcernibilia nobis ſaltem indirectè, & à poſteriori, ratione diverſitatis objectorum, aut temporis, aut loci, aut aliarum circumſtantiarum. Noſtra autem concluſio procedit de individuis nullam aliam prorſus habentibus differentiam, quàm meram, & puram individualem, non ſenſu externo, non interno, non mente cognoſcibilem practicè pro hoc ſtatu vitæ.

62. Major ſyllogiſmi illius videtur facilis; quis enim, niſi per ſummam ſtultitiam poteſt dicere (& quidem dictio foret purè verbalis, & inefficax effectivè) *Ex cunctis arenis, & guttis aquæ, quæ ſunt in littore marino Hiſpaniæ, volo potiùs arenam A, quàm B*; quænam eſt iſta gutta, qualis eſt arena iſta? *Ex cunctis pomis ſolo numero diſtinctis, quæ ſunt in Mundo, volo pomum A, & non pomum B*; quodnam eſt iſtud pomum? Ubi eſt? Quando, quale? *Ex cunctis portionibus aquæ ſolo numero diſtinctis, in quas nilus dividi poteſt, vellem lavare manus portionibus A, & B; non autem C, & D*; quæ portiones ſunt iſtæ? Unde noſti illas? Ergo electio inter duo purè, ac præciſè individualiter diſtincta, facta cum ignorantia practica illorum, non poteſt eſſe pluſquam verbalis, & quaſi à Pſittaco facta. Et ratio eſt. Nullus impotens mente deſignare aliquid, & mentem in eo figere, poteſt voluntatem in eo figere, ſeu voluntate illud deſignare, ſeu ſignatè, atque explicitè velle illud; quia nil volitum, quin præcognitum explicitè quoad illud, quoad quod eſt explicitè volitum. Unde ſi quando immediatè exerceatur per illud, erit caſu, ac per accidens, quoad talitatem, ideſt, erit abſque advertentia talitatis illius. At omnis ignorans practicè quodnam, & quale ſit individuum A ſpeciei, atque intenſionis, quas volueris, nullumque detegens, niſi purè abſtractè, ac ſpeculativè, diſcrimen illius ab alio, impotens eſt mente deſignare illud, manumque illi infigere. Nam quænam eſt, qualis, quanta, ubi, quomodo, quando, gutta, v. g. quam volo vocare A, ex cunctis guttis aquæ poſſibilibus? Quiſnam eſt, qualis, quantus, ubi, quando, quomodo amor, quem nunc dico A, ex cunctis amoribus poſſibilibus ſolo numero diſtinctis. Ergo nullus ignorans practicè hæc omnia, & ſingula, poteſt pluſquam verbaliter, & inſtar Pſitaci voluntatem figere potiùs in amore A, quam in B, ſola differentiâ individuali diſtinctis: Et quoties immediatè exercetur potius per unum, quam per alterum, *potiùs* illud, eſt caſu, ac per accidens reſpectu, ſic ſe exercentis, quatenus ſine ulla advertentia talis *potiùs*, ſe exercet: & conſequenter, neque meretur, neque demeretur ex titulo, & ratione illius *potiùs*, ſive differentiæ individualis, quamvis abſolutè in ſenſu reali mereatur, aut demereatur in actu illo individuo;

ſicut

Digitized by Google

ſicut meretur, aut demeretur in eodem, quanquam non ex titulo entis, aut ex titulo actus vitalis, aut ex titulo actus liberi, aut ex ſimilibus rationibus, eo quod nullus ex his titulis, par ſit movendo voluntatem præmiantis ad decretum præmii, vel ſupplicii. Et inſuper, eo quod ad merendum, aut demerendum abſolutè in ſenſu reali, non ſit neceſſaria quævis cognitio actûs, & conſequenter, neque cognitio talitatis; ſed ſufficiant aliæ cognitiones, ut dicitur ad tractatum de actibus humanis.

63. Ex quo diſcurſu colligitur, ſolam cauſam primam determinare cauſas ſecundas liberas diſtinctas ab Angelis, quoad individuationem: quoniam hæc ab aliquo debet determinari, non materialiter præcisè, atque phyſicè, & impropriè; ſed formaliter etiam, atque propriè, ratione connexionis cum illa, aut libertatis ad illam, ut dixi. Sed non ab ipſis cauſis liberis, quia ut etiam dixi, ab his tantùm determinatur individuatio phyſicè, & impropriè, quatenus illæ phyſicè ponunt hic, & nunc, tale potiùs individuum, quàm aliud; non autem electivè, electione vagante inter mera individua, ſed vagante inter ſpecies, intenſiones, durationes, aliaque ſimilia: quia de his habemus cognitiones practicas, non verò de puris differentiis individualibus, non perceptibilibus per ſenſus. Deindè non apparet aliud, à quo determinatur libertas ad individuum, quia in hujuſmodi rebus, minus habet loci adagium illud. *Individuatio ſumitur à materia*; quod in Prodromo explicui diſp. 4. num. 208. quoniam hic loquor de actibus immediatè liberis, qui utpotè ſpirituales, expertes ſunt omnis materiæ corporeæ; & intellectus, voluntas, animaque ipſa, quæ poſſunt dici *materia* nullam habent connexionem cum tali actu in individuo. Ergo oportet recurrere ad cauſam primam pro hac determinatione. Hanc dixi eſſe æquivocam (en ſecundam partem concluſionis) quoniam quando cauſa eſt neceſſaria, Deus determinat poſitivè proximè à priori individuum illum effectum, quem illa producit; quia ut dixi num. 44. decretum applicativum Omnipotentiæ habet tunc tendentiam, quam ibi ſcripſi. Sed hoc ipſo Deus determinat poſitivè proximè illud individuum, & quidem à priori, non quidem reſpectu ſpeciei (ut enim adverti num. 56. ideò à priori vult Deus efficaciter concurrere phyſicè cum cauſa ad productionem caloris, v. g. potiùs quàm frigoris, quia cauſa illa cum ſuis prærequiſitis, potiùs connectitur cum calore, quàm cum frigore; quocirca illa volitio, quatenus eſt volitio ſpeciei caloris, non eſt antecedens, ſed conſequens ad naturam illius cauſæ) Non item à priori abſolutè, & ſimpliciter: quia efficax illa volitio divina concurrendi ad individuum A, abſolutè omnibus penſatis, eſt conſequens ad naturam illius cauſæ neceſſariæ; ſed poſito, quod hæc ex ſe connectatur cum productione caloris, potius, quam frigoris, ratio unica à priori ob quam producitur calor A, & non B, eſt efficax illa volitio; quia cum ipſa cauſa ſecunda non connectatur determinatè, cum eo individuo, neque aliud quidquam appareat ſic connexum; & ex alia parte debeat aſſignari ali-

qua ratio à priori illius, quandoquidem non eſt ens à ſe, neque exercitium immediatè liberum: reſtat, quod volitio illa divina, ſeu decretum, ſit unica ratio à priori, ob quam potiùs producatur tunc unum individuum, quàm aliud ex infinitis poſſibilibus. De hoc infra redibit ſermo num. 71.

64. Cæterum quando cauſa eſt libera non determinat illam Deus *poſitivè*, quoad individuum, quia deſtrueret libertatem indifferentiæ, quam ſupponimus velle conſervare, ut argumentabar num. 57. *Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico &c.* fed duntaxat *negativè*. Sicut impediens equitationem ſuper equum A, quando duo ſunt ſoli, determinat te non *poſitivè*, ſed *negativè* ſolum, ad equitandum ſupra equum B; impedita namque equitatione prima potes manere domi, v. g. & ſolum adimit tibi facultatem equitandi equo A, & hac de cauſa determinat te negativè ad equitationem B; quæ determinatio eſt utique compoſſibilis cum omiſſione equitationis B. Similiter, qui ex calamis aufert tibi unum, non determinat te *poſitivè* ad ſcribendum altero, quia adhuc tunc potes abſolutè non ſcribere; ſed determinat te *negativè*: ideſt, non relinquit tibi facultatem ſcribendi ullo alio calamo, niſi illo, quem relinquit; potes tamen verè, ac ſimpliciter non ſcribere adhuc illo. Hoc inpræſentiarum. Deus determinat negativè ſolùm voluntatem humanam, quoad individuum ſpeciei amoris, v. g. & intenſionis, & durationis, quia ſuum decretum non eſt per ſe abſolutè, ac determinatè connexum cum illo individuo; ſed ſolùm eſt oppoſitum cum omni alio individuo ejuſdem ſpeciei, atque intenſionis: quatenus eſt nolitio efficax abſoluta concurrendi tecum ad ullum aliud individuum illius ſpeciei, ac intenſionis. Unde adimit tibi pro tunc omnem facultatem amandi amore alio, & individuo alio illius intenſionis, juxta tendentiam decreti applicativi, quàm dedi num. 47. quod autem hæc ſpecies determinationis (quæ etiam vocari poteſt conditionata, ſed quoad nos, qui verbis conditionatis ſolemus eam explicare, non autem, quoad Deum, cui repugnat hujus tendentiæ decretum *Volo ad ſolum individuum A concurrere tecum, caſu, quo ames*. Nam quo amore? qui ſit amor A? eſſet fatua volitio. Qui ſit amor B? concurrerent duo amores ſolo numero diſtincti objecti ejuſdem. Qui nullus ſit in particulari? eſt impoſſibilis) Hæc, inquam, determinatio ſit neceſſaria, probatur; quoniam aliqua eſt neceſſaria per rationem datam num. 55. & 60. Ergo, vel determinatio poſitiva, vel negativa; ſed non poſitiva, ut nuper dicebam ex num. 57. Ergo negativa.

Ad Gala. 2.

65. Probatur etiam, quod ſufficiens ſit, advertendo priùs, quod cum vox hæc *determinare*, *determinatio* ſonet quid poſitivum, facillimum eſt, quando audimus illam in re præſenti, apprehendere poſitivum, ac determinatum impulſum ad individuum A. Ex qua ſiniſtra apprehenſione naſcuntur æquivocationes abſurdæ, Item difficile erit, niſi cautè audiatur illa vox, apprehendere determinationem tantum negativam ad individuum A: quia apparebit determinatio non determina-

minatio. Sed hæc difficultas contingit, quoties terminus aliquis alienatur, v. g. *Homo mortuus, homo pictus*; dic idem: nempe eſſe hominem non hominem, ideſt, chymeram. Et ſimiliter paſſim. Igitur quemadmodum terminus *homo* per adjunctum alterum *mortuus* alienatur, & ſignificat, non quidem chymeram; ſed rem, quæ fuit, & modo non eſt homo. Ita terminus ille *determinatio, quoad individuum A*, per adjunctum Syncathegorema *negativè* alienatur, aut reſtringitur, aut diſtrahitur, & ſignificat, non quidem chymeram; ſed negationem omnis facultatis ponendi ullum aliud individuum, & facultatem ponendi individuum A. Unde niſi jam invaluiſſet phraſis illa. *Cauſa prima determinat negativè, quoad individuum*, debebat dici, ad abigendum iſtum, & ſimiles non paucos paralogiſmos, *Cauſa prima dat facultatem cauſæ ſecundæ liberæ ad individuum A amoris, negat verò ad cætera omnia individua illius ſpeciei, aut intenſionis*; quapropter licet brevioribus illis utamur terminis, tuum erit intelligere hos longiores. Arguo jam: quoties cauſa ſecunda libera, quatenus eſt ex ſe, habet proximam facultatem ponendi individuum A amoris, v. g. & nullam habet ponendi ullum aliud individuum ſpeciei illius, eſt ſufficienter determinata ad individuum A; *determinatione utique proportionanda naturæ libertatis*; non enim debemus quærere determinationem deſtruentem libertatem, qualis foret determinatio poſitiva. At quoties cauſa prima determinat illam cauſam ſecundam negativè, quoad individuum A, cauſa ſecunda libera, quatenus eſt ex ſe, habet proximam facultatem ponendi A, ſicut quodvis aliud ſpeciei illius: & nullam habet ponendi ullum aliud individuum illius ſpeciei. Ergo quoties cauſa prima determinat negativè, quoad individuum A cauſam ſecundam liberam, hæc eſt ſufficienter determinata ad individuum determinatione proportionanda naturæ libertatis.

66. Major videtur certa. Nam cum determinabilitas actionis immediatè liberæ, non ſit per viam prævię connexionis inevitabilis, ac ſimul irreſiſtibilis, quia hæc opponitur libertati indifferentiæ; ſed per viam ſolam proximæ, atque plenæ libertatis ad actionem illam: quoties dabilis fuerit legitima ratio, non ſanè ſtrictè à priori, ex titulo libertatis; cur cauſa ſecunda ponat individuum A: & non ponat ullum aliud ſpeciei illius, cauſa illa eſt ſufficienter determinata ad individuum A; determinatione conſentanea naturæ libertatis. At quoties habet proximam facultatem ponendi individuum A amoris, & nullam habet ponendi ullum aliud ejuſdem ſpeciei, dabilis eſt legitima ratio, ex titulo libertatis, cur cauſa illa ponat individuum A (nimirum quia eſt proximè potens ad illud, & à nullo alio agente adigitur irreſiſtibiliter in oppoſitum: quæ eſt unica ratio, licet non ſtrictè à priori pro actibus immediatè liberis, ut toties dixi, & num. 58. repetivi) & cur non ponat ullum aliud individuum illius ejuſdem ſpeciei. Nimirum, quia nullam penitus habet facultatem abſolutè, ideſt, tam ex parte cauſæ primæ, quàm ex parte ſua, ponendi ullum aliud. Ergo major illa eſt vera. Minor etiam. Nam quoties cauſa ſecunda libera

Digitized by Google

habet omnia prærequiſita ex parte ſui, atque ex parte cauſæ primæ ad ponendum individuum A, & ſimul premitur impedimento irreſiſtibili ad ponendum aliud individuum ſpeciei illius, ſine poteſtate abjiciendi illud, habet proximam facultatem ponendi A; & nullam ponendi aliud, juxta principia data diſp. 2. At quoties cauſa prima determinat negativè ſecundam, quoad individuum, contingunt hæc duo; quoniam hæc determinatio negativa, ſtat formaliter immediatè in illo decreto applicativo Omnipotentię ſupradicto num. 47. *Nolo impedire, quod mea Omnipotentia hîc, & nunc, concurrat cum hac creatura, habente cætera conſtitutiva libertatis ad talem individuam operationem*; ſed *volo impedire, quod concurrat ad ullam aliam individuam operationem ejuſdem ſpeciei, aut intenſionis præter A, v. g.* quo decreto poſito, cauſa illa habet, tum ex parte ſui, tum ex parte cauſę primę, omnia prętequiſita ad ponendum A; & premitur impedimento ſibi irreſiſtibili, atque inevitabili ad ponendum ullum aliud, ſiquidem, nec impedire, nec infringere poteſt hoc efficax decretum divinum. Ergo.

67. Hinc habes 1. qualis ſit, & qualis non ſit, determinatio quoad individuum in cauſis liberis, nempe *negativa* duntaxat: eo quia debet eſſe proportionatata ipſarum libertati, quam ſupponimus Deum velle conſervare, & conſequenter eſſe diverſam, à determinatione, quoad individuum in cauſis neceſſariis, & demum retorſionem noſtrarum rationum, contra Prædeterminationem phyſicam, fieri ſolitam ex determinatione, quoad individuum, quam admittimus, non eſſe efficacem: ſiquidem hæc determinatio non eſt ullatenus connexa cum eo, quod ponatur, aut connexa cum eo, quod non ponatur individuum A; ſed oppoſita cum eo, quod ponatur aliud individuum illius ſpeciei. Habes 2. decretum determinativum, quoad individuum in utriſque cauſis, poſſe eſſe indiſtinctum virtualiter ab applicativo Omnipotentiæ. Habes 3. decretum illud eſſe reflexum, ſicut ſupra dixi de decreto hoc applicativo: & decretum illud habere omnia, quæ competunt huic, & vice verſa; quod eſt proprium eorum, quæ nec virtualiter diſtinguuntur, quamvis ſecundum noſtras præciſiones, inadæquataſque cognitiones, multa poſſint enunciari de uno, quæ non de altero. Habes 4. ſolutionem famoſæ illius, & antiquę objectionis derivatæ ex doctrina præciſionis objectivæ, aut diſtinctionis virtualis, vel formalis ex natura rei. Videlicet. Cauſa prima determinat voluntatem noſtram negativè, quoad individuum. Sed gradus ſpecificus eſt realiter gradus individualis. Ergo determinat negativè, quoad gradum ſpecificum etiam. Aut è converſo. Non determinat negativè, quoad ſpeciem, quia non negat ſuum concurſum ad cæteras ſpecies diſtinctas à ſpecie amoris, v. g. Sed individuum eſt realiter ſpecies, ergo non determinat negativè, quoad individuum. Confirmatur 1. *eſſe determinatum per Deum*, aliquid eſt in rerum natura. Sed hoc ex parte rerum convenit individuo, & non ſpeciei. Ergo aliquid convenit ex parte rerum uni, quod non convenit alteri identificato cum illo. Ergo adſtruitur in creatis myſterium Trinitatis (ubi quæ repugnant uni

uni tertio non repugnant inter ſe, & quæ identificantur cum uno tertio non identificantur inter ſe) quandoquidem ſpecies, atque *eſſe determinatum à Deo,* identificantur cum uno tertio, nempe cum prædicato individuali; & tamen non identificantur inter ſe. 2. Vel omnia penitus, quæ conveniunt uni ex his duobus, conveniunt alteri. Vel non. Si primum. Ergo tam ſpecies determinatur per Deum, quàm individuum, aut tam hoc non determinatur, quàm non determinatur illa. Si ſecundum, ergo ſtat, quod extrema cteata realiter identificantur inter ſe, & tamen quod non omnia, quæ conveniunt uni, conveniant alteri. Ergo diſtinguentur virtualiter, aut formaliter ex natura rei. 3. Si verum eſſet Deum determinare cauſas ſecundas, quoad individuum, & non quoad ſpeciem, Syllogiſmus expoſitorius non concluderet, & conſequenter ars Syllogiſtica rueret, v.g. hic Syllogiſmus. *Hoc prædicatum individuale determinatur per Deum. Sed hoc prædicatum ſpecificum eſt realiter, & virtualiter hoc prædicatum individuale. Ergo hoc prædicatum ſpecificum determinatur per Deum.* Præmiſſę ſunt veræ; & conſequens eſſet falſum. Idem contingeret huic. *Hoc prædicatum ſpecificum non determinatur per Deum. Sed hoc individuale eſt realiter, & virtualiter hoc ſpecificum*; quia hic amor realiter, & virtualiter eſt amor. *Ergo hoc prædicatum individuale non determinatur per Deum.* 4. Eſſe determinatum, & non eſſe determinatum negativè per deum ſunt duo prædicata contradictoria. Sed hæc per nos verificantur de individuo, & de ſpecie. Ergo.

68. Hæc omnia cum procedant in ſenſu primo intentionali, ac de re, prout contingit independenter à noſtris cognitionibus, reflexionibus, præciſionibus, quia ab eis non pendet, quod Deus determinet, aut non determinet, quoad ſpeciem, vel individuum, idcircò ineptus eſſet recurſus ad noſtras cognitiones poſitivas, & inadæquatas pro his difficultatibus ſolvendis: ſicut reſpondere per nauticam, argumentanti de diverſitate febrium. Ex doctrina igitur paulò ante data, ex legitimaque explicatione determinationis negativæ, deſcendit legitima ſolutio. Deum determinare negativè, quoad individuum A, v.g. ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod neget ſuum concurſum ad cuncta alia individua amoris, v.g. præter amorem A. Deum determinare negativè, quoad ſpeciem ſtaret in eo, quod negaret ſuum concurſum ad ſpeciem aliam actuum, puta ſpeciem nolitionum amandi, aut ſpeciem odii &c. At quamvis individuus amor A, & gradus ſpecificus amoris ſint idem: ex eo tamen, quod neget ſuum concurſum ad individuos alios amores præter A, non ſequitur quod neget ſuum concurſum ad ſpeciem odii, ut patet: quandoquidem individui alii amores diſtinguuntur realiter à ſpecie odii, & nullam cum ea habent, aut terminant connexionem. Ergo quamvis gradus individualis, & & ſpecificus ſint idem, ex eo tamen, quod determinet negativè, quoad individuum, non ſequitur quod determinet negativè, quoad ſpeciem. Ob diverſum nimirum ſenſum, quem reddunt unus, & alter terminus. Unde ad objectionem conceſſis utriſque præmiſſis, nego utramque conſequentiam, quia neuter ille Syllogiſmus eſt rectus; & ſic reſpondeo ſimul

mul tertiæ confirmationi, quia ille Syllogiſmus non eſt expoſitorius: unde quod ille non concludat, non probat ruinam artis Syllogiſticæ.

69. Etenim cauſam primam determinare voluntatem noſtram, quoad individuum, ſeu individuum A eſſe per Deum determinatum, vertitur, quoad rem præſentem, in hunc ſenſum. *Deus negat ſuum concurſum ad omnia alia individua ſpeciei, aut intenſionis amoris, præter A.* Conſtat ex nuper explicata quidditate hujus determinationis. Ergo ſubjectum illius propoſitionis eſt Deus: & prædicatum eſt *negatio divini concurſus ad cætera illa individua.* Ecce jam duos terminos. Rurſus minor habet alios duos terminos ab his diſtinctos, nempe individuum A, & gradum ſpecificum. Ergo jam habemus alios duos. Demum conſequens reddit hunc ſenſum. *Deus negat ſuum concurſum ad cæteras ſpecies, præter ſpeciem amoris*: quia in hoc ſtat phyſicè ex parte rerum, quod Deus determinet negativè quoad ſpeciem. Ecce novum alium terminum diſtinctum ab eis, qui ſunt in præmiſſis, videlicet *negationem concurſus divini ad cæteras ſpecies præter ſpeciem amoris.* Ergo iſti Syllogiſmi ſunt illegitimi, & terminis plus juſto redundantes. Ad primam confirmationem, diſtinguo majorem. Eſt aliquid quod reddat eundem ſenſum, quando enuntiatur de individuo, & quando enuntiatur de ſpecie, nego majorem, ob explicationem datam num. antecedente. Eſt aliquid, quod mutat ſenſum, quando enunciatur de individuo, & quando enunciatur de ſpecie, concedo majorem. Et conceſſa minore diſtinguo primum conſequens: & illud reddit eundem ſenſum, ſive eſt idem, quando enunciatur de uno, & de altero, nego (hoc tibi opus erat ad probandum myſterium Trinitatis in creatis, nam ille idem Æternus Filius, qui identificatur cum divina eſſentia, diſtinguitur à Paternitate identificata cum eadem eſſentia) & illud non eſt idem, ſeu reddit ſenſum diverſum, quando enunciatur de illis, concedo. Sed hoc non probat objectivam ullam diverſitatem inter gradum individualem, & ſpecificum, ſed diverſitatem inter quidditatem *determinandi, quoad individuum*, & quidditatem *determinandi quoad ſpeciem*, atque diverſitatem inter ſenſum, quem dat unus terminus, & ſenſum, quem dant alii; & nego ſecundam conſequentiam.

70. Ad ſecundam reſpondeo. Omnia prorſus, quæ conveniunt uni, conveniunt alteri, modò enunciata de uno, reddant eundem ſenſum, quem reddunt enunciata de altero; ſecus, ſi ſecus: quoniam tunc non probabitur diſtinctio in gradibus ipſis, individuali, & ſpecifico; ſed in ſenſibus, quos dant termini, quibus utimur ad argumentandum hac ſuper re. At *determinari per Deum* reddit ſenſum valdè diverſum jam explicatum, quando enunciatur de ſpecie, & quando enunciatur de individuo. Mirum ergo non eſt, quod verè enuncietur de individuo, eique verè conveniat; Falsò autem de ſpecie, eique verè non conveniat. Similiter ad quartam. Illa prædicata ſunt contradictoria, quando enunciata de individuo, & de ſpecie, connotant, ſeu ſignificant eoſdem prorſus terminos objectivos; ſecus, quando ſecus. Et hoc accidit in præſenti, quia eſſe determinatum per Deum, quando

enun-

enunciatur de individuo, ſignificat *negationem divini concurſus ad cætera individua illius ſpeciei*; quando verò enunciatur de ſpecie ſignificat *negationem divini concurſus ad cæteras ſpecies diſtinctas ab amore*, v. g. At negatio illa diſtinguitur ab hac: quandoquidem cætera individua non ſunt cæteræ ſpecies. Ergo iſta prædicata, quamvis enuncientur de individuo, & ſpecie, quæ ſunt idem realiter, connotant, ſeu ſignificant alios terminos plurimum diverſos. Ergo in præſenti non ſunt contradictoria, quia licet ſint de eodem, non ſunt ſecundum idem. Tota doctrina hæc eſt illa, qua diſp. 1. Logicæ majoris explicui hæc, & ſimilia argumenta, quibus multi Authores utuntur probandi ergo in creatis diſtinctionem virtualem, aut formalem ex natura rei. Item diſp. 5. Prodromi, occaſione ſimilium argumentorum ad probandum diſtinctionem inter poſſibilitatem, & exiſtentiam.

71. Hactenus de cauſis liberis; quod attinet ad cauſas naturales, & liberas etiam, ſed quoad effectus non liberos, poſſunt fieri ſimilia argumenta contra ea, quæ ſupra dixi, ſcilicet cauſam primam determinare illas *poſitivè*, quoad individuum, ſed non quoad ſpeciem, ſive poſitivè, ſive negativè. Cauſam primam non determinare poſitivè, aut negativè ignem, v. g ad ſpeciem, ac intenſionem caloris, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod decretum applicativum Omnipotentiæ ad calorem producendum, & frigus non producendum, non concipiatur à Deo independenter à ſcientia exiſtentiæ ignis cum ſuis prærequiſitis, ſed dependenter ab ea, & quia ignis hìc, & nunc, atque in his circumſtantiis, connectitur naturaliter cum productione caloris, taliſque intenſionis, ſecus cum productione frigoris, aut ſpeciei alius; quoniam hoc ipſo, ratio à priori proxima illius productionis eſt natura ipſa ignis, prout in eis circumſtantiis, non verò decretum divinum. Rurſus cauſam primam determinare ignem poſitivè, quoad Individuum, ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod dictum decretum non concipiatur à Deo dependenter, à ſcientia enunciante connexionem determinatam illius ignis, cum tali determinato individuo A (ſiquidem talis ſcientia non datur in Deo, quippe eſſet falſa) ſed concipiatur ex mera libertate divina ob motiva ipſi nota, & quæ nobis non revelavit: Hoc namque ipſo, determinatio illius individui erit à ſolo Deo. At quamvis gradus individualis, & ſpecificus ſint penitus idem, decretum dictum poteſt concipi dependenter à prima illa ſcientia, quin concipiatur dependenter à ſecunda: quandoquidem hæc ſecunda eſt impoſſibilis, & illa prima poteſt dari in Deo, eſtque proportionata movendo illud decretum. Ergo quamvis gradus individualis, & ſpecificus, ſint penitus idem, poteſt Deus determinare poſitivè ignem, quoad individuum calorem, non autem quoad ſpeciem caloris. Nempe, quia præſupponere ſcientiam de connexione ignis cum *calore*, non eſt præſupponere ſcientiam de connexione illius cum tali determinato calore. Et hujus ultimum reſolutivum eſt, connexionem terminativè disjunctivam, diſtinctam valdè eſſe, à connexione terminativè determinata. Ergo re exenteratâ, atque in ſua quidditativa principia reſolutâ, deprehenditur

tur *eſſe poſitivè determinatum per cauſam primam*, &, *non eſſe poſitivè, aut negativè determinatum per illam*, non eſſe contradictoria, quando enunciantur de ſpecie, ac individuo: quia tunc mutant ſenſum, & connotant, ſeu ſignificant alios terminos valdè diverſos ex parte prædicati, tametſi ſubiectum ſit penitus idem, ſicut *hanc papyrum eſſe albam*, & *hanc eandem non eſſe dulcem*. Hac explicatione ſolvuntur quinque objectiones, quæ fieri poſſunt ſimiles eis quinque, quas propoſui n. 67.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſa efficiente creata.

72. POST explicatas quinque has quæſtiones ſuper Cauſâ primâ, cauſa ſecunda efficiens phyſicè ſuccedit. Illam in genere explicui diſp. 2. cum ſuis genericis proprietatibus: modo in ſpecie. Et circa eam ſeptem occurrunt quæſtiones. Prima eſt. *An verè à parte rei detur ejuſmodi cauſa?* ideſt, an ignis, v. g. verè à parte rei producat calorem, vel potius nil aliud faciat, quàm illum latentem in ſubjecto applicativo excitare, foraſque educere, ſeu extrahere? An Sol verè, & ſimpliciter producat per hemiſphærium qualitatem, quæ dicitur lux, vel potius particulas diffundat ſuæ ſubſtantiæ, quibus particulis lucida reddatur ſphæra àëris? Cauſas ſecundas verè, ac ſimpliciter efficere, ſeu producere de novo multos effectus interdum ſubſtantiales, interdum entitativè accidentales, qui vocari ſolent qualitates, certum, & inconcuſſum fuit in Scholis, non quidem unius, aut alterius Gentis, ſed omnium Europæ, donec ingenia quædam ſimilia (ut videtur)
Actor. 17. Athenienſibus qui *omnes, & advenæ hoſpites, ad nil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid novi*, ut ſupra notabam ex Luca, incœperunt dubitare, & poſtea negarunt abſolutè cauſas ſecundas operari quidquam ſimpliciter de novo. Et hoc propter materialitatem illius verbi *educere* de potentia, de ſinu, de gremio materiæ; & propter definitionem creationis, quæ eſt productio rei ex nihilo: Unde inferunt, fore, ut cauſæ ſecundæ crearent, ſi verè, ac ſimpliciter producerent aliquid de novo, nempe id quod prius nil erat: quaſi ego modo formans calamo, & atramento, figuram horum characterum ſuper hanc chartam, producam per creationem figuram, & coordinationem horum characterum in hac charta, quæ ſanè figura, & coordinatio atramenti paulo ante non erat (licet eſſet atramentum ipſum) & conſequenter erat nil, & modo talis figura, & coordinatio verè, & ſimpliciter eſt in rebus, & eſt diſtincta ſaltem inadæquatè ab ipſo atramento; alias omnis caſus poſſibilis, in quo exiſteret atramentum, eſſet caſus
in

Digitized by Google

in quo exiſteret hæc figura. Igitur illa duo, quæ dixi, ſunt duo poli, duo cardines novitatis præfatæ, quos unâ, vel alterâ fulciunt experientiâ: tum ex eo, quod noſtri ſenſus ſępiſſimè decipiuntur, tum ex eo, quod igne alambici incipiunt apparere, atque ſe ſe explicare multa, quæ prius latebant in corporibus, quæ ignis ille exercet; & ex his caſibus particularibus, eliciunt canonem univerſalem pro tota philoſophia. Nimirum cauſas ſecundas nil prorſus agere, nil operari de novo, quod prius non eſſet in rebus; ſed duntaxat explicare, coordinare, diſpergere, combinareque illas eaſdem res, quæ prius, & ab initio erant in mundo.

73. Duos illos cardines huius ingenioſæ, ſed falſæ Philoſophiæ movere conatus ſum diſp. 1. mera explicatione philoſophica, phraſeon illarum latinarum. *Educere de potentia materiæ; facere rem ex nihilo*, ubi inefficaciam quoque aliquorum caſuum ſingularium ad inferendum regulam univerſalem affirmativam oſtendi. Conſequenter igitur ad illam doctrinam reſpondeo affirmativè quæſtioni præſenti, & quia difficultas eſt eadem, oportet, quod rationes eædem ſint. Prius tamen adverte. Duo hic eſſe valdè diverſa. Unum. *An cauſæ ſecundæ aliquando, & aliquid faciant verè, ac ſimpliciter de novo, quodque prius non erat in rerum natura*? Huic ſoli reſpondeo affirmativè, quia eſt contradictoria illius univerſalis. *Nil fit ſimpliciter de novo*, quoad ſuam entitatem, à cauſis ſecundis. Alterum eſt. *An in tali, & in tali, & in tali alio caſu particulari, fiat quippiam ſimpliciter de novo*? ab hoc nunc præſcindo. Tum quia cum caſus particulares poſſint eſſe innumeri, explicatis duobus, tribus, quatuor, triginta, ingerentur alii, & nunquam finiemus proceſſum. Tum propter doctrinam quam dedi inter diſputandum formas particulares. Tum quia non dubito, multoties contingere idem, quod in domûs extructione, ſcilicet combinationem, & coordinationem ſolam rerum, quæ prius exiſtebant. Arguebam igitur 1. negativè ex everſione jam inſinuata fundamentorum ſententiæ contrariæ: quæ everſio non leviter firmatur ex eo, quod cauſæ ſecundæ, verè, ac ſimpliciter poſſint deſtruere, & paſſim deſtruant rem, quæ paulò ante erat aliquid, quin propterea polleant virtute annihilandi. Cur ergo non poſſunt verè, & ſimpliciter producere id, quod paulò ante nil erat, quin virtute polleant creandi? 2. poſitivè ex principiis generalibus. Humana judicia circa actualitatem rerum, & non circa meram poſſibilitatem metaphyſicam, non ſolum formanda ſunt ex principiis metaphyſicis; ſed etiam ex principiis prudentiæ, ſicut concluſiones nauticæ non habentur ex ſolis principiis metaphyſicis, ſed ex nauticis; & aſtronomicæ ex aſtronomicis, & arithmeticæ ex arithmeticis &c. Eſt error philoſophicus putare admittendum eſſe de facto, quidquid non probatur per metaphyſicam evidentiam eſſe adverſum principio alicui metaphyſico, & conſequenter eſſe metaphyſicè impoſſibile. Ergo quamvis res A, non probetur, per metaphyſicam evidentiam, eſſe metaphyſicè impoſſibilis; abjicienda nihilominus eſt, ſi deprehendatur contraria principiis prudentiæ. At ignem, v.g.

(& idem dico de cæteris cauſis ſecundis reſpectivè) non habere virtutem efficiendi phyſicè de novo id, quod paulò ante non erat in rebus, quamvis non probetur, per evidentiam metaphyſicam, eſſe oppoſitum metaphyſicè alicui principio metaphyſico, eſt tamen oppoſitum principiis prudentiæ. Probatur. Juxta hæc, quoties ad præſentiam rei A, ſemper, & ubilibet experimur de novo rem B. Et ex alia parte, res A proportionata eſt ad illam producendam. Et ex alia nil ſpeciale occurrit contra hoc. Et ex alia demum, non probatur poſitivè rem B prius fuiſſe in illo ſubjecto latentem: quoties, inquam, hæc quatuor concurrant, abſolutè dicendum eſt, juxta rectam prudentiam, rem A verè, & ſimpliciter producere de novo rem B, & hoc ſine tergiverſationibus, ſine dubio prudente, & quin exercitè redeatur ad principia metaphyſica, metaphyſicamque poſſibilitatem oppoſiti, à quibus ſignatè præſcindatur. At in favorem virtutis ignis ad producendum ſimpliciter de novo calorem in manu ei admota, concurrunt hæc quatuor. Ergo abſolutè dicendum eſt illum verè, ac ſimpliciter producere de novo calorem illum, & hoc ſine tergiverſationibus, ſine prudente dubio, & quin tacitè, atque exercitè redeatur ad principia metaphyſica, metaphyſicamve poſſibilitatem oppoſiti, à quibus ſignatè, & quoad verba dicatur præſcindi; quod advertè cautè, nam inter diſputandum ſolent aliqui fateri, ſe non quærere metaphyſicas evidentias æquales ei *bis tria ſunt ſex*, decurſu tamen argumenti dant reſponſa, quæ exercitè, ac tacitè protegunt ſuam concluſionem hoc uno clypeo, quod non datur evidentia metaphyſica in contrarium.

74. Probo majorem deinceps probaturus minorem. Si illa non eſſet vera, omnia iſta, quæ præ manibus, & in uſu quotidiano habemus, poſſemus liberrimè negare, vel ſaltem prudenter dubitare (en ſcopum in quem tendunt iſtæ novitates, nimirum abſurdam *libertatem* intellectûs in judicando, ſicut homines illi boreales, qui duobus ab hinc ſæculis aſpirarunt ad prophanam libertatem voluntatis in volendo,
Ierem. 2. cum utrique memores eſſe debuiſſent exprobrationis illius. *A ſæculo confregiſti jugum meum: rupiſti vincula mea, & dixiſti. Non ſerviam*) v. g. cum ſenſus, & experientiæ toties fallant, cur, quando audis alium te alloquentem, non negas, aut dubitas illum verè, ac ſimpliciter loqui, eo quia potes ſomniari, licet vigilans tibi videaris, ut toties contingit; vel occultus quidam ſpiritus poteſt proferre illa verba, quæ videris tibi audire ab illo homine. Igitur quando audis probra, vel laudes tibi ingeri, ne æſtimes hominem illum proferre illa verba; ſed cohibe aſſenſum, quia interdum occultus ſpiritus id fecit, & inter ſomniandum viſum fuit tibi idem. Quando audis tibi directa verba contractûs emptionis, venditionis, donationis, matrimonii &c. ne accipias illam pecuniam, donum, aut uxorem: quam enim metaphyſicam habes evidentiam de eo, quod illa verba fuerunt prolata à perſona illa: & cum interna intentione ſimpliciter neceſſaria ad valorem illius contractus? quando tuus ſervus, tuus amicus, tuus Superior, tuus medicus, tuus coquus, non attendunt verbis tuis, præceptis, aut precibus,

Digitized by Google

cibus, ne iraſcaris: quam enim habent illi evidentiam metaphyſicam de eo, quod es tu, & non larva quædam, ſeu latens ſpiritus, ille qui in aere format eas voces? Similiter in meridie poſſemus negare, aut ſaltem prudenter dubitare, eſſe ſolem, qui producit, aut emittit, aut excitat lucem latentem prius. Quæ duo contradictoria ſequentur ex eo, quod tunc immerſus ſis in profundiſſimo ſomno, & videaris tibi videre lucem, cum oculos habeas clauſos, & in cubiculo ſis obſcuro. Similiter quod par contradictoriorum elicietur ex eo, quod non genuerint te, quoad ſubſtantiam, aut quoad athomorum tuarum combinationem perſonæ illæ, quas putas Parentes tuos? contra quod principium metaphyſicum eſſet hoc? eriſne primus, qui in hac re fuit deceptus? Cur ergo perſonas illas colere, ac diligere juberis? Similiter quando hemicranio, dentibus, febri, calculo, fame, ſiti, vulnere laboras, cur cadit vultus tuus, cur auxilium imploras? Multoties enim contingit ſomniantibus, & amentibus, quod ſibi videantur hæc pati; & tamen verè non patiuntur. Similiter cum quædam Aſina olim locuta ſit (quo exemplo irridet S. Auguſtinus eos, qui ob paritatem Joannis, dicebant infantes omnes accipere à Deo uſum rationis, ut Deo credant) cur non defendis, aut ſaltem prudenter judicas, aſinas omnes aſſumi poſſe in Senatum? En totum mundum, totamque humanam rempublicam converſam in armenta beſtiarum, ſi major illa non eſſet vera, & ſi ex uno, aut unis caſibus particularibus, quos adverſarii agglomerare ſolent, & quorum multi poſſunt eſſe veri (excepto quando ſunt de viventibus) ſine præjudicio meæ concluſionis ab iſtis caſibus praſcindentis, liceret elicere canonem univerſalem: videlicet nullam cauſam ſecundam producere quidquam de novo; ſed omnes eſſe ſicut architectum, varias figuras dantem ædificiis, juxta varias combinationes lapidum, trabium &c. Ergo major illa eſt vera.

Num. 22. *Aug. ep. ad Dardanum quæ eſt 57.*

75. Probo jam minorem illius ſyllogiſmi: nempè concurrere illa quatuor in favorem virtutis ignis, v. g. ad producendum ſimpliciter de novo calorem in manu ei admota. Et in primis non eſt dubium, quin ſemper, & ubilibet in manu admota igni, & non præmunita, experimur de novo calorem, quem ante non experiebamur. Deindè ignis cum ſit ſubſtantia ex ſe combuſtiva, & calefactiva, hoc, vel illo modo, & calor ſit accidens, eſt proportionatus ad calorem producendum. Rurſus nil ſpeciale occurrit contra hanc productionem, quia totum fundamentum contrarium reducitur ad vetuſtas illas cantilenas. *Formæ materiales educuntur ex potentia materiæ. Si producerentur ſimpliciter de novo, ſeu ex nihilo, crearentur*: quas latinitates ſæpè explicui in ſenſu philoſophico: item ad duas, tres, quatuor, vel viginti experientias, de rebus, quæ non producuntur de novo, quando incipiunt apparere, quarum experientiæ aliquæ ſunt falſæ, aliquæ ſunt veræ; ſed cum ſint caſus particulares, impares ſunt inferendo regulam univerſalem pro tota philoſophia. Demum non probatur poſitivè ullo argumento, niſi his eiſdem, præcedere actu phyſice in materia omnes

 pror-

prorſus formas ſubſtantiales (ſaltem quoad totam magnitudinem, quam ſolent habere) quas decurſu temporis experimur in materia ; imò dicere in hac papyro, v. g. eſſe modo actu phyſicè formam ignis, quam habere poteſt : dicere in carne, qua veſcimur, eſſe actu phyſicè formam herbæ, qua veſcebatur animal illud, & eſſe ibi actu formaliter formam canis, formam felis, aut ſimiles, quorum cadavera nutrierunt herbam illam : dicere, inquam, hæc, & ſimilia penitus incredibilia, eſt penitùs contra ſenſum ipſum, quin proferatur teſtimonium rationis ullius diſtinctæ ab illis cantilenis, infringens teſtimonium ſenſuum, ut profertur quoties teſtimonio ſenſuum diſſentimus : Ergo in favorem virtutis ignis ad producendum ſimpliciter de novo calorem illum, qui paulò ante non erat in rebus, concurrunt illa quatuor.

76. Arguebam 3. ex principiis ſpecificis rei præſentis ; tum quia tota horum Doctorum philoſophia præſens videtur eſſe de *ſic*, & *ſic* : de *taliter*, & *taliter*. Cum enim polliceantur brevem, & perſpicuam naturæ explicationem, tota hęc reducitur ad generalitatem horum terminorum *athomi ſic, & ſic combinatæ*; quot? quæ? qualia ſunt iſta *ſic*, & *ſic*? Athomi *taliter*, & taliter coordinatę ; quot? quæ? qualia? quænam ſunt iſta *taliter*, & *taliter*. Et quod nos utcumque explicamus, quantum ſufficit intellectui docili, ſaltem verbis, quæ ſunt in Vocabulario communi ; dicentes. *Ignis A producit ignem B* : Magiſtri hi explicant dicentes. Ignis A *ſic*, *& ſic combinat*, *taliter*, *& taliter coordinat athomos palea* : quin explicent quid, quodnam, quale ſit illud *ſic*, & *ſic*, quod potiùs eſt ignis, quam nix ; quod ſi dicant illud *ſic*, & *ſic* eſſe ipſum ignem B, atque digito illum oſtendant, erit, ſicut ſi aliquis promittens magnam claritatem in explicando, quid ſit columba, digito illam oſtenderet, quando non externam rogatur figuram, ſed quidditatem. Ergo hi Authores videntur non ſatisfacere promiſſis, & non aſſequi finem ob quem diſceſſerunt à nobis. Tum quia ipſa combinatio, diſperſio, coordinatio, diſpoſitio, extractio, eductio rerum, ſive athomorum, ſive ſeminum, ſive formarum, quas dicis latuiſſe in materia ab origine mundi, & ſucceſſivè prodire juxta diverſitatem agentium : ſicut ſucceſſivè fiunt voces organi, juxta diverſitatem pulſationum, & ſicut ſucceſſivè mutat figuram ludus latrunculorum juxta diverſitatem jocantium. Illæ, inquam, combinationes non ſunt chymeræ, ſed quid verum, & reale, ſive abſolutum, ſive modale, ſive ſubſtantiale, ſive accidentale, ſive in quovis alio prædicamento : Item ſunt realiter diſtinctæ, à rebus ipſis combinatis, aliàs omnis caſus poſſibilis, in quo phyſicè exiſterent hæ, foret caſus, in quo phyſicè, verè, & realiter, & ſine tergiverſationibus exiſterent illæ combinationes, ut exiſtunt, quando accenditur ignis. Imperceptibile namque eſt, & prorſus in creatis repugnans, quod ex duobus, quæ à parte rei non ſunt duo, ſed unum, exiſtat phyſicè unum, abſque altero (niſi tertio quoque paſſu, prætextu explicandi clariùs, breviùs, & faciliùs effecta naturalia, invehas in creaturas ineffabile myſterium actuum liberorum Dei, qui ſunt Deus ipſe, & ſine quibus potuit eſſe Deus)

Digitized by Google

Deus) Et tamen quandoque experimur unas combinationes, quandoque alias. Ergo illæ combinationes, ſive modalitates verè ſimpliciter fiunt de novo à cauſis ſecundis, & priùs nil erant, ſeu non erant in rebus, quia non ſunt ponendæ aliæ reflexæ combinationes, aut modalitates, vi quarum incipiant apparere illæ combinationes, quæ, ut tales combinationes, priùs latebant. Si ergo cauſæ ſecundæ, abſque virtute creatrice, faciunt juxta veſtram ipſam opinionem, combinationes, ſive modalitates, quæ priùs non erant: cur nequibunt, abſque virtute creatrice facere ignem, aliosque effectus, qui priùs non erant, qui priùs nil erant? Certè in veſtris ipſis combinationibus hebetari videntur cuncta argumenta veſtra.

77. Tum quia quando homo dicitur aſſentire, diſſentire, diſcurrere, amare, odiſſe, velle, nolle cum merito, aut cum demerito: quæro, vel agit aliquid (voca illud abſolutum, modale, prout volueris, modò illud non voces chymeram) ſimpliciter de novo, & quod non erat priùs. Vel nil prorſus. Si hoc; ergo primò, merè paſſivè ſe habet, & inſtar ſtatuæ, cui aliundè adduntur, aut detrahuntur veſtes. Ergo ſecundò in homine illo, à prima ſua origine, fuerunt verè ſimpliciter, ſine jocoſis tergiverſationibus quoquot actus intellectus, & voluntatis habet in decurſu totiùs ſuæ vitæ. Et hoc deglutire, eſt juxta principia prudentiæ? & hoc eſt, clariùs, atque faciliùs explicare phænomena naturæ. Si illud ergo jam concedis, cauſam ſecundam agere aliquid verè de novo, quodque phyſicè non exiſtebat priùs. Hoc eſt, quod intendo; tum quia, admiſſa iſta philoſophia, nullum reſtat argumentum naturale, ac purè philoſophicum, ad probandum, hominem frui animâ rationali, diſtinctâ à corpore; quoniam veſtrâ eâdem philoſophiâ poteſt quivis mente captus dicere, cunctas operationes humanas intellectus, & voluntatis, bonas, & malas, & indifferentes, nil aliud eſſe, quàm diverſas combinationes coordinationes eductioneſque earundem prorſus rerum, quas ab initio habuit, prodeuntes jam unas, jam alias, juxta diverſitatem agentium naturalium, & nullum penitùs eſſe in homine principium intrinſecum producens illas operationes. Dicere autem in tota philoſophia, & ex ſolo naturali lumine, nullum eſſe argumentum efficax ad probandum, animam rationalem diſtinctam à corpore, & neceſſarium eſſe lumen fidei ſupernaturale ad hoc credendum, non eſt ſanè explicare clariùs, & faciliùs effecta naturalia, ut hi Doctores affectant. Ex his omnibus infertur, quod licet non probetur per metaphyſicam evidentiam parem ei *bis tria ſunt ſex*, cauſas ſecundas agere ſimpliciter de novo multa, quæ priùs non erant in rebus; illud tamen eſſe longè conformiùs rationi. Ex his apparet ſatis rationabiliter, quàm juſtè juſſa ſit exulare ab ſcholis noſtris propoſitio. *Creaturæ non producunt efficienter ullos effectus; ſed ſolus Deus illos ad ipſarum præſentiam efficit. Loca verò Scripturæ, in quibus tribuitur actio, intelligenda ſunt ſenſu figurato.*

Quæ-

§. II.

78. QUæſtio ſecunda affinis eſt huic. *Utrum ſcilicet cauſæ ſecundæ producant accidentia ulla?* Ex his namque eiſdem Doctoribus, quos nuper impugnabam, prodierunt, qui dicunt propter unum etiam, vel alium caſum particularem, nullum eſſe accidens entitativum: ſed omnia, quæ vulgò in ſcholis dicuntur accidentia, eſſe ſubſtantias, *ſic*, & *ſic*, *taliter*, & *taliter* combinatas, & redimus ad eandem confuſionem, quam diſp. 1. ſugillavi, quæque naſcitur ex eo, quod non ſolum non explicatur quidditas, & realitas iſtorum, *ſic*, & *ſic*, *taliter*, & *taliter* (niſi ad ſummum redeundo ad idem, atque dicendo, *ſic*, & *ſic*, quibus combinantur athomi ſubſtantiæ, ut ſint calidæ, v. g. potiùs quam frigidæ, eſſe illum ipſum calorem, de cujus quidditate, eſſentia, & natura diſputetur) verum neque adhuc nomina ſpecifica illorum, ſeu iſtarum combinationum in aliquo ſaltem Europæ idiomate; cum tamen prædicti Magiſtri affectent, & promittant lucem offundere effectibus naturalibus, & ſcholarum tenebras, atque confuſionem arcere. Dicunt ergo lucem, v. g. non eſſe qualitatem, ſed minutiſſimas ignitas particulas ſubſtantiæ, v. g. ſolaris, aut ſubſtantiæ olei, aut ſubſtantiæ ceræ ſparſas per aerem, & parietes: item quantitatem, gravitatem, levitatem, & ſimilia nil aliud eſſe, quam ſubſtantiam ipſam corporum illorum, *ſic*, & *ſic* diſpoſitam. Advertendum eſt hic idem, quod num. 73. adverti. Aliud eſt, num talis, aut talis res particularis ſit accidens diſtinctum à ſubſtantia? & ab hoc, manum modò contineo, quamvis obiter unum, vel alterum inſinuabo, quia cum tot ſint illa, de quibus hoc quæri poteſt, in longum ibimus, ſi de unoquoque ſingillatim quæſtionem inſtituamus: poſt viginti enim, aut triginta diſputata, ingerentur alia, & alia ſuper quibus movebitur idem dubium, ſint, nec ne accidentia. Aliud diſputare in genere. Num ſint in rerum natura accidentia diſtincta à ſubſtantia, ita ut cauſæ ſecundæ abſque virtute creatrice, producant verè de novo accidentia aliqua, quæ priùs non erant in rebus? Hoc ſolum eſt, quod diſputandum ſuſcipio. Et quantum ſatis videbatur explicui diſp. 1.

79. Reſpondeo affirmativè; non quia cenſeam rem eſſe metaphyſicè evidentem, nam eſſet peccare per exceſſum: nec quia judicem eſſe merè probabilem, quia foret peccare per defectum; ſed quia reor eſſe moraliter certam. Omne quippè ens non ſubſtantiale, eſt accidentale. Sed de facto dantur hujuſmodi entia. Probatur. Iſtæ eædem combinationes rerum, athomorum, motuum, & ſimilium, quibus componitis illa, quæ nos vocamus *accidentia materialia*, ſive *qualitates*, ſunt profectò ens reale, aptum exiſtere; ſiquidem de facto exiſtunt juxta opinionem iſtam; & non ſunt, ſicut mendacium Dei, aliæ-

ve

Digitized by Google

ve ſimiles chymeræ: item diſtinguntur realiter, modaliter à rebus ipſis ſubſtantialibus, quarum ſunt modi, ſeu non ſunt identificatæ cum illis, ut paulò ante dicebam. Rurſus. Actus intellectus, atque voluntatis noſtræ, & gratia ſanctificans nobis inhærens, & ſenſationes ipſæ materiales, ut viſio, auditio, ſapor, odor, dolor &c. ſunt profectò entia realia apta ad exiſtendum, & de facto exiſtentia, diſtincta realiter, modaliter à ſubſtantia ipſa noſtra: quandoquidem hæc, multum tempus, exiſtit ſine illis, & plus ſolito ridiculum eſſet, confugere ad myſterioſam paritatem actuum liberorum Dei. At iſta omnia de facto exiſtunt. Ergo exiſtunt de facto multa entia non ſubſtantialia licet modalia (hæc mihi ſufficiunt modo) in iſtis namque entibus modalibus accidentalibus, hebetantur argumenta, quæ impugnant accidentia abſoluta. Ergo ex hoc capite non impediuntur cauſæ ſecundæ, quominus phyſicè producant accidentia, quæ paulò ante nil erant, ſeu potiùs, *quę paulò ante non erant in rebus*: ſolent namque abuti aliqui primâ illâ locutione, quaſi ex parte objecti ſit res, & ex parte objecti ſit nihilum quoddam, & de ipſis enuntietur identitas, quando dicitur rem nihil eſſe, ſicut enunciatur, quando dicitur rem eſſe ens, aut eſſe nigram &c.

80. Confirmatur: quoties ſenſus ipſi teſtantur aliquid, & nulla inſurgit ratio contra hoc teſtimonium, ut multoties inſurgit, à ſenſibus ſtandum eſt, ut ſanam ſententiam proferamus. Recole num. 74. At ſenſus ipſi teſtantur exiſtentiam rerum, quas vocamus qualitates etiam abſolutas, nulla in contrarium vocante ratione, videlicet lucem, calorem, frigus &c. deinde illę diſtinguuntur adæquatè à ſubjectis, in quibus ſunt, & à quibus procedunt, ob toties dictam ſeparabilitatem horum ab illis: Præterea non ſunt modificationes duntaxàt earundem particularum ſubſtantiæ, jam olim occultè latentes in eis corporibus. Tum quia ſine petitione principii, non aſſignabis duo contradictoria in eo, quod ille individuus calor, v. g. qui nunc procedit à ſubſtantia A; procedat ab alia: & qui nunc recipitur in ſubjecto B; recipiatur in alio. Ex hac autem ſeparabilitate, metaphyſicè poſſibilis ſequitur ratione materiæ actualis diſtinctio, quia nec divinitus poſſunt ſeparari, quæ ſemel identificantur; tum quia probandi ergo, eſſe duntaxàt modificationes, & combinationes particularum ſubſtantiæ, jam ab initio latentes in corpore illo, nullam aliam profertis rationem, niſi ſolitam cantilenam toties rejectam *eductionis*, atque *creationis* non benè intellectarum, nec non unam, vel alteram paritatem, v. g. alambici, & quarundam rerum chymicarum, quæ tametſi veræ ſint, non ſufficiunt probando regulam *univerſalem* pro cunctis effectibus naturalibus: nec ego uſus illis ad explicandum formas partiales, maximè in viventibus, elicui regulam univerſalem pro cunctis penitus naturalibus effectibus. Denique prædictæ res, ſcilicet calor, lux, frigus, color, benè, aut malè afficiunt ſubjecta. Ergo nil eis deficit, ut ſint illud, quod nos vocamus qualitatem abſolutam. Ergo niſi contra vocabula movere litem velitis, illæ ſunt qualitates abſolutæ. Denique cum hæc philo-

ſophia

ſophia de *ſic*, & *ſic*, de *taliter*, & *taliter* ſit quaſi corollarium illius univerſalis, de univerſali compoſitione omnium entium naturalium per meras combinationes athomorum: rationes eædem, quibus paulò ante, & diſp. 1. impugnavi hanc, pugnant contra illam.

81. Non tamen nego, multoties eſſe particulas non paucas ſubſtantiæ in eo, quod apparet eſſe qualitas; ſed etiam multoties non ſunt, v. g. formalis ipſa flamma candelæ, lucernæ, ligni, & ſimilium, ſunt pingues, tenuiſſimæ particulæ ceræ, olei, aut ligni accenſæ. Ideſt, tranſeuntes à forma priore ad formam ignis, quæ iam exiſtens in eis particulis, calore ſuo attrahit alias particulas illorum corporum combuſtibilium, & in tenuiſſimum ignem convertit adjuvante parte illa atmoſphæræ, in qua accenditur flamma, cujus partis athomi, ac corpuſcula nonnulla exardeſcunt etiam, atque ideò minus fulget flamma in aëre impuro, quàm in aëre defæcato, ut experimur tempore pluvio, tum quia athomi, quibus tunc referta eſt atmoſphæra ſunt magis humidæ & minus purę; tum quia plures ſunt magis denſæ, atque opacæ: unde non ſinunt lucem liberè tranſire ad objecta alia, ad noſtroſque oculos. Idem dico de ſtellis, minus quidem fulgentibus tempore pluvio. Aſt lux altera tenuior, quæ per aerem diffunditur, non eſt ſubſtantia, ſed qualitas per illam ſubſtantiam ignitam producta, diffuſaque per aerem contentum intra ſphæram ſuæ activitatis. Imò lux ipſa, & color flammæ, ſunt qualitates illius individuę formæ ignis, quæ occupat portiunculas eas materiæ, quæ paulò ante erant ſub forma olei, ceræ, aut ligni &c. quia individua illa forma ignis, quæ eſt in materia illa ſubtiliſſima, & rarèfacta, cum ſit ejuſdem ſpeciei cum aliis formis ignis, non eſt cur ſuaptè natura connectatur metaphyſicè determinatè cum illa luce, & calore. Ergo ex ſe poteſt exiſtere ſine illis. Ergo diſtinguitur ab illis. Ergo, & illa diſtinguuntur ab ea individua forma ſubſtantiali. 2. Color, v. g. purpureus (& idem dico reſpectivè de aliis coloribus, tum ſimplicibus, tum combinatis mutuò) plurimas habet particulas ſubſtantiæ animalis illius maritimi, aut illius mexicani vermis vulgò *la cochinilla*, ex quo elicitur purpura: quæ particulæ, & in quas diluitur animal illud, complent totum liquorem tincturæ, & ſic etiam pannum totum, & cum tenaciſſimæ ſint coloris illius, ſemper illum conſervant. Sunt ergo plurimæ portiunculæ ſubſtantiæ in eo colore non admixtæ cum aliis habentibus colorem contrarium; aſt ſubſiſtit, colorem eſſe qualitatem diſtinctam: quia fundamentum non eſt, ut dicamus ſpecifica illa corpora per ſe metaphyſicè abſolutè, ac determinatè connecti cum eo colore, ita ut nec divinitus poſſint exiſtere ſine illo, maximè cum experiamur vivacitatem, ſeu intenſionem illius, corrumpi mixtione aliarum, & aliarum rerum. Ergo ſaltem divinitus poſſunt exiſtere ſine illo. Ergo diſtinguuntur realiter ab illo. Ergo, & illæ ab eis, Idem dico de virore ſmaragdino. Idem de rubore pyropi. Idem de aliis coloratis, quorum ſubſtantia, licet connectatur naturaliter cum tali, aut tali colore; at divinitus ſaltem, & multoties humanitus quoque, exiſtere poteſt

ceſt ſine illo colore: quod in creatis efficax eſt argumentum reciprocæ diſtinctionis. Neque refert, quod color multoties nil aliud ſit, quam reflexio, aut refractio lucis: quoniam, ut dixi, hæc eadem lux eſt qualitas diſtincta à ſubſtantia corporis luminoſi: nam quod par contradictoriorum elicies, quod Deus orbaret ſubſtantiam ipſam corporis ſolaris omni luce, cum Joannes viderit Solem *nigrum, tanquam ſaccum cilicinum*? Porrò lux, & color in ſolis oculis percipiuntur, perceptione illa, quæ vocatur viſio materialis, quia licet luminoſum producat lucem in vultu toto videntis, & coloratum producat etiam, non quidem colorem, ſed hujus ſpeciem, in toto etiam vultu videntis: at in ſolis oculis poſuit Deus nervos, & diſpoſitiones ſpecificas ad videndum; & ibi concurrunt duo. Unum eſt, lux ipſa, vel ſpecies coloris juvans ad videndum. Alterum eſt, perceptio illa materialis, quæ dicitur viſio corporea. Et hæc eſt vitalis terminus productus per vitalem actionem, elicitam à ſubſtantia ea vivente, adjuta ſpecifico temperamento, & nervis oculorum. *Apoc. 6.*

82. Non nego 3. in odoribus eſſe multoties tenuiſſimas particulas ſubſtantiæ corporis odoriferi, v. g. quando hoc reſolvitur in fumos, ut incenſum, ſtorax, & aliæ gummæ, ac quando reſolvitur in liquorem, cum liquoreve miſcetur, & quando ventus per illud corpus tranſiens, aut ex illo egrediens, corripit ſecum levi quadam violentia aliquas illius portiunculas, quæ particulæ ſparſæ per aerem, & contrariis non mixtæ, in toto eo producunt illud, quod latini vocant odorem; adhærentes autem ſpecificis nervis delicatiſſimis interioribus naſi, ibi homo, vel aliud animal ſentit odorem, quia ibi, & non alibi poſuit cauſa prima ſpecificos nervos illos: unde in ea parte naſi concurrunt duo; unum eſt id, quod vocatur *odor*, & hic ſolet produci à corpuſculis, ſive portiunculis corporis odoriferi ibi inhærentibus. Alterum eſt, quod vocatur *ſenſatio, perceptio, ſive odoratio*: & hæc eſt vitalis terminus productus per actionem vitalem, elicitam à ſubſtantia animalis, ſed adjuta idoneo temperamento illius partis internæ naſi. Verumtamen ſubſiſtit, odorem eſſe rem diſtinctam à ſubſtantia corporis odoriferi, quia licet ex ſe ſit connexa cum odore, ſicut aqua cum frigiditate, ignis cum combuſtione paſſi diſpoſiti; poteſt Deus has connexiones infringere (cedo duo contradictoria) Ergo ſubſtantia illius odoriferi corporis poteſt exiſtere abſolutè ſine odore. Ergo diſtinguitur ab illo. Ergo hic eſt res quædam diſtincta ab illa ſubſtantia. Ergo cum non ſit quantitas, reſtat, quod ſit qualitas, & propter eandem rationem diſtinguitur à ſubſtantia corporis olfacientis. Præterea licet multoties contingat, quod naſo adhæreant prædictæ particulæ, poteſt etiam non evenire hoc, ſed quod odoriferum corpus, ſine ulla prorſus dimininutione ſui, producat odorem in nervuſculis illis interioribus narium, eo quod ſit intra ſphæram ſuæ activitatis, ut numero antecedente philoſophabar de luce.

83. Non nego 4. quod dum ſaporem percipimus, portiunculæ ſubſtantiæ rei illius, quam comedimus non mixtæ cum contrariis, perfri-

cantes palati ſpecificos nervos, producunt in ipſis, ſicut frigus, & calorem, ita ſaporem in actu primo proximo, ideſt, rem aptam natam, ut vivens ibi producat ſaporem formalem, qui eſt, grata illa, vel ingrata perceptio rei, pendens naturaliter *ex nervis illis ſpecificis*, & non tantum ex generalibus, quibus in palato etiam percipimus calorem, frigus, duritiem, mollitiem, & ſimilia. Hunc ſaporem ibi percipit vitaliter animal, & non alibi, quamvis in manu etiam, v. g. produceretur à cibo, ſicut in manu etiam producit odorem, ac ſpeciem ſui, alias idoneam ad videndum: quia ibi, & non alibi, habet à Cauſa prima ſpecificos illos nervos: ſicut in oculis, & non in occipite videt, quia ibi, & non hic, habet ſpecificos nervos, ad diſpoſitiones ad videndum. Et ſimiliter in palato concurrunt duo, ſicut de aliis ſenſibus dixi. Unum eſt, res illa, quam ſpecificis eis nervis, ac temperamento percipimus. Alterum eſt, perceptio ipſa, quæ eſt vitalis terminus productus per vitalem actionem, elicitam à ſubſtantiâ illâ vitali adjutâ per nervos, & temperamentum partis illius. Cæterum ſubſiſtit, quod ſapor ipſe in actu primo proximo, ſit qualitas diſtincta à cibo, & à comedente, quoniam ambæ hæ ſubſtantiæ poſſunt ſaltem divinitus exiſtere ſine ſapore, ut dixi de præcedentibus. Ergo hic diſtinguitur realiter ab illis, & ab omni alia ſubſtantia, niſi vocabularium mutare velimus. Ergo cum non ſit quantitas, eſt qualitas.

48. Non nego 5. quod dum ſonum percipimus, portiunculæ ſubſtantiæ atmoſphæræ, in qua degimus, agitatæ uno, vel multis homogeneis, vel ætherogeneis, continuis, aut diſcretis impulſibus oriundis ex prima illa pulſatione, pertingentesque uſque ad interiores nervos aurium, cauſant ibi, ſicut etiam in toto illo aere rem, quam vocamus ſonum, ſtrepitum, rumorem, fragorem, concentum &c. Sed non alibi percipitur, niſi in aure, quia non alibi, niſi in ſolis auribus poſuit Cauſa prima nervos, & temperamentum idoneum ad percipiendum rem illam. Concurrunt itaque in ea parte aurium duo. Unum eſt ſonus ille per aerem propagatus ex prima illa pulſatione, ſicut propagatur per trabem longam, quando in una extremitate ſentis pulſum impreſſum quamvis leviſſimè in altera. Alterum perceptio ea determinata, quæ vocatur *auditio*. Et hæc eſt vitalis quidam terminus productus per actionem vitalem ab audiente, adjuto determinatis illis nervis, ſpecificoque illo temperamento, quod Deus poſuit in auribus. Aſt ſonus ille eſt qualitas diſtincta à ſonante, ab audiente, & à ſubſtantia atmoſphæræ motæ, quoniam hæc omnia poſſunt exiſtere in rebus ſine illa modificatione, ſive motu aeris, quæ modifica io, quantumcunque extenuetur, nec eſt nil, nec eſt chymera, ſed ens reale aptum exiſtere. Non nego 6. quod dum tactu percipimus aliquod corpus, quæ perceptio ſpecifica arrogare ſibi ſolet genericum nomen *ſenſationis*, multæ particulæ ſubſtantiæ, ſaltem ſuperficiales illius corporis, non admixtæ aliis habentibus ſuperficiem contrariam, immediatæ, atque contiguæ manui noſtræ, v. g. cauſant in ea alterationem aliquam, jam ratione aſperitatis, quæ conſiſtit in ſuperficiei inæqualitate

dura,

duræ. jam ratione duritiei, quæ conſiſtit in valdè robuſta unione particularum illius corporis, jam ratione mollitiei, quæ in ſuperficiei æqualitate, blandaque continuatione illius conſiſtit, jam rationibus aliis. Cumque nervos idoneos ad ſenſationem ſparſerit Cauſa prima per totum corpus, quoad lineas, ſuperficies, & profunditates, quibuſdam paucis exceptis partibus (puta abdomen) idcircò in ferè toto corpore, quoad trinam dictam dimenſionem ſentimus. Concurrunt itaque in manu, v. g. duo. Unum eſt, alteratio illa cauſata per corpus ei admotum. Alterum eſt ſenſatio ipſa, grata, vel ingrata, vel neutra, quæ eſt terminus vitalis productus per vitalem actionem, prodeuntè à ſubſtantia vivente adjuta nervis, ac temperamento idoneo ad ſenſationem illam.

85. Hæc eſt doloroſa: vel quia corpus illud extraneum dividit unam partem, ſeu particulam pellis, v. g. ab altera (cum ambæ naturaliter exigant unionem continuativam) utriuſque particulam interiorem relinquens expoſitam aeri illis ingrato, ſine cutis clypeo, ut contingit, quando acies ferri ſcindit manum. Vel quia corpus illud tundit, & plus juſto comprimit, non paulatim, ſed impetu, & vehementia repentina, partes ſuperficiales manûs cum magis profundis (præſertim ſi hæ duræ ſint, & oſſeæ, quia tunc vehementius ſuſcipiunt plagam ſuperiores partes, quia non cedunt inferiores) ut contingit quando ſaxo, palo, aut verbere percutitur manus: cum utræque naturaliter reſiſtant ſui penetrationi, ac diviſioni, in quas tendit tunſio: atque naturaliter reſiſtant repentinæ illi violentiæ, ſine prævia, & lenta præparatione. Vel quia corpus illud eſt valdè ſubtile, puta virgam: quia tunc, & impulſus in inſtrumento percutiente eſt vehementior, utpote receptus totus in paucioribus, ſed idoneis partibus illius: & plaga eſt vehementior, utpote recepta tota etiam in paucioribus partibus paſſi. Vel quia pars percuſſa percuſſioni non cedit, eo quod immediatum habeat os; v. g. pellicula os acutum tibiæ tegens, & ideò valdè ſenſibilis. Vel demum, quia corpus applicatum manui nimia ſua voracitate conſumit portiones humidi naturalis, atque vitalis, quæ erant in eis partibus: ut contingit, quando ignis, aut corpus nimis calidum applicatur manui. Et ideo ſenſatio ex igne oriunda, omnium vehementiſſima, quoad dolorem eſſe ſolet, quia vitale humidum, ſeu gluten illarum partium conſumit. Similiter philoſophandum eſt de aliis contactibus cauſantibus dolorem. Eſt autem jucunda ea ſenſatio: vel quia removet ingratum aliquid manui, v. g. ut calefactio tempore frigido, refrigeratio tempore calido, ſcalpefactio tempore pruriginis. Vel ex cauſis aliis quas recenſere longiſſimum eſſet. Semper tamen ſubſiſtit, ſenſationem, ſive ſumatur in actu primo, pro re illa, quæ producitur in manu: ſive in actu ſecundo pro ipſa formali ſenſatione, eſſe diſtinctam ab utriuſque corporis ſubſtantia, ſiquidem utrumque poteſt exiſtere in rebus ſine illa: quam licet extenuare tibi videaris, vocando illam meram modificationem partium ſubſtantiæ, at neque eſt purum nil, neque chymæra, ſed ens reale aptum exiſtere, & exiſtens.

86. Ex his habetur 1. quid ſentiendum ſit de cæteris, quæ vulgò

in ſcholis dicuntur qualitates, ſeu accidentia diſtincta à ſubſtantiis (unamquamque enim in particulari diſputare, eſſet, ut jam adverti res plus ſolito moleſta) Inſpicienda igitur eſt quidditas illius rei, quę diſputatur. Si deprehendatur, ſubſtantias alias certò tales tunc concurrentes, poſſe exiſtere ſine illa: prudenter judicandum rem illam eſſe accidens quoddam diſtinctum ab omni ſubſtantia: quamvis fatear interdum eſſe meram carentiam qualitatis contrariæ, & immunitatem ab illa, ut nuper dicebam de refrigeratione tempore æſtatis. Et certum puto de coloribus ſimplicibus, nempe candidiſſimo, & nigerrimo: plerique enim, aut etiam omnes alii videntur combinationes quædam ex his, & ſubcombinationes ex aliis combinationibus horum. Et probabilem cenſeo idem de levitate, eſſe nimirum, ſumptam pro formali, meram carentiam gravitatis. Habetur 2. vocabu la illa *mera combinatio partium ſubſtantiæ, mera modificatio, mera explicatio*, & ſimilia quibus Authores athomiſtæ extenuare, & minuere conantur qualitates iſtas, ut eas exterminent, adipſcanturque ipſi finem ſuum, ſcilicet aliud non eſſe in natura niſi athomos *ſic*, & *ſic* combinatas, *taliter*, vel *taliter modificatas*, ſive homogeneas, ſive etherogeneas. Vocabula, inquam, illa imparia eſſe obtegendo veritatem, & excludendo dictas qualitates: quoniam in iſta combinatione, modificatione, explicatione &c. inſtantur cantilenæ ſolemnes, & ſolitæ ipſorum, ſcilicet *eductio eſt extrahere de potentia materiæ. Creatio eſt facere aliquid ex nihilo, ſeu de novo*: ſiquidem iſtæ combinationes modò ſunt, & ipſæ, ut tales non erant ſimpliciter antea.

87. Iſtæ quippe combinationes, modificationeſque, non ſunt chymæra, non ſemper ſunt purum nil, ſicut dicuntur eſſe puræ carentiæ rerum contingentium: ſunt aptę exiſtere, & exiſtunt. Ergo ſunt ens reale. Deinde diſtinguuntur ab athomis, ſeu minimis particulis ſubſtantiæ ob rationem toties inculcatam. Ergo ſunt ens reale, accidentale, licet modale, modalitas namque non reddit rem chymericam. Demum iſtæ modificationes paulò ante non erant in rebus, licet eſſent res combinatæ, ac modificatæ. Ergo fiunt de novo *ipſæ modificationes*, licet non fiant res modificatæ. Et tamen non fiunt per creationem, ſed per eductionem. Ergo. Cui diſcurſui ſi addas illos alios: nimirum actus purè ſpirituales intellectus, & voluntatis, non poſſe eſſe meras combinationes, aut modificationes athomorum corporearum (aliàs non forent actus purè ſpirituales) neque athomorum ſpiritualium, cum ſubſtantia animæ ſit indiviſibilis, & conſequenter non conſtet particulis. Item; fore ut admiſsâ iſtâ philoſophiâ, non ſuppetat argumentum ex ſolo lumine naturali erutum ad probandum animam noſtram eſſe diſtinctam à mera combinatione, modificationeque particularum corporis. Item ex viginti, aut triginta caſibus particularibus, in quibus res, quas experimur, ſunt meræ combinationes, atque modificationes aliarum, non poſſe erui univerſalem regulam pro tota natura, & contra inconcuſſam ſententiam tot virorum amantium veritatis, non verò novitatis, & quidem per multa ſæcula. Demùm. Doctores iſtos

affe-

affectantes, ac ſpondentes philoſophiam claram, facilem, & brevem, id non præſtare, niſi ponendo tantam multitudinem, atque ętherogeneitatem *combinationum, & modificationum*, quantam formarum ſubſtantialium, & accidentalium ponunt Ariſtotelici (unde jam vides compendium, & lucrum brevitatis nullum eſſe) & neque ſaltem nomina ſpecifica dantes illarum combinationum, ſed illa generalia, athomi *ſic*, & *ſic* combinatæ faciunt equum, *taliter*, & *taliter* modificatæ faciunt dolorem. *Sic*, & *ſic* coordinatæ faciunt colorem &c. quin unquam explicetur iſtud *ſic*, & *ſic*, iſtud, *taliter*, & *taliter*. Et tandem cum iſta omnia explicent ineffabili eo, & prorſus myſterioſo Sacramento actuum liberorum Dei, quo Sacramento mirum eſt, quod Viri docti utantur ad explicandum *clarius*, & *facilius* phænomena naturæ. Si igitur hæc omnia in unum redigas, deprehendes, quod licet exiſtentia vera, & realis formarum ſubſtantialium, & accidentalium non ſit tam evidens, quam bis tria ſunt ſex, ad illum tamen aſcendit certitudinis gradum, ut ægrè admodum poſſit negari ab intellectu veritatis, magis quàm novitatis amante.

88. Habetur 3. quid ſentiendum ſit de Euchariſticis accidentibus. Aliud quippe eſt, quod ibi verè, & ſimpliciter ſint entitativa accidentia diſtincta ab omni ſubſtantia. Aliud quod ſint illa eadem numero, quæ erant ante conſecrationem. Illud primum videtur omninò certum; tum quia ille odor, ſapor, gravitas, humiditas; non quidem quæ per accidens poteſt ſupervenire, v. g. ſi hoſtia conſecrata aſpergatur aqua; ſed quæ conglutinat naturaliter unas illas partes inter ſe, ac ſine qua redigerentur in pulverem. Hæc, inquam, non poſſunt eſſe meræ combinationes, aut modificationes athomorum corporis Domini: ut docuit ingenioſus Author ſupra citatus, quia plus ſolito ridiculum eſſet dicere hoc, atquè ex ſola contumacia tuendi poſitum. Dicere nimirum illum colorem, illum ſaporem, illam gravitatem nil aliud eſſe, quam particulas corporis ſacroſancti *ſic*, & *ſic* combinatas in calice quidem ita, ut ſint fluidæ; in hoſtia verò ita, ut ſint ſolidæ. Rurſus neque athomorum aliarum, quia ibi non datur ulla alia ſubſtantia. Ergo nullarum athomorum ſubſtantialium ſunt mera modificatio. Ergo ſunt accidentia diſtincta ab omni ſubſtantia; tum quia quod vocas *puras ſpecies*, *puras combinationes* aptum eſt exiſtere, & exiſtit. Ergo eſt ens reale illud, quod guſtu, odoratu, & tactu percipitur. Sed iſtud idem, quod vocas puras ſpecies, diſtinguitur realiter à ſubſtantia panis, ſiquidem perſeverat in rebus illa annihilata: item à ſubſtantia corporis Domini, ſiquidem hæc poteſt exiſtere ſine iſtis individuis ſpeciebus, quæ ſenſu noſtro percipiuntur. Ergo illæ ſunt ens reale diſtinctum ab omni ſubſtantia: Ergo iſtud idem, quod non vultis vocare *accidentia*; ſed *meras ſpecies* verè ſunt accidentia entitativa diſtincta ab omni ſubſtantia. Neque ſunt mera ludibria ſenſuum illa, quæ ſemper, ubivis, & cujuſvis hominis ſenſu percipiuntur, niſi potentiſſima producatur ratio, contra hoc univerſale teſtimonium ſenſuum, qualis profertur in illis caſibus, in quibus falluntur univerſaliter ſen-

ſus.

ſus. Si quia hi multoties falluntur, ſemper fallerentur, ne lamenteris quando gladio, igne, fuſte, aut ſaxo percuteris: quia tunc etiam oculus, & tactus falletur. Illud ſecundum membrum dilemmatis n.88. eſt mihi quoque verum, quia nulla eſt neceſſitas recurrendi ad Deum, ut de repente producat totam illam accidentium ſuppellectilem in puncto, quo abſolvitur forma conſecrationis. Ut quid, niſi tenacitatis ſolius gratiâ negandi accidens omne? Sed quia poſſunt dicere Deum de repente producere omnes illas ſpecies, ſive accidentia omninò ſimilia prioribus, ſicut nos dicimus, quod de repente conſervat per puram creationem quantitatem illam, quam prius conſervabat per eductionem, ideò hoc ſecundo, utpote minus neceſſario ad rem præſentem ſuperſedeo. Non tamen tacitum præteribo juſtè interceptam eſſe viam in ſcholas noſtras iſti ſententiæ. *Calor, frigus, lumen, color, ſonus, & alia, quæ vocantur qualitates ſenſibiles, affectiones ſunt, ſive modificationes ſolius mentis, non corporum ipſorum, quæ dicuntur calida, frigida &c.* & huic alii univerſali, in qua iſta continetur. *Nulla ſunt accidentia abſoluta.*

§. III.

89. QUæſtio tertia eſt. *Utrum cauſæ creatæ poſſint ſe mutuo cauſare?* Non eſt queſtio 1. de cauſalitate in actu primo. Nam licet non quodvis individuum cujuslibet ſpeciei poſſit cauſare aliud individuum ſpeciei illius, v. g. unus Angelus non poteſt producere alium Angelum, una anima rationalis, non poteſt producere aliam; verumtamen in multis ſpeciebus contingit quodlibet individuum eſſe capax ex ſe producere illud aliud, à quo hic, & nunc producitur; v. g. ille idem individuus ignis, qui modo producitur ab igne A, eſt capax ſuapte natura producere in aliis circumſtantiis ignem A; & individuus ille homo, qui modo gignitur ab hoc Patre, aut Matre, potuit prius productus à ſolo Deo, vel ab hoc ſimul cum aliis Parentibus, gignere hunc, qui modo eſt ſuus Pater, & hanc, quæ nunc eſt ſua Mater. Eſt ergo quæſtio de mutua cauſalitate in actu ſecundo. Non tamen de qualibet, ſed de mutua cauſalitate in ſenſu compoſito, & ſimul exiſtente; quoniam non eſt difficultas contradictionis in eo, quod ignis A producat nunc ignem B, poſtea extinguatur. Et poſtea quando ignis B eſt in actu primo proximo ex parte ſui ad producendum alium ignem, Deus cujus ſolius eſt determinare quoad individuum, ut ſupra dixi, paret ſuum concurſum igni B, ad producendum ignem A, de novo, ſive ea reproductio ſit naturaliter impoſſibilis, ſive ſit poſſibilis naturaliter (eo quia idem prorſus individuus ignis A; ſit qui olim extinctus eſt, & modo iterum producitur) & tota impoſſibilitas reproductionis conſiſtat in decreto divino non concurrendi cum cauſa ſecunda proximè potente operari, ad ullum ex illis

Digitized by Google

illis individuis, quæ jam fuerunt, ſed ad aliud novum, ut cętera quoque poſſibilia habeant locum in mundo, & hoc non potiantur ſemper eadem individua. Non eſt itaque quæſtio de reciproca cauſalitate in ſenſu diviſo, & pro diverſis inſtantibus, ſed in ſenſu compoſito, & pro eodem puncto temporis.

90. Neque eſt quæſtio 3. de qualibet mutuâ ſimultaneâ cauſalitate, ſed de illa, quæ ſit in eodem genere cauſæ; quoniam certum eſt duo poſſe in diverſo genere ſe reciprocè cauſare, ſiquidem finis cauſat moraliter, ſeu intentionaliter media, quatenus movet voluntatem ad illorum executionem: & illa jam exiſtentia cauſare ſolent phyſicè finem ipſum; v. g. accenſio majoris ignis poteſt eſſe finis, te movens ad conquirendum ligna, quorum una accendentia phyſicè alia, cauſant phyſicè magnum illum ignem, nec propterea finis eſt cauſa pluſquam moralis ſui ipſius, in quo nulla eſt difficultas, quia hæc cauſalitas non ſtat in eo, quod finis, *ut exiſtens* exigat ſuam exiſtentiam, ſicut cauſalitates aliæ morales ſtant in eo, quod A, v. g. ut exiſtens exigat rem B; ſed in eo, quod finis *cognitus*, *ut practicè poſſibilis* ſoleat excitare ſui appetitum, & hic appetitus, ſive intentio moveat electionem mediorum, & hac electio actualem executionem, & hæc executio intimè connectatur cum mediis, & hæc media ſoleant cauſare phyſicè illud, quod prævidebatur practicè poſſibile. In quo toto proceſſu, quem paſſim experimur, non eſt ulla impoſſibilitas. Rurſus neque media erunt cauſa phyſica ſui ipſorum, quia licet cauſent phyſicè finem, hic non cauſat phyſicè illa, ſed moraliter dumtaxat; & quidem non ut exiſtens, in quo exereetur cauſalitas mediorum, ſed pracisè, *ut cognitus*, in quo non exercetur ea cauſalitas. Non eſt itaque difficultas de mutua ſimultanea cauſalitate in diverſo genere, uno morali, & altero phyſico; ſed in eodem penitus genere. Neque eſt quæſtio 4. de quovis eodem genere; ſed inſuper de eadem ſpecie. Quoniam in genere ampliſſimo cauſæ moralis poteſt A, eſſe cauſa rei B, & hæc ſimul eſſe cauſa rei A. Sic finis eſt cauſa moralis mediorum, movens ad eorum executionem: & media multoties ſunt cauſa etiam moralis finis, quia non ſemper ſunt cauſa phyſica illius, ſed interdum cauſant illum pracisè, quia movent ad illum, ut preces, conſilia, imperia, obſequia, minæ, & alia id generis, quę movere ſolent ad finem intentum. Æterna quippe beatitudo movet nos, ut oratione aliiſque piis operibus moveamus Deum, ut nobis auxilium efficax donet ad perſeverantiam finalem; & orationes, piaq; opera non cauſant phyſicè beatitudinem, ſed tantum moraliter, & quidem remotè. Eſt ergo quæſtio de mutua cauſalitate in eodem genere, & in eadem ſpecie.

91. Neque eſt 5. de quavis eadem ſpecie; quoniam licet in aliquibus ſpeciebus cauſæ moralis repugnet mutua prioritas, v. g. repugnat, quod idem ſecundum idem, ſit meritum, & præmium, reſpectu ejuſdem ſecundum idem; item quod ſit finis, & medium ſecundum idem reſpectu ejuſdem. Aſt in aliis ſpeciebus non repugnat. Una quippe ex ſpeciebus cauſæ moralis eſt, movere Deum ad conſervandum rem per viam

exi-

exigentiæ, ac connexionis naturalis cum illa. Sed fieri poteſt, quod res A conectatur naturaliter cum B pro inſtante ſequente, & ſimiliter res B connectatur naturaliter cum A pro eodem inſtante ſequente. Forma quippe ignis, v. g. exigens naturaliter, ſicut cæteræ res permanentes, ſuam conſervationem pro inſtanti ſequenti, exigit ſimiliter conſervationem ſuæ ultimæ diſpoſitionis pro ſequente inſtante, quia ſine illa nequit naturaliter perſeverare. Et ſimiliter ea ultima diſpoſitio exigens naturaliter ſuam conſervationem pro inſtante ſequente exigit naturaliter conſervationem formæ ignis pro eo inſtante; ſiquidem ipſa, & ſua conſervatio naturaliter connectuntur cum conſervatione formę ignis. Ergo fieri poteſt, quod A moveat Deum per ſuam exigentiam ad conſervandum B pro inſtante ſequente, & quod B moveat ſimiliter Deum per ſuam exigentiam ad conſervandum A pro eodem inſtante ſequente. Ergo, & quod reciprocè ſint cauſæ morales reſpectu ejuſdem ſequentis inſtantis, & in una, eademque ſpecie cauſalitatis moralis, nimirum ſtante in exigentia Deum movente, Eſt ergo quæſtio de ſola mutua cauſalitate, ſive prioritate in eadem ſpecie phyſica. Neque eſt quæſtio 6. de quavis mutua prioritate in eadem ſpecie phyſica; ſed quoad idem quoque primum eſſe. Putant multi Philoſophi poſſibile eſſe, quod idem terminus producatur per duplicem actionem totalem, quarum unaquæque vocatur *eſſe* illius. Admiſſa hac philoſophia, & poſito, quod ignis A, & ignis B aliundè exiſtant plenè per actiones totales provenientes à ſolo Deo, v. g. & quæ ſint primum *eſſe* illorum, non apparet ſpecialis difficultas, ut meritò docent graves Philoſophi, in eo, quod ignis A per aliam actionem totalem producat non primò, & quaſi de novo, ſed ſecundo ignem B, & quod ſimul hic per aliam actionem totalem producat non quidem de novo, & primo, ſed ſecundo ignem A; quia tunc non dabitur mutua cauſalitas *ſecundum idem*, ſed ſecundum diverſa.

92. Ignis quippè A, non ut productus per B, ſed ut productus à ſolo Deo, produceret per ſecundam actionem ignem B; & hic ſimiliter, ut productus à ſolo Deo, produceret ignem A, & in his reduplicationibus licet imbibantur iidem ignes A, & B, imbibuntur quoque actiones inter ſe diſtinctæ. Ergo ex hac mutua prioritate, quoad ſecundum eſſe (ſecundum inquam non quia ex natura ſua præſupponat actionem oriundam à ſolo Deo, ſed quia eſt actio totalis, non neceſſaria tunc, ut exiſtat ſuus terminus, & per accidens ſupponit actionem illam, quia licet ſupponat eſſentialiter ignem B, hic non ſupponit eſſentialiter actionem, qua procedit ab igne A, ut producto per ſolum Deum) Ex hac inquam mutua prioritate non ſequetur ignem A, ut priorem ad ignem B, eſſe ad eundem poſteriorem, & conſequenter non ſequeretur ignem A eſſe poſteriorem ad ſe ipſum ſecundum idem; ſed ſolum, ut productum ſecundo per ignem B eſſe poſteriorem ad ſe ipſum, ut producatur per Deum, ideſt, ſecundam actionem ſui productivam eſſe poſteriorem, & quidem per accidens, ad primam ſui etiam productivam. Fateor non ſolas actiones productivas cauſatum, ſed cauſas

ipſas,

Digitized by Google

ipſas, ut diſtinctas, quamvis non ut ſeparatas ab eis actionibus, verè phyſicè cauſare non ſolas actiones productivas terminorum, ſed terminos ipſos, ut diſtinctos, quamvis non ut ſeparatos ab eis actionibus: Et conſequenter fateor eis reduplicationibus non vitari, quod ignis A verè, ac phyſicè cauſaret ſe ipſum, & in hoc ſolo ſenſu eſſet prior ſe ipſo mediatè præcisè, ac per accidens: non aut immediatè, aut per ſe, in quo, & non illo primo eſt abſurdum.

93. Explicatur. In primis vox illa *cauſa eſt prior effectu: exiſtit antequam exiſtat effectus*, non ſignificat antecedentiam, aut prioritatem temporis, aut loci, ut toties adverti, & iterum repetam: neque ſignificat independentiam ab effectu, quia multæ cauſæ connectuntur intimè cum aliquo ſuo effectu, ita ut neque in primo inſtanti ſuo poſſint exiſtere abſque illo, v. g. hæc carta nuſquam prorſus, neque in primo ſuo inſtanti exiſtere potuit abſque ſcientia, qua Deus videret illam exiſtere, quæ ſcientia eſt, quaſi effectus hujus cartæ, cum ideò à priori Deus videat rem eſſe, quia res eſt. Item nulla cauſa neceſſaria, ut in actu primo proximo completoque, tum ex parte ſui, tum ex parte Dei, poteſt exiſtere adhuc in primo inſtanti ſuæ completionis abſque effectu. Solum ergo ſignificant illæ phraſes cauſam eſſe illud, quod producit, quod facit, quod ponit; cumque præſens quæſtio ſit, an cauſa poſſit producere mediatè per accidens ſe ipſam, quatenus producat id, à quo producitur, idcircò phraſes iſtæ aſſumunt probandum, & in hoc ſenſu veræ eſſe poſſunt. Quia verò plerunque, quamvis non ſemper, apprehendimus in producente primatum quendam, præeminentiam, ſuperioritatem, independentiamve reſpectu producti; & quia inſuper loquimur, prout apprehendimus, hac de cauſa invaluerunt phraſes illæ, & ſimiles. *Cauſa eſt prior effectu. Cauſa exiſtit ante effectum*; ſive ut caſtigatius loquuntur alii. *Cauſa intelligitur prior, quàm effectus*. Sed intelligentia noſtra, ſive apprehenſio parum eſt idonea promovendo rem, quando quæſtio eſt de *re*, & non de *intelligentia* noſtra; quamobrem ſignificatum, & realitas iſtarum phraſeon datur ex parte rerum independenter ab intellectu, quia ſic dantur productiones, & cauſalitates phyſicæ. Aſt quod illud ſit *prioritas antecedentiave* ſecundùm quod præſeferunt hi termini, eſt opus intellectus multoties, ſive intelligentiæ noſtræ. Sicut de diſtinctione virtuali dicebam diſp. 1. logicæ, nimirum verè ex parte rerum eſſe in divinis id, quod dicitur diſtinctio virtualis; aſt quod illud ſit *diſtinctio* ſecundùm quod præſefert hic terminus, eſt opus rationis, & in hoc ſenſu toties hæc diſtinctio vocatur à S. Thoma, & à Joanne Theologo in Concilio Florentino *diſtinctio rationis*; quemadmodum etiam verè ex parte rerum datur id, quod eſt univerſale, id, quod eſt cognitum; ſed neque unum eſt univerſale, neque alterum eſt cognitum independenter ab intellectu. Ergo ex eo, quod ignis A producendo per ſecundam actionem ignem B producentem per ſecundam quoque actionem ignem A, produceret mediatè ſe ipſum, non ſequeretur ignem A eſſe priorem ſe ipſo, aut exiſtere antequam exiſtat, prioritate, ſive antecedentia temporis, loci, vel independentiæ, quæ

Digitized by Google

omnes eſſent abſurdæ (& illas præſeferunt phraſes iſtæ) ſed duntaxat ſequeretur eſſe cauſam mediatam ſui ipſius, & quidem per accidens. Et hæc eſt formalis ipſa concluſio, quæ non debet aſſumi ad impugnandum ipſam. Porrò prioritatem cauſalitatis eſſe, in ratione *prioritatis*, opus rationis, non eſt doctrina mea; ſed Baſilii, qui non ignarus Ariſtotelicæ doctrinæ ſcribit. *In his* priorem *eſſe cauſam dicimus* poſteriùs verò, *quod ab ipſa eſt; non intervallo hæc invicem diſcrepantes*; ſed cogitatione: *priuſquam cauſatum, cauſam intelligentes*; quapropter cum Ariſtoteles ſcribit illa eſſe priora *ſecundùm naturam, & ſubſtantiam quæcunque contingunt abſque aliis eſſe, iſta verò ſine illis minimè*. Illud *abſque*, ac *ſine* non alludunt ad ſeparabilitatem in exiſtendo juxta Baſilium; ſed in cognoſcendo, quatenus non eo ipſo, quod apprehendamus rem, quæ eſt cauſa, debemus apprehendere effectum; eo tamen ipſo, quod juſtè apprehendimus rem, quæ eſt effectus, ſeu quæ eſt ab alio, apprehendimus illum alium. Et totum hoc quando eſt ſermo de cauſa immediata. Sed omnes iſtæ propoſitiones reflexę ſupra noſtram apprehenſionem, nil promovent rem præſentem, quæ non eſt de apprehenſionibus, ſed de realitatibus.

S. Baſil. lib. 1. contra Eunomium poſt medium.

Metaph. 5. cap. 11.

94 Pergo. Deinde quamvis ſit penitus impoſſibile, rem ullam cauſare immediatè Phyſicè ſe ipſam, non ita plana eſt impoſſibilitas de eò, quod mediatè, ac per accidens cauſet ſe ipſam in ſenſu explicato n. 92. Probo primam partem quæ jure dicitur evidens. Non eſt exploratum in Eccleſia, productionem Phyſicam, & realem eſſe neceſſariam ad diſtinctionem, cum multi graves DD. doceant, fore ut Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, tametſi ab hoc non procederet. Verumtamen firmum eſt, omne Phyſicè immediatè producens rem A, diſtingui realiter ab A, ex eo enim, quod æternus Pater generet ac mittat Filium (miſſio hic ſignificat productionem, cum temporali aliqua apparitione: & hac de cauſa ſolus Filius, & Spiritus Sanctus potuerunt mitti, & miſſi fuerunt, quia hi ſoli productionem terminant, & apparuerunt; Pater verò quamvis apparere potuerit, & forſan apparuit Danieli, mitti non poteſt, quia non poteſt produci) legitimè infert Eccleſia contra Sabellium, Æternum Patrem, licet non ſit *aliud*, eſſe tamen *alium* à Filio: & ſimiliter ex eo, quod Pater ac Filius ſint principium producens, & mittens Spiritum Sanctum, legitimè infertur Patrem, & Filium diſtingui ab eo. Et hac de cauſa Concilium Lateranenſe coactum in favorem Petri contra Joachimum, definit eſſentiam divinam neque generare, neque generari, quia non diſtinguitur realiter à divinis Perſonis. Firmum itaque, ac ex terminis evidens eſt apud omnes, omne Principium Phyſicè immediatè producens terminum diſtingui Phyſicè ab hoc. Unde neceſſaria non eſt ulterior probatio, ſed ſola verborum intelligentia cum pervicaciæ carentia. Tunc ſic. Ergo omne impotens diſtingui realiter à ſe ipſo, eſt impotens producere Phyſicè immediatè ſe ipſum. Conſequentia eſt legitima, quia eſt converſio per contrapoſitionem. Sed omne poſſibile eſt impotens diſtingui realiter à ſe ipſo. Ergo. Probo ſecundam partem. Eatenus eſſet explorata chymæra,

Daniel. 7.

quòd

quòd res mediatè, ac purè per accidens produceret ſe ipſam in ſenſu illo, quatenus inde ſequeretur idem, quod modo dicebam, nempe rem diſtingui realiter à ſe ipſa, eo quia de conceptu omnis cauſæ, omniſque principij phyſici ſit, diſtingui realiter à termino, etiam quem mediatè, & per accidens producit; ſed hoc eſt falſum.

95 Tum quia nupera ratio ſolum probat diſtinctionem, ex eo quòd Pater ſit principium per ſe eſſentialiter immediatè productivum Filij. Ergo quando ſermo ſit de principio, non per ſe eſſentialiter, ſed per accidens; non immediatè, ſed mediatè productivo, activa hæc producibilitas non probat diſtinctionem inter principium, & principiatum, ideſt, non probat, rem nequire producere mediatè, ac per accidens ſe ipſam; ſiquidem poteſt movere ſe ipſam, ſicut vivens ſe movet, quando vitaliter operatur, ita ut idem, ſecundùm idem, & per idem in ſenſu phyſico ſit movens, & motum; tum quia; quoties ex actu A. legitimè arguitur actus B, ex capacitate radicali ad actum A, legitimè quoque arguitur radicalis capacitas ad actum B. v.g. ſi ex actuali curſu arguitur actualis motus, ex capacitate radicali ad curſum, arguitur capacitas radicalis ad motum, & ſimiliter in alijs actibus. Ergo per contrapoſitionem, quoties ex capacitate radicali ad actum A, non arguatur capacitas radicalis ad actum B, ex actu A, non arguitur actus B. ſi enim ille infallibiliter connecteretur cum hoc, connecteretur etiam cum hujus poſſibilitate, cum qua hic connectitur, & conſequenter hujus impoſſibilitas traheret ſecum impoſſibilitatem illius (ſiquidem nullum poſſibile eſt connexum cum impoſſibili) & conſequenter illius poſſibilitas, ſive capacitas radicalis connecteretur cum hujus radicali capacitate. At ex capacitate radicali ut ignis A. v.g. mediatè, remotè, ac per accidens producat ſe ipſum, non arguitur capacitas radicalis ut diſtinguatur à ſe ipſo. Ergo ex actualitate producendi mediatè, ac per accidens in illo ſenſu ſe ipſum, non arguitur actualitas diſtinctionis à ſe ipſo. Probo minorem. De facto neque diſtinguitur, neque capax eſt radicaliter, ut diſtinguatur à ſe ipſo. Et tamen de facto eſt radicaliter capax, ut mediatè producat ſe ipſum; quoniam hoc ſtat in eo, quod habeat capacitatem radicalem producendi illud, quod habet capacitatem radicalem producendi ipſum. Et hoc eſt verum, nam habet capacitatem radicalem, ac remotam producendi ignem B. v.g. producat, nec ne illum in actu ſecundo: & ignis B, habet etiam capacitatem remotam, & radicalem producendi ipſum ignem A, ſicut quemvis alium, producat, nec ne illum in actu ſecundo: radicales namque ac remotæ capacitates ſunt independentes ab actualitatibus phyſicis. Ergo ex eo, quod ignis A, in ſenſu illo produceret mediatè ac per accidens ſe ipſum, non ſequeretur diſtingui à ſe ipſo.

96 Et ratio eſt; quia licet in ſenſu adagiali, ſeu proverbiali, cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati per cauſam. Aſt cauſa purè mediata, & remota maximè, ſi ſit per accidens, non eſt verè ac phyſicè cauſa illius, quod mediatè cauſat; tum quia in prioritate originis conſtat Spiritum Sanctum eſſe priorem objectivè ſua cognitione: hæc eſt prior ſubiecti-

 vè

Digitized by Google

vè Verbo Divino. Hoc eſt prius Spiritu ipſo Sancto, utpotè principium ipſius. Ergo Spiritus Sanctus eſt mediatè prior ſe ipſo. Item verbum eſt objectivè prius ſua viſione; hæc eſt ſubiectivè prior ipſo verbo. Ergo hoc eſt prius aliquo priore reſpectu ipſius. Et tamen non eſt ſimpliciter prius ſe ipſo. (utrumque hoc exemplum explicabo num. 112.) Ergo non eſt univerſale, omne prius priore, eſſe abſolutè prius reſpectu poſterioris; tum quia nil eſt verè, ac phyſicè cauſa rei, quando deficit ſimpliciter phyſicè à rebus in inſtanti, in quo hæc producitur. Num ignis extinctus actu phyſicè calefacit? Num lux extincta actu phyſicè illuminat? Num leo mortuus actu phyſicè diſcerpit? & cur lepores ipſi inſultant? At cauſa phyſica purè mediata, & per accidens poteſt ſimpliciter phyſicè deficere in inſtanti in quo producitur res, cujus eſt cauſa mediata, quia nil impedit quod ignis A. qui produxit phyſicè ignem B. extinctus ſit, quando hic producit ignem C. Ergo loquendo in genere cauſa phyſica purè mediata, & per accidens, non ſemper eſt verè, ac ſimpliciter cauſa, ſed tantum proverbialiter in eo ſenſu, in quo vulgus vocat Avum *bis Patrem*. Dico non ſemper: quia interdum eſt verè, & propriè cauſa v. g. quando eſt mediata, & ſimul immediata, ut omnipotentia eſt reſpectu multorum effectuum, quorum cauſas etiam produxit: item quando cauſa mediata eſt prærequiſita ad cauſam immediatam. Ergo ex eo, quod res cauſaret ſe ipſam mediatè, ac per accidens in eo ſenſu num. 92., non ſequeretur quod verè, ac ſimplicitèr cauſaret ſe ipſam. Ergo non ſequeretur, quod a ſe ipſa diſtingueretur. Et hæc eſt diſparitas inter cauſam, ſeu principium immediatum phyſicum ex una parte, & cauſam, ſeu principium phyſicum mediatum ex altera, ob quam illud debet diſtingui à termino producto, ſecùs hoc: nimirum quia illud verè, ac ſimplicitèr eſt principium phyſicum ſui termini; ſecus hoc. Neque ſequitur abſurdum quod hinc elicere conatur Oviedo; nimirum hoc modo poſſe defendi omnes creaturas eſſe ſibi mutuo cauſas in genere efficiente, & conſequentèr neceſſariam non eſſe cauſam primam: tum quia ibidem num. 7. docet, ut ſibi indubitatum, poſſe effectum per ſecundam actionem producere ſuam ipſius cauſam. Ergo cum cauſæ non ſolum cauſent actiones, ſed longè verius, ac ſimplicius terminos productos per illas, ſequetur effectum iſtum verè, ac ſimplicitèr producere, licet per actionem ſecundam, illud idem, quod eſt cauſa mediata ſui ipſius. Ergo hæc verè, & ſimpliciter erit cauſa mediata ſui ipſius. Nunc rogo, vel ſequentur tunc iſta abſurda, ſcilicet non fore neceſſariam cauſam primam, cauſam iſtam diſtinguendam à ſe ipſa, eſſe priorem ſe ipſa, eſſe verè, ac propriè cauſam ſui ipſius &c. Vel non ſequentur. Si primum, ergo falſum eſt quod tibi indubitatum dicis. Si ſecundum, ergo neque ſequuntur ex ratione, quam modo dedi; tum quia pro exiſtentia Cauſæ primæ aliam dedi rationem erutam ex ſuo conceptu quidditativo, ac independentem ab effectibus creatis ſupra cap. 1. quamvis ex his quoque bene probetur, ut mox dicam; ergo licet ratio iſta à poſteriore eſſet inefficax, ſubſiſteret ratio probans illam

Ovied. controv. 7. phyſic. puncto 8.

lam exiſtentiam; tum quia licet poſſibile ſit A. cauſare phyſicè mediate ſe ipſum, quatenus cauſet rem B. cauſantem ipſum A. (quod non vitatur per illas reduplicationes *ſecundùm primam*, *ſecundùm actionem ſecundam*, ut ſemel, & iterum adverti) hoc tamen non foret neceſſarium, ſed contingens. At omne contingens ab aliquo alio debet determinari, quia non eſt à ſe ſolo, ſicut Deus. Ergo aliquid aliud aſſignandum eſſet à quo determinaretur, quod A. cauſaret mediate ſe ipſum. Hoc aliud quid eſſe poterat, niſi ſola cauſa prima. Ergo ſubſiſtit ratio probans ex creaturis exiſtentiam huius, quanquam illa mea ratio ſit legitima.

97 Denique non eſt quæſtio de mutua cauſalitate intrinſeca ſtante in eo, quod A. ſit phyſicum eſſentiale conſtitutivum rei B. & hæc ſit ſimiliter conſtitutivum illius; quoniam licet fieri poſſit, ut A. ſecundùm unam partem eſſentialem ſuam conſtituat intrinſece rem B., & hæc etiam ſecundum unam partem eſſentialem ſuam conſtituat rem A. ut contingeret illis compoſitis ſubſtantialibus, quorum formæ unitæ forent eidem penitus materiæ, (quem caſum diſputavi diſp. 1.) verumtamen omninò repugnat, quod A. ſecundùm ſe totum conſtituat eſſentialiter B., & quod hoc, ſecundùm ſe totum conſtituat eſſentialiter illud. Nam quoties B. componitur eſſentialiter phyſicè ex A., & aliquo alio, repugnat quod B. & aliquid aliud componat eſſentialiter phyſicè rem A., quia B. componeretur eſſentialiter phyſicè ex ſe ipſo, ut pote eſſentialiter imbibito intra eſſentiam rei A. ex qua eſſentialiter phyſicè componitur. At quoties A. eſt conſtitutivum phyſicum eſſentiale rei B. hæc componitur eſſentialiter phyſicè ex A. & aliquo alio, quia in hoc ſtat quod A. ſit conſtitutivum phyſicum, non verò tota eſſentia rei B. ergo quoties A. eſt conſtitutivum phyſicum rei B. repugnat quod hoc, & aliquid aliud componat eſſentiam phyſicam rei A.; ſed in hoc ſtaret, quod B. eſſet conſtitutivum phyſicum rei A. Ergo repugnat mutua cauſalitas intrinſeca. Conſtitutiva enim vocantur cauſæ intrinſecæ. Cæterum non ita repugnat reciproca cauſalitas formalis ſumpta pro reciproca determinatione ad eandem objectivam realitatem, ita ut A. ex ſe indifferens, determinetur per B. & hoc de ſe quoque indifferens, determinetur ad idem per A., ſic indifferentia quam Petrus habet ad coexiſtentiam ſui, & Joannis, tollitur per exiſtentiam hujus: & indifferentia, quam habet Joannes ad eandem coexiſtentiam, tollitur per exiſtentiam illius. Sic indifferentia, quam Gratia ſanctificans habet ad conſtituendum majus meritum condignum, v. g. ut quatuor, tollitur per majorem honeſtatem moralem actus meritorij, nam quo major eſt honeſtas, eo cæteris paribus magis condignum eſt meritum puræ creaturæ ſanctæ. Et indifferentia, quam illa honeſtas habet ad illam eandem intenſionem condignitatis tollitur per Gratiam ſanctificantem, nam etiam quo major fuerit hæc, eo cæteris paribus majus eſt meritum condignum.

His

§. IV.

98. His præmiſſis. Dico 1. Non eſt penitus improbabile, poſſibilem eſſe metaphyſicè mutuam prioritatem phyſicam in eodem genere, ac ſpecie phyſica, quoad idem eſſe, & in eodem inſtanti, v. g. non facilè oſtenduntur, aut hactenus oſtenſa ſunt duo contradictoria in eo, quod in eodem inſtanti in quo ignis A. per unicam actionem totalem producit primò, ſeu conſervat (conſervatio eſt continuata productio) ignem B., hic per unicam etiam actionem totalem producat, ſeu conſervet ignem A. Sicut enim non repugnat, ſed multoties forſan datur libertas indifferentiæ pendens quoque à ſe ipſa, quoad primum inſtans ſuæ exiſtentiæ, potenſque facere, ne ipſa unquam exiſtat, aut extiterit, quatenus plenè eſt potens facere actionem, quam ſi factura prævideretur à Deo, hic nuſquam illam conferret; v. g. libertates in decurſu vitæ collatæ B. Virgini plenè potentes ſe malè exercere, quas tamen non contuliſſet Deus illi, ſi prævidiſſet libertates illas malè ſe exercendas, ut ſuppono ex principiis ſcientiæ mediæ reflexæ. Si, inquam, non repugnat metaphyſicè, quod libertas creata indifferentiæ dependeat etiam a ſe ipſa (negativè utique) & à ſuo exercitio, ſuppoſito divino decreto, ſeu potiùs ſcientia media reflexa de ipſius libertatis negatione, ſi malè operatura foret, ut verè poſſet operari: non ita clarè apparet impoſſibilitas in eo, quod ignis A pendeat poſitivè à ſe ipſo etiam, quoad primam ſuam exiſtentiam, primumqe eſſe, quatenus pendeat poſitivè phyſicè ab igne B pendente poſitivè phyſicè ab ipſo igne A; quamvis enim conſenſus omninm Philoſophorum gignat evidentiam moralem hujus impoſſibilitatis in confuſo; ſed non illius in particulari: quia per rationes intrinſecas non detegitur facilè hæc impoſſibilitas.

99. Et ratio negativa eſt 1. quia communis eſt inter Philoſophos opinio duas cauſas poſſe reciprocè cauſare ſe, quoad ſecundum eſſe juxta num. 91. Sed in iſta opinione hebetantur pleraque, ne dicam omnia argumenta, quæ fiunt contra mutuam cauſalitatem, quoad primum eſſe: quoniam iſtæ reduplicationes *ignis A, non ut productus à B, ſed ut productus à ſolo Deo producit ignem B. Hic non ut productus ab A, ſed à ſolo Deo producit ignem A* non mitigant, quamvis obnubilent difficultatem, quandoquidem non ſola actio, qua per Deum producitur ignis A, ſed ipſe phyſicus, & realis ignis A, ut diſtinctus, quamvis non ut ſeparatus ab illa productione, producit verè, ac phyſicè, non ſolum productionem ignis B; ſed ipſum formalem ignem B, ut diſtinctum, quamvis non ſeparatum à ſua illa productione: quo fit, ut ſubſiſtat, entitatem ipſam ignis A verè producere entitatem ignis B producentis entitatem ipſam ignis A: & conſequenter ſubſiſtit, quod utravis entitas, ut diſtincta, quamvis non ut ſeparata ab actionibus, qui-

bus

Digitized by Google

bus per ſolum Deum producitur, ſit cauſa phyſica mediata ſui ipſius, ſive per hanc, ſive per illam actionem. Ergo pleraque argumenta objici ſolita contra mutuam prioritatem, quoad primum eſſe, ſolvenda ſunt ab iſtis eiſdem Authoribus. 2. quia eatenus hoc repugnaret, quatenus indè ſequeretur ignem A fore cauſam phyſicam mediatam ſui ipſius, & conſequenter diſtingui à ſe ipſo realiter (& hoc ſufficienter explicatum, ac ſolutum eſt num. 95.) vel quatenus ſequeretur, ignem A, v.g. præſupponere ſe ipſum, quia omnis effectus præſupponit cauſam à qua hic, & nunc dependet (quibus præſuppoſitionibus valdè inſiſtit Oviedo, ubi nuper) & ignem A exiſtere priuſquam exiſtat, & eſſe priorem ſe ipſo.

100. Sed jam explicui num. 93. quod etiam dixeram diſp. 1. n. 140. iſtas præſuppoſitiones, antecedentias, prioritateſque non eſſe, quoad tempus, quoad locum, quoad independentiam; quoad aliudve ex illis, quæ arguunt ſeparabilitatem, aut diſtinctionem; ſed conſiſtere in mera cauſabilitate, aut actuali cauſalitate, quam *apprehendimus* ſive intelligimus, ut primatum quendam, ſive præexcellentiam cauſæ reſpectu effectus, quia ita plerunque fit; apprehenſio autem, ſeu intelligentia noſtra non facit rem præſentem. De hac autem cauſalitate mediata eſt præſens quæſtio. Ergo iſtæ *prioritates, poſterioritates, præcedentia; præſuppoſitiones, ſuppoſitiones, anterioritates, & ſimilia* hic ſatis frequentia, & utiliſſima, quando legitimè intelliguntur; nociva verò, quando capiuntur juxta corticem illorum *Præ*, nil addunt difficultatis ſupra formalem ipſam quæſtionem, aut concluſionem, quamvis verba imaginationem rapiant ad aliud, quod verè eſt impoſſibile: nempè rem aliquam verè unquam exiſtere ſine ſe ipſa; quod ſi phraſes iſtæ ſignificent, cauſam omnem debere exiſtere, quin ullatenus procedat phyſicè à ſuo eſſe, aſſumis probandum, & petis principium, & ſupponis id, de quo eſt quæſtio. Diſtinguendæ ergo ſunt iſtæ phraſes ſatis bonæ, ut dixi, ſi benè intelligantur: & concedendæ de prioritate, præcedentia, præſuppoſitioneve rei ad ſe ipſam, ſtante in mera cauſalitate purè mediata, & per accidens rei reſpectu ſui ipſius, ut iſti Authores debent concedere, quando duo ſe invicem cauſant phyſicè, quoad ſecundum eſſe; negandæ autem de prioritate, temporis, loci, inconnexionis, aut alia inferente diſtinctionem rei à ſe ipſa. Profectò Chriſtus Dominus, quoad divinitatem non eſt factus, ut fatemur in Symbolo Athanaſii; quoad humanitatem ſex menſibus poſterior fuit Joanne, juxta Gabrielem ante conceptionem illius humanitatis dicentem de matre ipſius Joannis. *Hic menſis ſextus eſt illi*; & tamen abſolutè pronuntiat de Chriſto Joannes ipſe *ante me factus eſt*, quo teſtimonio Arriani abutebantur. Nempè dignitatis præcedentiam, quam verbis illis docet Joannes in humanitate etiam Jeſu Chriſti, explicuit quaſi per præcedentiam quoque temporis. *Ante me factus eſt*; non quia ſacra illa humanitas, de qua etiam ibi loquebatur. *Medius autem veſtrum ſtetit &c. Solvam ejus corrigiam calceamenti &c.* phyſicè facta fuerit tempore antecedente tempori, in quo factus eſt ipſe Joannes; ſed quia illa dignior ſine comparatione erat. Et ante-

Luc. 1.

Ioan. 1.

antecedentiam, quoad dignitatem, explicuit per quaſi antecedentiam, quoad conceptionem, quod eſt genus magis perceptibile vulgo hominum, quos alloquebatur Joannes. Et hoc ſine mendacio, niſi calumniam hanc affigere audeamus locutionibus emphaticis, tropicis, ac
Trev.8. myſterioſis: v.g. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram*, quæ verba ſolet applicare Eccleſia B. Virgini conceptæ poſt ſæcula multa.

101. Quemadmodum ergo exceſſum dignitatis explicuit Joannes verbis innuentibus præcedentiam temporis *ante me factus eſt*: ita cauſabilitatem, & cauſalitatem (quia plerunque important præeminentiam quandam, & quoddam neſcio quid, ſupra terminum, vel ſaltem quandam præcognitionem, ut ſupra explicuit S. Baſilius) explicamus omnes terminis illis innuentibus quoque antecedentiam temporis. *Cauſa eſt prior. Exiſtit ante effectum. Præſupponitur ante illum. Intelligitur pro priori ad illum*, & ſimilibus aliis, quorum objectum eſt, quid phyſicum, & reale: nimirum productio immediata, vel mediata qua cauſa producit effectum; quod autem illud phyſicum, & reale ſit *prius* ſit *antecedens &c.* eſt opus rationis, ſi hæc verba accipiantur in toto ſuo rigore: vel eſt quid reale, ſi hæc verba non accipiantur rigoroſè, ſed cautè, ac juxta philoſophicum uſum. Neque hoc mireris in re præſenti: paſſim namque, ac in omni litteratura, ſive ſacra, ſive prophana, ſive phyſica, ſive ethica, ſive civili, ſive militari, ſive ruſtica, deprehendes plurimos modos loquendi, qui juxta ſcholaſticum rigorem, & juxta latinum ſenſum, quem præſeferunt, ſunt falſi; juxta vulgarem autem, & communem, in quo proferuntur, ſunt veri, ut ſæpè adverti, v.g. *Pe-*
Genes 6. *nituit eum, quod hominem feciſſet in terra* (Deus eſt ne capax pænitentiæ ſecundum latinum rigorem hujus vocis) *& præcavens in futurum* (eſt ne capax hujus cautelæ, qui præſcientiâ ſuâ omnia comprehendit, & pro-
Matth.10. videntiâ ſuâ omnia diſponit, ita ut ex duobus paſſeribus, nec unus cadat ſuper terram ſine illius voluntate, ſaltem permiſſiva) *& tactus dolore cordis intrinſecùs*. Dolor cordis ſecundum rigorem harum vocum
Luca 2. poteſt cadere in Deum? Similiter *Pater tuus, & ego dolentes &c.* Joſeph erat ne ſecundum rigorem Pater Chriſti? Idem contingit in illis modis loquendi. *Cauſa eſt prior, exiſtit pro priori, præſupponitur, præintelligitur*, quibus aliqui utuntur hic, tanquam armis Æneæ, aut Achillis; qui veri ſunt, benè intellecti; falſi autem in rigore latinitatis, quem præſeferunt.

102. Argui etiam poteſt poſitivè. Duo calores poſſunt ſe invicem conſervare in eodem inſtanti, & quoad unicam poſitivam conſervationem (gemina enim conſervatio poſitiva totalis rei ejuſdem eſt naturaliter impoſſibilis) at conſervatio poſitiva, licet minore egeat virtute cauſæ, certè non diſtinguitur ſpecie à productione, quia poſitiva conſervatio eſt continuata productio. Ergo poſſunt ſe invicem cauſare in eodem inſtanti, & quoad unicum eſſe, ſive actionem productivam. Major
Eccleſ.4. conſtat tum ex nota illa Salomonis ſententia. *Si dormierint duo, fovebuntur mutuò*, tum experientiâ, qua deprehendimus diutius durare duos calores reciprocè unitos, duo frigora invicem adhærentia, etiam quan-

do

do aër ambiens non eſt invaſus qualitate ulla contraria, unde non poteſt reſponderi majorem illam durationem provenire ex eo, quod una qualitas removens contrariam, protegit, & ſic, conſervat negativè ſociam. Præterquam quod in iſto effugio offenditur ad eandem difficultatem. Duo poſſunt ſe invicem defendere in eodem inſtanti, & quoad primum inſtans ſuæ exiſtentiæ, ut ſi Deus ſimul, atque intra eundem aërem produceret multos calores, aut multa frigora. Ergo poſſunt ſe invicem conſervare negativè, quoad primum eſſe. Ergo, & poſitivè, quia non apparet alia diſparitas, niſi iterata illa cantilena de prioritatibus, pręcedentiis, & antecedentiis. Aut iſta altera, quod cauſam *intelligimus*, ut priorem effectu, quaſi noſtræ intelligentiæ, ac apprehenſiones eſſent menſura realitatis. Etiam Angelos apprehendimus, ut formoſos, robuſtos juvenes, aut pueros, quando eos definimus per ſubſtantiam completam ſpiritualem, & conſequenter per oppoſitionem cum corpore. Ideò ne ſunt juvenes, aut pueri, aut ſunt oppoſiti ſuæ definitioni? Etiam Æternum Patrem intelligimus, ut ſenem canutum, quia ita viſus eſt Danieli. Ideò ne eſt ſenex canutus? Ratio autem hujus concluſionis poteſt eſſe. Ignis A ſpecificativè, ac ſecundum ſe inſpectus, ſuaptè natura, eſt capax producendi ignem B, ſumptum ſimiliter (ſecus ſe ipſum) ſicut quodvis aliud individuum ſuæ ſpeciei. Rurſus ignis B ſuaptè natura eſt quoque capax producendi ignem A, utroque inſpecto ſecundum ſe præciſè, ſicut capax eſt producendi quodvis aliud individuum ſuæ ſpeciei à ſe diſtinctum. Rurſus cauſa creata poteſt phyſicè operari in primo inſtanti ſuæ exiſtentię, quin neque per unicum inſtans otietur, aut præcedat ſuo effectui: quia apprehenſio plus ſolito ridicula foret, apprehendere opus eſſe, quod cauſa ſecunda per aliquod inſtans otietur, & quieſcat à longiſſimo itinere ex nihilò, quod paulò ante erat, ad aliquid, quod nunc eſt, ex mera poſſibilitate, ad exiſtentiam. Et certè durum eſt, Solem in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ tenebroſum prorſus fuiſſe, & nil omninò lucis produxiſſe. Angelos in primo inſtanti ſuæ exiſtentię nil penitus cognoviſſe, ac veluti ſtatuas fuiſſe. Ignem in primo inſtanti ſuę exiſtentię non calefacturum manum, in qua derepente produceretur à Deo. Et durities creſcit ex principiis fidei, cum credamus Æternum Patrem eſſe principium phyſicè productivum Filii, & nuſquam prorſus fuiſſe Patrem ſine Filio.

103. Cum igitur ignis A poſſit phyſicè operari in primo inſtanti ſuę exiſtentię, atque ex ſe ſit capax producendi ignem B, & ſimiliter hic reſpectu illius, cur Deus totum id prænoſcens non poteſt concipere hoc decretum applicativum Omnipotentię reſpectu illorum, quod licet verbis ſucceſſivis explicemus, eo quod non poſſimus loqui, aut ſcribere, niſi unum poſt aliud, non habeat in ſe à parte rei hanc ſucceſſionem. *Volo meam Omnipotentiã cum igne A producere ignem B, & cum hoc illum in eodem inſtanti*; ſicut poteſt velle cum lapide A penetrare lapidem B, & cum hoc, totum illum, in primo inſtanti exiſtentię illorum. Profectò hic non audio aliam difficultatem, niſi ſolitam cantilenam aſſumentem fal-

ſum, nempè præcedentiam temporalem cauſæ ad effectum, vel aſſumentem id ipſum, de quo eſt quęſtio. Scilicet. Ignis A exiſteret priuſquam exiſteret, pro priori ad ſe ipſum, pręcederet, antecederet, ſupponeretur &c. Aut illam alteram nuper refutatam de eo, quod *intelligimus* cauſam, ut priorem effectu. Sed eo ipſo, quod Deus cum pręſcientia naturę ignis utriuſque, poſſit concipere illud decretum applicativum Omnipotentię, ignis A, & B, mutuo ſe producerent phyſicè in primo inſtanti ſuę exiſtentię, & quoad primum, imò, quoad unicum ſui eſſe. Ergo: Et confirmari poteſt exemplo infra dando de proceſſione ęterni Verbi ex ſuamet cognitione, reſpectu cujus eſt objectivè prius. Et de proceſſione Spiritus Sancti ex Verbo ipſo, quod procedit ex cognitione Spiritus Sancti, reſpectu cujus, hic eſt objectivè quoque prior; quamvis enim genera ſint diverſa, ut ibi exponam, at argumenta, quæ hic objiciuntur eodem prorſus modo poſſunt objici ibi: & ſicut ibi non concludunt, ita neque hic. Ex quibus omnibus habes cardinem primarium hujus controverſiæ ſtare in legitimo uſu, atque intelligentia phraſeon illarum jure conſervandarum in ſcholis. Cauſa *eſt prior*, *præcedit*, *ſupponitur*, *præintelligitur*, *exiſtit in ſigno priore &c.* Et dico. Vel ſignificant merum, & purum influxum mediatum, & per accidens ignis A in ſe ipſum (& improbabiles non ſunt; ſed cum de hoc ſit quęſtio, impoſſibilitas illarum non debet aſſumi inſtar principii ab adverſariis) vel ſignificant pręcedentiam, quoad tempus, aut locum, aut independentiam, ſeparabilitatemque realem reſpectu effectus (& ſunt falſę) aut ſignificant nos apprehendere, ſive intelligere cauſam, ut priùs exiſtentem in rebus, quàm effectum (& tranſeat apprehenſio, quàm non curo, dùm agitur de re: & apprehenſio iſta multoties eſt conſona objectis, ſed non ſemper) vel demum ſignificant ignem A non poſſe producere id, à quo producitur. Et cum de hoc ſit quęſtio, aſſumunt probandum.

104. His non obſtantibus. Dico 2. Abſolutè loquendo repugnat inter duo mutua cauſalitas phyſica in eodem genere, atque ſpecie phyſica, quoad primum eſſe. Sed nonrepugnat mutua prioritas in diverſo genere, uno ſubjectivo altero objectivo, uno phyſico altero purè determinativo. Explicatur concordia primæ partis cum antecedente concluſione. Contingit multoties, quod attentis duntaxat unis principiis non repugnet res, attentis verò aliis, quæ attendi debeant repugnet. Cumque ad proferendum abſolutè ſententiam, non ſint audienda una ſola principia, ſed omnia, idcircò fieri poteſt, quod abſolutè proferatur ſententia de impoſſibilitate rei, quę ſub una ſola luce non apparebat impoſſibilis. Sic diſp.4. Prodromi, dixi creaturam creatricem eſſe impoſſibilem abſolutè, quia licet ſtando ſoli rationi metaphyſicę, non appareat illius impoſſibilitas, ut ibi conſtitit ex ſolutione omnium argumentorum hactenus excogitatorum pro illa impoſſibilitate; veruntamen attenta PP. authoritate, quę ſine dubio attendi debet, ſatis clarè apparet impoſſibilitas ea. Similiter inpręſentiarum. Attentis ſolis principiis metaphyſicis, non ſatis apparet metaphyſica impoſſibilitas

illius

illius reciprocę cauſalitatis, ut philoſophatus ſum uſque ad numerum antecedentem; aſt ſatis apparet attento alio principio, quod attendi debet, nimirum dictamine prudentiæ. Probatur itaque prima pars concluſionis; quoties omnes, aut ferè omnes antiqui, atque moderni profeſſores alicujus ſcientię in aliqua materia, ſcientię illius propria, conveniunt, non eſt diſcedendum ab illa, niſi ob gravem poſitivam rationem contra pondus illud authoritatis. Hoc enim jubet dictamen prudentiæ, rationaliſque averſio à temeritate in opinando. Et hoc quamvis rationes illorum omnium probabiliter ſolvantur: quia cum ſolutio non ſit evidens, neque ponderi authoritatis contrariæ par, poſſeſſio, & ſenſata pręſumptio ſtat pro illis. At mutua cauſalitas dicta, eſt res propria philoſophię, atque in illius impoſſibilitate conveniunt, ut meritò notat Oviedo, omnes, aut ferè omnes (una, vel altera hirundo apud Hurtado non facit ver) Philoſophi antiqui, atque moderni etiam illi, qui docent eſſe poſſibilem mutuam cauſalitatem in diverſo genere, v. g. ultimam diſpoſitionem ad formam eſſe cauſam hujus, & hanc eſſe cauſam illius. Deindè non producitur efficax poſitiva ratio contra hanc impoſſibilitatem, ſed ſolum probabilis ſolutio rationum illam probantium. Ergo juxta rectam rationem, & omnibus, quę attendi debent, attentis, dicendum eſt, impoſſibilem eſſe mutuam illam prioritatem. Falluntur aliqui pręferentes abſolutè ſententias juxta principia ſola metaphyſica. Principia hęc ſunt magna; ſed non ſunt unica; quid refert, quod juxta hæc non noceat ęgroto emiſſio ſanguinis, ſi juxta principia medica occidet illum. Hęc ratio inſervire nequit probando impoſſibilitatem mutuæ cauſalitatis in diverſo genere cauſę phyſicę, multi namque graves Philoſophi eam defendunt: quamobrem licet in tali, aut tali caſu, ac materia particulari ob particulares rationes non ſubſiſtat, ut non ſubſiſtit inter ultimam diſpoſitionem, & formam, v. g. aſt ex genere ſuo non repugnat.

Ovied. controv. 7. phyſic. puncto 8. n. 2.

Hurtad. diſp 8. phyſic. ſect. 8.

105. Argumenta contraria ei primæ parti concluſionis facilè ſolvuntur. Nam 1. adagium illud *cauſa ſunt invicem cauſa* intelligi poteſt de omnibus illis cauſis, & mutuis cauſalitatibus, quas memini à num. 89. non verò de mutua cauſalitate in eadem ſpecie cauſæ phyſicæ, quoad primum inſtans, & eſſe, de quo eſt præſens quæſtio 2. experientia illa de duobus corporibus ſe invicem ſuſtentantibus ne alterum cadat, non probat; quoniam aliud eſt mutua connexio earum duarum præſentiarum in eis circumſtantiis, quæ ſolet confundi, licet immeritò, cum mutua cauſalitate; aliud mutua cauſalitas. Illud eſt verum, hoc eſt falſum. Ambo namque ſtare, conſiſtit formaliter immediatè in eis individuis præſentiis, quas in eo loco habent. Sed ex his præſentiis neutra cauſatur ab altera, aut à corpore altero, quia omnis præſentia creata cauſatur immediatè, per motum localem, aut per quietem, à re illa cujus eſt præſentia, quamvis nonnunquam alieno impulſu determinetur ad cauſandum immediatè præſentiam illam ſuam. Ergo. Cauſat autem unum ex illis præſentiam eam alterius indirectè ſolum, & tanquam removens, prohibens; quia corpus A, ita locatum ſupponitur, ut non

Digitized by Google

poſſit amittere eam præſentiam, niſi cadendo, v. g. verſus Orientem. At corpus B, connitens per ſuam gravitatem in Occidentem in illa eadem linea loci, obſiſtit ſua impenetrabilitate illi caſui corporis A. Ergo corpus B, indirectè ſolum, atque removens caſum corporis A, prohibiturum præſentiam, quam hoc habet, eſt in cauſa, ut corpus A, illam conſervet. Idem de hoc reſpectu corporis B; neutrius ergo gravitate, ac impenetrabilitate vincente altera, ambo ſtant. Hanc autem ſpeciem reciprocæ conſervationis non negavit unquam communis philoſophia. 3. experientia alia de aëre ingrediente per januam, aut feneſtram non probat. Aliud namque eſt reciproca connexio aperitionis feneſtræ, atque illapſus aeris (& hoc eſt verum ob impoſſibilitatem naturalem vacui, atque penetrationis; & hoc ſolum probant multa argumenta contraria, nempe reciprocam connexionem) aliud reciproca cauſalitas. Et hoc eſt falſum; nam quando aer impetu irruit in feneſtram, impetus ipſius eſt cauſa præſentiæ aeris in eo loco, in quo erat feneſtra, quia motu ſuo acquirunt corpora novas præſentias, & ſic eſt cauſa remotionis feneſtræ (generatio enim unius eſt corruptio alterius) ab eo loco, ob impenetrabilitatem amborum; quando autem aliundè removetur feneſtra ab eo loco, quieſcente aere, tunc illa alia cauſa determinat feneſtram, ut cauſet alibi ſuam præſentiam. Hæc præſentia alibi, eſt cauſa carentiæ præſentiæ in loco priore ob impoſſibilitatem bilocationis. Hæc carentia removet impedimentum præſentiæ aeris in eo loco; Remoto hoc impedimento aer expanditur, & occupat eum locum, & conſequenter ingreditur. Unde aperitio feneſtræ modo dicto facta, eſt cauſa valdè remota, & indirecta ingreſſus aeris, & non ratione ſui ſolius, ſed impoſſibilitatis quoque bilocationis, penetrationis, atque vacui.

106. Probo ſecundam partem concluſionis. Æternus Filius eſt actu formaliter phyſicè prior origine, ſeu ſubjectivè Spiritu Sancto, quia cum Patre eſt unicum principium ſubjectivum illius, hoc eſt per ſe immediatè, & non per ſuam cognitionem in illum influens, juxta Florentinum, & juxta teſtimonium Chriſti. *Paracletus, quem ego mittam vobis ſpiritum veritatis*. Miſſio autem in divinis indiſpenſabiliter imbibit productionem miſſi à mittente, ut jam adverti num. 94. Rurſus, Filius, utpote verbum expreſſivum per ſe eſſentialiter abſolutè totius Beatiſſimæ Trinitatis, quia non eſt ſemi-verbum, nec Æternus Pater eſt inadæquatè mutus, procedit ex cognitione abſoluta Spiritus Sancti. De conceptu quippe Verbi rationalis eſt, procedere ex cognitione illius, de quo eſt Verbum, ſeu locutio: Unde vulgaris eſt exprobratio illa adverſus temerè loquentes. *Neſcis quid dicas*. At Spiritus Sanctus eſt in genere objectivo, atque determinativo prior illa cognitione: Ideò namque à priori intellectus divinus cognoſcit eſſe Spiritum Sanctum, quia verè eſt. Ergo Æternus Filius eſt in genere phyſico, ac ſubjectivo, ſeu origine prior illo, qui in genere objectivo, ac determinativo eſt prior reſpectu Filii: Nam licet cognitio divina Spiritus Sancti non ſit prior Verbo in genere objectivo, ideſt, per reflexam

Seſſ. ult.
Ioan. 15.

xam ſui cognitionem, ſed immediatè per ſe ipſam in genere ſubjectivo; at Spiritus Sanctus eſt prior illâ in genere tantum objectivo, quatenus eſt objectum expreſſum per illam cognitionem. Ergo eſt poſſibilis, ac de facto datur non quidem mutua *cauſalitas* in diverſo genere, quia in divinis non admittunt latini cauſalitatem, ut initio diſp. 2. dixi, ſed mutua *prioritas* originis, ſive principii in diverſo genere; uno ſubjectivo, altero objectivo, uno phyſico, altero determinativo, ſive intentionali; non quia Spiritus Sanctus removeat aliquam realem indifferentiam intellectus divini ad ipſum cognoſcendum (abſit talis indifferentia realis) ſed quia, loquendo in genere, veritas cognitionis non eſt ratio à priori ſui objecti, ſed hoc, eſt ratio à priori, ob quam ſit vera cognitio. Ab eo enim quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa. Idem dico de cognitione ipſius Verbi: quoniam ex ea quoque immediatè, ac ſubjectivè procedit; & eſt prius illâ objectivè juxta nuperum diſcurſum. Ergo inter Verbum divinum, & cognitionem ſui, datur mutua prioritas in diverſo genere. Quamvis autem in creatis non habeamus horum myſteriorum rem ſimilem, habemus ſemiſimilem. Aliqua namque media ſunt in genere ſubjectivo phyſico priora fine, quoad hujus primum eſſe; quia ſunt cauſa phyſica illius. Et ſimul ſunt poſteriora ad illum, & quidem quoad primum ſui eſſe, quia ſunt poſteriora ad intentionem finis, & intentio ad cognitionem illius, & hæc cognitio eſt poſterior in genere objectivo ad ipſum finem: ſiquidem ideò à priori cognitio enunciat finem eſſe bonum, quia ille bonus eſt, aut apparet eſſe.

§. V.

107. QUæſtio quarta eſt. *An duæ cauſæ influere poſſint in eundem numero effectum?* Seu quod idem eſt, an idem indiviſibilis effectus (dico *indiviſibilis*, quia ſi partibus diſtinctis conſtet, non eſt dubium quin una pars poſſit procedere ab una cauſa per unam actionem totalem, & altera ab alia per aliam actionem, quæ reſpectù illius ſit totalis; hoc forſan eſt, quod de facto contingit, ut dicam infra à num. 126.) poſſit pendere à duabus cauſis? Quatuor includit generalitas hujus quæſtionis. Primum. *An idem effectus poſſit, quatenus eſt ex ſe, procedere à quacunque alia cauſa ſpeciei illius cujus individua ſunt cauſativa aliorum ſimilium?* v. g. ignis A; à quocunque igne? Secundum. *An ex hypotheſi, quod effectus A, ſemel proceſſerit à cauſa B, poſſit poſtea procedere à cauſa C.* Tertium. *An ſimul, & in eodem inſtante poſſit procedere à duabus cauſis adæquatis*, hoc eſt, quarum quælibet par ſit cauſando ſe ſolâ illum; ſed in actu ſecundo cauſent illam per unicam cauſalitatem totalem, indiviſè procedentem ab utraque: vel potius per duas partiales, quarum unaquæque procedat ab una ſola

Digitized by Google

ex illis ? Quartum. *An ſimul, & in eodem inſtanti poſſit prodire à duabus cauſis totalibus: & per duas cauſalitates totales* (quoad ſolam *ſufficientiam* non quoad *efficaciam*, nam ſi ſunt duæ neutra certè eſt ſola, & tota) *quarum qualibet ſit à ſua cauſa*.

108. His omnibus reſpondeo negativè, ſi ſermo ſit. 1. de cauſis intrinſecis, effectibuſque formalibus. 2. ſi de cauſis finalibus reſpectu actionum, ut diſtinctarum à ſuis terminis. 3. ſi de cauſis phyſicè efficientibus reſpectu etiam actionum ſimiliter diſtinctarum. 4. ſi de cauſis materiali, formali, expulſiva, comparatis cum ſuis cauſalitatibus. Probo primam partem. Eundem effectum formalem, ſeu quod idem eſt, eandem entitatem, idem complexum, idem conſtitutum pendere ex ſe, aut ſucceſſivè, aut ſimul, à duplici cauſa adæquata intrinſeca ſtaret in eo, quod eadem omninò res, cujus tota eſſentia phyſica, vel pars eſſentię (id ſignificat modo cauſa intrinſeca) aliquando eſt A, aliquando eſſet B. Sed hoc repugnat, quia chymera eſt, rem ullam mutare totam, aut partem ſuę eſſentię phyſicę: & quia omnis caſus poſſibilis, in quo non eſt eſſentia phyſica rei, aut deficit aliquod eſſentiale conſtitutivum ipſius, eſt caſus in quo non eſt illa individua res, ſed ſi eſt aliquid, erit res alia diſtincta phyſicè à priore, quamvis ei ſimilis; alioquin eſſentia phyſica, & conſtitutivum rei, erunt accidens reſpectu illius, quippe quæ abeſſent, & adeſſent, præter ſubjecti corruptionem. Ergo repugnat eundem numero effectum formalem pendere diviſim, aut ſucceſſivè à duplici cauſa intrinſeca, ſive partiali, ſive totali, diſſimulatâ etiam impoſſibilitate cauſæ intrinſecæ totalis, juxta ea, quę dixi diſp. 1. Neque proferas exemplum veritatis disjunctivè neceſſariæ; *Petrus exiſtit, vel non exiſtit*; quæ jam conſtituitur per exiſtentiam, jam per carentiam, eo quia quælibet ſufficiat ei veritati; quo exemplo utitur Aldrete ad explicandum actus divinos liberos, inquiens, eas denominationes poſſe æquè conſtitui per exiſtentiam, atque per carentiam rei A, unde ſolâ creaturâ mutatâ, mutaretur volitio, aut nolitio divina illius ſine mutatione ulla in ipſo Deo.

109. Non valet exemplum. Aliud namque eſt propoſitio ipſa disjunctiva. Aliud veritas ipſius in genere. Aliud individua hæc veritas, qua modò eſt vera. Propoſitio ipſa disjunctiva non conſtituitur per exiſtentiam, aut per carentiam Petri, quia ab utraque diſtinguitur adæquatè: unde neutra eſt cauſa intrinſeca illius. Veritas in genere, quæ neque ſit hæc individua, nec illa individua &c. non datur à parte rei, quia omne ſic exiſtens, eſt hoc ſingulare, vel illud ſingulare &c. niſi admittas univerſale à parte rei. Unde nec per exiſtentiam, nec per carentiam Petri conſtituitur. Veritas individua, & ſingularis disjunctiva, neque mutat, neque mutare poteſt conſtitutivum: nam quando Petrus exiſtit, veritas disjunctiva conſtituitur per exiſtentiam; quando ille non exiſtit, tunc non illa eadem numero, ſed alia inadæquatè diſtincta veritas conſtituitur per carentiam. Cumque neceſſe ſit Petrum exiſtere, vel non exiſtere, ideò neceſſe eſt dari unam, vel alteram veritatem illius propoſitionis disjunctivæ, & conſequenter neceſſe

ceſſe eſt illam disjunctivam eſſe veram; quanquam ergo mentalis propoſitio ſit eadem, veritas ipſius in uno caſu eſt aliud quid inadæquatè diſtinctum à veritate ejuſdem pro altero caſu. Explicatur. Complexum ex mentali ea propoſitione, & exiſtentiâ Petri, eſt realiter inadęquatè diſtinctum à complexo ex eadem propoſitione, & carentia Petri (eſto dari objectivas carentias) ſed primum complexum eſt veritas disjunctivæ propoſitionis, quando Petrus exiſtit; ſecundum autem eſt veritas ejuſdem, quando ille non exiſtit. Ergo veritas propoſitionis disjunctivę prò uno caſû, eſt realiter inadæquatè diſtincta à veritate eiuſdem pro altero caſu. Ergo iſto exemplo non probatur eandem omninò rem poſſe mutare conſtitutiva, ſed tantum probatur mutari inadæquatè ipſa conſtitutiva. Ergo non probatur, eundem penitus effectum formalem poſſe ſucceſſivè pendere à duplici cauſâ intrinſecâ; quod ſi dixeris, fore contingentem individuam veritatem disjunctivæ dictę, quando Petrus exiſtit, annuo. Sed cum, eo ipſo, quod illa deficeret, ſufficeretur altera veritas conſtituta per carentiam, ideò ſubſiſtit illam disjunctivam ſemper fore veram, ſive una veritate, ſive alterâ.

110. Probo ſecundam partem, nimirum eodem modo philoſophandum eſſe de cauſis finalibus reſpectivè ad actiones, ut diſtinctas à ſuis terminis. Tametſi idem numero effectus abſolutus, v. g. idem numero ignis A, qui excitatur ex fine, motivo, ſeu intentione A, poſſet excitari ex fine, motivo, ſeu intentione B. Rurſus. Tametſi actio excitativa eſſet eadem moraliter, virtualiter, aut æquivalenter (habent latiſſimam ſignificationem hæc adverbia) veruntamen eſſet phyſicè entitativè, materialiter, realiterque diſtincta. Ergo eadem phyſicè, ac realiter actio non poteſt &c. Probo antecedens. Nil per ſuammet eſſentiam alligatum tali individuæ intentioni finis A, poteſt exiſtere deficiente ea individua intentione: quocirca ſi in locum hujus, ſufficitur alia phyſicè diſtincta, quod erit annexum huic, erit phyſicè diſtinctum ab eo, quod annexum erat illi. Sed omnis actio hic, & nunc facta ex fine, motivo, ſeu intentione A, per ſuammet eſſentiam eſt alligata huic individuæ intentioni. Probatur. Omnis actio phyſica eſt per ſuammet eſſentiam alligata eis principiis poſitivis phyſicis, aut moralibus, à quibus procedit ut dixi in Prodromo diſp. 4. num. 62. Eſt namque actuale, abſolutum, formale, atque immediatum exercitium virtutis, aut phyſicę, aut moralis, & motivæ illorum: ad quæ, ſi foret indifferens, opus eſſet recurrere ad aliud, determinandi ergo, hanc indifferentiam, de quo alio fieri poſſet idem argumentum. Principia verò purè negativa actionis, v. g. carentia neceſſitatis antecedentis reſpectu actionis liberæ, item conſcientia ab hac retrahens, cum non influant poſitivè in actionem, ſed ei merè coexiſtant, ita ut ex ea non naſcatur, non habent actuale abſolutum, formale, & immediatum exercitium ullius ſuæ virtutis, ſiquidem nullam exercent in ordine ad actionem, ſed ad ſummum in ordine ad non actionem. Firmum itaque videtur, omnem actionem phyſicam eſſe per ſuammet eſſentiam alligatam eis principiis poſitivis phyſicis, ac moralibus à quibus

pro-

procedit. Sed omnis actio hic, & nunc facta ex intentione A, procedit ab hac, tanquam à principio poſitivo morali, quia certè hæc intenrio, & eâ mediante, hic finis, hoc motivum, inſtigant potentiam executricem actionis illius, ut illam exequatur. Ergo.

Ovied. contrever. 7. phyſ. punct. 6. 111. Hinc habes 1. impugnatam ſolutionem Oviedo dicentis, intentionem finis eſſe duntaxat principium morale actionis, & ideò non terminare dependentiam illius. Et, probatas reliquas partès concluſionis, videlicet quæſtionibus illis reſpondendum eſſe negativè, ſi procedant de cauſis phyſicè efficientibus reſpectu tamen actionum, ut diſtinctarum ab effectibus abſolutis: nec non ſi procedant, de illis aliis cauſis comparatis cum ſuis cauſalitatibus; quoniam pro his omnibus valet diſcurſus nuper factus, ſcilicet omnes has cauſalitates, utpote actualia, abſoluta, formalia, & immediata exercitia ſuarum illarum cauſarum, eſſe intimè connexas cum illis reſpectivè, & conſequenter defecturas, ſimul, ac illæ reſpectivè deficerent. Unde cum cauſalitas materiæ reſpectu formæ materialis conſiſtat in eo, quod actio productiva hujus uniatur materiæ, tanquam ſubjecto præſuppoſito, juxta conceptum eductionis ſupra datum: cauſalitas individua A, qua materia A cauſat materialiter formam A; eſt eſſentialiter alligata materiæ A. Item cum cauſalitas cauſæ formalis (non quidem reſpectu totius reſultantis ex ipſa, & materia, quia hæc cauſalitas eſt conſtitutiva ipſius totius; ſed reſpectu materiæ, cujus indifferentiam determinat) conſiſtat in unione intrinſeca phyſica cum materia, vel in alio reſpectu ad ipſam, ſine phyſica unione, ut contingit in formis extrinſecis: ideò illa unio, ſive ille reſpectus individuus, eſt eſſentialiter alligatus ei individuæ formæ. Præterea cum cauſalitas cauſæ moralis ſumpta in actu ſecundo, ut vox ipſa *cauſalitas* innuit, conſiſtat in actuali acquiſitione, ſeu motione, qua actu movetur potentia, quæ capax eſt, ut moveatur, ideò actualis illa individua motio, eſt eſſentialiter annexa illi individuę cauſæ morali. Demum cum cauſalitas, qua una forma expellit aliam, conſiſtat formaliter immediatè in decreto divino, quo Deus *ob naturam, & exigentiam formæ ignis*, v. g. introductæ, ceſſat à conſervando unionem formæ ligni cum illa eadem materia, ut dicam num. 116. & hoc decretum, ut patet, ſit eſſentialiter connexum cum ea forma ignis: ideò hæc individua cauſalitas, qua forma ignis expellit formam ligni, provenire non poteſt ſuo modo ab alia cauſa. Habes 2. dictas actiones, ſive cauſalitates, ut diſtinctas à ſuis terminis, non poſſe pendere ſimul à duplici cauſa totali, & adæquata; v. g. à duplici fine, ſeu motivo adæquato à duplici cauſa efficiente &c. quia cauſa totalis reſpectu actionis A, eſt illa, quæ ſe ſola ſine conſortio alius creatæ, ſufficit ponendo illam actionem. At quoties actio pendet hic, & nunc à duplici causâ, neutra ſufficit ſe ſola ponendo illam, quia illa eſt ex ſua eſſentia alligata utrique, juxta rationem paulò ante datam. Ergo quoties eſt à duplici cauſa, neutra poteſt eſſe totalis reſpectu illius, licet multoties ſit totalis, reſpectu termini abſoluti actione illa facti. unde quando aliquis dicitur dolere de peccato totaliter propter Deum,

& to-

& totaliter propter gehennam ſignificantur, aut duo dolores diſtincti ſimul exiſtentes, qui cum non cognoſcantur intuitivè, videntur unus actus, ſicut quando à longè videmus duo objecta diſtincta, quæ unum videntur: aut ſignificatur tanta actualis affectio erga Deum, ut etiam ſi non eſſet gehenna, doleremus de peccato, & tanta alia averſio à gehenna, ut etiamſi preſcinderemus à Deo, deteſtaremur quoque peccatum.

§. VI.

112. EXpediti à cauſalitatibus, aggrediamur effectus ipſos abſolutos ab eis diſtinctos. Dico 1. ſi ſermo ſit, de cauſa materiali, idem effectus, ſive ſit forma ſubſtantialis, ſive accidentalis poteſt ex ſe pendere, vel ab una, vel ab alia. Quia licet exigat materiam cum talibus determinatis diſpoſitionibus; verumtamen, cum quælibet materia ſit ex ſe capax habendi eas diſpoſitiones, non eſt cur forma ignis, v. g. aut calor, potius exigant materiam A, quam B, ſpecificativè ſumptas, omnes quippe ſunt ejuſdem ſpeciei, & quælibet ex ſe eſt capax ſuſtentandi, ac recipiendi quamlibet ex his formis. Verumtamen hæ non poſſunt naturaliter pendere ſimul à duplici materia corporea per duplicem eductionem totalem, aut partialem; quia omne intrinſecè receptum in alio, tanquam in ſubjecto ſuæ eductionis, eſt in eodem loco, in quo eſt illud aliud. Ergo omne ſic receptum in duabus materiis, deberet eſſe in locis illarum. Ergo deberet eſſe in duobus locis, vel illæ materiæ deberent eſſe in eodem loco. Sed ambo ſunt naturaliter impoſſibilia. Ergo nulla forma, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, poteſt naturaliter recipi in duabus materiis, ergo non poteſt pendere ſimul à duplici cauſa materiali corporea per unicam, vel per duas dependentias totales, aut partiales. Dixi cauſam materialem *corpoream*, quia ſuo loco dixi unionem corporis, & animæ noſtræ, item ſenſationes materiales, puta viſionem, auditionem &c. recipi ſimul in corpore, & anima, adæquatè in utroque, & inadæquatè in ſingulis, conſequenter dixi animam ſpiritualem eſſe cauſam inadæquatam materialem horum; materialem, inquam, non univocè, ſed æquivocè, quatenus eſt ſubjectum receptivum, & ideo poteſt dici materiale.

113. Præterea aliqua poſſunt dependere ſucceſſivè à duplici cauſa materiali inadæquata: quia juxta ſententiam admittentem formam cadavericam, multa accidentia, quæ paulò ante recipiebantur inadæquatè in forma vivente materiali præexiſtente, recipiuntur inadæquatè in forma cadaverica ſubintrante: eo quod in deſtructione compoſiti ſubſtantialis non ſemper fiat reſolutio uſque ad materiam primam, tametſi accidentia non recipiantur in illa ſola, ſed etiam in forma, ut dixi in phyſica naturali diſp. 1. Formæ autem ſubſtantiales nequeunt natu-

raliter pendere ſucceſſivè a duplici cauſa materiali, quippe hactenus non eſt detectum agens naturale, quod ſolvens unionem formæ ſubſtantialis cum una materia, ſubſtituat aliam, in qua recipiatur illa forma, protinus enim deficit ea forma, quando deficit unio ſui cum illa materia, cui primùm uniebatur. Neque dicas formam equi, dum hic marceſcit, atque per reactionem qualitatum contrariarum amittit aliquas portiones materiæ, poſtea verò acquirit alias per nutritionem, tranſire à receptione in illis prioribus ad receptionem in his novis. Etenim cum forma illa ſit diviſibilis, non eſt eadem pars animæ, quæ modo recipitur in partibus acquiſitis per nutritionem, & quæ olim erat in eis perditis, ſed diverſa. Amiſit enim equus portiones materiæ, & portiones animæ, quæ ibi erant (ſicut quando ei abſcinderetur auricula, vel crus) & per nutritionem acquirit novas portiones materiæ, & anima equina præexiſtens uniens reliquo corpori illas, producit in illis portiones animæ illis reſpondentes: ſicut anima rationalis in nutritione humana producit, non quidem novas partes animæ, ſiquidem eſt indiviſibilis, ſed novas uniones, ſeu uniunculas ſui ipſius, cum illis novis partibus ſubſtantiæ, quas nutritione acquirit.

114. Dico 3. Si ſermo ſit de cauſa formali comparata cum illa altera comparte, cujus indifferentiam determinat, & reſpectu cujus latiſſimè, atque impropriè eſt cauſa, naturaliter contingit, quod eadem materia in hoc ſenſu improprio pendeat ſucceſſivè à gemina cauſa formali adæquata, quia materia ex ſe eſt indifferens ad quamcunque formam ſubſtantialem, & paſſim tranſit de una ad aliam juxta ſyſtema Ariſtotelicum datum diſp. 1. Verum eſt, quod ultimo diſpoſita ad formam ignis, non poteſt naturaliter habere niſi formam ignis; ſed ſunt multæ formæ ignis, diſtinctæ numericè ab omnibus, quæ ſunt, & fuerunt. Verum item eſt, quod ex forma vivente unius ſpeciei, non poteſt illicò tranſire ad aliam ejuſdem ſpeciei (poſt tempus, & tempus, poteſt habere formam alicujus alimenti, quo veſcatur alius homo, v. g. & ſic tranſibit ad aliam animam rationalem, ut dicebam ad finem diſp. 1.) quia licet immediatè poſt mortem animalis perſeverent plurimæ diſpoſitiones in eo corpore ad animam illius ſpeciei, aſt aliqua certè deficit, quia alias non mortuum foret animal illud: illam autem diſpoſitionem, nullum agens naturale huc uſque notum poteſt illico introducere. Ergo non poteſt illicò introduci naturaliter in corpus illud forma aliæ ejuſdem ſpeciei. Cæterum non poteſt naturaliter evenire, quod eadem materia pendeat ſimul à duplici cauſa formali totali (de formis partialibus jam egi diſp. 1. cap. de forma ſubſtantiali) per geminum influxum totalem, aut partialem, aut per unicum; quoniam materia eadem, & ſecundum idem nequit naturaliter habere ſimul duas formas ſubſtantiales *totales*, ſive ratione unius ſimplicis unionis cum utraque, ſive ratione duarum unionum totalium, ſive duarum partialium.

115. Dico 4. quamvis eadem expulſio formæ, ideſt expulſio unionis formæ cum materia (quia agentia contraria non conantur immediatè,

ac

ac directè in deſtructionem formę; ſeu in deſtructionem unionis formæ cum materia, quia nullam paterentur phyſicam violentiam in eo, quod Deus formam illam tranſferret ad aliud ſubjectum, aut extra omne conſervaret illam) poſſit provenire à diſtinctis cauſis expulſivis adæquatis, eo, quia unionis illius carentia ſit omninò eadem, ſive proveniat à cauſa A, ſive à cauſa B, quandoquidem cujuſvis rei indiviſibilis non datur, niſi unicum contradictorium formale, & hoc, licet decretum divinum hujus expulſionis ſit multiplex, ut dicebam numero 111. juxta multiplicitatem agentium, quæ poſſunt expellere illam unionem. Verumtamen non poteſt contingere, quod expulſio ejuſdem formæ proveniat ſucceſſivè à duplici cauſa totali. Neque ſimul per duplicem cauſalitatem totalem, ſed per unicam provenire poteſt à duplici cauſa totali expulſiva. Probo primam partem. Eam expulſionem provenire ſucceſſivè à duplici cauſa totali ſtaret in eo, quod unio formæ, ligni, v.g. deſtrueretur in inſtanti A per agens A, & poſtea in alio inſtanti per agens B. Sed hoc nequit contingere naturaliter, ſi inſtantia ſint diſcreta, & nec divinitùs, ſi inſtantia ſint contigua. Probatur. Unionem deſtrui in hoc inſtanti, ſtat formaliter in eo, quod non exiſtat in hoc inſtanti; cum extiterit *in inſtanti immediatè antecedenti*. Hoc formaliter eſt expelli. Hoc formaliter eſt mori; quis enim mediocriter peritus loquendi dicet, *modo in hoc inſtanti moritur Adamus. Modo in hoc inſtanti expellitur ſuum peccatum à Davide*. Eſt igitur conceptus copulativus *mori, expelli, deſtrui*. At ſi per agens A deſtruitur in inſtanti A unio dicta, prorſus repugnat, quod in inſtanti immediato deſtruatur per agens B *cum non extiterit in inſtanti immediatè antecedenti*, nam prorſus repugnat, quod exiſtat in inſtanti antecedente immediatè, ſi in eo deſtruitur. Ergo. Quod ſi loquamur de inſtantibus diſcretis, v.g. de hora prima hodierna, & de prima craſtina, fieri ſimpliciter poteſt, quod per agens A deſtruatur hodie, & per agens B deſtruatur cras. Sed hoc non poteſt contingere ſine reproductione illius unionis, ut verificetur horâ primâ craſtinâ, nunc deficit, *cum extiterit in inſtanti immediatè antecedenti*. At qui reproductio unionis non eſt naturaliter poſſibilis, ſive ex ſua natura, ſive ex divino decreto, ut ſupra dixi cum Hurtado. Ergo. Ubi jam vides, me non negare dictam expulſionem poſſe ſucceſſivè ab alio agente provenire, ſive quoad *ſufficientiam*, quia certè poteſt applicari paſſo aliud agens par expellendo illam formam, ſi jam non eſſet expulſa, ſive quoad continuationem; ſed ſolum, quoad *efficaciam*, & quoad expulſionem verè, & ſimpliciter talem.

116. Probo ſecundam partem: ſcilicet eam expulſionem non poſſe naſci ex duplici cauſa expulſiva totali, per duplicem cauſalitatem totalem. Cauſalitas hæc conſiſtit, ut ſupra dicebam, in decreto, quo Deus ob naturam, & præpotentiam illius agentis contrarii, vult tanquam Author naturalis ceſſare à conſervando illam unionem. Sed quando concurrunt duo agentia, quorum unumquodque eſt potens ſe ſolo expellere illam formam, ſuperfluum eſt, & conſequenter impoſſibile, quod Deus concipiat duo decreta, unum, quo dicat. *Volo ceſſare à*

conſervando hanc unionem propter agens A. Et alterum virtualiter diſtinctum, quo dicat. *Volo ceſſare à conſervando hanc eandem unionem in loc eodem inſtanti propter agens B*. Nam fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Et unico ſolo decreto poteſt Deus ſatisfacere utriſque illius hoſtis exigentiis dicendo ſic: *Volo ceſſare à conſervatione hac propter agens A, & B, qua nunc concurrunt, & quorum quodlibet eſt ſufficiens expellendo unionem hujus forma*. En ultimam partem concluſionis. Ergo. Majorem ſupra etiam dedi. Ratio autem eſt. Fateor cauſas ſecundas producere immediatè, ac directè multos effectus, ut ſupra dixi: adjutæ namque proportionato concurſu Dei ponunt actionem productivam illorum, quæ actio eſt aliquid per modum cauſalitatis metaphyſicè connexum cum eis effectibus. Rurſus verum eſt, cauſas ſecundas immediatè quoque, ac directè deſtruere poſſe aliquos effectus, quos nimirum immediatè conſervant, quales ſunt actus immediatè liberi, ſuperſedendo namque illorum conſervatione, illi deſtruuntur, ſive ex rebus expelluntur. Cæterum illos alios, quos non conſervant immediatè, quia externi ſunt, & ab aliis cauſis pendentes, non poſſunt cauſæ ſecundæ deſtruere, ſive expellere *immediatè, ac directè*, quoad efficaciam, ſed tantum quatenus poſſunt facere aliquid, in cujus ſenſu cõpoſito nequit naturaliter conſervari effectus ille aſt poteſt Deus illam abſolutè conſervare. Sic quando homo, vel cauſa alia naturalis dicitur occidere animal, non facit aliquid, quod ſit formalis, & immediata occiſio, ſeu mors animalis, ſed talia facit in corpore illius, puta jugulationem, diſcerptionem &c. ut in ſenſu compoſito illorum non poſſit anima reſtare illi unita: aſt illa non ſunt formalis, & immediata occiſio, ſive deſtructio unionis animæ illius.

117. Quoniam nil, in cujus ſenſu compoſito poteſt Deus conſervare unionem, eſt formalis immediata deſtructio unionis. At in ſenſu compoſito iſtius jugulationis, iſtius lanienæ, iſtius combuſtionis, & iſtorum omnium, quæ cauſæ ſecundę facere poſſunt, poteſt Deus conſervare unionem illam, quia poteſt facere miraculum. Ergo iſta omnia non ſunt formalis immediata deſtructio unionis illius. Ergo cauſæ ſecundæ nequeunt formaliter, immediatè, ac quoad efficaciam deſtruere unionem illam, ſed tantum illativè, mediatè, ac quoad ſufficientiam, quatenus poſſunt facere multa, quibus naturaliter debetur, quod Deus ceſſet à conſervatione illius unionis, & ferè ſemper annuit huic debito. Ergo cauſalitas, qua unæ cauſæ ſecundæ expellunt multas alias à rebus, non ſtat formaliter immediatè in ullo exercitio illorum, per ſe metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexo cum illarum expulſione (ſicut eſt connexum cum illarum exiſtentia cauſalitas, qua phyſicè unæ cauſæ ſecundæ cauſant alias) ſed ſtat in decreto illo.

118. Explicatur. Omnis cauſalitas rei A circa B, eſt per ſe metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexa cum eo, quod in actu ſecundo A cauſet B in eo ſenſu, in quo fuerit cauſalitas. Eſt quippe actuale, formale, abſolutum, & immediatum exercitium, quo A cauſat B. Ergo omne, quod non fuerit ſic connexum cum eo, quod A expellat B, non eſt cauſalitas, qua A expellat B. At plerumque ipſum A, non eſt

ſic

ſic connexum, v. g. inductio formæ ignis non eſt ſic connexa cum expulſione unionis formæ ligni ad eandem materiam; quippè licet forma ignis ſe ipſa formaliter immediatè exigat expulſionem illius unionis, & hac de cauſa videatur cauſare ſe ipſa, in genere cauſæ moralis expulſionem illam; nihilominus cum in ſenſu compoſito illius exigentiæ poſſit Deus conſervare illam unionem, ſequitur,quod exigentia illa non ſit cauſalitas in actu ſecundo expellendi illam unionem, quoniam de ratione cauſalitatis in actu ſecundo, eſt metaphyſica connexio cum cauſato; ſed ſolum eſt cauſalitas in actu primo; quapropter ſicut virtus cauſę efficientis eſt id, *quo* tanquam *actu primo* non *quo* tanquam *actu ſecundo* cauſa efficit effectum. Ita exigentia cauſæ moralis, eſt id, *quo* tanquam *actu primo*, non *quo* tanquam *actu ſecundo* cauſat moraliter effectum. Rurſus non ipſa expulſio unionis, quia hæc expulſio poteſt aliundè provenire, quàm à forma ignis. Demum complexum ex introductione formæ ignis, & expulſione illa, non eſt connexum modis illis cum eo, quod forma ignis cauſet illam expulſionem; quoniam fieri poteſt, quod Deus dicat, *volo inducere formam ignis in hoc ſubjecto, & ceſſare à conſervando in eo formam ligni; ſed non propter exigentiam formæ ignis.* Non ſolum eſt liberum Deum conſervare, aut non conſervare formam ligni; ſed etiam eligere inter motiva, quæ voluerit, annuendo uni, & repellendo aliud. Sicut nos etiam frui ſolemus libertate, non tantum ad actiones, verum etiam ad motiva illarum.

119. Ergo nil ex his tribus, aut ex aliis ſimilibus, eſt per ſe metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexum cum eo, quod hic, & nunc forma ignis expellat formam ligni. At decretum illud eſt ſic connexum, quandoquidem illo vult Deus omninò efficaciter *propter naturam, prapotentiam, exigentiamque* ignis ceſſare à conſervatione unionis formæ ligni cum ea materia. Ergo in hoc decreto ſtat cauſalitas in actu ſecundo, qua ignis expellit formam ligni. Eodem modo philoſophandum eſt de aliis cauſalitatibus moralibus, videlicet illas, ut tales, atque in actu ſecundo, non ſtare in actuali exigentia effectuum: hæc enim eſt cauſalitas impropria, & tantum in actu primo; ſed in actuali motione, ſive actuali acquietione, indulgentia, & conſenſu illius exigentiæ. Atque ideò tentatio vehemens, cui reſiſtis, eſt cauſa moralis valida, & efficax in actu primo, ſed non in actu ſecundo tui peccati. Et ſimiliter de aliis; quod ſi dixeris, fore ut divinum decretum ſit modus ignîs A, cum ſit actuale, abſolutum, immediatum, & formale exercitium virtutis expulſivæ, quam ignis habet: Negabo ſequelam, quia de ratione modi phyſici ultra prædicata iſta, eſt, eſſe quid creatum, nam quicumque admittunt modos phyſicos, res ſolas creatas admittunt ad hanc claſſem, iſtud autem decretum eſt quid divinum. Vel diſtinguam inter modum intrinſecum, & extrinſecum: negabo decretum eſſe modum intrinſecum ignis A, permittam eſſe modum extrinſecum, & improprium. Neque multum poſſunt abhorrere ab hac locutione, qui actus divinos contingentes ponunt ſemi-extrinſecos Deo, & conſtitutos eſſentialiter per ipſas creaturas, quas habent pro objectis. Sed ſimplicior eſt prima ſolutio.

Le-

§. VII.

120. LEviora ſunt hæc, tametſi non contemnenda. Difficultas
præſens ſtat primariè in concurſu duplicis cauſæ phyſicè effi-
cientis, creatæ, atque adæquatæ: v. g. quando ad æqualem applicatio-
nem duplicis ignis ad eandem penitus partem ſubjecti producitur alius
tertius ignis, quomodo ſe gerunt illi duo? laborat unus, & otiatur al-
ter? Operantur ambo, unuſquiſque per ſuam diſtinctam actionem tota-
lem, aut per partialem? An potius per unicam ſimplicem actionem to-
talem indiviſibiliter egredientem ab utroque? Ubi jam vides non eſſe
quæſtionem de duplici cauſa partiali, & inadæquata: quoniam paſſim
contingit duas cauſas tantum inadæquatas concurrere ſimul ad eundem
effectum; & quidem non per duas actiones totales, quia neutra illa
cauſa poteſt ſe ſola producere effectum illum v. g. motum grandis ſaxi:
nec per duas partiales, quia actio partialis repugnat. Sed per unicam
totalem. Item neque eſſe de duplici cauſa totali, una creata, & alte-
ra quæ ſit Deus; quia cap. 1. dixi Deum, & creaturam unica indiviſi-
bili actione concurrere. Item neque eſſe de effectu diviſibili, ut jam
monui num. 107. Item nec de effectu indiviſibili, ſed producendo in
tempore diviſibili, quia in una particula illius temporis poteſt produci
ab una illarum cauſarum, & in altera ab altera. Item nec de ſubjecto
diviſibili, ob eandem rationem, quæ omnia memento, nam ex illorum
oblivione naſcuntur æquivocationes. Igitur verum eſt, ignem A. v. g.
non poſſe producere quemlibet ignem, quia non poteſt producere ſe
1. p. q. 45. ipſum. Unde meritò docuit S. Thomas cauſam univocam non poſſe
art. 5. habere pro objecto adæquato totam ſpeciem, quia intra hanc imbibi-
tur ipſa. Poteſt verò cauſa æquivoca, quia non eſt intra ſpeciem ignis
v. g. Item neque poſſe producere quemlibet ignem, quem producere
poteſt ignis B., quia hic poteſt producere illum, & ille non poteſt pro-
Quodlibe- ducere ſe ipſum. Aſt falſum eſt, quod nonnulli dixerunt, quibus non-
to 3. nihil favit quondam ipſe S. Doctor, nimirum unamquamque cauſam
habere peculiarem claſſem effectuum, quos ſolos poteſt producere in
ea ſpecie, unde inferunt ignem A. non poſſe producere ullum ex igni-
bus illis individuis, quos producere poteſt ignis B., quia ſunt indivi-
dua ſpectantia ad ſphæram alienam: & ſubinferunt, effectum proceden-
tem phyſicè ab una cauſa creata, non poſſe procedere ſimul, aut ſucceſ-
ſivè ab alia cauſa creata. Hæc philoſophia non probatur majori parti
authorum, & meritò; quamvis enim virtus ignis A., quippe quæ fini-
ta eſt, non poſſit producere ſimul omnes alios ignes, quippe qui ſunt
infiniti; imò neque ſucceſſivè, quia infinitum non poteſt ſucceſſivè
pertranſiri: nullus tamen aſſignabilis eſt individuus alius ignis, qui
ſpecificativè ſumptus, atque præciſus à circumſtantijs, quæ poſſunt ad-
jungi ei, non poſſit procedere ab igne A. Sicut neque aſſignabilis eſt

à quo

Digitized by Google

à quo ipſe procedere nequeat. Unde poteſt producere omnes alios in individuo diſtributivè; aſt ſecundùm ſe ſumptos, non verò ex ſuppoſitione, quod multos jam produxerit, finietur enim ſua virtus. Omnes enim ſunt ejuſdem penitus ſpeciei, ac perfectionis, & ſunt capaces producendi effectum ſimilem (qua capacitate non funguntur anima rationalis, Angelus, materia prima, & multarum aliarum ſpecierum individua) & nullum profertur fundamentum ad faciendum iſtas diſtributiones effectuum ejuſdem ſpeciei, quorum uni à ſolo A. poſſint naſci: alij à ſolo B. ergo veroſimilius videtur, iſtas partitiones, & quaſi peculiorum diſtributiones eſſe imaginarias.

121. Neque dicas 1. Fundamentum non eſſe ad ampliandum virtutem ignis A., ita ut poſſit producere quemlibet alium ignem. Hoc namque, nonniſi quoad verba, eſt ampliatio: quia non dico ignem A. poſſe producere omnes alios copulativè, aut ſucceſſivè, aut diſtributivè, poſito quod alios jam produxerit; ſed nullum alium in ſingulari eſſe, quem ex ſe nequeat producere, quamvis multoties nequeat per accidens; eo quia virtus ſua per aliorum productionem agentiumque contrariorum reactionem, ſit exhauſta, vel quia ſubjectum non ſit diſpoſitum &c. Neque dicas 2. eſſe incredibile ignem parvum, v. g. ſcintillam unam, poſſe producere ignem magnum, puta babylonicam fornacem; tum quia cum forma ignis non ſit indiviſibilis, ſicut anima rationalis, ſed phyſicè diviſibilis, ſequitur fornacem magnam eſſe complexum ex plurimis particulis formæ ignis, ſeu potius ex pluribus formis ignis, quarum unaquæque eſt in ſua particula ſubjecti; non autem dico ignem minimum poſſe producere talem, ac tantam collectionem individuorum aliorum, ſed quemlibet ex illis ſeorsìm à productione aliorum. Nec propterea admitto intenſionem ſubſtantiæ formæ ignis, quia magna fornax non componitur ex plurimis formis individuis ignis in eadem parte ſubjecti. Sed in multis, ac diverſis ſubjectis, aut partibus ſubjecti contiguis, & coagulatis; tum etiam, quia, ſi ſubjectum eſt valdè diſpoſitum, una ſola ſcintilla eſt idonea excitando ſaltem mediatè ignem ingentem. Conſidera unam ſcintillam intra fornacem refertam pulvere nitrato. Neque dicas 3. individuum effectum A. determinatè pendere ab individua ſuâ causâ, quia alias non per ſe, ſed per accidens orietur ab illa, unde ignis A. foret cauſa per accidens tantùm ignis B., & quia etiam debet aſſignari in natura cauſa aliqua ob quam potius producatur individuum A. quam B. Contra. Effectum eſſe per accidens ſtat in eo, quod cauſa ſua nullam habeat inclinationem in ipſum *quoad ſpeciem* innatam, elicitam, ſignatam, aut exercitam. At licet non habeat inclinationem, aut determinationem in illum *quoad individuum*, quia ſic per ſolum Deum determinatur, ut ſupra dixi, habet in illum, quoad ſpeciem; ergo non eſt cauſa per accidens illius. Unde refellitur ſecunda ratio, quia determinatio quoad individuum à ſolo Deo eſt.

122. Igitur. Dico 5. quamvis non poſſit naturaliter contingere, quod idem ignis naſcatur ſucceſſivè à diverſis, aut ab eodem alio igne: quia

quia Creatum *naſci*, eſt terminus complexus, ſignificans rem modo exiſtere, cum non extiterit in inſtante antecedente: (quis dicet, ſe naſci modò, ſeu modò ſe generari à ſuis parentibus) & eſt impoſſibile, quod verificetur, modo exiſtere, cum non extiterit in inſtanti antecedente, ſi in eo inſtanti antecedente proceſſit ab eodem, vel ab alio igne, ut ratiocinabar num. 115. de expulſione. Verumtamen id poteſt contingere ſupernaturaliter, ſi inſtantia, de quibus fuerit ſermo, ſint diſcreta (ſecus ſi ſint continua) quia miraculosè fieri poteſt, ut ignis A., qui in inſtanti A. proceſſit ab igne B., extinguatur: & poſtea iterum procedat ab eodem igne B. aut ab igne C. Item naturaliter contingere poteſt, quod ſucceſſivè conſervetur ab eodem, vel ab alio igne conſervatione *negativa*, quatenus ille idem, vel alius ignis, defendat eum à contrarijs, ſeu arceat agentia contraria igni ei producto, & ſic conſervet eum: quia ex hoc nulla apparet difficultas in naturis ipſorum, & quanquam ipſe quoque ignis productus arceat agentia contraria ſuæ cauſæ, & in hoc ſenſu conſervet eam, ſolum ſequitur duas cauſas ſecundas poſſe mutuò ſe conſervare negativè, ſeu mutuò ſe defendere à contrarijs, in qua re ſatis obvia non eſt difficultas; recole num. 105.; Item conſervatione *poſitiva*, quia neque in hoc eſt ulla difficultas metaphyſica, aut phyſica, poſito quod detur conſervatio poſitiva, ideſt novæ, ac novæ, ac ſucceſſivæ productiones rei, in quibus conſiſtunt inſtantia, & tempus extrinſecum, & in quibus diſp. 7. Prodromi poſui durationes rerum. Etenim ſicut ad hoc, ut res poſitivè contingens fiat, incipiatque eſſe, non ſufficit arcere impedimenta poſitiva (hoc enim duntaxat eſt parare viam ad exiſtentiam) ſed inſuper neceſſaria eſt quædam alia res, quæ dicitur prima productio. Ita ut res ſuapte natura durabiles, durent, perſeverent, atque conſerventur, juvat quidem, at non ſufficit amovere impedimenta: multoties namque ceſſant, & conſequenter non amplius durant aliqui noſtri actus immediatè liberi, quin adſit ulla qualitas contraria, ſed ex mera noſtra libertate omittente actionem, qua illi conſervabantur, Sed opus eſt continuis ſucceſſivis fulcris eam ſuſtentare, ideſt continuis productionibus (quamvis hoc nomen ſimpliciter prolatum ſoli primæ aptari ſoleat) oriundis à cauſis ſecundis proportionatis, vel à ſola Cauſa prima, ſi illæ non adſint; ita ut ſi actioni, qua dicimus nunc conſervari hanc chartam, alia non præceſſiſſet, hæc actio foret ſimpliciter, & abſolutè productio hujus chartæ. Et hinc trahit originem priſca illa ſententia *Conſervatio eſt continuata productio*: ſive catena, & ſeries productionum.

123. Explicatur opus hoc durationis, ac conſervationis. Inter creatas res durabiles, & permanentes (nam ſucceſſivarum duratio, cum ſit impoſſibilis, explicatione non eget) ſunt aliquæ nullum habentes hoſtem publicum, aut occultum, directum, aut indirectum. Sunt aliæ hoſtem, & quidem præpotentem habentes, & hujus præpotentia interdum eſt contra ſubſtantiam rei ipſius, interdum contra modum, & intenſionem. Eſto quod utræque ſemel exiſtentes naturaliter appetant

Digitized by Google

apperant ſuam conſervationem, hoc eſt, interminabilem ſeriem productionum ſuarum. Aſt Deus quando operatur ut Author naturalis, unicuique ſervat ſuum jus, quod non latuit illum, qui dicebat. *Rex Iuppiter omnibus idem*. Hinc quando incipit exiſtere res, quæ nullum habet contrarium, & nullum habet ſubjectum, ex quo educatur, & nullam cauſam efficientem creatam, naturaliter conſervat illam Deus interminabili ſerie productionum, quia hoc naturaliter debetur rei illi exigenti ſuam durationem, nullo in contrarium clamante agente naturali. Ejuſmodi ſunt Angeli, animæ rationales, & materiæ primæ, quę ſunt entia naturaliter incorruptibilia, quæque Deus interminabili actionum catenâ producet, ſive conſervabit per totam æternitatem (maxime ſi loquamur de materia, quæ eſt conſtitutivum eſſentiale phyſicum hominis) quando autem incipit exiſtere res, que præpotens habet contrarium, aut ſuapte natura non poteſt exiſtere niſi à cauſa creata A. aut immediatè ſubditur libertati indifferentiæ, aut determinatas poſcit diſpoſitiones in ſubjecto, ceſſat Deus ut author naturalis à conſervatione illius rei, quando agens illud contrarium ingruit, ac quando ceſſat illa cauſa A; ac quando ob ſimilem præpotentiam contrariorum deficit diſpoſitio illius ſubjecti, ac quando libertas illa indifferentiæ, quam Deus conſervare velit, omittit immediatè rem illam. *Æneid.* 10

124. Una, ex his quatuor, ſolet eſſe cauſa, ob quam naturaliter non durant amplius res, quæ naturaliter corrumpuntur. Plerunque propter agens contrarium fortius, cui attendens Cauſa prima ceſſat à continuatione productionis rei, quæ corrumpitur. Sic non durat motus projecti corporis, quia non durat impulſus, & hic non durat, quia gravitas illius corporis, & quantitas terræ, aut aeris, per quæ movetur, reſiſtunt ulteriori durationi impulſus, licet primo hujus impetui cedant. Interdum verò quia deficit ſubjectum diſpoſitum. Sic ignis, & lux non durant amplius, quia ambo ſunt congeries quædam minimarum particularum olei, aut ceræ, aut ligni, quæ ſucceſſivè transeunt à priori forma ad formam ignis. Deficientibus autem omnibus eis minimis particulis, ita ut particula A. ignis non habeat proximam aliam, quæ accendatur, eo quod materiæ aliæ circumſtantes non ſint diſpoſitæ, non accenditur alia, & illa ultima, circumdataque agentibus contrarijs, & indefenſa extinguitur. Interdum quia voluntas potens ſe exercere per continuationem, & per omiſſionem continuationis actus ſui, exercet ſe per omiſſionem. Interdum demùm, quia deficit, aut removetur id, quod effectum ſuſtentabat, & aliud non ſubrogatur in eodem inſtanti æquivalens, ut quando collabitur ædificium, quia deficit fulcrum quod conſervabat in eo ſitu, coordinatione, diſtantia, & indiſtantia partes componentes ædificium.

125 Dico 6. quando duæ cauſæ ex ſe in actu primo totales, atque adæquatæ applicantur eidem ſubjecto, extenſo tamen, atque diviſibili ut plerunque fit, (non enim eſt facile quod duo agentia corporea applicentur æquè immediatè ex eodem latere eidem parti indiviſibili ſubjecti) tunc unaquæque per actionem totalem à ſe ſola egredientem

producit effectum, ignem v. g. in parte paſſi ubi reſpondente. Unde fiet, quod phyſicè naſcatur à duplici cauſa totali per duplicem actionem totalem effectus, qui fit, non ſanè res indiviſibilis, ſed res compoſita ex particula producta in parte A. & ex particula producta in parte B. in quo non eſt difficultas, ut initio monui. Probo primam partem, ex qua ſequitur altera. Ignis A. eſt ex ſe potens producere particulam ignis in particula ſubjecti, cui eſt applicatus per actionem à ſe ſolo egredientem: deinde particula illa paſſi eſt diſpoſita. Cur ergo ignis A. per actionem totalem à ſe ſolo egredientem non producet particulam ignis in ea particula paſſi? Idem dico de igne B. reſpectu particulæ paſſi, cui ipſe eſt applicatus? Reſpondebis. Verum eſt, quod in hoc caſu producuntur duæ particulæ diſtinctæ ignis, una in parte A. paſſi, altera in parte B. Verum item, quod unaquæque producitur per actionem totalem; aſt actio hæc non egreditur à ſolo agente A. aut à ſolo B, ſed actio illa totalis, qua producitur particula ignis in particula A. paſſi, indiviſè procedit ab igne A. & ab igne B. Et ſimiliter actio totalis particulæ, quæ producitur in parte B egreditur indiviſè, ac ſimul ab igne B., & ab igne A. Contra ignis B habet quid agat domi ſuæ, quia laborat, & operatur ignem in parte B. ſubjecti. Ergo non eſt cur ſemper agat in parte A. ejuſdem ſubjecti, in qua laborat, & operatur ignis A. ergo non ſemper procedit phyſicè ab igne B. actio illa totalis, qua operatur ignis A. in particula paſſi ſibi reſpondente. Similiter ignis A. habet domi ſuæ quid agat, quoniam producit ignem in particula A. ſubjecti, cui eſt immediatè admotus. Ergo non ſemper eſt, cur ſe ingerat in opus ignis vicini. Ergo actio totalis, qua B. producit particulam ignis in particula B paſſi, non ſemper provenit ab igne A. Cæterum, quia fieri poteſt, quod res ita combinentur, ut particulæ A, & B paſſi, quamvis non ſint immediatè applicatæ his agentibus, ſint tamen intra ſphæram activitatis utriuſvis, (habent enim agentia naturalia ſphæram aliquam, intra quam poſſunt operari ſuæ virtutes, & non ſemper eſt neceſſarium, quod ſint applicatæ immediatè phyſicè, quoad locum, paſſo, ut operentur in eo. Unde fieri poteſt quod licet unumquodque ex his operetur domi ſuæ, ſuppetant ipſi vires ad operandum in vicina.) Ideò.

126 Dico 7. quando duæ cauſæ ex ſe totales, ita applicantur particulis diverſis ejuſdem paſſi, ut illa, in qua operatur una ex illis cauſis, ſit intra ſphæram, ad quam extenditur altera; Rogo; Vel effectus eſt capax intenſionis, ac remiſſionis, ut calor, frigus & ſimiles qualitates. Vel eſt incapax, ut ignis, & cæteræ ſubſtantiæ. Si primum tunc cauſa B. v. g. per actionem totalem à ſe ſola egredientem producit aliquem, vel aliquos gradus illius qualitatis in parte, in qua operatur cauſa A, & vice verſa. Unde idem effectus, nempe illa qualitas intenſa, procedet à duplici cauſa totali per duplicem actionem totalem, ſed quoad gradus, ſive partes diverſas, quoniam cauſa B ſupponitur non operari in parte paſſi ſibi reſpondente omnem prorſus calorem v. g. quem *abſolutè* poteſt producere, ſed quem poteſt producere *in parte* B. Habent quippe agentia naturalia non ſolum abſolutè terminos activitatis,

taris, quos nequeunt naturaliter tranſire; verum etiam reſpectivè ad partem paſſi,in qua operantur, ita ut quantumcunque ſint applicata huic, & hæc pars diſpoſita ſit, non poſſint in ea operari, niſi ad certam uſque metam, ultra quam non poſſunt operari ibi; poſſunt verò alibi. Et conſtat ex eo,quod ſi igni operanti quantum poteſt in parte paſſi admoveatur ex angulo alio aliud calefactionis capax, hoc quoque calefiet ab illo igne.Sed non calefiet individuo illo calore, qui eſt in parte prioris paſſi. Ergo calore alio. Ergo quando ignis operatur in parte una unius paſſi totum, quod ibi operari poteſt, reſtat adhuc ipſi virtus ad operandum novum alium calorem in paſſo alio. Ergo in parte illa prioris paſſi operatur quidem quantum poteſt *in ea parte*; ſed non quantum poteſt *abſolutè*.Tunc ſic. Cauſa B, tametſi producat in parte B totum calorem, quem ibi poteſt producere, adhuc habet virtutem ad producendum quoque calorem in parte A. deinde huic diſpoſitæ eſt ſufficienter applicata, licet non ita immediatè, ſicut parti A. deinde quod in illa parte A. operetur cauſa A totum, quod poteſt, non impedit,quod in ea operetur etiam cauſa B. nam ſupponimus effectum non conſiſtere in indiviſibili, ſed reſultare ex multis gradibus. Ergo cum ex alia parte agentia naturalia operentur uniformiter difformiter, ideſt magis, ac minus, juxta majorem, ac minorem applicationem ad paſſum,cæteris paribus, rationabiliter dicendum videtur, cauſam A., ut pote proximiorem particulæ A. paſſi, producere in ea quatuor gradus v. g. caloris,cauſam autem B, ut pote minus proximam (capacem tamen) producere in eadem particula paſſi unum, vel duos gradus caloris, & vice verſa: & hoc ita, ut una quæque operetur ſuos illos reſpectivè effectus per actionem totalem à ſe ſola egredientem, & ex utriſque reſultet major intenſio caloris. Intenſio namque coaleſcit ex gradibus ſimilibus, & homogeneis ut diſp. 1. Phiſicæ naturalis dixi.

127 Neque dicas unam cauſam non poſſe producere calorem parvulum in parte eadem, in qua altera potentior, quia magis applicata, producit calorem majorem, tum quia nec remiſſum poteſt intendere intenſum, nec ſimile ſibi ſimile, tum quia,alias lucerna parvula produceret in aere aperto gradus aliquos lucis ad conſpectum ſolis meridiani, quod experientiæ repugnat. Contra; licet cauſa iſta magis applicata, producat totum calorem, quem *ipſa* poteſt producere; aſt cum *ipſa* non poſſit producere omnes calores naturaliter poſſibiles in ea parte ſubiecti, ſtat,quod in ſenſu compoſito omnium graduum, quos illa producit, cauſa alia producat aliquos alios, ſi aliunde hæc ſit capax, & ſufficienter,licet non æquè, applicata ſit illi parti. Ergo falſum eſt antecedens iſtud, ſi ſit univerſale. Neque adjunctæ duæ rationes urgent. Non prima,quia remiſſum poteſt intendere formaliter Intenſum, quatenus ex utriuſque unione in eadem parte ſubjecti reſultare poteſt major intenſio; v. g. ponantur duo gradus caloris (ecce remiſſum) in eadem parte ſubjecti,in qua ſunt quatuor, (ecce intenſum) reſultabit utique juxta philoſophiam nuper citatam, calidum ut ſex, & conſequenter calidum magis intenſum. Item ſimile poteſt intendere *formaliter* ſibi ſimile qua-

Digitized by Google

tenus ex utroque in eadem parte ſubjecti reſultat major intenſio, v. g. ex quatuor, & quatuor gradibus caloris reſultat calidum ut octo. Cæterum neque remiſſum poteſt intendere, *activè* ſe ſolo, atque adæquatè intenſum, producendo nimirum aliquos gradus in ipſo, neque ſimile ſibi ſimile; quia cùm finis horum (non tamen omnium agentium naturalium) ſit aſſimilare ſibi paſſum, quatenus ad menſuram ſuæ qualitatis evehere conantur illud, quando ſe ſolis operantur. nequeunt naturaliter operari in paſſo, quod nequeunt aſſimilare ſibi. At agens remiſſum nequit aſſimilare ſibi paſſum intenſum, neque ſimile paſſum ſibi ſimile, quia hoc eſt jam huic aſſimilatum, & illud eſt ſupra menſuram illius. Ergo neque remiſſum poteſt intendere activè intenſum, neque ſimile ſibi ſimile, ſaltèm tanquam cauſæ adæquatæ hujus intenſionis. Atqui inpræſentiarum loquimur de ignibus A, & B, qui neque ſunt quid remiſſum, nec quid ſimile reſpectu caloris in eis particulis ſubjecti, nec ſunt cauſæ univocæ, ſed æquivocæ, illorum. Ergo iſta non impugnant rem præſentem. Non demum urget ſecunda ratio de lucerna; quoniam cera, vel oleum ignita, ſicut ſenſibilem lucem producunt etiam ad præſentiam ſolis in ea parte aeris, in qua eſt flammula, in qua etiam eſt lux producta per ſolem: ita in partibus aeris vicinioribus; non autem percipitur oculis, quia circumſtantia omnia objecta imbuta ſunt luce majore, & oculi hac poſſeſſi parvulam alteram non percipiunt.

128 Jam ſi effectus, de quo eſt quæſtio, fuerit ſubſtantia, & conſequenter intenſionis incapax, ſi v. g. fuerit ignis: tunc ſolum illud agens, quod eſt immediatum parti A. paſſi producit per actionem totalem, & unicam à ſe ſolo egredientem, ignem in ea parte. Et illud ſolum, quod eſt immediatum parti B. producit per actionem totalem à ſe ſolo egredientem, particulam aliam numero diſtinctam in ea parte. Unde non contingit, quod idem numero effectus procedat à duplici illo agente, ſive per unicam, ſive per duplicem actionem totalem, aut partialem; ſed ſolum quod eadem extenſio ignis procedat quoad partes diſtinctas à duplici cauſa totali per duplicem actionem totalem. Probo concluſionem, quæ eſt immediata, & directa ſolutio quæſtionis initio propoſitæ. Quoties duo agentia ſunt æqualia cæteris rationibus juvantibus ad operandum, agens tamen A. eſt proximius paſſo, quàm agens B, non videtur rationi conſentaneum, quod hoc tantum operetur ibi, quantum A; quia cæteris paribus prævalere debet major propinquitas agentis ad paſſum, etiam quando hoc eſt intra ſphæram utriuſque, intra quam ſine dubio datur plus, & minus. At ponimus ignem A, & B. eſſe æquales quoad cætera omnia; A. verò eſſe immediatè applicatum particulæ A, paſſi, ſecus ignem B. quia hic ponitur eſſe immediatus ſoli particulæ B, paſſi; ergo non videtur conſentaneum rationi, quod in particula A, paſſi, tantum operetur ignis B; quantum A. Sed tantum operaretur in ea particula, ſi produceret in ea ignem ſimul, & per eandem actionem, per quam producit ignis A, quandoquidem produceret eundem effectum, & per eandem actionem. Ergo non contingit

hoc.

hoc. Ergo quando duo ignes applicantur eidem paſſo diviſibili, licet applicentur partibus illius, quæ ſunt immediatè continuæ, unuſquiſque ſolus producit in parte ſibi reſpondente, & per actionem à ſe ſolo egredientem, formulam ignis in ea parte. Neque dicas 1. ignem A. tantum operari quantum B; quoniam ille quoque per actionem à ſe, & ab igne B. egredientem operatur in parte, cui B. eſt immediatè applicatus. Iſtud enim probat ignem A. non operari abſolutè minus quam B. ſed non probat operari *in parte* A., cui eſt immediatius applicatus quàm B., pluſquam operetur B. Neque dicas 2. agens eo plus operari in paſſo, quo plures partes, & denſiores habuerit ipſum Agens, ut dixi in Prodromo diſp. 2. à. n. 88. Ergo ſignum eſt, omnes illas per eandem indiviſè ab omnibus egredientem actionem totalem, producere majorem illum effectum. Nego conſequentiam, quia illud *plus* non eſt intenſivum, ſeu in eadem particula indiviſibili ſubjecti (de qua particula eſt præſens queſtio), tum quia indiviſibile non cadit ſub experientia, aut ſenſu; tum quia in eodem indiviſibili materiæ non datur niſi unicum indiviſibile formæ ſubſtantialis, alias daretur intenſio ſubſtantiæ. Eſt ergo illud *plus* quoad extenſionem, quia in eo caſu in pluribus partibus extenſionis, aut profunditatis corporis illius producitur ignis. Et hoc quia plures illæ partes agentis mutuò ſe defendentes à contrariis, fortius operantur.

129 Neque dicas 3. fore ut ignis A otietur, quando operari poteſt, ſiquidem habet intra ſphæram ſuæ activitatis partem paſſi, in qua operatur ignis A. Etenim ignis B in primis non otiatur abſolutè, quia producit ignem in parte B. paſſi, cui eſt immediatè applicatus. Deinde quamvis pars A. ſit intra ſphæram ſuæ activitatis, eſt occupata per ignem A, qui titulo majoris proximitatis habet jus naturale ad operandum in ea magis, quam ignis B, quia quo magis vicinum eſt agens, eo magis, cæteris paribus, operatur in illo. At quod ignis A. magis operetur in ea parte, non poteſt ſalvari, ſi ignis B operatur in parte illa tantum, quantum ignis A. nempe particulam illam ignis, & per eandem actionem, per quam ignis A. Ergo ex natura ipſa rei nequit tunc ignis B. operari ignem in ea particula paſſi, in qua operatur ignis A, quamvis aliàs ea particula ſit intra ſphæram activitatis ignis B, ſicut neque operaretur, ſi ante adventum ipſius ignis B. jam illa particula ignita foret.

§. VIII.

130. Hactenus diſſerui de his rebus, prout de facto contingunt; & ex diſcurſibus prolatis conſtat, veram eſſe philoſophiam, quam ex Cajetano, producit P. Suarez, nempè nunquam contingere, quod idem effectus phyſicus procedat phyſicè à duplici cauſa totali, phyſica, corporea per unicam actionem totalem, ab utraque procedentem; *P. Suarez diſp. 26. Metaphyſ. ſect. 5.*

deuntem; quia vel illæ duæ cauſæ admoventur æquè immediatè eidem puncto minimò ſubjecti: vel diverſis. Primum non poteſt contingere abſque penetratione illarum cauſarum corporearum. Si ſecundum, unaquæque cauſa operatur in particula ſubjecti ſibi reſpondente per actionem totalem, à ſe ſola egredientem, & vel non ſe ingerit in domum alterius juxta num. 128. vel ibi etiam operatur aliquid, ſed per actionem à ſe ſola egredientem juxta num. 126. Replicat P. Oviedo contra hanc doctrinam, ſcilicet eam non eſſe adæquatam, quia non probat, idem agens non poſſe producere eundem effectum per duplicem actionem totalem. Solvitur dicendo. Id probare, ſolutionem unius quæſtionis non eſſe ſolutionem alterius diſtinctæ. In quo, quid abſurdi?

P. Oviedo controv. 7. phyſ. punct. 7.

131 Reſtat examinandum idem ne indiviſibilis effectus poſſit produci à duplici cauſa efficiente totali per duplicem influxum totalem, quando illæ duæ cauſæ ſunt æquè immediatè applicatæ eidem parti paſſi, ſive quia miraculosè penetrentur, ſive propter aliam rationem? Reſpondeo eadem indiviſibilis cauſa, nec ſupernaturaliter poteſt producere per duplicem actionem totalem à ſe ſola egredientem eundem indiviſibilem effectum (de diviſibili jam dixi non eſſe difficultatem) in eodem momento, atque circumſtantiis. Duæ tamen, ſuperata aliundè impoſſibilitate, quod ſimul applicentur, & æquè, immediatè eidem particulæ ſubjecti, poſſunt phyſicè naturaliter, & conſequenter metaphyſicè producere in eodem momento eundem indiviſibilem effectum, per duas actiones totales, unam egredientem ab una ſola, & alteram ab altera. Probo primam partem, in qua loquor de cauſa indiviſibili, quia ſi conſtat partibus homogeneis, & duæ illarum applicentur eidem puncto ſubjecti, erunt ſicut duæ cauſæ adæquatæ, de quibus procedit ſecunda pars concluſionis. Si eadem cauſa poſſet in ſenſu illo producere eundem effectum, per duplicem actionem totalem, poſſet etiam per tres, per quatuor, per viginti. Suppoſito namque, non extingui omninò virtutem ſuam, ſi poteſt per duas, cur non per tres, aut quatuor. At hoc eſt impoſſibile. Probatur. Omne, ex quo ſequitur decretum aliquod divinum fore fatuum, eſt impoſſibile. At ſequeretur ex iſto. Probatur. Explica nobis decretum applicativum Omnipotentiæ ad iſtas duas, tres, aut quatuor actiones totales. Certè non poſſet eſſe aliud ab hoc. *Volo cum hac cauſa producere, producere, producere hunc effectum.* Seu hoc. *Nolo impedire meam Omnipotentiam concurrere, concurrere, concurrere cum hac cauſa ad hunc effectum.* At ex terminis apparet hunc modum volendi, ſeu nolendi eſſe frivolum, & à Deo prorſus alienum. Nam quid dignum habet Deo. *Producere, producere, producere* eundem penitus indiviſibilem effectum in eodem indiviſibili momento, cum eadem indiviſibili cauſa, & pro eiſdem circumſtantiis. Neque objicias, quaſi rem ſimilem, ſcripturam illam famoſam. *Et erit eis verbum Domini, manda, remanda, manda, remanda. Expecta, reexpecta, expecta, reexpecta. Modicum ibi, modicum ibi.* Etenim, cum impii illi, quos hic ſugillat Propheta, his verbis, illuderent priſcis Sanctis viris, qui nomine Dei utebantur phraſibus illis, aut ſimilibus, *quod Deus manda ve-*

Iſai. 28.

daverit, & iterum mandaverit tale, ac tale; quod debemus *expectare*, & amplius *expectare*; quod modicum, & iterum modicum expectamus, *nam veniens veniet, & non tardabit*. Cum, inquam, ſcurræ illi ſcelerati hæc eadem verba regererent in Sanctos, eis illudentes, minatur Iſaias, quod quando ipſi clament ad Deum, Deus hæc eadem verba retorquebit in ipſos *manda remanda*, juxta quod olim ſcriptum fuerat, *vocavi, & renuiſtis &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit*. Et paulò ante. *Reddet illis iniquitatem ipſorum*. Hinc autem quomodo infertur, decorum Deo eſſe hunc internum ſuæ voluntatis actum. *Volo cum hac cauſa A producere, producere, producere, producere effectum A in inſtanti A*? etiamſi productiones ſint diverſæ? Videtur res frivola, Deoque indigna.

Habac.2. *Prov.1.* *Pſal.93.*

137. Probo ſecundam partem concluſionis, à qua omninò arcenda ſunt vocabula illa, aliquibus ſolita. *Prima actio. Secunda actio*. Nam cum hæc verba ſignificent ordinem prioritatis, & poſterioritatis, eis ducitur facilè imaginatio ad judicandum, unam ex prædictis actionibus totalibus præſupponere ante ſe alteram, & venire, poſtquam effectus eſt factus, & actum agi, & ſimilia, à quibus longè diſto: quia loquor de duabus actionibus totalibus ſimul, comitanter exiſtentibus, ſine ullo inter ſe ordine prioritatis, aut poſterioritatis. Negatur itaque ſuppoſitum illarum vocum, & ſimilium tacitè, ſeu exercitè idem redolentium. Igitur capita, quæ poſſunt eſſe ad probandum naturalem illam prætenſam repugnantiam, etiam ſuppoſito miraculo penetrationis, quinque ſunt 1. Superfluitas unius earum actionum, quia una ſola ſufficit, ſi ſit totalis. Ita Arriaga cum multis. Sed hæc ſuperfluitas non conſtat. Probatur. Ad formandum judicium de rebus non eſt expendendus unus ſolus titulus, una ſola ratio, unum ſolum caput; ſed omnia circumſpicienda ſunt; aliàs injuſta ſententia pronuntiabitur multoties. Ergo quamquam attento ſolo fine actionis agentis A, nimirùm, illius effectus productio, ſit hæc ſuperflua, ſi tamen attentis aliis eſt neceſſaria, actio illa non eſt abſolutè, & ſimpliciter ſuperflua. Si attentis innumeris aliis rebus hujus mundi, neceſſarium non eſt individuum folium A individuæ arboris A, quæ eſt in individua ſylva, individuæ regionis Americanæ; aſt, quia attentis aliis circumſtantiis arborem illam comitantibus, productio illius folii A eſt neceſſaria, idcircò folium illud non eſt abſolutè ſuperfluum. Atqui hoc ita contingit. Probatur ratione amplius explicanda infra num.137. quoties agens naturale neceſſarium habet ex ſe virtutem adæquatam producendi effectum per actionem totalem propriam ſuam, & à ſe ſolo egredientem, & eſt ſufficienter applicatum paſſo, & hoc eſt diſpoſitum ad effectum ſuſcipiendum, & non præhabet illum, licet non ſemper producat illum, eo quod validior alia adſit cauſa infringens vires ſuas; attamen ſemper ex ſe petit producere illum per actionem totalem à ſe ſolo egredientem. Sed agens A ſupponimus eſſe agens naturale neceſſarium, habens ex ſe virtutem adæquatam producendi effectum, & quidem per actionem totalem à ſe ſolò egredientem, & ponimus eſſe ſufficienter applicatum paſſo,

P.Arriaga diſ.7.phyſ. ſect.10.

& hoc

& hoc eſſe diſpoſitum ad effectum ſuſcipiendum, & non præhabere illum, ut dicebam initio hujus numeri. Ergo agens A petit ex ſe actionem illam. Ergo illa eſt neceſſaria ſatisfaciendi ergo huic exigentiæ: & Deus, ut Author naturalis debet cum illo concurrere per actionem adæquatè egredientem ab illo, etiam ad conſpectum agentis B. Ergo actio illa totalis agentis A, quanquam ſit ſuperflua in ordine ad effectum præcisè, & hoc ſolo attento, (ſicut etiam foret ſuperfluus quilibet concurſus etiam inadæquatus agentis A, ſi quidem ponitur adeſſe agens B, à quo poſſet ſufficienter prodire) veruntamen eſt neceſſaria ad ſatisfaciendum illi exigentiæ agentis A: & conſequenter non eſt abſolutè ſuperflua.

133. Quod explicari poteſt exemplo partuum monſtroſorum, & exorbitantium à regulis conſuetis naturæ, qui etiamſi aliàs ſint ſuperflui, imò contra regulas generales naturæ; attamen hic, & nunc abſolutè, ac ſimpliciter ſunt neceſſarii, ex ſuppoſitione, quod illæ cauſæ naturales concurrant, adeò ut ſi illis concurrentibus, non produceretur monſtrum illud, Deus non cooperaretur, ut Author naturalis. Idem in præſenti. Sit monſtrum, quod idem effectus producatur per duplicem actionem totalem à duplici cauſa totali creata; veruntamen eſt monſtrum naturaliter oriundum ex eo, quod duæ cauſæ creatæ adæquatæ applicentur immediatè, ac ſimul, eidem puncto ſubjecti. Jam major illa ultimi ſyllogiſmi eſt ſatis veroſimilis. Et non eſt congrua ſolutio dicere Agens illud non petere id, quod eſt naturaliter impoſſibile; eſſe autem naturaliter impoſſibilem eam actionem totalem, utpotè ſuperfluam. Jam enim vides; hoc eſſe petere principium, & redire ad idem punctum difficultatis, de quo eſt quæſtio, & contra quod incedit argumentum noſtrum, ſcilicet actionem illam eſſe ſuperfluam in ordine ad unum, ſed non in ordine ad aliud, quemadmodum concurſus ipſe partialis, quem datis agenti A in hoc caſu, eſt ſuperfluus in ordine ad id, quod ignis, v. g. producatur: ſiquidem adeſt agens B, à quo poterat adæquatè produci; ſed dicitis non eſſe abſolutè ſuperfluum, quia neceſſarius eſt ad ſatisfaciendum naturæ ignis A. Eodem ergo jure, quo vos excuſatis à ſuperfluitate, quod procedat etiam ab igne A actio unica totalis, quam tunc dari cenſetis, excuſo actionem totalem, quæ egreditur à ſolo A, & actionem totalem, quę egreditur à ſolo B. Et hanc monſtroſitatem, ſive concurſum geminę actionis totalis rejicio in hypotheſim, quam facitis, de eo, quod duę cauſę totales corporeę, admoveantur ſimul, & immediatè, eidem puncto ſubjecti. Prę terquamquod, ut acutè obſervat Oviedo, iſta duo agentia non communicant invicem conſilia, ſicut ſolent agentia cognoſcitiva, neque dicunt ſibi mutuò. *Ego aliàs poſſem ſolum producere ignem, ſed propter tuum reſpectum, temperabo meum influxum, & una tecum ponam unicam actionem*. Neque unum, aut actio unius ſupponit alterum, aut actionem alterius. Ergo unumquodque, quantum attinet ad ſua intrinſeca, perindè ſe habet pręſente, ac non pręſente altero. Sed altero non pręſente, exigeret producere ignem per actionem unam à ſe ſolo egre-

P. Oviedo controv. 7. phyſ. puncto 7. n. 8.

egredientem. Ergo hoc etiam exigit, quando alterum eſt præſens.

134. Non enim ſunt appetitus innati inſtar elicitorum: quia hi, utpotè diſtincti à ſubjecto appetente, poſſunt mutari, mutatis circumſtantiis: illi verò, utpotè identificati cum ſubjecto, iidem ſunt, & perſeverant, quoties perſeverat ſubjectum. Neque inferas hinc, fore ut aqua v. g. exigeret frigiditatem, etiam quando ipſi applicatur ignis, ſiquidem tunc perſeverat aqua, cum qua identificatur ſua innata exigentia. Etenim aliud eſt, quod aqua exigat frigiditatem *etiam pro caſu applicationis ignis*. Aliud: quod etiam pro caſu hujus applicationis exigat frigiditatem. Mutantur enim appellationes terminorum. Primum eſt falſum, & aqua nunquam habuit illam exigentiam, & illud non infertur ex noſtra doctrina. Secundum eſt, quod infertur, & ſecundum eſt verum, quandoquidem etiam pro caſu applicationis ignis perſeverat aqua. Ergo perſeverant omnia, quę realiter identificantur cum illa. Ergo perſeverant omnes ſui appetitus innati. Patetque à poſteriori, quoniam ſi aqua, etiam quando ipſi admovetur ignis, non retineret ſuum innatum appetitum frigiditatis, non pateretur ullam violentiam phyſicam in privatione illius, quia de ratione actualis violentię phyſicę, actualis pugnę phyſicę, actualis reſiſtentię phyſicę, eſt, quod in eodem inſtanti, in quo datur actio, ſeu conatus in unum, detur alia actio, ſeu conatus in contrarium; quia verò ignis energia eſt longè major, ideò Deus, ut Author naturalis, huic cooperatur ad deſtruendum frigiditatem, & non illi ad eam conſervandam, quia ut ille dicebat: *Rex Iupiter omnibus idem*. In caſu autem noſtro Deus cooperari videtur utrique agenti dicto in ordine ad uniuſcujuſque actionem totalem, quia unumquodque illam exigit pro ſe, & neutrum repugnat ſimili actioni alterius, quia neutrius refert, quod alterum agat, vel non agat per actionem totalem. Fateor igitur geminę actionis totalis concurrentiam inſtar monſtri eſſe, ſicut hominem eſſe bicipitem; ſed eſt monſtrum naturaliter reſultans ex concurrentia gemini agentis totalis, ſimul, & ęquè immediatè applicati eidem puncto paſſi.

135. Secundum prætenſæ illius naturalis impoſſibilitatis caput eſt, quod excogitavit Oviedo. Nimirum. Sicut Deus nunquam determinat cauſas ſecundas ad producendum individuum illud, quod fuit, & corruptum eſt, quamvis poſſet, ſiquidem illud, quod jam non eſt, ſed fuit, eſt ejuſdem ſpeciei, atque naturæ, quæ erat priuſquam primò produceretur. Unde ſicut tunc determinavit Deus cauſam ſecundam ad primam productionem illius, ita modò poſſet determinare ad ſecundam. Ita nunquam determinat cauſam ſecundam ad producendum individuum, quod *jam* producitur, aque *jam* exiſtit. Atqui ignis, v. g. *jam* producitur adæquatè, *jam* exiſtit per actionem totalem agentis B. Ergo. Non poteſt exiſtere per actionem aliam totalem agentis A. Neque hoc diſcurſu probatur impoſſibilitas naturalis duplicis actionis totalis; tum propter illud *jam*, quod ordinem innuit prioritatis inter unam, & alteram actionem, quem ordinem jam ſupra negavi num. 132. tum quia aliud eſt, quod nunquam contingat ille concurſus geminæ actionis *Ovied ibidem n.* 10.

totalis. Aliud, quod nec divinitus poſſit contingere, ex ſuppoſitione divini decreti non concurrendi cum A, ad eundem individuum effectum, quem hic, & nunc ponit agens B. Aliud demum, quod hoc evenire nequeat naturaliter attenta ſola natura rei, & accidentali commixtione duplicis cauſæ naturalis adæquatæ in eadem parte paſſi. Duo priora ſunt vera, ſed ea non diſputo. Tertium eſt, quod diſputo; ſed iſto diſcurſu non probatur: nam innumera ſunt individua ignis, ad quæ Deus non vult concurrere, quæ tamen ex natura rei ſunt poſſibilia; tum quia juxta philoſophiam iſtam reproductio non eſt intrinſecè, atque ex natura ſua impoſſibilis phyſicè, ſed tantum ex iſto divino decreto, quod certò nobis conſtat eſſe ordinariæ providentiæ circa homines, quia *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*; non autem ita certò de rebus aliis. Ergo ſi paritas exacta eſt, habebimus concurrentiam duplicis actionis totalis circa eundem penitus terminum, non eſſe intrinſecè, atque ex natura ſua impoſſibilem; ſed ſolum extrinſecè ratione iſtius decreti. Et hoc tantum dico admiſſa hypotheſi, quod duo agentia corporea adæquata applicentur immediatè eidem puncto paſſi.

Ad Heb. 9.

136. Tertium caput illius naturalis repugnantiæ poteſt ſumi ex eodem capite, quod nos urgebamus ſupra. Nempe fore, ut decretum applicativum Omnipotentiæ haberet hunc inanem modum tendendi. *Volo producere, & producere, & producere hunc effectum* ſi cauſæ totales eſſent tres, aut eſſent triginta. Neque hoc urget; quoniam licet iſte modus volendi ſit Deo indignus, non tamen hic, quando concurrunt multæ cauſæ totales, & æquè immediatè applicatæ eidem paſſo. *Volo cum hac cauſa A, producere hunc effectum: & cum B, producere hunc eundem: & cum C, hunc eundem &c.* quia ex una parte quælibet ex his eſt plenè potens producere illum, & eſt immediatè applicata, & ſubjectum eſt capax. Ergo Deus, ut autor naturalis cauſarum ſecundarum exigentiis indulgens, debet cooperari adæquatè ſingulis, decernendo cooperationem per unicum, aut multiplex decretum; hæc autem exigentia non datur ex parte cauſæ A, ut hæc eadem per multas actiones totales producat eundem numero effectum in eodem inſtanti. Ergo eſt diſparitas. Rurſus ex alia parte non poteſt dici Deum cooperari adæquatè ſingulis eis cauſis, ad ignes, v. g. numericè diſtinctos producendos in illa eadem particula ſubjecti, quia hoc certius eſt naturaliter impoſſibile, nempe quod multæ formæ ejuſdem infimæ ſpeciei ſint ſimul in eodem puncto materiæ. Ergo videtur dicendum cooperari Deum ad eundem penitus effectum producendum per multas actiones totales, quæ in ordine quidem ad meram exiſtentiam effectus ſunt ſuperfluæ; ſed neceſſariæ ad ſatisfaciendum illi concurrentiæ multarum cauſarum totalium, ſuppoſitâ, ut certâ, impoſſibilitate naturali, quod multæ formæ ſubſtantiales ejuſdem ſpeciei ſint in eadem parte ſubjecti.

137. Explicatur. Poſito quod multa agentia adæquata, æqualia, & naturalia applicentur æquè immediatè eidem particulæ ſubjecti diſpoſitæ, unum ex his debet contingere; quod omnia illa producant eun-

eundem indiviſibilem effectum, ſingula per actionem adæquatam (& hoc eſt quod dico) Vel omnia otientur, eo quod non ſit potior ratio operandi in favorem unius, quàm in favorem aliûs. Et hoc eſt naturaliter impoſſibile, nam licet multitudo agentium ſoleat nocere ad operandum, quando feſtinatio omnium eſt mora ſingulorum, eò quia ſit aliqua contrarietas in actionibus; aſt quando multi ignes, v. g. conſpirant in eandem partem ſubjecti combuſtibilis, eſt naturaliter neceſſarium, quod illud comburatur. Vel quod ſingula operentur per actionem totalem, ſed effectum numero diverſum, (& hoc eſſet ponere in eadem parte ſubjecti multas formas ſubſtantiales ſolo numero diverſas) Vel quod unum ſolum operetur, quieſcentibus cæteris, (& hoc eſt contra naturam agentis totalis applicati ſufficienter paſſo diſpoſito) Vel quod omnia concurrant per eandem indiviſibilem actionem ad eundem indiviſibilem effectum in eadem indiviſibili parte ſubjecti. Et hoc, præterquam quod (loquendo de agentibus non conſentientibus invicem in temperationem proprii conatus, ut detur locus conatui alterius) non contingit, niſi quando una cauſa eſt ſuapte natura ſubordinata alteri, ut Creatura Deo: vel quando ambę habent virtutem merè partialem, ut quando duo homines portant pondus, vel imprimunt impulſum vires uniuſcujuſque ſuperantem. Hoc, inquam, non ſatisfacit naturæ agentium illorum, quia cum ſingula ſint plena, adæquata, totalia, & ſint applicata immediatè paſſo diſpoſito, non ſolum exigunt concurſum partialem dumtaxat, ut cenſent contrarii, verùm etiam totalem, & adæquatum, quia ſingulis eſt accidentale conſortium aliorum, & exigentiam ipſis innatam, quam haberent diviſa ab aliis, non amittunt ob accidentale conſortium. Excluſis ergo reliquis modis, qui poſſunt excogitari pro caſu præſenti explicando, ſolus ille primus videtur admittendus.

138. Quartum caput dictæ prætenſæ repugnantiæ eſt. Quod actio agentis A, v. g. eſſet totalis, ut dico: & ſimul non eſſet totalis, quandoquidem daretur etiam actio agentis B. Sed hoc eſt leve; quia aliud eſt eſſe totalem ſecundum poſitivum, & quoad meram ſufficientiam, hoc eſt, quod actio agentis A ſit ex ſe ſufficiens, ut exiſtat ille effectus. Aliud eſſe totalem ſecundum negativum, & quoad efficaciam. Videlicet quod ipſa, & non alia exiſtat actio productiva illius effectus. In primo ſenſu dico duas actiones totales, ſcilicet duas, quarum quævis ſufficit; non autem in ſecundo ſenſu, quia non dico manifeſtam iſtam implicationem; quocirca agens A eſſet tota cauſa, ſua actio eſſet tota productio, effectus totus produceretur per hanc ab illa. Sed voces illæ *tota*, & *totus*, non ſignificant hic idem, quod *unicus*, *unica*, quia non ſumuntur in ſenſu excluſivo aliûs cauſæ, & aliûs actionis; ſed ſignificant idem, quod *ſufficiens*. Quintum caput eſt, quia effectus eatenus præcisè procedit à cauſa, quatenus indiget illâ. Si enim non indigeret, eſſet à ſe, & conſequenter non poſſet procedere ab ulla cauſa. Ergo. Si non indiget duplici actione totali duplicis cauſę totalis, non poteſt procedere per duplicem actionem totalem à duplici cauſa totali.

 Ne-

Digitized by Google

Neque hoc probat. Conſequentia namque debebat eſſe hæc. *Ergo ſi non poteſt indigere causâ, ſeu pendere ab illa, non poteſt procedere ab illa;* quia debet eſſe ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis. Cæterum ex eo, quod non poſſit indigere duplici actione totali, non ſequitur, quod non poſſit procedere per illam; quoniam eo ipſo, quod res poſitiva ſit finita, & limitata, poteſt procedere à cauſa modo ſuæ naturę proportionato. Et ſemel ſtatuto, quod poſſit procedere ab aliqua cauſa, eæ poſſunt combinari circumſtantiæ, ut omnibus penſatis debeat procedere à duplici cauſa per duplicem actionem totalem. At quamvis non indigeat duplici actione totali, & ſuapte natura non pendeat ab illa: in primis poteſt eſſe res poſitiva finita, & limitata: deinde illę poſſunt combinari circumſtantiæ, ut explicui num. 137. Ergo quamvis non indigeat &c.

139. Ex dictis infertur totam difficultatem, atque impoſſibilitatem duplicis actionis, duplicis cauſæ, reſpectu ejuſdem effectus, ſtare in eo, quod duo agentia corporea applicentur immediatè eidem puncto ſubjecti, ut benè notabat P. Suarez cum Cajetano. Hac autem devoratâ, nullam eſſe oppoſitionem naturaliter invincibilem in conſortio actionum illarum, ſive ex parte termini, ſive ex parte actionum ipſarum, ſive ex parte cauſarum, quia nil refert ulli horum conſortium hoc, utpote ſingulis accidentale; imò ſubſiſtit ſemper, quod unicuique ex eis cauſis debetur actio totalis in eum effectum, ſiquidem deberetur ſi eſſet ſola, & non amittit ſuam naturam per accidentalem conjunctionem cum altera, ſicut neque aqua amittit ſuam naturalem propenſionem in frigiditatem ex eo, quod ipſi admoveatur ignis. Et ſola ea eſt diſparitas, quod in hoc caſu prævalent vires ignis contra aquam, in noſtro autem nulla ex eis duabus cauſis prævalet contra alteram. Habes 2. modum, quo formanda eſt ratio hujus doctrinæ. Omne quod contra nullius potentioris agentis naturalis exigentiam eſt, & inſuper eſt poſitivè conforme naturæ agentis alicujus naturalis, eſt naturaliter poſſibile. Sed actio totalis agentis A. ad præſentiam actionis totalis agentis B in caſu, in quo procedit concluſio, contra nullius potentioris agentis naturalis eſt, ut nuper dicebam, quinimò eſt poſitivè conformis naturæ agentis ipſius A, quod ſupponimus eſſe agens naturale: quia cum ſit agens totale, & ſit immediatè applicatum paſſo diſpoſito, & non mutet ſuam naturam ob accidentale conſortium cum agente B, & non communicet conſilia, aut operationem cum hoc, non cohibet ſuum concurſum propter hoc, quem aliàs haberet. Ergo.

Quæ-

§. IX.

140. QUæſtio 5. eſt. *An agens, ſeu cauſa creata phyſica efficiens poſſit agere in diſtante paſſo, quin agat in medio, ſeu propinquo.* Sed quia hanc quæſtionem tetigi in Prodromo diſp. 2. num. 93. idcircò manum contineo nunc ab illa. Quæſtio 6. eſt ſuper phyſica locali approximatione cauſæ ad paſſum, in quo operatura eſt. *An, & quanta eſſe debeat?* Cumque phyſica hæc localis approximatio conſiſtat phyſicè ex parte rerum in præſentiis ipſis, ſeu quod idem eſt, in locis intrinſecis agentis, & paſſi, nunc magis, nunc minus, nunc diſtantibus nil, ſemper tamen connexis metaphyſicè cum agente, & paſſo, quæritur num præſentiæ hæ ſint prærequiſitæ, & quomodo, ut agens operetur in paſſo. Rurſus cum effectus (ignis v. g.) utpote recipiendus in paſſo, debeat eſſe in eodem loco, in quo eſt paſſum, & conſequenter habere debeat præſentiam intimè indiſtantem à præſentia paſſi, reſoluta quæſtione dicta, reſolvitur alia ſimilis ſuper approximatione agentis cum effectu ſuo: Ex approximatione autem phyſica locali agentis, & paſſi, tranſitur ad ſimilem quæſtionem ſuper approximatione intentionali objecti cum potentia operante circa illud. Videlicet; an, & quomodo objectum debeat eſſe applicatum potentiæ, ut hæc percipiat illud, aut materialiter tantum, ut potentia viſiva percipit objecta: aut ſpiritualiter, ut potentia intellectiva percipit rem, quam meminit, vel de novo cognoſcit. Item, an, & quomodo debeat objectum applicari voluntati, ut hæc ipſum proſequatur amore, odio &c. Cæterum, cum agens multoties operetur in ſe ipſo, ut operatur, quoties immanenter operatur, v. g. quando vitaliter operatur nutritione, ſenſatione, aut intellectione, ita ut idem ſit tunc agens, & paſſum, quæſtio illa non procedit in hoc caſu, quia exploratum eſt agens non poſſe diſtare à ſe ipſo, & eſſe ſibi intimum; non phyſicè, ratione penetrationis localis ſecum ipſo, quia id etiam repugnat; Sed logicè, ac ratione ſummæ identitatis ſecum ipſo; quamvis enim ſi eſſet ſimul Romæ, ac Madriti, verificaretur quod ipſum reduplicativè ut exiſtens Romæ diſtaret à ſe ipſo, reduplicativè ut exiſtente Madriti, ideſt, invicem diſtaret complexum ex eo, & præſentia Romana, à complexo ex eodem, & præſentia Madritana, eò quod invicem diſtarent præſentiæ ipſæ; aſt agens, quod utrobique exiſteret, nunquam diſtaret à ſe ipſo ſpecificativè ſumpto. Sicut corpus Chriſti, quod exiſtit in Cœlo, & in Euchariſtia ſimul, non diſtat à ſe ipſo ſpecificativè ſumpto. Et anima rationalis, quæ ſimul exiſtit in capite, & in pede non diſtat à ſe ipſa ſpecificativè ſumpta.

141. Dico 1. quamvis non requiratur ad hoc naturaliter *ſumma* approximatio localis agentis ad paſſum, ut illud operetur in hoc, ſiquidem paſſim experimur cauſas phyſicas producere aliquos effectus in

paſſo,

Digitized by Google

paſſo, cum quo non penetrantur, & cui non ſunt ſummè approximatæ, ut conſtat ex ſole, & igne calefacientibus ſubjecta, quæ ab ipſis diſtant. Imò quamvis interdum magna quædam approximatio localis inter agens, & paſſum, officere ſoleat operationi, eo quod hæc poſtulet quandam proportionem diſtantiæ, atque indiſtantiæ inter utrumque, ut conſtat ex potentia viſiva, quæ non diſcernit objectum ſummè diſtans, neque objectum ſummè applicatum oculis, eo quod illud, ut producat in eis ſpeciem ſuam, egeat quâdam diſtantiâ ab illis. Et ut conſtat etiam ex inſtrumento percutiente, puta gladium, verber, ſaxum, quod majorem infligit plagam ſubjecto proportionatè diſtanti, quam prorſus immediato. Nihilo tamen minùs approximatio aliqua localis ſemper requiritur ex natura rei. Et quidem pro priori ad operationem, tanquam conditio prærequiſita. Aſt non prærequiritur metaphyſicè, ac indiſpenſabiliter, ita ut nec de potentia Dei poſſit aliquis ignis, v. g. exiſtens hic comburere lignum exiſtens Mexici; quanvis, ſi loquamur de cauſis ſecundis de facto exiſtentibus, veroſimilius eſt, nullam illarum poſſe adhuc divinitus operari phyſicè in paſſo extra ſphæram totam, ad quam extenditur ſua activitas naturaliter. Prima pars de requiſitione ex natura rei conſtat à poſteriore ob experientiam, qua videmus nullum ex agentibus his naturalibus, quæ novimus, operari in quacunque majore, aut majore diſtantia; ſed omnium illorum activitatem circumſcriptam eſſe certis quibuſdam limitibus, extra quos operari nequeunt; licet enim Planetę, & præſertim Sol, & Stellæ fixæ ad tam immenſam diſtantiam operentur in corporibus ſublunaribus; at ſi magis diſtarent, minus operarentur, ut conſtat ex ipſo Sole minus lucis mittente ex Orizonte, & minus caloris ex Capricorno, quia utrobique magis diſtat, ſeu magis obliquus eſt nobis, cæteris paribus; tanta autem poterat eſſe diſtantia, ut jam nil lucis, aut caloris produceret in ſubjecto: & hac de cauſa dixi in phyſica naturali diſp.4. illum non illuminare ſtellas fixas, ſed ex ſe fulgere has, ob nimiam ſcilicet diſtantiam ab illis, quæ diſtantia ſatis colligitur ex eo, quod nunquam pertingat ad illas altiſſima umbra Saturni omnium Planetarum altiſſimi. Ergo omnia agentia naturalia, ſaltem quæ novimus, egent aliqua approximatione ad paſſum, ut in eo operentur. Approximatione, inquam, non tam *poſitiva* (quia hoc cubiculum immensè diſtans à corpore Solari vocare proximum Soli, eſt duriuſcula locutio] quam *negative*, ideſt, indigent, quod paſſum non ſit amplius, & amplius diſtans.

142. Ratio autem à priori videtur eſſe finitudo omnium harum cauſarum. Omne quippe finitum intenſivè, quoad ſuam perfectionem, atque extenſivè, quoad numerum ſpecierum, & individuorum, quæ poteſt producere, eſt finitum quoque, quoad extenſionem locorum, in quibus poteſt operari. Sed omnes cauſæ ſecundæ ſunt finitæ, intenſivè quoad ſuas perfectiones, & extenſivè, quoad numerum ſpecierum, atque individuorum, quæ producere poſſunt, ut conſtat. Ergo omnes cauſæ ſecundæ congruum etiam videtur, quod ſint finitæ, quoad exten-

Digitized by Google

tenſionem loci, in quo poſſunt operari. Ergo omnes illæ habent ſuos terminos extenſionis, ultra quos non poſſunt naturaliter operari. Ergo ad operandum in paſſo extraneo egent omnes illæ approximatione locali, non tam poſitivâ, quam negativâ, quam nuper explicui. Hinc 1. cum Angeli, tametſi *potentes virtute*, ſint tandem creaturæ, habent terminos, ultra quos non poſſunt operari in ſubjecto extraneo, ſicut habent terminos perfectionis intenſivæ, atque extenſivæ, quoad numerum rerum, quas poſſunt facere. Ægrè namque probabis, Angelum exiſtentem in polo arctico poſſe loco movere corpus, quod ſit in antarctico, aut alloqui Angelum alium ibi commorantem. Scripturæ namque narrantes opera aliquorum Angelorum, ſatis innuunt appropinquationem illorum ad ea loca, vel ſubjecta, in quibus operabantur verbis illis. *Deſcendit Angelus. Miſit Deus Angelum. Miſſus eſt Angelus Domini &c.* quæ verba dum proferuntur etiam, de Æterno Verbo, ac de Spiritu Sancto, jam vides non alludere ad localem approximationem illius ſecundum divinitatem, ſecundum quam replet omnia; ſed ad æternam productionem, temporalemque apparitionem in aliquo loco determinato, in quo complexo ſtat miſſio, ut alibi dixi.

Pſal. 102.

Daniel. 3. & 4. *Tobia* 3.

143. Hinc 2. cum approximatio ſtet formaliter immediatè in tali, aut tali diſtantia agentis, & paſſi, v. g. diſtantia unius ulnæ: & hæc diſtantia ſtet formaliter in complexo ex præſentia A. Agentis, & ex præſentia B paſſi, (poſſunt namque diſtare duæ creaturæ, quamvis Deus deſtrueret omnem locum extrinſecum, quia ita poſſent eſſe, ut poſſet Deus producere corpus aliquod inter utramque) ſi approximatio eſt conditio naturaliter requiſita ad operandum, talis præſentia agentis, & talis præſentia paſſi ſunt conditiones naturaliter requiſitæ, ut agens operetur in paſſo. Ut autem operetur in ſe ipſo, aliquando non eſt prævia conditio neceſſaria præſentia agentis, ut quando producit ſuam primam præſentiam, quia ad primam non prærequiritur alia. Aliquando eſt prævia neceſſaria conditio, ut quando operatio agentis eſt tranſire ex uno loco ad alium, quia tunc præſentia in loco priore, licet non ſit mera conditio reſpectu tranſitus adæquatè ſumpti ex uno ad alterum locum, ſed eſſentiale conſtitutivum, tanquam terminus à quo; reſpectu tamen motus illius, qui eſt in recto tranſitus ab uno ad alterum locum, eſt prævia neceſſaria conditio præſentia illa in priore loco: nam quì fieri poteſt, ut ſubiectum tranſeat localiter ab A, ad B, ſi prius non fuit in A? Præſentia itaque in loco priore, eſt conditio naturaliter prærequiſita ad motum illum localem, qui eſt tranſitus ab uno ad alium locum. Prærequiſita, inquam, non poſitivè, nam poſitiva prærequiſita coexiſtunt effectui; ſed negativè quatenus eſt neceſſarium, quod illa præſentia *prius fuerit*, eo quia hic tranſitus eſt res quædam ſucceſſiva, cujus conſtitutiva non debent eſſe ſimul, ſed unum poſt aliud.

144. Probo ſecundam partem, ſcilicet, prædictam approximationem eſſe neceſſariam *pro priori* ad operandum in paſſo, tanquam unum è prærequiſitis, & non ſe habere pro poſteriori ad operationem, ſeu merè comitanter cum illa, quanquam non nego interdum approxima-

tio-

tionem aliquam agentis, & paſſi, ſe habere pro poſteriori ad operationem in hoc, v. g. quando operatio ſtat in eo, quod agens attrahat paſſum ad locum ſibi viciniorem, aut in eo, quod ipſum agens appropinquet paſſo; ſemper tamen ſubſiſtit, quod pro priori ad illam operationem, ex qua naſcitur major approximatio utriuſque, habebant invicem approximationem aliquam, non enim in quacunque diſtantia poteſt agens operari in paſſo, ut alterum ad alterum veniat. Arguo igitur. Omne eſſentiale conſtitutivum actus primi proximi ex parte creaturę ad operationem in paſſo ſpecificativè, ac ſecundùm ſe ſumptam, non verò ſecundum talem, aut talem reduplicationem, aut eſt virtus ipſa operatrix, aut conditio naturaliter prærequiſita ad operandum: & conſequenter ſe haber pro priori ad illam; totus namque actus primus proximus ex parte creaturę ſe habet pro priori, & ille reſpectu operationis ſecundùm ſe ſumptæ (quidquid ſit de denominationibus, malę, bonę, moraliter, heroicę, ingratitudinis &c.) non conſtituitur eſſentialiter niſi virtute cauſę, & naturalibus pręrequiſitis. At dicta approximatio agentis, & paſſi eſt aliquod eſſentiale conſtitutivum actus primi proximi ex parte creaturę, ad operandum in paſſo. Et non eſt virtus ipſa operatrix, v. g. non eſt calor ipſe, non eſt ipſum frigus &c. Ergo. Probo primam partem minoris. Actus primus proximus naturalis, ſeù ex parte ſolius cauſæ ipſius neceſſariæ non identificatur plenè, adæquatè, ac totaliter cum ſolo complexo ex intrinſeca ſua virtute ad comburendum, v. g. atque ex capacitate, diſpoſitionibuſque intrinſecis paſſi. Ergo præter hoc, imbibit intrinſecè, atque eſſentialiter aliud. Sed hoc aliud eſt dicta approximatio: quoniam Omnipotentia, decretumque hujus applicativum, determinativumquè introductionis, conſtituunt ſanè actum primum proximum abſolutum, videlicet tam ex parte cauſę ſecundę, quam ex parte cauſę primę; Ego autem in hoc diſcurſu loquor de actu primo proximo *ex parte ſolius creaturæ*. Ergo dictus actus primus imbibit intrinſecè, atque eſſentialiter dictam approximationem. Ergo hæc eſt eſſentiale conſtitutivum illius.

145. Probo antecedens. Si actus primus proximus ex parte creaturæ, ſeu quantum ſpectat ad cauſam ſecundam neceſſariam, identificaretur plenè adæquatè cum complexo, ex ſola virtute intrinſeca ad comburendum, atque ex capacitate, intrinſeciſque diſpoſitionibus paſſi, omnis caſus poſſibilis, in quo daretur hoc complexum, eſſet caſus, in quo daretur actus primus proximus, & completus ex parte creaturæ ad comburendum. Repugnat quippe, ut ſæpe dixi, dari omnia penitus conſtitutiva, nullo omninò dempto alicujus rei permanentis, & rem illam non dari. At non omnis caſus poſſibilis, in quo datur illud complexum, eſt caſus, in quo datur actus primus proximus ex parte creaturæ ad comburendum; quia omnis caſus, in quo detur hic actus primus, eſt caſus, in quo debet Deus, ut Author naturalis concurrere cum ea creatura ad combuſtionem, ita ut, ſi concurrere nolit, operetur miraculosè (quandoquidem cauſæ neceſſariæ habenti omnia penitus prærequiſita ex parte naturæ ad operandum, ſeu exiſtenti in actu primo

pro-

proximo ex parte ſui ad operandum debetur naturaliter operatio, aliàs igni admoto ſufficienter pulveri nitrato diſpoſito non deberetur naturaliter inflammatio) non autem omnis caſus, in quo detur illud complexum, eſt caſus, in quo debet Deus, ut Author naturalis, concurrere cum ea creatura ad comburendum; aliàs igni exiſtenti hic deberet Deus concurſum ad comburendum pulverem pyrium exiſtentem Manilæ: ſiquidem ille habet intrinſecam virtutem ad hunc comburendum, & hic intrinſecas diſpoſitiones, ut comburatur. Ergo non omnis caſus, in quo datur illud complexum, eſt caſus, in quo datur actus primus proximus, & completus ex parte creaturæ ad comburendum. Ergo hic actus primus proximus non identificatur plenè, adæquatè, ac totaliter cum illo ſolo complexo. Ergo præter illud imbibit eſſentialiter aliquid aliud. Ergo imbibit localem approximationem, quia aliud non reſtat. Totum hoc reſolvitur in principium, quo ſemper impugno connotatores, & conſequenter huç poſſunt obverti omnes illæ ſolutiones, quas ſæpè alibi refelli.

146. Probo tertiam partem, videlicet: dictam approximationem non requiri metaphyſicè, atque penitus indiſpenſabiliter ad operandum in paſſo; ſed divinitus evenire poſſe, ut ignis exiſtens in hoc loco comburat lignum mille leucas v. g. diſtans. In hoc nulla eſt formaliter, aut illativè contradictoriorum complexio. Ergo divinitus contingere poteſt. Probo antecedens. Tituli probantes illa contradictoria, ſunt. 1. ſequeretur ignem A poſſe operari in paſſo infinitè diſtante. Nego ſuppoſitum, quia innuis in linea extenſa, v. g. Orientem verſus, eſſe aſſignabile aliquod ſpatium infinitè diſtans ab eo, in quo eſt ignis A. Sed hoc eſt falſum; quia ut ſæpè dixi diſp. de infinito, ſicut æternitas à parte poſt eſt infinita, non quia ſit aſſignabilis aliqua hora diſtans infinitè à præſente, ſed quia nulla penitus aſſignabilis eſt, adhuc mente divina, ultra quam non ſint aliæ, & aliæ, & aliæ &c. Ita extenſio poſſibilis, v. g. Orientem verſus, non eſt infinita, quatenus verſus Orientem ſit ſpatium aliquod infinitè diſtans localiter ab hoc præſente; ſed quatenus nullum eſt verſùs illam partem, ultra quod non ſit poſſibile aliud, & aliud, quin unquam per totam æternitatem perveniatur ſucceſſivè ad ullum, quod ſit ultimum. Ratio horum eſt, quam ibi dedi. Nempe. Conceptus infiniti ſucceſſivi non eſt quid poſitivum, ſed negativum, videlicet, *non habere finem*, ſeu *non poſſe pertranſiri ſucceſſivè*. At quanquam in æternitate à parte poſt nulla ſit hora poſitivè diſtans infinitè ab hac præſente, nulla quoque eſt hora, ultra quam non ſint poſſibiles aliæ, & aliæ horæ. Et ſimiliter, quanquam in extenſione infinita poſſibili verſus Orientem, nullum ſit ſpatium infinitè diſtans ab hoc præſente; nullum quoque eſt, ultra quod non ſit poſſibile aliud, & aliud, & aliud &c. Ergo quanquam non detur, imò nec ſit poſſibilis iſta diſtantia temporalis, aut localis infinita in ſenſu poſitivo, nempe adverſante conceptui ipſi *infiniti*, eſt poſſibilis utravis diſtantia infinita in ſenſu negativo, nempe proprio conceptus infiniti; quod ſi detorqueas iſtam primam ſequelam ad hanc infinitam diſtantiam in ſenſu

 merè

merè negativo, ſenſus erit, ignem hic exiſtentem poſſe divinitus comburere paſſum poſitum in quacunque diſtantia Orientem verſus, ultra quam tamen ſit poſſibilis alia major, & major; tunc rogo. Vel hoc inferret ignem pollere virtute infinita: Vel non inferret. Si hoc ſecundum, concedo tuam ſequelam, quæ abſurda non erit, eo ipſo, quod non inferat virtutem infinitam in igne hic præſente. Si primum, nego ſequelam, & paritas ad caſum præſentem nulla eſt. Nam cum non ſit idem poſſe operari ad diſtantiam mille leucarum, & poſſe operari ad quancunque diſtantiam poſſibilem, ſtat, quod ex hoc ſecundo ſequatur abſurdum infinitatis virtutis in igne, & non ſequatur ex primo.

147. Secundus titulus eſt, quia ſi agens poſſet divinitus operari in loco, in quo non eſt, poſſet quoque in tempore, in quo non eſt, unde poſſemus timere morſus ſerpentium, qui momorderunt hebræos in deſerto. Sed jam dedi diſparitatem inter tempus, & locum diſp. 3. Prodromi num. 39. Tertius titulus eſt. Nil per ſe eſſentialiter pendens ab approximatione poteſt exiſtere, adhuc divinitus, deficiente illa. Sed actio productiva ignis pendet eſſentialiter ab approximatione, quia omnis actio pendet eſſentialiter à cauſis, & prærequiſitis, quorum eſt actuale exercitium: & approximatio agentis, & paſſi, eſt unum è prærequiſitis ad actionem productivam ignis in paſſo extraneo. Ergo. Neque hoc argumentum urget, niſi circa actionem ſemel pendentem à prærequiſito A, v. g. ex quo eſt, & cujus eſt actuale exercitium, quoniam hæc eſt, quæ per ſe eſſentialiter pendet ab illo. Eſt tamen poſſibilis actio, quæ non ſit actuale exercitium talis prærequiſiti, eo quod ſuppleat Deus hujus abſentiam: & hæc actio non pendet eſſentialiter ab illo: talis eſt, quam nunc dico eſſe poſſibilem. Unde minor debet diſtingui, & conceſſa de actione *naturaliter* productiva ignis, negari debet, ſi procedat de omni poſſibili actione productiva illius: & conſequenter negandum eſt, omnem prorſus actionem eſſe actuale exercitium omnium prærequiſitorum ad effectum, quoniam, licet inter hæc ſint aliqua, quæ nec divinitus poſſunt ſuppleri, puta decretum applicativum Omnipotentiæ, determinativumque individuationis; aſt ſunt alia, quæ divinitus ſuppleri poſſunt, ut modo dico de approximatione. Sed quando aliquod ſuppletur, non eſt actuale exercitium illius actio productiva effectus; ergo non omnis actio productiva eſt actuale exercitium omnium penitus prærequiſitorum ad effectum. Neque uſpiam dixi oppoſitum: quia ſemper locutus ſum de prærequiſitis, & principiis actu abſolutè ſe exercentibus. Similiter eſt negandum, omnes omninò actiones productivas ignis eſſe ejuſdem ſpeciei phyſicæ; quoniam actio ſpecificatur extrinſecè à terminis, cum quibus connectitur metaphyſicè. At ex actionibus productivis ignis, unæ connectuntur metaphyſicè cum approximatione aliqua, ut ſunt actiones, quæ de facto dantur; aliæ non connectuntur, imò eſſentialiter habent non præſupponere ullam, ut ſunt, quas dico poſſe dari ſupplente Deo, approximationem. Ergo licet omnes ſint ejuſdem ſpeciei moralis, quatenus omnes procedunt ab eadem cauſa, & tendunt in eundem terminum;

minum: abſolutè tamen, atque omnibus penſatis invicem diſtinguntur ſpecie phyſica. Similiter negandum eſt omnem poſſibilem actionem cujusvis cauſæ creatæ debere eſſe in eodem loco, in quo illa; quoniam licet omnis illa ſit modus ſuæ cauſæ; at non omnis eſt modus *intrinſecus* & ipſi inhærens, ſiquidem actio, & paſſio ſunt idem, ut ſupra dixi; paſſio autem in ſolo eo loco eſt, in quo eſt paſſum. Et alias neque in paſſo vicino poſſet operari agens, niſi per actionem receptam in ipſo agente, aut per bilocatam actionem.

148 Negandum ſimiliter eſt, omnem actionem productivam ignis eſſe entitativè naturalem quoad ſubſtantiam: quoniam actio, qua ignis hic exiſtens produceret alium ignem in paſſo illo Mexicano, eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; quoniam omnis actio per ſuammet eſſentiam excludens prærequiſitum inſupplebile per totam naturam, per ſuammet eſſentiam eſt ſupernaturalis, (niſi aliunde probetur eſſe chymæricam) quia omne intrinſecè violans jura totius naturæ eſt intrinſecè ſupernaturale, & quia in tota natura non dantur vires ad actionem eſſentialiter excludentem prærequiſitum inſupplebile per totam naturam. Sed omnis actio, qua ignis hic produceret ignem in paſſo illo adeò diſtante, per ſuammet eſsentiam excluderet prærequiſitum inſupplebile per totam naturam, nempe approximationem, ſiquidem omnis actio habet per ſuam eſſentiam non procedere ab eo principio phyſico, aut morali, à quo non procedit, ſicut habet per ſuam eſſentiam procedere ab eo, à quo procedit, ut alibi dixi. Approximatio autem eſt inſupplebilis per totam naturam. Ergo omnis illa actio per ſuammet eſsentiam eſset ſupernaturalis. Neque obſtat, illam eſse corpoream, & materialem, quia corporeitas, & ſupernaturalitas non opponuntur eſſentialiter, ut conſtat ex unione hypoſtatica, quæ eſt corporea, & ſimul ſupernaturalis. Et en diſparitatem ad ignem ipſum producendum. Hic namque utpote entitas abſoluta non habet per ſuam eſſentiam oriri phyſicè ab igne hic exiſtente, aut moraliter ab approximatione, aut non oriri. Unde non eſſet intrinſecè ſupernaturalis, ſed ſolum per accidens, & quoad modum. Actio verò productiva ipſius haberet per ſuam eſſentiam non oriri moraliter ab approximatione naturaliter exacta ab igne hic exiſtente, à quo procedit actio illa. Ergo intrinſecè violaret jura totius naturæ. Ergo intrinſecè eſſet ſupernaturalis. Ergo non poſſet procedere à ſolo igne hic exiſtente, qui ſit entitativè naturalis, ſed ab hoc elevato, adjutoque per comprincipium ſupernaturale (ſicut actus ſupernaturales procedunt ab Angelis, & hominibus) ſive comprincipium illud eſſet permanens, ſive tranſiens, ſive intrinſecum ſive extrinſecum ei igni. Neque obſtat 2. ignem producendum in paſſo illo remotiſſimo eſſe naturalem, quoad ſubſtantiam; quoniam, licet nil ſupernaturale poſſit produci per actionem naturalem, alias naturale connecteretur determinatè cum ſupernaturali, & hoc eſſet debitum illi, ſiquidem cuivis actioni productivæ debetur ſuus terminus; cæterum aliquid naturale poteſt produci per actionem ſupernaturalem, ſicut poteſt uniri per unionem ſupernaturalem v. g. per hypoſtaticam, & poteſt eſſe

præſens per præſentiam ſupernaturalem v. g. corpus Chriſti in Euchariſtia; licet enim nil naturale poſſit *per ſe intrinſecè* connecti *determinatè* cum ullo ſupernaturali creato, alias hoc eſſet debitum naturæ, poteſt extrinſecè, ac per accidens connecti cum illo, & etiam disjunctivè (nam quod debetur tantum disjunctivè, non debetur verè, ac ſimpliciter, alias cum huic cartæ debeatur exiſtere, vel non exiſtere, deberetur verè, ac ſimpliciter exiſtentia) ſed ex eo, quod terminus entitativè naturalis produceretur per actionem illam entitativè ſupernaturalem, dumtaxat ſequeretur illum extrinſecè, ac per accidens pendere hic & nunc ab ea actione, & connecti cum illa, & quidem disjunctivè, nempe cum illa, vel cum alia naturali egrediente ab agente applicato. Ergo.

149 Probo jam ultimam partem concluſionis ſcriptæ n. 146. videlicet, veroſimilius eſſe, nullam cauſarum ſecundarum de facto exiſtentium, poſſe adhuc divinitus operari in paſſo exiſtente extra ſphæram totam, ad quam extenditur naturaliter ſua activitas. Et hæc forſan fuit mens P. Molinæ, & aliorum aſſerentium, nec divinitus poſſe contingere, quod cauſa operetur in paſſo longinquo, quin operetur in medio. Arguo paritate, ac ratione ſententiæ mihi veræ, docentis, non quamlibet entitatem creatam poſſe elevari adhuc divinitus ad producendum quamlibet aliam, v. g. aquam non poſſe adhuc divinitus producere gratiam ſanctificantem, ſicut neque producere diſcurſus, amores, odia &c. Omne carens virtute obedientiali, quam remotam, & inchoatam vocant Authores multi, ad producendum rem A, eſt impotens elevari adhuc divinitus ad illam producendam, (quia elevatio ſupponit in ſubjecto elevato virtutem obedientialem, ſeu radicalem ad faciendum inſtar virtutis partialis id, ad quod elevatur, verè namque, & phyſicè facit inſtrumentum phyſicum rem, pro qua ſervit, ut bene probat Vaſquez) & conſequenter eſt impotens producere illam rem adhuc divinitus. Sed omnes cauſæ ſecundæ de facto exiſtentes, carent virtute obedientiali ad actionem productivam effectus in paſſo exiſtente ultra ſphæram totam, ad quam naturaliter extenditur ſua activitas; quippe hujuſmodi virtus obedientialis, ſeu virtus radicalis, & remota ad actionem illam, ut pote entitativè ſupernaturalem, ut dixi, eſt aliqua poſitiva perfectio non ſpernenda: & conſequenter non eſt ponenda de facto abſque poſitivo fundamento, quod ſanè non datur. Ergo omnes illæ ſunt impotentes elevari adhuc divinitus ad actionem illam, & conſequenter, nec divinitus poſſunt illam ponere. Res ergo præſens ex illis eſt, in quibus ex negatione facti infertur negatio poſſibilitatis: hæc namque indiget præſente virtute obedientiali, ſeu intrinſecè actuali capacitate in eodem illo ſubjecto, quod elevabile dicitur. Ergo non eſt adhuc divinitus elevabile ſubjectum, ſi de facto non gaudet illa virtute obedientiali, quæ non eſt titulus ſine re; ſed vera virtus, licet inadæquata, & partialis concurrens ad actionem ſupernaturalem, ut conſtat ex alijs principiis circa immediatum concurſum potentiæ naturalis in actum ſupernaturalem, quando dicimus lumen gloriæ v. g. non eſſe totam virtutem, ſeu to-

Molina in 1. part. q. 8. art. 1. diſp. 2.

Rubio lib. 7. Phyſic. q. 2. cap. 12.

P. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 5.

P. Vaſquez in 1. part. diſp. 176. num. 9.

totam rationem agendi actum ſupernaturalem.

150 Hinc 1. ratio hæc non valet, quando detorqueatur contra elevabilitatem ſubjecti ad actionem ſupernaturalem, ad quam aliunde conſtat habere virtutem obedientialem, ſive intrinſecam capacitatem, ut conſtat dè homine in ordine ad actiones ſupernaturales, & de aliis in ordine ad alia. Neque valet, quando detorqueatur contra virtutem obedientialem, quæ ſit merè paſſiva, & receptiva, quæ vel non eſt perfectio poſitiva ſpecialis, vel non eſt talis, qualis virtus obedientialis *activa*, de qua ſola diſputo modo. Hęc enim verè, & ſimpliciter eſt virtus efficiens, eſt activitas, eſt fæcunditas, eſt vis operativa, licet partialis, & inadæquata, licet indigens concurſu, vel etiam motione aliûs agentis, ut patet in aliis cauſis inſtrumentalibus v. g. in ferro, quod verè, & ſimpliciter ſcindit lignum, in lapide, qui verè, & ſimpliciter contundit caput, tametſi ambo ſint mera inſtrumenta. Aliæ verò virtutes obedientiales merè paſſivæ ſtant in mera non repugnantia, ſive capacitate, ut alia cauſa agat in eis. Ergo licet opus ſit fundamento poſitivo ad virtutem obedientialem *activam*; ad *paſſivam* ſufficit pura non repugnantia in ſubjecto habente illam. 2. Non arguo ex eo, quod effectus producendus in eo paſſo diſtante, inſpectus ſecundum ſuam naturam, non poſſit produci ab igne A v. g., nam poteſt ſine dubio; ſed ex eo quod *actio illa* productiva illius ſit entitativè ſupernaturalis, ut dixi n. 148. Unde ut ignis nunc exiſtens poſſet illam individuam, aut ſpecificam ponere, opus erat quod nunc haberet intrinſecam virtutem obedientialem ad ponendum illam. At quamvis habeat virtutem intrinſecam, etiam naturalem ad ponendum illius terminum, ſcilicet illum alium ignem ſecundùm ſe, qui eſt entitativè naturalis; non probatur, quod habeat virtutem, adhuc obedientialem, ad ponendum illam determinatam actionem; tum quia hæc eſt ſupernaturalis, & terminus ille eſt naturalis, ex virtute autem ad naturale non ſequitur virtus ad ſupernaturale; tum quia licet omnis virtus ad ponendum terminum ſit virtus ad ponendum actionem productivam termini, eo quod unicus modus ponendi terminum eſt ponere actionem illius productivam: id eſt verum, de *aliqua*, ſed non de *omni* actione productiva termini, quia inter omnes actiones poſſibiles productivas termini, poſſunt aliquæ eſſe intrinſecè ſupernaturales, ut in præſenti: & poteſt inſuper fieri, quod cauſa determinata, quæ diſputatur, non habeat virtutem obedientialem ad illas, ut etiam in pręſenti.

151 Hinc 3. Non valet pro re præſenti recurſus ad infinitam amplitudinem potentiæ divinæ; quoniam ſicut hæc non poteſt facere, quod canis ratiocinetur, aut felis philoſophetur: eo quia utrumvis præſupponit eſſentialiter capacitatem intrinſecam, & virtutem obedientialem ad has rationales operationes; unde virtute illa deficiente, ut deficit in eis animalibus, non poſſunt adhuc divinitus elicere operationes illas rationales. Ita amplitudo infinitæ potentiæ divinæ non poteſt facere, quod ignis exiſtens modo in hoc loco ponat actionem dictam in paſſo illo adcò diſtante, quin ille fruatur virtute radicali, & obedientiali

tiali ad ponendum illam. Ergo ſi hac virtute non fruitur, quia de illa non conſtat poſitivè, dicendum eſt conſequenter Deum non poſſe facere, quod ille ponat actionem illam. Nimirum omnipotentia divina non eſt ad faciendum chymæras, & eſſet chymæra, quod cauſa nullam prorſus habens virtutem adhuc obedientialem ad aliquam actionem, ponat illam, quia cum ab actu ponendi arguatur ad potentiam ponendi, à negatione hujus potentiæ arguitur neceſſario negatio illius actus, propter illud principium, *ab oppoſito conſequentis* &c. quamobrem, ſi quæras contradictoria quæ ſequerentur, ecce illa. Ignis poneret eam actionem, ut dicis, deinde non poneret illam, quia ut probavi, nulla prorſus fruitur virtute obedientiali ad illam. Hinc 4. non dico abſolutè, ac directè, eſſe metaphyſicè impoſſibile, quod hæ cauſæ ſecundæ operentur in paſſo exiſtente ultra ſphæram dictam; ſed *veroſimilius* eſſe, quod ſit impoſſibile. Nam quamvis fieri poſſit, quod hæ cauſæ verè fungantur virtute obedientiali dicta (non enim ſcimus virtutes omnes, quas habent, quaſque non habent) aſt de illa non conſtat ratione ullâ poſitivà. In his autem dubiis ſtat poſſeſſio pro parte negativa. Et conſequenter prudens, quæ proferatur ſententia, debet eſſe negativa. Non igitur eſt certum, ſed veroſimilius quod dico. Hinc 5. habes rationem pro parte negativa famoſæ illius controverſiæ. An ſcilicet Sacramenta cauſent phyſicè gratiam? Ablutioni quippe ineſſe virtutem intrinſecam obedientialem ut elevetur per Deum ad cauſandum phyſicæ gratiam, licet inſtar cauſæ inſtrumentalis, eſſet non levis perfectio, ſicut eſſet in equo non levis perfectio frui virtute obedientiali, ut elevaretur per Deum ad condendum Poema. Atqui nulla datur ratio poſitivè probans eam virtutem ineſſe ablutioni in Baptiſmo, aut verbis abſolutionis in Sacramento Pænitentiæ &c.

152 Hinc 6. habes ſolutam quæſtionem, quam inſinuavi n. 149. Scilicet non omnem creaturam de facto exiſtentem poſſe per Deum elevari ad quamcumque aliam producendam. Nimirum nil carens virtute obedientiali, ſeu remotà, & inchoatà ad producendum aliquid, poteſt adhuc divinitus elevari ad illud producendum. Sed creaturæ de facto exiſtentes carent eà virtute, quia cum illa non ſit *pura non repugnantia*, ſed poſitiva fœcunditas, & vis, eget poſitivo fundamento, ut credatur; & tale fundamentum non datur. Ergo. Neque Auguſtinus aut Thomas ſunt nobis contrarii. Solum namque docent in genere, naturam poſſe per divinam potentiam facere aliqua, quæ ſuaptè natura non poteſt. Hoc eſt verum, & tantum probat dari in genere virtutes obedientiales ad multa. Sed hinc quomodo probatur omnes prorſus creaturas pollere virtute obedientiali ad quodcumque aliud creatum producendum? Eſt ne credibile ambos hos Doctores putaſſe hanc cartam poſſe elevari à Deo ad producendum rationales diſcurſus? canem poſſe conſtitui per Deum, Gubernatorem Reipublicæ? Muſcam poſſe concionari ad populum? &c. Similiter ratiocinabar in Prodromo diſp. 2. n. 51., & diſp. 5. n. 107.

S. Auguſt. de Geneſ. ad lit. cap. 17. S. Thomas de potentia Dei qu. 6. art. 2. ad 12.

Quæſtio

§. X.

153. QUæſtio ſeptima eſt. *An cauſæ ſecundæ pati poſſint violentiam à cauſa prima.* Cum hæc vox violentia malum ſonum habere ſoleat, paſſimque ſignificet injuriam, injuſtitiam, alieni juris læſionem, aut quid ſimile, quod ſine dubio repugnat fieri à Deo: Ideò graves quidam Doctores opinantur, Deum nulli creaturæ poſſe violentiam inferre; atque ideò forſan propter aſperum corticem vocis illius crevit plus juſto hæc controverſia. Violentum explicuit Ariſtoteles poſt tria præmiſſa, his verbis. *Id igitur violentum eſſe videtur, cujus principium eſt foris nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata* Differt ab invito, quia hoc determinatè alludit ad appetitum elicitum contra quem eſt, unde impropriè dices Aquam invitam eſſe ſine frigiditate: propriè autem canem invitum eſſe ſub catena. Igitur violentum in genere aliud eſt *poſitivum*; aliud *negativum*; quia non ſolum ſubimus violentiam, quando affligitur nobis, quod horremus, ſed etiam quando non habemus, quod appetimus, ut damnati experiuntur in privatione gloriæ. Violentum poſitivum aliud eſt *phyſicum*, aliud *intentionale*. Illud appetitui innato, hoc elicito adverſatur. Rurſus cum hic appetitus ſit duplex: unus ſenſitivus, ſeu materialis, alter rationalis, ſive ſpiritualis, nempe actus voluntatis, duo alia reſultant violenta; Unum contra appetitum ſenſitivum, alterum contra actum voluntatis. Hinc cum poſſit homo velle, quod eſt contra appetitum innatum, ut eſt propria nex; item id, quod eſt contra appetitum elicitum, ut eſt mortificatio paſſionum, habemus violentum ſimpliciter, phyſicè, aut ſenſitivè, poſſe eſſe ſimpliciter voluntarium, & conſequenter minimè violentum voluntati, quin imò meritum, aut peccatum. Præterea cum voluntas poſſit indulgere utrique ei appetitui, fieri poteſt, quod voluntarium neutro modo ſit violentum. Denique cum voluntas noſtra, tam varia ſit in ſuis actibus, multiplex combinatio reſultat violenti, tum puri, tum admixti voluntario, quas combinationes, licet neceſſarias ad practicam notitiam actuum noſtrorum, tibi eruendas relinquo ex ſimilibus alibi datis circa involuntarium. 3. *Ethicor. cap.* 1.

154. Contra definitionem Ariſtotelis objiciuntur varia. 1. quod non eſt violentum poteſt eſſe ab extrinſeco, nihil concurrente ſubjecto. Diſtinguo hoc; nihil concurrente adhuc permiſſivè, nego, quia ſi non eſt violentum, non reſiſtit ſubjectum ei, & iſte eſt concurſus, quem reiicit definitio: nihil concurrente poſitivè, concedo, & hunc non reijcit. 2. ſubjectum cui vis infertur nonnunquam concurrit activè, aut paſſivè ad id, in quo vim patitur. Diſtinguo: concurrit ſponte nego, quia alias non eſſet purè, ac ſimpliciter violentum; non ſponte concedo. 3. motus elevans lapidem, eſt ei violentus; & tamen provenit ab impulſu, qui utpote receptus in lapide eſt ipſi intrinſecus. Reſpondeo.

Impulſus.

Impulſus ille eſt lapidi violentus, unde motus ſurſum provenit ſanè à principio intrinſeco, ſed violento; corollarium autem violentiæ eſt etiam violentum. Idem dico de morte naturali proveniente ex morbo intrinſecè recepto in homine. 4. Homo ſe occidens infert ſibi violentiam phyſicam, & tamen non eſt ſibi extrinſecus. Diſtinguo extrinſeceitate reſpectu ſui ipſius, concedo, reſpectu illius partis vitalis, cui violentiam infert, nego, quia ab ea diſtinguitur ſaltem inadæquatè, & membrum, quo utitur ad corrumpendum alterum, ex cujus interitu ſequitur mors hominis, eſt extrinſecum illi alteri. Difficultas ergo primaria, in qua multi multum ſudant, eſt. Num Deus poſſit inferre violentiam ſtrictè talem creaturæ. Conſule P. Vaſquez.

P. Vaſquez 1. 2. diſp. 26. cap. 4.

155. Reſpondeo explicando terminos. Injuriam non, ſed violentiam inferre poteſt Deus Creaturæ tum poſitivam, tum negativam, tum phyſicam, tum intentionalem. Probo primam partem. Omne ius excogitabile in creatura, aut eſt tale, ut ex ejus violatione ſequantur duo contradictoria: aut non. Si primum (quale dici poteſt jus unionis phyſicæ, ut non exiſtat abſque duobus: Item jus eſſentiæ, ut non ſpolietur proprietatibus metaphyſicis;) cum Deus non poſſit facere chymæras, inde eſt, quod non poteſt violare id generis jura. Ergo licet horum violatio foret injuria, ſubſiſtit, quod Deus non poteſt facere injuriam. Si ſecundum. Ergo violatio juris illius eſt ſimpliciter poſſibilis, & contingens. Ergo pleniſſimè ſubordinata divino arbitrio. Ergo licet Deus infringeret jus illud creaturæ, non faceret creaturæ injuriam, ſed uteretur ſuo jure, cui omnia cedunt, ſicut Princeps, dum hominem privatum juſtis de cauſis in commodum Reipublicæ ſuo peculio orbat, non facit ipſi injuriam: nempe quia jus Civium ad ſuam rem familiarem, eſt ſubordinatum alto, & ſupremo juri Principis. Et ratio eſt. Omnis caſus, in quo Creatura juſtè queri poſſit de Deo, eſt caſus repugnans, eſſet namque juſta querela contra voluntatem undequaque juſtiſſimam, unde eſſet, & non eſſet juſta. Sed omnis caſus, in quo pateretur injuriam à Deo, eſſet caſus, in quo juſtè poſſet queri de Deo, nam injuria per ſe eſſentialiter præbet hoc fundamentum injuriato. Ergo.

156 Probo ſecundam partem, quam confundentes aliqui cum prima acriter impugnant, & licet bene ratiocinentur juxta vulgarem modum loquendi, juxta quem violentia ſolet vocari injuria, ſeu injuſtitia; at non juxta veritatem, & rigorem Scholaſticum, qua diſtinctione explicandæ ſunt illorum objectiones; quoniam violentum in ſenſu, & rigore ſcholaſtico eſt, ut jam ſupradictum eſt, *illud, cujus principium eſt foris nihil concurrente eo, cui vis eſt illata*. Ergo quoties creatura privetur per Deum illo, quod innatè appetit, vel elicitè (ut ſi ignis privaretur calore debito, aut homo ſanitate) patitur à Deo violentiam negativam vel phyſicam, vel certè intentionalem, licet non injurioſam: & quoties adigatur per Deum ad illud, quod innatè, vel elicitè refugit, patitur violentiam poſitivam phyſicam, vel intentionalem; ut ſi natura humana uniretur ſubſiſtentiæ equinæ, vel homo ærumnis, & miſeriis opprimeretur. Sed ambo hæc poſſunt contingere divinitùs. Ergo creatura

poteſt

poteſt pati à Deo omnes has violentias, minimè tamen injurioſas, quinimo iuſtas.

157 Explicatur. Sicarius damnatus ad furcam patitur à Judice violentiam ſtrictè phyſicam, quia orbatur vità, quam innatè appetit individua illa natura; ſed non patitur injuriam, quia ſupponimus Judicem legitimè procedere, unde ille nequit juſtè queri de Judice. Subſtantiæ ſpirituales Dæmonum, & animarum, habentes ſibi infixam à Deo miram illam qualitatem, qua verè ac ſimpliciter cremantur, patiuntur violentiam phyſicam, & intentionalem, habent enim illud, quod innatè horrent (certum enim eſt utroſque ſpiritus eſſe in ſtatu phyſicè violento; & cum in tota natura non ſit vis ad comburendum ſpiritum, ſequitur violentiam illam eſſe à ſolo Deo) ſed non patiuntur injuriam, quia non poſſunt rationabiliter queri de Deo; diſcrimen verò inter violentiam, & injuriam eſt, quod ad rationem violenti phyſici ſat eſt provenire à principio extrinſeco, ideſt neque identificato, neque unito, & eſſe contra appetitum paſſi; ad rationem autem injuriæ deſideratur, quod ſit irrationabiliter contra jus alterius, ita ut hic alter rationabiliter poſſit queri de injuriante. At fieri poteſt, quod actio ſit contra appetitum innatum, vel elicitum paſſi, & tamen quod non ſit irrationalis ex parte agentis, & conſequenter quod paſſo non det occaſionem juſtæ querelæ: ſiquidem fieri poteſt, quod agens polleat jure ſuperiore ad infringendum appetitum illum patientis, ſicut Judex pollet ad infringendum appetitum, quo individua natura hujus nequam innatè appetit ſuam conſervationem, & ſicut ignis pollet ad enervandum appetitum, quo aqua innatè appetit frigiditatem; ergo fieri poteſt, quod actio ſit ſtrictè violenta, quin ſit injurioſa. Poteſt quodammodo dici contra jus patientis, ſcilicet contra innatam exigentiam, vel elicitam, ſed eſt contra jus ſubordinatum altiori juri divino. Paſſim ſanè experimur una agentia naturalia pati violentiam ab alijs fortioribus, quæ incapacia ſunt, ut faciant injuriam ſtrictè talem, cum neutra ſint rationis capacia.

158. Hinc 1. verum eſt, quod omnes creaturæ ſunt eſſentialiter ſubordinatæ Deo: ex hoc autem ſolum ſequitur, eas neque innatè, neque appetitu elicito prudenter poſſe appetere quidquam *reduplicativè, ut contrarium divinæ voluntati*. v. g. ignis non poteſt appetere calorem, *ut habendum etiam nolente Deo*, quia hoc eſſet appetere chymæram. Unde non appetit quidquam formaliter contrarium divinæ voluntati, ſed ſolum materialiter. Veruntamen etiam quando Deus non vult illum pollere calore, innatè appetit calorem ſpecificativè ſumptum. Ubi occurrit priſca illa æquivocatio mutandi appellationem terminorum ut *Petrus albus eſt Monachus*, &, *Petrus eſt Monachus Albus*; ſic in ipſo inſtanti, in quo Voluntas liberè amat, habet poteſtatem non amandi, quia hoc ſolum quod eſt, *non amare*, liberum eſt voluntati; at non habet poteſtatem non amandi pro eodem inſtanti, in quo amat, quia hoc eſſet habere poteſtatem ad conjungendum duo contradictoria: ſic Deus ipſe conjunctim cum reprobatione Judæ ha-

Fff bet

Digitized by Google

bet libertatem ad illum prædeſtinandum, (quia licet reprobatio adverſetur prædeſtinationi, veruntamen neque adverſatur libertati ad prædeſtinandum, utpotè diſtinctæ, & inconnexæ cum ipſa prædeſtinatione, neque prædeſtinatio opponitur libertati ad reprobandum, utpote diſtinctæ, atque inconnexæ cum reprobatione, ſed non habet libertatem ad ipſum *prædeſtinandum conjunctim cum reprobatione*, quia hæc conjunctio eſt impoſſibilis. Eodem modo philoſophamur in præſentiarum. Nullus appetitus innatus, aut elicitus, qui ſit prudens, fertur in rem ut habendam etiam nolente Deo, quia hæc habitio eſt impoſſibilis; tum propter ſubordinationem eſſentialem omnis creaturæ reſpectu Dei; tum propter irreſiſtibilem efficaciam, quam in nolitione ſupponimus. Undè violentia non conſiſtit formaliter in hoc complexo *Ignem orbari calore, ex Hypotheſi, quod Deus efficaciter nolit concedere illum*. Sed in ſola nolitione divina, quæ ignis infringit exigentiam, & in privatione ipſa caloris, oriunda ex hac nolitione. Cæterum etiam quando Deus non vult rem concedere, appetitus innatus, vel elicitus prudens, poteſt ferri in ſolam rem ipſam, qui appetitus cum diſtinguatur ab illa re, & cum ea non connectatur metaphyſicè, fieri poteſt, quod divina volitio opponatur illi rei, quin
Pſalm. 118. opponatur exiſtentiæ illius appetitus. Sanè, qui dicebat *Paratus ſum,*
Luc. 22. *& non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua* ajebat quoque: *Funes*
Math. 26. *peccatorum circumplexi ſunt me*. Et qui ajebat, *non mea voluntas, ſed tua fiat*; dixit etiam. *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Non ergo opponitur pleniſſimæ ſubjectioni ad Deum appetitus oppoſitus, & conſequenter violentia in fruſtratione illius appetitus.

159. Inſtabis. Ergo ſimiliter phyſica prædeterminatio ad amorem ſecundùm ſe, non opponitur cum libertate ad carentiam amoris: tum quia, licet opponatur cum hac carentia, libertas tamen ad hanc eſt diſtincta, & inconnexa reſpectu hujus. Tum quia, licet ea prædeterminatio opponatur cum libertate ad omiſſionem amoris in ſenſu compoſito prædeterminationis, non tamen in ſenſu diviſo. Nam ſicut nos dicimus appetitum innatum, & elicitum prudentem non eſſe de re, *ut contraria, & oppoſita* divinæ voluntati: ſed de re ſecundum ſe præcisè inſpecta; ita prædeterminatio eſt connexa cum amore v. g. ſecundum ſe præcisè, ac ſecundum ſuam eſſentiam, & libertas ad hujus omiſſionem eſt ad hanc ſecundum ſe, ac in ſenſu præciſivo, non autem ad hanc, *ut conjungendum* cum prædeterminatione ad amorem. Nego ſequelam. In primis non arguimus prædeterminationem ad amorem adverſari libertati ad omiſſionem, ex eo præcisè, quod adverſetur huic omiſſioni, ſed ex hoc, & ſimul ex eo, quod aiunt Adverſarij, eſſe prorſus inevitabilem ab hac libertate; qui autem eſt inevitabiliter ligatus nexu, à quo ſe ſe explicare nequit, non poteſt dici actu abſolutè liber libertate indifferentiæ.

160. Præterea cum libertas ad eam omiſſionem ſecundum ſe ac ſecundum ſua eſſentialia, non ſit libertas ſpeculativa; ſed practica ad merendum, vel peccandum, eo ipſo eſt libertas ad ponendum in rebus illam omiſſionem modo ſuo. Sed omnis modus poſſibilis ponendi in re-

bus

Digitized by Google

bus illam omiſſionem modo ſuo reducitur ad has duas: ſcilicet, exiſtente, aut non exiſtente prædeterminatione *ad amorem*, quia eſt chymæra omiſſionem illam exiſtere, & neque exiſtere, neque non exiſtente illam prædeterminationem. Ergo practica libertas ad eam omiſſionem eſt libertas ad ponendum illam exiſtente prædeterminatione ad amorem, (& hoc per vos eſt impoſſibile ob metaphyſicam oppoſitionem, quam ponitis inter illam prædeterminationem, & hanc omiſſionem) Vel deficiente ea prædeterminatione, & nunc quæro. Vel ſimul eſt poteſtas ad faciendum, ut deficiat hæc prædeterminatio, vel non, ſed ſolum eſt poteſtas ad ponendum eam omiſſionem pro caſu, quo aliunde deficiat ea prædeterminatio. Si primum: ergo jam habemus, quod prædeterminatio ſit impedibilis à Creatura. Si ſecundum: ergo prædeterminatus gaudet eadem libertate ad omiſſionem amoris, & conſequenter ad obediendum, vel non obediendum legi &c. qua ſpiritus damnatus gaudet ad amandum Deum, ſcilicet pro caſu, quo deficeret ille ſtatus: & qua gauderet homo, qui neſciens, ſibi eſſe negatum à Deo concurſum ad volendum, vel ſibi omninò deeſſe vires ad faciendum rem A, haberet judicium indifferenter proponens motiva attrahentia, & retrahentia reſpectu talium actuum. Sed hic certiſſimè non haberet libertatem indifferentiæ, neque eſſet damnabilis, eò quod non faceret actum illum. Ergo. In noſtro autem caſu appetitus ignis v. g. eſt habendi calorem deficiente efficace nolitione Dei largiendi illum, & inſuper, quod illa nolitio non detur in Deo: & licet hoc obtinere non valeat ignis ob impotentiam reſiſtendi actui divino efficaci, hoc probat illum non pollere libertate indifferentiæ ad habendum, & non habendum calorem, quod verum eſt; at non probat illum non pati violentiam in eo, quod Deus conceperit eam nolitionem, & in eo, quod calore privetur. Eſt ſanè paritas in modo, quo ignis reſpicit calorem, & libertas omiſſionem. Sed eſt diſparitas in eis, quę requiruntur ad actualem libertatem indifferentię, & quæ ſufficiunt ad patiendum violentiam. Ex quibus omnibus habes creaturam rationalem poſſe pati à Deo violentiam poſitivam, & negativam contra appetitum elicitum utrumvis, quia poteſt Deus ſanctè negare, quod elicitè appetis, & infigere quod elicitè abhorres.

161. Ex quibus omnibus colligitur quoque poſſe Deum inferre violentiam in ſenſu dicto cauſę efficienti: tum negativam, privando illam effectu, quem naturaliter appetit producere, ſeu cum cujus productione phyſicè connectitur, ut connectebatur phyſicè ignis ille Babylonicus cum combuſtione trium illorum Sanctorum Corporum: tum poſitivam, cogendo ſcilicet cauſam ſecundam, ut faciat id, quod eſt contra ſuum naturalem appetitum, ut ſi cogeret irreſiſtibiliter hominem, ut ſe ipſum mutilaret, aut occideret. Eſt namque Dominus ſupremus vitę, & necis. Item poteſt inferre violentiam *negativam* cauſę materiali, orbando ſcilicet materiam primam omni formâ: & *poſitivam* cauſis alijs materialibus, faciendo, ut recipiant id, quod naturaliter averſantur v. g. aqua calorem, ſpiritus damnatus combuſtionem, ignis frigiditatem,

Fff 2

tem, caro dolorem &c. Cæterum cum materia ipſa prima, utpote indifferens ad quamcunque formam, & accidentia, nullam formam, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem averſetur, ſecundum ſe inſpecta, non apparet ita facilis capacitas in illa, ut poſitivam violentiam patiatur à Deo, Poteſt item inferre violentiam cauſæ formali: tum negando formæ unionem cum materia; tum negando illi ſuum effectum formalem negativum, etiam quando illa eſt unita materiæ; quia in ſenſu compoſito unionis formæ ignis cum materia, poteſt Deus conſervare ibidem formam ligni. Ergo poteſt hæc non expelli. Sed expulſio eſt effectus formalis negativus formę ignis. Ergo. Aſt non poteſt Deus negare formæ ſuum effectum formalem poſitivum, quando ea eſt unita materiæ, quia quodvis dum eſt, neceſſe eſt eſſe. Poſita autem unione formę cum materia, eſt jam effectus formalis poſitivus formæ, quippe nihil aliud eſt, quam complexum reſultans ex materia, formâ, & unione. De cæteris philoſophandum eſt juxta hæc principia.

CAPUT TERTIUM.

De Cauſa Finali.

262. Trifariam poteſt intelligi finis, prout coincidit cum cauſa finali (nam prout eſt ultima aliqua pars extenſionis, ſeu durationis non venit ad rem) 1. latiſſimè pro quacunque re terminante connexionem (quæ appetitus naturalis dici ſolet) rei A. quę inſuper connectitur cum aliquo, vel aliquibus ſuapte natura inducentibus rem A. Sic corpora gravia terreſtria connectuntur ex ſua natura cum majore, & majore diſtantia à Cœlo, uſque ad ultimam: ad ipſamque caderent, niſi invincibilia occurrerent impedimenta, & quando licet, illa proterunt; idcircò infimus ille locus, eſt finis gravitatis corporum horum terreorum. Corpora planetaria, & Syderea, licet habeant quoque diſpares gravitates, ut videtur conſtare ex eo, quod una ſine miraculo, & violentia, ſed naturaliter ſunt infra alia, nullum premitur eâ gravitatis intenſione, ut exigat infimum eum locum, unde, ſi aliquod fruſtum lunę, Solis &c. abſcinderetur ab eis corporibus, & miraculosè poneretur inter nos, nulla cauſa naturalis ex his, quas novimus, poſſet illud cohibere, quin protinus rediret ad eum ſitum diſtantiæ ab ambitu mundi totius, qui reſpondet ſuæ gravitati, ut alibi explicui. In hoc ſenſu latiſſimo dicitur natura operari propter finem, ideſt unamquamque rem individuam, (non enim eſt aliqua natura Platonica), operari, ut aſſequatur illud quocum ex ſe connectitur. Unde in hoc latiſſimo ſenſu, non ſolum cognoſcitivis, ſed rebus omnibus alijs, convenit operari propter finem, & moveri ex cauſa finali.

Po-

Digitized by Google

163. Poteſt intelligi 2. latè, & minus impropriè; impropriè tamen. Et eſt res intenta, ſeu concupita à vivente cognoſcitivo, atque appetitivo; ſed cognitione, & appetitu materialibus, imitantibus utcunque mentem, ac rationem (ſicut ſimia imitari ſolet actiones humanas) ſed valdè diſtantibus ab eis. Sic quando avis ad nidificandum quærit paleas, quando felis portat filios in locum ſemotum ne violentur, quando canis ſepelit panem pro tempore famis, videntur operari propter fines particulares. Sed impropriè. Moventur namque cognitione, ac appetitu purè materialibus, imitantibus actus rationales; ſed ab eis plurimum diſtantibus, ſicut ſphæra artificalis diſtat à cœleſti, quam exprimere videtur. Omnes namque illi actus procedunt à phantaſia, ſicut pleraque noſtra inſomnia, & quia in aliquibus brutis potentia illa eſt magis vivax, quam in multis hominibus, ideò miræ videntur operationes illæ; quapropter, ſicut nos inter ſomniandum, verè, & ſimpliciter percipimus objecta, amamus, odimus, combinamus, dividimus, & quaſi ratiocinamur, ſed omnes iſtæ operationes ſunt purè materiales, longiſſimè diſtantes plerunque à mente, ratione, conſilio, veroque diſcurſu mentali, & conſequenter à libertate merendi, & demerendi. Ita ſagaces illæ providæ, atque induſtriæ, quæ videntur operationes brutorum. Sicut enim *vivere* non conſiſtit in indiviſibili, ſed trina datur ſpecies vitæ: ita *percipere*, *appetere*, *providere*, *combinare*, *diſcernere* non conſiſtunt in indiviſibili, ſed amplectuntur diſpares valdè ſpecies. Percipere igitur, appetere, providere &c. purè materialiter, & quaſi homo inter ſomniandum, poteſt convenire brutis, & conſequenter operari propter finem, purè materialiter, ſicut etiam homo ſomnians. Sed non ſtrictè, verè, propriè, ac ſimpliciter; quod ſi ſubinferas fore, ut ſagacia illa animalia peccabunt quoque, ac merebuntur ſaltem materialiter. Nego conſequentiam, quia communis uſus accipit iſtas voces non pro quavis actione, quæ ſi fieret cum *rationali advertentia* eſſet peccatum, aut meritum; ſed pro actione id generis, & quæ inſuper fit à principio capace, ex ſua natura habendi talem advertentiam; quis enim dicet ſaxum cadens ſuper caput innocens, illudque diſcindens, peccare, adhuc materialiter. At nulla actio animalis, quantumcunque ſagacis, fit à principio capace habendi rationalem advertentiam. Ergo nulla eſt peccatum, aut meritum materiale.

164. Poteſt intelligi 3. finis, ſeu cauſa finalis ſtrictè, ac propriè. Et definitur ab Ariſtotele. *Finis eſt cujus gratiâ cætera fiunt*, cujus gratiâ, inquam, non ut cætera ei arrideant, ſed *cujus obtinendi gratiâ*. Vulgò etiam dicitur; *quod movet ad ſui conſecutionem per media*, quæ tamen definitio ſoli fini *qui* competit ut infra dicam. Cum qua definitione coincidunt aliæ, quas in aliis locis dat. Sed quia nec paucæ, nec leves difficultates expediuntur alibi per principia, & intelligentiam cauſæ finalis. Adverte decem. Primum eſt. Cauſa finalis movet interdum ad faciendum id, quod ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè ſumptum, tam longè abeſt, ut conducat obtinendo finem, ut po-

2. Metaph. textu 8.

potius ſuapte natura conducat non obtinendo illum; abſolutè tamen hic, & nunc conducat, propter quaſdam alias circumſtantias. Sic Accipiter, aliæque rapaces volucres (idem ſolent facere pyratę) intuentes prædam tendentem Orientem verſus, v. g. ſolent volare in Occidentem, qui motus ſecundum ſe, contrarius eſt fini potiendi prædâ. Sic medici ex fine conſervandi vitam ægroto, extrahunt interdum ab ipſo ſanguinem uſque ad animi deliquium, quæ ſanguinis profuſio ſpecificativè, ac ſecundum ſe non juvat, ſed officit fini illi. Sic Deus ex fine ſalutis æternę aliquorum prædeſtinatorum ſolet permittere illis
Pſal. 118. graves quoſdam lapſus, ut dicant: ***bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas***: qui lapſus ex natura ſua adverſantur illi fini; quamobrem illæ definitiones intelligendæ non ſunt de *cæteris*, de *mediis* ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè inſpectis; ſed de illis, prout in tali periſthaſi circumſtantiarum.

165. ***Secundum***. Finis interdum movet ad actum, qui licet exercitè, ac ſubjectivè non præſcindat ab illo, ſiquidem fit, ac naſcitur ex illius intentione; cęterum præſcindit objectivè ab illo, & finis movet ad talem actum, ut ſic pręſcindentem, & non moveret ad illum ſi ille non præſcinderet objectivè à tali fine. Sic actus primarius ſpei Theologicæ, qui eſt efficax conatus in Deum, ut noſtrum ultimum finem, movere ſolet ad actum charitatis Theologicæ. Sed hic, utpote appretiatio Dei ſuper omnia propter ſuam bonitatem ſolam abſolutam, & quia ſibi, ac in ſe bonus, præſcindit objectivè à bonitate Dei, ut noſtri ultimi finis, quia hæc eſt bonitas reſpectivè ad nos. Ergo Deus, ut ultimus finis noſter movet per actum primarium ſpei Theologicæ ad actum dictum charitatis, qui licet exercitè naſcatur à dicto actu ſpei, imò, & ſignatè, eo quod ille, ſit imperium efficax hujus, verumtamen objectivè præſcindit à Deo, ut fine noſtro. Idem dico de actu eodem charitatis, vel aliùs virtutis obligatoriæ, naſcente ex timore gehennę; v. g. quando moribundo peccatori non adeſt Confeſſarius, & alia non ſuppetit via evadendi infernum, niſi per contritionem perfectam; liberatio namque ab illa pœna, quæ liberatio eſt finis tunc intentus, movet ad actum appretiandi Deum ſuper omnia, & plenè quidem, atque adæquatè propter ſolam ſuam bonitatem, ita ut talis appretiatio præſcindat objectivè à pœna impendente, ita ut ſi appretiatio illa moveretur objectivè partim ex Deo, & partim ex illa liberatione, liberatio non moveret ad talem ſpeciem appretiationis, utpote non ſufficientis ad evadendum pœnam illam. Sic ex fine obediendi præcepto ſpei Theologicæ, poteſt quis moveri ad actum ſpei purè Theologicum, & conſequenter habentem pro objecto materiali, atque formali rem diſtinctam à præcepto illo, & illius obedientia. Sic de num Catecheſes, exhortationes, argumentaque extrinſeca credibilitatis, ingeruntur, ut moveant intellectum docilem ad aſſenſum myſteriorum, habentem pro objecto formali proximo adæquato ſolam authoritatem Dei docentis illa myſteria: & conſequenter pręſcindentem objectivè ab ipſa Catecheſi, argumentiſque credibilitatis. Ergo practicum eſt, quod A, mo-

movet ad B ; non utcunque , ſed ad B , ut præſcindens objectivè , ac exercitè (quia id eſſet implicatio in terminis) ab ipſo A . Hoc eſt , quod adverti . Videlicet quod licet cauſa finalis ſit illa , cujus gratiâ cętera fiunt , quæque movet ad ſui conſecutionem per media , movet interdum ad hæc media , ut præſcindentia objectivè ab ipſo fine . Nimirum quia , ut ſic præſcindentia ſunt, & vocantur media idonea ad illum , & talia non eſſent , quin imò nocerent, ſi ſic non præſcinderent .

166. *Tertium* ; quando dicitur , finem movere ad ſui conſecutionem per media , ſermo eſt de illo, quod eſt finis *in ſenſu poſitivo* . Quod ſi ſermo ſit de fine , qui talis ſit in ſenſu negativo , ideſt , de fine quem vitare cupimus (experientiâ enim conſtat nos æquè aſpirare interdum ad conſecutionem unarum rerum , atque ad fugam aliarum) tunc non movet ad ſui conſecutionem per media , ſed ad ſui impeditionem per impedimenta , neque eſt id , *cujus gratia* , ſed id , *cujus odio* , cętera fiunt; & quod dicitur de illo in ordine ad motionem, ad conſecutionem, atque ad media : dicendum eſt de hoc altero , in ordine ad impedimenta . Frequens eſt inter Authores meminiſſe duntaxat rerum poſitivarum , ſed oportet non obliviſci res negativas , & exercitia negativa , ideſt , quæ ſunt fuga , aut receſſus à ſuo objecto , quia tam una , quàm altera, ſunt exercitia humana , & voluntas cum unis , ac ſine alteris eſſet voluntas manca , & clauda . Sic quando dicitur objectum formale voluntatis, eſſe bonitatem, intelligenda eſt voluntas, *quoad actus proſecutivos* , non ſemper , ac neceſſariò , quoad actus fugæ , quia ſicut amamus bonum , quia bonum , ita odimus malum , quia malum . Similiter quando dicitur objectum formale intellectus eſſe veritatem , intelligendus eſt intellectus , *quoad judicia affirmativa*; non tamen ſemper, ac neceſſariò , quoad negativa , quia ſicut aſſentimur objecto , quia apparet verum , ita non raro diſſentimur illi quia apparet falſum . Veruntamen ſicut in ſcripturis ſolius viri ſolet fieri mentio , quia ut notat Cyprianus *in maſculo ſimul ſignificatur & fæmina* in Protoplaſto intelligitur fęmina . Ita cum actus , quaſi primarii , aut magis faciles , potentiarum internarum ſint ei , qui proſecutiones , aut acceſſus ad objecta ſunt , ideò Philoſophi horum duntaxat meminiſſe ſolent explicitè , quia in his intelliguntur alii .

S. Cyprian. de diſcipl. & habitu Virg. c. 2.

167. *Quartum* . Finis dicitur movere ad ſui conſecutionem per media , ſeu , eſſe id , cujus gratiâ cætera fiunt , quia hic eſt ordo ſerieſque rerum , quæ intervenire ſolent . Obverſatur menti , ratione alicujus cognitionis indicativæ , aut ſaltem ratione validiuſculæ apprehenſionis , res A . Hæc cognitio, ſive ſola , ſive ſimul cum alia proportionata perceptione illius rei (puta perceptionem per aliquem ſenſum) excitat appetitum rei A . Hic appetitus , ſive cupiditas , ſive ut vulgò dicitur *intentio* , eſt quaſi primaria proles finis , quia licet huic præcedat interdum amor ſimplex , atque approbatio illius finis , cum hæc ſit ex ſe infęcunda , inde eſt , quod non ipſa , ſed efficax illa intentio , continuat familiæ ſucceſſionem . Hic appetitus , quando eſt efficax , ſecus quando frigidus eſt , inſtigat ad eligendum media idonea cauſando rem il-

lam .

Digitized by Google

lam. Hæc electio eſt in cauſa, ut ponantur illa media. Et demum hæc media, ſolent cauſare rem A. Ecce primus annulus hujus catenæ eſt ipſa res A percepta per ſubjectum operaturum, & quomodo cætera fiunt gratiâ illius. Et ecce quo ſenſu dicatur, *quod eſt prius intentione eſt poſterius in executione*. Nimirum quia res A, quæ, utpotè finis, eſt primum volitum in hac ſerie rerum, eſt quod ultimo loco producitur per media electa ex intentione, ſive cupiditate illius; quæ intentio naſcitur ex cognitione illius, & cognitio pendet à priori in genere objectivo ex ipſa re A: ſiquidem non ideò ſunt res, quia cognoſcuntur eſſe, ſed ideò cognoſcuntur eſſe, quia ſunt. Ecce item quo ſenſu finis cauſat ſe ipſum, & eſt prior ſe ipſo: ſed ſimul vides quam gracilis eſt hæc cauſalitas, & quam etherogeneis cauſalitatibus compoſita. In tota autem dicta ſerie vix eſt articulus, qui non egeat explicatione ob abuſus illorum; & cavillos, qui in aliis controverſiis necti ſolent. Contra illos itaque adverte *quintum*.

168. Neceſſe non eſt, quod ille finis A, ſit phyſicè actu de præſenti bonus; imò neceſſe eſt, quod non præcognoſcatur eſſe talis; quia ſi exiſteret actu phyſicè, & ſic prçcognoſceretur: ſtultè apponeres media ad obtinendum id, quod prævides jam exiſtere, quamvis ponantur prudenter, ut duret illud, ac perſeveret; tunc autem ratio finis conveniet *durationi* rei A; ſed non primæ exiſtentiæ. Fateor, poſſe aliquem interdum conari prudenter in inſtanti A, in illud idem, quod in inſtanti A, cognoſcit omninò certò futurum, aut omninò certò non futurum, ut in Prodromo dixi diſp. 5. diſputans concordiam ſpei cum certitudine damnationis; ſed hoc eſt, quando cognitio certa venit pro poſteriori ad eum conatum, licet in eodem inſtanti temporis, ut ibi explicui. Igitur non eſt neceſſarium, quod finis actu phyſicè ſit bonus, ſed ſufficit, quod appareat bonus, & *practicè poſſibilis* (poſſibile tantùm ſpeculativè, atque purè metaphyſicè non niſi imprudenter poteſt movere ad ponendum media illius gratiâ; alias prudenter poſſes apponere media ad obtinendum unionem hypoſtaticam cum perſona Divina) tametſi ille, aut revera non ſit poſſibilis, aut revera non ſit bonus. Quoniam voluntas, utpote potentia libera, in his ſuis actibus immediatis, poteſt appetere rem, quæ prudenter apparet poſſibilis practicè, atque bona: atque, utpote impotens ferri in incognitum, non concipit actus ſuos juxta realitates objectivas, ſed juxta apparentiam rerum, eò modo quo logici non agunt de rebus, *prout ſunt*, ſed prout per tales, & tales ſecundas intentiones *apparent eſſe*. At fieri poteſt quod res A, non ſit poſſibilis, aut non ſit bona, & tamen quod prudenter appareat practicè poſſibilis, & bona, quandoquidem humana prudentia, quippe quæ eſt valdè cçca, non eſt regula veritatis. *Cogi-*
Sapien. 9. *tationes enim mortalium timidæ: & incertæ providentiæ noſtræ*. Ergo fieri poteſt, quod res A, non ſit practicè poſſibilis, aut non ſit bona, & tamen quod voluntas illam prudenter appetat, mediaque ponat adipiſcendi gratiâ illam. Ergo ut res A, ſit finis, neceſſe non eſt, quod verè ſit poſſibilis, aut verè ſit bona.

Eſt

Digitized by Google

169. Eſt tamen diſcrimen: quod quando non eſt verè poſſibilis, tunc apparenter duntaxat eſt finis, & apparenter movet ad ſui conſecutionem, ac proinde verè non eſt finis; quando autem verè eſt poſſibilis, tunc verè poteſt eſſe finis, & verè poteſt movere ad ſui executionem, tametſi hæc nunquam extitura ſit; quoniam ſicut res, neque ab æterno, neque modò, neque unquam extitura, v. g. futurum purè conditionatum, verificat nunc, & ab æterno divinam ſcientiam de ſua futuritione. Scilicet quia verificare, ſive determinare ſcientiam, non eſt aliquid agere, ſed purè, & præcisè, *habere ſe, ſicut per ſcientiam illam enunciatur*: & poteſt ſic ſe habere, etiamſi nunquam exciterit, aut extiturum ſit abſolutè: quippè ſcientia præcisè enunciat rem illam extituram, *ſi exiſteret talis quædam conditio*: & illa res exiſteret, ut ſupponitur, ſi talis quædam conditio exiſteret, quamvis neque ab æterno, neque modo exiſtat. Ita finis nunquam extiturus poteſt actu movere voluntatem ad ſui cupiditatem, ſive intentionem, nec non ut ponat media ad obtinendum illum; quia movere, non eſt aliquid agere phyſicè; ſed purè, ac præcisè *apparere bonum*, practicèque poſſibile, & hoc per actum intellectûs verum. At quanquam finis ille nunquam extiturus ſit, poteſt apparere practicè poſſibilis, & bonus per actum verum intellectus; alias reprobus, quippe qui nunquam adepturus eſt æternam beatitudinem, nunquam poſſet cognoſcere per actum verum, illam ſibi eſſe practicè poſſibilem, ac bonam: & conſequenter non poſſet illam appetere, & conſequenter non poſſet illam ſperare: & conſequenter non teneretur elicere unquam in tota vita actum Spei Theologicæ. Ergo res nunquam extitura poteſt verè eſſe finis, & poteſt verè movere voluntatem, ut media ponat, conſequendi ergo illam. Et hinc obiter ſolvitur ratiuncula quædam probans rationem cauſæ finalis non tam convenire objecto ipſi, quam cognitioni ejuſdem; quia hæc eſt, quæ exiſtit, inſtigatque voluntatem ad appetitum, ſive intentionem finis, ex qua intentione reliqua proficiſcuntur juxta num. 165. Non verò objectum, quod multoties nil eſt, & interdum eſt chymericum, ut illud. *Similis ero Altiſſimo*. Unde incapax eſt, quod virtute movendi voluntatem fruatur. Solvitur, inquam, quia vel loqueris de objecto chymerico; vel de objecto poſſibili. Si primum, neque illi convenit verè, ac ſimpliciter ratio cauſæ finalis, ut nuper dicebam, neque ſuæ cognitioni: quippe hæc non movet ad ſui conſecutionem per media, ut patet, quod eſt proprium cauſæ finalis. Si ſecundum: tametſi illud de præſenti, ac de futuro nil prorſus ſit, eo quod neque exiſtat, neque extiturum ſit; attamen verè poteſt movere ad ſui conſecutionem, vereque virtutem habet modo ſuæ naturæ proportionato ad movendum; quoniam totum hoc, non eſt quidquam agere phyſicè, ſed duntaxat *apparere* per cognitionem veram, ut practicè poſſibile, atque ut bonum, ita ut ſi homo rogetur, *quare ponis hæc media?* reſpondeat directè, *quia hæc res eſt practicè poſſibilis, atque bona*; non autem reflexè, *quia cognoſco &c.* At quanquam objectum illud nil ſit, nilque futurum ſit, ut beatitudo æterna reproborum, adhuc ſubſiſtit,

quod poteſt apparere per actum verum, ut practicè poſſibile, atque bonum. Ergo quanquam nil ſit, nilque futurum ſit, poteſt movere verè, verèque virtutem habet modo ſuæ naturæ proportionato, ut voluntatem moveat ad ſui conſecutionem per media. Sed hoc iterum n. 202.

§. II.

170. S*Extum*. Cauſa finalis. interdum ita movere debet ad ſui conſecutionem, ut ſimul debeat retrahere, & cohibere voluntatem ab illa. Nam quoties finis neceſſariò debet eſſe arduus, atque difficilis, eo ipſo eſt aptus natus ad retrahendum: quia arduitas, & difficultas, quamvis hoc ipſo allicere ſoleant animos generoſos, & heroicos: attamen non eſt dubium, quin ex ſe terreant, atque retardent. At multoties finis debet eſſe arduus, atque difficilis: nempe quoties intentio, cupiditas, atque conatus illius, eſt actus ſpei: quoniam proprium eſt hujus virtutis, quod ſuum objectum ſit arduum, ut dicit ſua definitio *conatus efficax in rem arduam, poſſibilem haberi &c.* atque ut conſtat etiam ex diſtinctione ſpei à ſimplici deſiderio. Item quoties prædicta intentio eſt actus valde heroicus, quia heroicitas rarò, vel nunquam exercetur à Viatore ſine magna difficultate. Ergo multoties. cauſa finalis ita movet ad ſui conſecutionem, ut etiam debeat retrahere ab illa, vel ſaltem eſſe idonea ex ſua natura ad retrahendum. Sic ſenſus provocari ſolet, non tantum dulcedine, ſuavitate, & ſimilibus lenociniis palati, verum etiam mixturâ quadam ex dulcedine, ac amaritudine, ex ſuavitate, atque aſperitate. Sic auditus non tantum rapitur voce ſuavi, & quaſi argentea, ſed etiam muſicâ compoſitâ ex etherogeneis, atque diſcordibus vocibus. Sic oculus non modo paſcitur coloribus, ſed etiam umbris admixtis colori. Veruntamen neceſſe non eſt, quod bonitas finis pura, vel admixta arduitati, verè coram Deo ſit talis: poteſt namque eſſe figmentum, & chymærica, & merè apparens; quia cum voluntas creata non aſſequatur objecta omnia, prout ſunt in ſe, ſicut divina; ſed prout ab homine cognoſcuntur: & cum hæc cognitio poſſit eſſe falſa, poteſt voluntas noſtra conari in illud, quod re ipſa non eſt bonum; apparet tamen eſſe bonum. Tunc autem apparenter ſolum erit finis res illa juxta num. 168.

171. *Septimum*. Hæc motio cauſæ finalis reſpectu ſuæ intentionis, ex qua procedunt cætera, non eſt phyſica, ſed intentionalis: non eſt exercita, & ſubjectiva, ſed ſignata, & objectiva: non eſt per ſe immediatè, ſed cognitione mediante. Ideſt non movet finis voluntatem ſicut ignis applicatus paſſo movet hoc, producendo in eo alium ignem: nec ſicut cognitio movet ad actum voluntatis, & unus ex his ad alium actum voluntatis ejuſdem, nempè immediatè ſubjectivè, ac per ſe. Sed duntaxat movet illam, quatenus ut dicebam num. 168. cognoſcitur per cognitionem verè, aut falsè proponentem bonitatem, atque practi-

practicam poſſibilitatem, non *illius* ſecundum ſe præciſè, ſed *conſecutionis* finis illius; licet enim res per ſolum ſuum phyſicum contactum, & conſequenter, immediatè, ac ſubjectivè moveat ſui proſecutionem vel fugam, independenter ab alia cognitione, tunc non meretur nomen *finis* ſtrictè, ac propriè; ſed nomen finis, in illis duabus prioribus acceptionibus, de quibus à n. 161. Rurſus motio illa, quamvis multoties ſit efficax in actu ſecundo, eo quia voluntas acquieſcat, & concipiat appetitum adipiſcendi eum finem: aſt non rapit neceſſariò illam: homo namque cognoſcens bonitatem finis A, poteſt pro ſuo libito abſtinere à cupiditate illius, imò à ſimplici quoque amore; qua propter motio ex efficacia finis non eſt ei adæquatè intrinſeca, ſed vel adæquatè extrinſeca, ſi ſumatur pro actuali condeſcendentia voluntatis, ut ſupra dicebam: vel ſemi extrinſeca, conſiſtens partim in fine, ut cognito, & partim in actuali appetitu, ſive intentione illius, oriunda ex cognitione ejuſdem. Imò fieri poteſt, ac ſolet, quod faciens homo aliqua ex illis eiſdem, ad quæ movet finis A, non moveatur ex ipſo fine A, neque faciat illa propter finem A, quoniam urgente voluntatem gemino fine dandi eleemoſynam v. g. uno bono, altero malo, poteſt voluntas illam velle propter bonum, & minime propter malum, aut vice verſa. Non enim conceſſit Deus libertatem ſolam ad dandum vel non dandum eleemoſynam, ſed etiam ad eligendum inter fines, & motiva tunc ſimul occurrentia.

172 *Octavum*: oportet diſtinguere, ſicut inter ſcandalum datum, & ſcandalum acceptum, ita inter id, ad quod ſponte ſua movetur voluntas, occaſione intentionis finis: & id, ad quod ex ſe, atque ſuapte natura movet finis ipſe, ſeu immediatius intentio efficax ipſius finis. Contingit non raro quod ratione anxietatis, vehementiſque appetitûs finis A, atque ob ignorantiam efficaciæ mediorum, homo ponat plura media, quam ſunt neceſſaria, aut media, quæ ſolum ſunt congrua, idonea, utilia, ſed non neceſſaria, aut ponat illa modis non neceſſarijs, aut ponat ipſe homo quod neceſſe non eſt ab ipſo poni, ut obtineatur ille finis. Unde naſci ſolet, quod ob nimiam cupiditatem finis, hic non obtineatur: & quod hic per accidens moveat ad illud, quod ipſi obeſt, ſicut volitio dormiendi plus juſto efficax, & continuata eſt impedimentum ſomni. Hæc omnia ſibi imputet homo, & non fini, aut finis efficaci intentioni: ſicut, qui occaſione actionis bonæ, aut indifferentis, aut malæ quidem, ſed in ſpecie diſparata, ſcandalizatur, imputet ſibi. Finis enim ſui cupiditatem ſollicitans, atque ut jam efficaciter abſolutè intentus, duntaxat determinat voluntatem ad ea, cum quibus efficax hæc intentio per ſe, aut ratione tunc concurrentium circumſtantiarum connectitur abſolutè, atque determinatè: (cætera ſi contigerint ſunt per accidens). Hæc intentio, quamdiu durat, ſecus ſi ceſſat, interdum connectitur cum eo, quod intendens ipſe eligat, atque exequatur media, quæ prænoſcit eſſe determinatè neceſſaria, atque efficacia ad finem, eo quia niſi ipſe faciat hæc, alius non faciet: interdum non connectitur, quia vel media illa prævidentur jam poſita, vel quia

Digitized by Google

ſufficit illa permittere, vel quia per alium eligenda, atque phyſicè ponenda cognoſcuntur. Similiter interdum determinat ad talem actum voluntatis circa illa media, quia ille eſt neceſſarius: interdum non, quia ille non eſt neceſſarius. Neque contra eſt ſubtilis quædam ſpeculatio aliquorum Doctorum Complutenſium, ajentium intentionem finis non determinare utcunque, ac quaſi materialiter ad electionem, & executionem mediorum; ſed ad illam, quæ neceſſaria eſt, ut finis exiſtat *ex vi, & influxu* ipſius intentionis. Nam contra 1. intentio non eſt de obtinendo fine cum iſta reduplicatione, ideſt de obtinendo fine *ex vi, & influxu intentionis ipſius*: ſed de obtinendo beatitudinem v. g. ſecundum ſe, atque praſcindendo ab iſtis reduplicationibus; ſicut præceptum non eſt de eo, quod audias ſacrum *ex vi, & motivo obedientiæ*, ſed de eo quod ſacrum ſimpliciter audias. Neque conſilium eſt de eo, quod facias rem *ex vi, & influxu conſilij*. Sed de eo quod facias rem. Ergo intentio efficax finis ſolum determinat ad id, quod neceſſarium eſt, ut exiſtat abſolutè, ac ſimpliciter finis ipſe, non verò ut exiſtat cum iſta reduplicatione. 2. quia licet intentio non habeat iſtam tendentiam, & conſequenter, licet finis non exiſtat *ſignatè* ex vi, & influxu intentionis, exiſtet *exercitè*; quoniam finis exiſtet ex vi, & influxu mediorum: hæc ex vi, & influxu intentionis, quæ vel eſt ipſorum electio, vel per ſe immediatè movet voluntatem ad eam electionem: Ergo iſtæ reflexiones non videntur neceſſariæ.

P. Gaſpar Moncada de incarn. P. Franciſcus Vaſquez ibid. P. Peynado ibid.

173 Quod dico de fine, qui talis ſit in ſenſu poſitivo, & de intentione efficace illius, dico etiam de fine, qui talis ſit in ſenſu negativo, & de efficace nolitione illius. Nempe hanc determinare intendentem duntaxat, ut faciat, vel omittat, quæ prænoſcit debere hic, & nunc ab ipſo fieri vel omitti, & quidem eis ſolis modis, quos neceſſarios prævidet ad hoc, ut res illa non exiſtat abſolutè, ac ſimpliciter, quia hoc eſt quod non vult. Multa alia quæ intervenire ſolent, ſunt per accidens, & oriunda vel ex nimio deſiderio intendentis, vel ex anxietate atque timore: quia eum *omnes terrent auræ*, vel ex ignorantia, vel ex mero ſuo placito. Congruum autem non eſt, quod efficaci ſoli intentioni finis tribuatur, quod aliundè naſcitur. Horum omnium ratio eſt; vel loquimur de intentione efficace effectivè, quæ per ſe eſſentialiter eſt connexa metaphyſicè abſolutè, ac determinatè cum fine, qualis ſolet eſſe divina prædefinitio. Vel de intentione efficace affectivè, quæ non niſi ratione incompoſſibilitatis cum actu oppoſito, rationeque ſui ardoris, & vehementiæ, licet fruſtrabilis, connectitur cum fine ſaltem ex parte intendentis, & quantum ad hoc attinet. Utravis, licet ex alijs titulis poſſit connecti eſſentialiter cum rebus alijs; veruntamen attento ſolo reſpectu ad finem, quem ſolum reſpectum modo examinamus, connectitur immediatè cum ſolo fine, unaquæque in ſuo genere, & mediatè cum eis, cum quibus connectitur finis ipſe ſecundum ſe, atque ſine reduplicationibus. Alia connexio cum alijs rebus, vel non eſt, quia non probatur, vel ex alijs capitibus procedit, ut connexio cum ſua præſentia, cum ſua duratione, cum decreto divino ſui executivo,

cum

Digitized by Google

cum ſcientia divina &c. Ergo quando dubitatur, ſit, nec ne, connexa cum re A, talis, aut talis intentio efficax finis B, expendendum eſt, an hic ut talis, atque ut eſt objectum intentum, connectatur hic, & nunc per ſe, aut ratione concurrentium circumſtantiarum cum A? Si deprehendatur connecti, tunc intentio illa determinat ad rem A, ſecus ſi deprehendatur non connecti. En regulam ad concedendum vel negandum ſolemnem illam propoſitionem. *Omnis intentio efficax finis determinat ad ponendum media, amovendumque impedimenta*. Interdum eſt vera, interdum falſa, quia ſi jam ſunt poſita, vel prævidentur ponenda ab alio, vel ſufficit permittere illa, cur debet determinare ad hoc, ut intendens ipſe ponat illa poſitivè? Similiter ſocia. *Omnis efficax nolitio rei B determinat nolentem ad ponendum impedimenta illius, amovendumque illius cauſas efficaces*. Interdum eſt vera, interdum eſt falſa. Et ecce ſemina ad reſolvendum famoſas illas quæſtiones. Utrum Deus poſſit prædefinire efficaciter Chriſtum, ut Redemptorem: aut pœnitentiam, ante abſolutè prævißum peccatum; quamvis alio modo explicui has difficultates in Prodromo diſp. 5. verſus finem.

174. Obijcies tamen, Omne velle, quod finis exiſtat per media, eſt velle, quod hæc producant finem, & vice verſa. Sicut omne, quod eſt, hominem amare Deum, eſt Deum amari ab homine, & vice verſa. Sed omnis efficax intentio finis, eſt velle finem exiſtere per media, quia nonniſi per hæc exiſtere poteſt, & è converſo. Ergo omnis efficax intentio finis, eſt velle, quod media producant illum. Sed omne velle, quod media producant illum, eſt volitio, ſive electio mediorum. Ergo omnis intentio efficax finis, eſt volitio, ſeu electio mediorum. Ergo vera eſt in ſenſu univerſali, propoſitio illa univerſalis. Nego minorem objectionis; licet enim plerunque, quando conamur in aliquem finem, conemur illum exiſtere per tale, aut tale medium particulare, cujus efficaciam exploratam habemus, aut ſaltem per aliquod medium, quod confuſè novimus eſſe poſſibile, atque efficax, quia multoties hac ſolà instructi notitiâ mediorum, aſpiramus prudenter ad talem, vel talem finem, examinantes deinceps quodnam ſit melius. Aſt hoc non contingit ſemper, ac omninò univerſaliter, tum quia fieri poteſt quod media jam ſint exiſtentia, & accincta ad operandum, unde opus non eſt, quod intendens velit, aut eligat illa. Tum quia poteſt ſufficere, quod intendens finem, permittat illum exiſtere per tale, aut tale medium, unde neceſſe non eſt, quod poſitivè velit illum exiſtere per illa media. Tum quia fieri poteſt, quod prænoſcat alium ex mero ſuo arbitrio poſiturum medium illud, quod ſuapte natura eſt neceſſarium ad eum finem, ut Deus intendens pœnitentiam, antequam abſolutè prævideat peccatum, prævidet per ſcientiam mediam fore, ut ſi homo habeat libertatem A, v. g. eliciet peccatum ex mera ſua determinatione, quod peccatum ſuapte natura eſt neceſſarium ad pœnitentiam. Denique licet totus primus ſyllogiſmus eſſet validus, ſubſumpta minor non eſt firma, quoniam ut media producant finem, ſufficit interdum quod media exiſtant. Atqui ut exiſtant, ſolet ſufficere, ut permittantur, ut exiſtunt peccata, Deo tantum

Digitized by Google

tum permittente. Ergo non omne velle illud, eſt volitio ſeu electio mediorum. Abſtracta hæc, & generalis doctrina melius capietur in caſibus particularibus,pro quibus aliqui Authores utuntur eis propoſitionibus univerſalibus. Modo inſinuaſſe ſufficiat.

175 *Nonum*. Quando intentio efficax finis determinat voluntatem ad volitionem, electionem,executionemque mediorum oportet diſtinguere inter hæc media. Alia namque ſunt neceſſaria ad finem, ſed non ſufficiunt, ut peccatum eſt neceſſarium ad pœnitentiam, ſed non ſufficit. Alia ſufficiunt, ſed non ſunt neceſſaria,ut efficax volitio agendi pœnitentiam internam,ſufficit,ut homo agat illam ſuppoſitis alijs prærequiſitis, ſed non eſt neceſſaria hæc reflexa volitio. Alia ſunt neceſſaria, & ſufficientia, ut auxilium efficax ad pœnitentiam. Alia demum neque ſunt neceſſaria, neque ſufficientia ſed utilia, & juvantia. Intentio efficax finis, per ſe præcisè, atque ex ſua natura, non determinat ad media hujus quartæ, aut illius ſecundæ ſpeciei propter rationem datam n. 173. Solum ergo determinat (quando electionem mediorum determinat) ad media primæ, & tertiæ ſpeciei. Et inter hæc eſt diſcrimen: quod una ſunt medium præcisè quatenus exiſtunt, vel extiterunt in rebus, & in hoc ſolo ſenſu, peccatum eſt medium neceſſarium ad pœnitentiam; alia verò quatenus non ſolum debent exiſtere, ſed etiam poſitivè influere in finem intentum.

176 *Ultimum eſt*. Intentus finis quandoque eſt ſola exiſtentia rei A in mundo,præſcindendo à poſſeſſione aut non poſſeſſione illius, ut quando quis intenderet accendere lumen,aut ignem purè, & precisè ut eſſet novus ille ignis, aut lumen, & tunc neque daretur finis *quo* neque finis *cui* mox explicandi, ſed ſolus finis *qui*, ſeu finis *cujus*, nempe cujus gratia aliquid fit. Quandoque intentus finis non eſt exiſtentia, ſed poſſeſſio, ſeu conſecutio rei A. Sic per actum primarium ſpei Theologicæ conamur, & anhelamus ad noſtrum ultimum finem,nempe Deum, non ſane quoad ipſius exiſtentiam in rebus, quia eſſet fatuitas; ſed quoad ipſius conſecutionem per beatitudinem ſupernaturalem. Quandoque conſecutio illa non eſt propria, ſed aliena. Medicus enim intendit ſanitatem per media,quæ ægroto præſcribit: ſanitatem inquam, non in ſe, ſed in ægroto,atque ut obtinendam ab hoc. Et per actum ſecundarium ſpei Theologicæ poſſumus conari in æternam ſalutem alienam, deſiderantes, ac intendentes efficaciter,quod proximus poſſideat Deum, ut ſuum ultimum finem; ſicut per actum ſecundarium charitatis Theologicæ poſſumus diligere proximum propter Deum. Et ſimiliter philoſophandum de nolitione efficace alicujus rei. Quandoque intendimus, & conamur in rem aliquam, quam ſi adipiſcimur illa,exiſtit multò ante noſtrum conatum, & forte fuit cauſa illius, ſed quia res illa ex natura ſua eſt nobis occulta, & poteſt pendere ex hoc ipſo noſtro conatu, id circò prudenter conamur, &aſpiramus ad illam. Sic prædeſtinatio Petri, ideſt efficax divinum decretum dandi illi in ultima vitæ rationalis periodo auxilium efficax, ut conſervet gratiam præhabitam, vel recuperet amiſſam, nam hoc auxilio certiſſimè liberatur, quicumque adultus

libe-

Digitized by Google

liberatur, hæc inquam prædeſtinatio ſi datur, datur ſanè ab æterno, & conſequenter multò ante illum conatum Petri; ſed quia is hoc ignorat, & forte ſua prædeſtinatio pendet ab hoc deſiderio, ſeu intentione efficace ſuæ ſalutis v. g. ſi Deus unico actu ſic decreverit. *Volo dare huic libertatem A, conſtitutam per talem meam inſpirationem, & quia ſic adjutus, & præventus, ardenter deſiderabit ſuam prædeſtinationem præ mundanis omnibus rebus, volo ſuccurrere ipſi in ultimo periodo ſuæ vitæ auxilio A, quo decedet in gratia*: Id circò Petrus poteſt ardenter petere à Deo illius auxilii collationem pro illo tremendo articulo, & conſequenter efficaciter intendere, ac velle ſuam prædeſtinationem, ponereque media, quæ ex Sacra doctrina novit eſſe neceſſaria, utilia, & efficacia ex parte ſua ad eum finem. Nec propterea merebitur ſimpliciter ſuam prædeſtinationem, donumque perſeverantiæ; tum quia cum dictum decretum, licet multis verbis à nobis explicatum, (quia non habemus unicum ad explicandum totum illud, ſicut nec ad explicandum eſſentias metaphyſicas rerum, quæ ſanè conſiſtunt in indiviſibili) ſit unicum ſimplex, ac indiviſibile etiam virtualiter: & cum ex alia parte non mereatur Petrus decretum collativum libertatis ad deſiderium illud ſalutare ſuæ prædeſtinationis, inde eſt, quod neque meretur decretum collativum ultimi auxilii, quod ſit efficax; tum maximè, nam illud *quia deſiderabit*, non ſignificat meritum condignum illius ultimi auxilii, quoniam merita condigna non habent, juxta legem, & præſcriptum Dei, condignitatem niſi ad augmentum gratiæ ſanctificantis, & gloriæ. Unde ad nullum aliud auxilium, & multò minus ad ſingulariſſimum illud, ſunt condigna; quod verò ſit meritum congruum non dedecet, docente Auguſtino. *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*, ut fratres illi Maſſilienſes nolebant prædicari, juxtà teſtimonium Proſperi, & Hilarii, quod ibidem citat Sanctus Doctor. *Auguſt. de dono perſeverant. cap. 6.*

§. III.

177 HIs notatis pro intelligentia, & ſolutione gravium difficultatum, quæ ut dixi, occurrunt in Theologia ex hac Philoſophia cauſæ finalis: pergo explicare illam, per viam diviſionum: Finis vulgò cenſetur triplex: nempe finis *qui*; & eſt res illa cujus exiſtentia, & conſecutio optatur; & cujus gratia cætera fiunt. Finis *quo*, & eſt actualis conſecutio illius. Finis *cui*, & eſt ſubjectum illud, in cujus gratiam, ſeu bonum optatur res illa, quando non optatur præcisè quod in rebus exiſtat, quia tunc non datur finis *cui* v. g. ardenter aſpiras in tuam æternam beatitudinem, hoc eſt, in poſſeſſionem Dei per ejus viſionem, & fruitionem. Deus, qui eſt beatitudo objectiva, eſt finis *qui*. Ejuſdem dicta poſſeſſio, quæ dici ſolet beatitudo formalis, eſt finis *quo*. Tu ipſe es tuus finis *cui*, quia tibi deſideras bonum illud, atque id circò deſiderium iſtud, qui eſt actus ſpei Theologicæ, eſt actus concu-

Digitized by Google

concupiſcentiæ, ſed honeſtiſſimæ. Nec propterea inſimules malitiæ omnem intentionem finis ſaltem proprii: quaſi omnis habeat pro fine ultimo propriam utilitatem, eo quod omnis illa habeat pro fine *cui* ipſum intendentem 1. quia prudenter ſolet eſſe optabilis propria utilitas v. g. Juſtificatio, perſeverantia, æterna beatitudo, quas tibi deſideras per actum ſpei Theologicæ. 2. quia licet tibi deſideres bonum, neceſſe non eſt hoc deſiderium naſci ex complacentia in te ipſum (quæ complacentia inordinata foret) ſed ex alio motivo, quia non omne prorſus benefacere eſt amare, alias quoties ſolvis creditori, ipſum amares, & omnis virtus reſpectiva ad bonum aliûs confunderetur cum amicitia. Quod ſi ex complacentia in Deum deſiderares eo modo beatitudinem aliûs perſonæ deſiderium illud (quod etiam foret exercitium quamvis ſecundarium ſpei, Theologicæ) non eſſet actus concupiſcentiæ (quia hujus character eſt tendere in bonum proprium) niſi alienam illam Beatitudinem reputares ut bonum tuum, & proprium. Item nec eſſet actus charitatis ſed oriretur ex eo, ſi ex complacentia in proximum illum, deſiderares illi beatitudinem, hoc deſiderium non eſſet actus concupiſcentiæ ut dixi, ſed oriretur ex actu benevolentiæ aut amicitiæ reſpectu hominis illius. Non enim omne quod oritur ex alio, maximè per viam motionis, ad ſpeciem ſpectat formaliter illius aliûs. Quilibet ex his tribus finibus poteſt eſſe intrinſecus, vel extrinſecus, quæ diviſio communis eſt objectis formalibus, ſeù motivis, v. g. objecto formali concluſionis, & explicanda eſt ſimiliter. Intrinſecum voco, quando appetitus ipſe, ſive intentio tendit expreſsè, ac formaliter in illum. v. g. *volo mihi Deum ut meum ultimum finem, poſſidendum per æternam beatitudinem*. Voco extrinſecum, quando intentio non tendit formaliter intrinſecè in finem illum; aſt concipitur per actionem eſſentialiter annexam cognitioni virtutis motivæ finis illius, & non concipit voluntas actum alium repellentem motionem ex illo. Poteſt namque actus voluntatis ſupponere eſſentialiter cognitionem virtutis motivæ alicujus, quin ex illa moveatur, nempe quia virtus illa non movet neceſſariò, ſed liberè v. g. ſi Deus dicat *Volo tibi dare bonum A, non propter iſta tua merita, ſed propter meam liberalitatem;* Quando autem volitio rei A ſupponit cognitionem virtutis motivæ ad rem A, & illius motionem non repellit, tunc eo ipſo ex illa movetur extrinſecè, ſi ulterius non tendit intrinſecè in eam rem, ſicut concluſio ſolet non tendere intrinſecè, ſeu reflectere in objectum præmiſſarum; ex eo tamen movetur extrinſecè, quatenus concipitur per actionem eſſentialiter alligatam præmiſſis formalibus, quæ ſunt cognitiones illius objecti, & hujus motio ad concluſionem non repellitur.

178. Rurſus quilibet ex eis tribus finibus poteſt eſſe proximus, & immediatus, vel remotus, & mediatus. Immediatus eſt, quando actus voluntatis tendit formaliter in eum, vel ſi non tendit, concipitur tamen per actionem ita annexam illius intentioni, ut inter utramque, nullus alius mediet actus, ut contingit etiam in hac concluſione. *Petrus eſt animal* immediatè naſcente ex his præmiſſis. *Omnis homo eſt animal*- *Petrus eſt homo* tametſi ſupra ipſas non reflectat. Mediatus, & remotus

eſt

eſt finis reſpectu actus A. v. g. quando inter hunc, & intentionem illius mediat actus alius v. g. vis inter deambulandum ſuccurrere pauperi, & ideò vis ſiſtere gradum, & vis mittere manum in crumenam, & vis educere pecuniam, , & vis porrigere illam, finis mediatus, & remotus huius ſeriei volitionum eſt ſublevatio illa miſeriæ alienæ. Finis mediatus poteſt eſſe ultimus, vel non ultimus, qui coincidit cum medio. Ultimus eſt ille, in quem reſolvitur, & in quo ſiſtit tota quædam ſeries, & catena actuum (ſi enim unus ſolus detur actus voluntatis, finis ille erit *unicus*, & conſequenter nec ultimus, nec non ultimus) quia nimirum ab eo incipit: unde eſt ultimus incipiendo ab una parte, & primus incipiendo ab altera, & hic eſt cujus gratià cætera *omnia* fiunt, quæ in illa ſerie actionum fiunt. Finis non ultimus, cujus gratià cætera non ſanè *omnia prorſus*, ſed cætera aliqua fiunt, eſt ille, in quem reſolvitur, ſeu in quo quieſcit aliquis individuus actus, ſed tam rem illam, quam illum actum ordinat voluntas ad aliud quidpiam propter dominium, quo ex divina indulgentia fruitur ſupra hos ſuos actus. v. g. ex deſiderio tuæ æternæ beatitudinis reſolvis obedire toti legi divinæ, & ideò vis credere propter authoritatem Dei loquentis, quia id præcipit lex: & quia ipſi credis, vis diligere eum ſuper omnia, & quia ipſum diligis, vis facere tales, & tales actiones, quia ſunt cultus, & honos Dei. In hac ſerie actuum æterna tua beatitudo eſt finis ultimus, quia cum ab illa incipiat hæc ſeries in eam reſolvitur, in ea ſiſtit, & ultra eam non pergitur per hanc catenam actuum. Authoritas Dei, bonitas Dei, honos Dei, quanvis unumquodque ſit quaſi finis ultimus actûs ſibi reſpondentis, quia individuus ille actus ſpecificativè ſumptus ibi ſiſtit, & non pergit ultra; cæterum reſpectu tuæ voluntatis non eſt finis ultimus, ſed intermedius, & non ultimus: nempe quia ſpontè, ac liberè ordinas iſta omnia ad finem tuæ beatitudinis, & ob deſiderium hujus facis illa omnia.

179. Unde habemus tria: Unum eſt finem mediatum interdum eſſe ultimum, interdum non ultimum, ſed intermedium, quia licet omnis finis ultimus ſit mediatus, non omnis mediatus eſt ultimus. Alterum eſt, has loqutiones, *Finis ultimus; finis non ultimus; mediatus; immediatus; proximus; remotus* poſſe alludere ad voluntatem ſpontè, ac liberè præfigentem ſibi hoc, vel illo modo, quem voluerit, rem A, & poſſe alludere ad actum ipſum voluntatis. Et quod eſt finis ultimus reſpectu actus illius, poſſe non eſſe finem ultimum reſpectu voluntatis. Sicut frænum v. g. quod eſt finis ultimus reſpectu facultatis frænofactoriæ, eſt medium duntaxat, & neutiquam finis ultimus, reſpectu artis equeſtris. Et ſicut *rectè diſſerere*, quod ſolet dici finis ultimus logicorum, ut talium præcisè, non eſt finis ultimus, ſed intermedius reſpectu Philoſophorum. Tertium eſt. Eandem omninò rem non poſſe eſſe ſimul medium, & finem reſpectu ejuſdem; poſſe tamen reſpectu diverſorum. Denique dictorum finium intentio, cupiditas, appetitus, ſeu volitio, quæ omnia ſunt idem, in præſenti poteſt eſſe efficax, vel inefficax: & poteſt ſubire omnes illas diviſiones, quarum ſunt capaces

Digitized by Google

æteri actus voluntatis, nempe poteſt eſſe formalis, aut virtualis, aut directa, aut indirecta &c. Intentio efficax poteſt eſſe talis ob efficaciam connexionis, quatenus phyſicè, aut metaphyſicè connectatur cum fine. Vel ob efficaciam ſolius ardoris, vehementiæ, atque intenſionis, ſed utràvis illa carens connexione, ut plerumque ſunt intentiones creatæ ſuorum finium. Et etiam eſt intentio efficax divina ſalvandi omnes
De corrept. & gratiæ c. 14. & 15 homines (quam tamen Auguſtinus non admittit in tanta univerſalitate, quanta vulgò putatur) Nam licet Mardochæus, Job, & paſſim ſcripturæ clament, neminem poſſe reſiſtere voluntati Dei: id intelligitur de re-
Eſt her. 13. bus illis, quas non vult pendere ab arbitrio creato; de illis autem, quas
Iob. 41. ab eo pendere voluit, qualis eſt adultorum ſalvatio, certum eſt quod
Pſ. 16. reſiſtitur paſſim divinæ voluntati *A reſiſtentibus dextera tua* &c. Item
Actor. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Vel poteſt habere ambas efficacias. Similiter intentio efficax poteſt eſſe talis, vel quia caret connexione, vel quia caret ardore, ac intentione, vel quia utraque caret. Unde intentio efficax finis ratione vehementiæ, ac intentionis, poteſt eſſe inefficax ratione defectus connexionis.

§. IV.

180. JAm circa cauſam finalem quinque occurrunt quæſtiones. Prima eſt. *Quid ſit phyſicè ex parte rerum cauſalitas cauſæ finalis?* Sed cum hæc ſit actualis motio, qua finis movet potentiam ad ponendum media, tollendumque impedimenta, ſequitur cauſalitatem cauſæ finalis reduci ad cauſalitatem moralem. Jam autem dixi ſupra in quonam ſtent cauſalitates morales. Secunda eſt. *An actio eadem poſſit pendere ſimul, aut ſucceſſivè à gemina cauſa finali?* Hanc quoque ſolvi ſupra num. 116. Tertia eſt. *An, & quando finis ultimus ſpecificet actum voluntatis, iſque ſumat ab eo ſuam ſpeciem moralitatis?* Ideſt, an, & quando actus A voluntatis ſit inter actus eos bonos, aut malos, quorum ſpeciem deprehendimus, atque aſſignamus ex re illa, quam habet pro fine ultimo, & in quam reſolvitur? Reſpondeo: Vel actus iſte A tendit intrinſecè, formaliter in illum ſuum finem ultimum. Vel non tendit, ſed dumtaxat habet illum pro ultimo reſolutivo, ſive pro prima origine, quatenus continua ſucceſſione naſcitur ex actu alio habente rem illam pro fine adæquato, & proximo. Si hoc ſecundum, actus A non ſpecificatur ab illo fine ultimo, non ſumit ab eo ſuam moralitatem, non eſt verè, & ſimpliciter inter actus, quorum ſpeciem deprehendimus ex illo fine, ſed naſcitur ex aliquo illorum (quæ eſt res valdè diverſa) Unde non ſpectat *elicitivè* ad illam virtutem, ſive vitium, quia verè non elicitur, aut producitur à tali virtute, ſeu vitio. Sed tantum ſpectat *imperativè*, quatenus eſt actus imperatus, ſive volitus per actum proprium illius virtutis v. g.; vel *motivè*, quatenus hic actus proprius per ſe exercitè, atque immediatè movet ad illum, quin ſit voli-

volitio illius, ſicut amor amici movet, atque ſollicitat per ſe immediatè ad volitionem benefaciendi ei, quin ſit reflexa volitio, hujus volitionis: & ſicut aſſenſus evidentium præmiſſarum per ſe exercitè ſollicitat intellectum ad aſſenſum concluſionis, quin ſit reflexa cognitio hujus aſſenſus.

181. Explicatur caſu, quem ſępè adduxi. Moribundus peccator ſimplicem concipit horrorem, ſed vehementem æternæ damnationis, ut per Deum decernendæ. Ex hoc horrore odium. Ex odio nolitionem. Ex nolitione hac volitionem efficacem reconciliationis cum Deo. Sed quia ob abſentiam Confeſſarii non ſupperit alius modus, niſi actus charitatis perfectę, vult efficaciter illam, efficacique auxilio adiutus eam elicit. Hæc contritio per Theologicam Charitatem perfecta, ſive potius hic homo, habet in his circumſtantiis pro fine ultimo, in quem reſolvitur, ſeu pro prima origine, ex qua deſcendit illa Charitas, æternam damnationem, ut per Deum decernendam, ex qua deprehendimus actus timoris, & aſſignamus illos, ut condiſtinctos ab aliis. Item hæc perfecta contritio ſpectat imperativè, aut motivè ad timorem, quia vel imperatur per actum, qui verè, & ſimpliciter eſt timor Dei, vel ſaltem hic per ſe exercitè inſtigat voluntatem ad eam contritionem. Aſt neque elicitur, aut producitur per virtutem timoris Dei, neque eſt unus ex actibus timoris, nec ſpecificatur, aut ſumit ſuam moralitatem ab objecto formali timoris. Probatur. Nullus actus, qui præcisè eſt appretiatio Dei ſuper omnia ipſi graviter oppoſita, & concepta proximè adæquatè ex motivo Divinæ Bonitatis in ſe, habet ullum ex iſtis; quia alias eſſet actus purè Theologicus, & ſimul non purè Theologicus, ſed virtutis moralis, qualis eſt timor Dei: item concipieretur adæquatè ex motivo Divinæ Bonitatis, & non conciperetur adæquatè ex illo, ſed inſuper ex motivo timoris. At Charitas illa, quam poteſt concipere moribundus ille, & qua poteſt juſtificari, evadereque damnationem æternam, poteſt, ac debet eſſe pura appretiatio Dei ſuper omnia graviter ei oppoſita, ſeu diſplicentia, & concepta proximè adęquatè ex motivo Divinæ Bonitatis in ſe ipſa. Ergo charitas illa poteſt, ac debet non habere ullum ex eis attributis, nempe elici à virtute timoris, eſſe vere, & ſimpliciter actum timoris &c.

182. Et ratio eſt. Non eſt idem pendere hic, & nunc ab aliquo, & eſſe ejuſdem ſpeciei cum illo, ut conſtat. Ergo ex eo, quod actus A pendeat hic, & nunc ex actu talis virtutis, aut vitii, non ſequitur illum eſſe ejuſdem virtutis, aut vitii. Ergo ex eo, quod actus talis virtutis, aut vitii moveat ſignatè per modum imperii, aut exercitè per ſe immediate ad actum A, non ſequitur hunc fungi moralitate eadem qua ille fungitur. Sed actus A habet hic, & nunc pro ſuo fine, in quem ultimò reſolvitur, & à quo trahit primam originem illud, quod eſt finis actus alterius, ex quo ipſe deſcendit. Ergo actus A non ſemper ſpecificatur, non ſemper ſumit ſuam moralitatem, ideſt, bonitatem, aut malitiam à fine, in quem hic, & nunc reſolvitur. Et licet tunc debeatur homini idem præmium, vel ſupplicium, quod reſpondet

actibus ſpecificatis per illum finem, v. g. actibus timoris Dei; at debitum non ſtat formaliter in actu charitatis oriundo ex timore illo, ſed in ipſo timore, ex quo proceſſit charitas. Similis diſcurſus formari poteſt in actibus pravis deſcendentibus ex fine aliquo ultimo pravo, & in eum reſolutis. Similis in ſerie alia actuum bonorum, v. g. ſi ex Obedientia elicias actum fidei, & ex hoc actum ſpei, & ex hoc actum charitatis, & ex hac actum Religionis. Unuſquiſque ex his eſt in ſua ſpecie virtutis, & nullus eſt verè, ac ſimpliciter in ſpecie alterius, aut in ſpecie actuum Obedientiæ, ex quo omnes hic, & nunc proceſſerunt.

183. Quod ſi actus iſte A tendat intrinſecè, ac formaliter in illum ſuum finem ultimum, ita ut ille ſit, & finis remotus, & ſimul finis proximus, ſicut multæ cauſæ phyſicæ ſolent influere ſimul proximè, ac remotè in ſuum effectum (en primum membrum dilemmatis quo reſpondebam quæſtioni) iterum rogo. Vel tendit in objectum quoque materiale, quod ſit proportionatum illi fini ultimo, & inſuper tendit in utrumque modo proportionato. Vel non. Poteſt enim contingere, quod actus proximè adæquatè conceptus ex fine, ſeu objecto formali A, tendat ex ignorantia, vel malitia, in objectum materiale improportionatum, vel tendat modo improportionato. V. g. qui propter ſolam Divinam Bonitatem diligeret ex ignorantia proximum ſuper omnia omninò: item qui ex pura invidia, ſine mixtura amoris proprii, odiſſet Petrum, quia magis bonus eſt, quàm invidus ille vellet. Si primum, actus ille intrinſecè, ac formaliter reflectens ſupra illum finem ultimum (v. g. actus Obedientiæ per varias conſequentias deſcendens ex actu Charitatis, reflectenſque intrinſecè, ac formaliter &c. quia Deus in ſe bonus eſt) ſpecificatur ab illo, eſtque proprius illius virtutis ab habituque illius elicitur. Omnis namque actus voluntatis intrinſecè, ac formaliter motus proximè, adæquateque ex objecto formali alicujus virtutis, & habens objectum materiale proportionatum illi, & in ambo tendens modo proportionato, verè, ac ſimpliciter eſt proprius illius virtutis, ab eaque elicitur, & non imperatur duntaxat; quando nimirum, ſi quamquam actus ille tendat quoque in aliud objectum B, hoc non ſit malum, & voluntas per talem actum, ita appretietur objectum illud A formale, ut quamvis non adeſſet illud alterum objectum, nihilominus amplecteretur objectum formale A per actum alium, in qua appretiationis ſpecie ſtat, quod moveatur ex illo adæquatè adæquatione utique morali, & æquivalente, quamvis non adæquatione phyſica, & materiali. Si ſecundum; dico actum voluntatis non ſpecificari ab eo fine, in quem ultimò reſolvitur, neque eſſe inter eos actus, quorum ſpeciem deprehendimus, & aſſignamus ex illo objecto formali, ſive fine ultimo; quia ut dixi, ſpecies moralitatis non taxantur ſolum per objectum formale, ſed etiam per objectum materiale proportionatum, atque per proportionatum modum tendendi in utrumque. Ergo ſi alterum ex his fuerit improportionatum, actus id generis non ſpectabit ad ſpeciem actuum illorum, quorum ſpecies dignoſcitur ex eo ob-

jecto

Digitized by Google

jecto formali, ſeu fine ultimo; atque idcircò ſtultus ille amor proximi *ſuper omnia*, & illa diſplicentia de bonitate proximi, neque ſunt actus charitatis, neque actus benevolentiæ.

184. Quæſtio quarta eſt. *An propria, & formalis ratio finis conſiſtat in ſolo fine qui? An in ſolo fine quo? An in complexo utriuſque? Et quomodo? In complexo dicente utrumque in recto, an unum ſolum in recto, & alterum in obliquo*; quoties vox eſt æquivoca, & quæritur proprium, aut propriiſſimum ſignificatum illius, ægrè aſſignatur, niſi recurrendo ad communem intelligentiam, quia voces ſignificant ad placitum; quod ſi non fuerit una, & conſtans intelligentia communis, non ſupperit principium firmum ad ſolvendum quæſtionem. Id in præſenti. *Finis dicitur dupliciter*, ait S. Thomas, *uno modo ipſa res: alio modo adeptio rei; quæ quidem non ſunt duo fines; ſed unus finis in ſe conſideratus, & alteri applicatus*. quibus verbis ſatis indicat æquivocationem vocis illius *finis*; & quidditatem completam, atque integram finis non ſtare in ſingulis eorum, ſed in utriuſque complexo. Aridæ huic, & meræ ſpeculativæ, ut videtur, quæſtioni echo reſpondet in tractatu de Spe, ubi quæritur; quod nam ſit objectum materiale primarium noſtræ Spei Theologicæ: ſola ne beatitudo objectiva, ſeu ſolus Deus, qui eſt noſter ultimus finis *qui*: aut ſola beatitudo formalis, qui eſt noſter ultimus finis *quo*, aut complexum ex utraque? Contrahens univerſalitatem terminorum quæſtionis ad ſingularem caſum de Spe, ut res clarius percipiatur, ſiquidem concluſiones abſtractæ, atque genericæ non ita facile percipiuntur, reſpondeo in caſu hoc ſingulari, quod intellige dictum de cęteris omnibus. Propria, & formalis ratio adęquata, & plena noſtri finis ultimi, neque conſiſtit in ſolo fine *qui*, nempe in ſolo Deo, qui vocatur noſtra beatitudo objectiva. Neque in ſolo fine *quo* nempe in viſione, & fruitione Dei, quæ dicitur noſtra beatitudo formalis. Sed in complexo ex utroque fine, ſeu ex utraque beatitudine. Sicut objectum formale Fidei Theologicæ, neque conſiſtit in ſola authoritate divina: neque in ſola revelatione Dei, ſed in complexo ex utroque, & eodem reſpectivè modo philoſophandum eſt de finibus aliis.

1.2.q.11. art.3.ad 3

§. V.

185. PRobatur cum verbis illis S. Thomæ; *quæ quidem non ſunt duo fines, ſed unus finis &c.* Ergo adæquata quidditas cauſæ finalis non ſtat in unoquoque ex illis, quia cum ſint duo, eſſent duo fines, nec in uno tantum illorum, quia de neutro ſolo dicit S. Doctor, *quæ quidem*, ſed de utroque. Tum ratione. Finis ſtrictè, propriè, ac formaliter ſumptus eſt *id cujus gratia cætera fiunt*. Oportet quod in aliqua definitione conveniamus philoſophandi causâ. Ergo omne, & ſolum cujus gratiâ cætera fiunt, eſt propriè, ac formaliter finis. At

ſolum

ſolum complexum ex beatitudine objectiva , & ex formali , hoc eſt , fine *qui* , & fine *quo* , eſt id , cujus gratiâ cætera fiunt , quia quæ facit homo operans juxta Spem Theologicam, non facit , *ut ſit Deus*, quippe ad hoc non eſt neceſſe quidquam fieri : neque ut ſit *adeptio* qualiſcunque ;ſed ut ſit *adeptio Dei* , *ut obtineatur Deus* , *ut poſſideatur Deus beatitudine æternâ* . Ergo neque ſolus finis *qui* , neque ſolus finis *quo* , ideſt , neque ſolus Deus , neque ſola adeptio , eſt propriè , ac formaliter finis integer , atque perfectus ; ſed complexum ex utroque . Et quidem avarus non appetit *pecunias* ſecundum ſe præciſè , nam ſcit ſatis pecuniarum eſſe in terris ; ſed *habere* , *poſſidere* pecunias , ſeu , quod pecuniæ ſint ſub ſuo Dominio . Sitibundus non appetit *uſum* ſecundum ſe præciſè , neque *aquam* ſecundum ſe præciſè ; ſed *ſuum uſum aquæ* . Idem de famelico reſpectu eſcarum . Idem de ægroto reſpectu ſanitatis &c. Videtur ergo perſpicuum , neque ſolum finem *qui* , neque ſolum finem *quo* , ſed complexum ex utroque , eſſe id , cujus gratiâ cætera fiunt . Et conſequenter , neque ſolam beatitudinem objectivam , videlicet , ſolum Deum : neque ſolam beatitudinem formalem , nempe viſionem , & fruitionem Dei , eſſe ultimum illum finem , ad quem aſpiramus per actum Spei Theologicæ; ſed complexum ex utroque .

186. Hinc 1. quando quis nil aliud intendit, quàm meram, & puram exiſtentiam in rebus talis,aut talis objecti:tunc finis *qui* poteſt eſſe quidditas ſola,natura, & eſſentia illius rei : finis *quo* illius exiſtentia, cumque eſſentia,& exiſtentia non ſint duæ res, ſed una ſola,ut dixi in Prodromo diſp.7.cap.1.inde eſt,quod tunc finis *qui*,& finis *quo* non ſunt duæ res,ſed una ſola . Ergo tunc etiam ratio adæquata cauſæ finalis licet conſiſtat in fine *qui* , & conſiſtat in fine *quo* ; aſt non in ſolo uno ex his , quia foret implicatio , cum non detur ibi diſtinctio virtualis , aut formalis ex natura rei ; ſed in re , quæ ſimul eſt *qui* , & *quo* . 2. licet vulgò etiam dicatur cauſam finalem eſſe illam , quæ movet ad ſui conſecutionem per media , & hoc non conveniat fini *quo* , nam conſecutio ipſa non movet ad ſui conſecutionem reflexam , ut patet ; nil tamen contra me. Quoniam iſta definitio eſt ſolius finis *qui* ; non autem finis adæquatè ſumpti , qualis eſt illa Ariſtotelica , cui inſiſto , & qualem agnovit ſupra S. Thomas . Unde ſolum habebitur , fini *quo* non convenire definitionem finis *qui*, & conſequenter illum non ſemper eſſe eſſe hunc . 3. tametſi prædictum complexum pro libito appetentis finem , poſſit dicere verbaliter jam finem *qui* in recto , & *quo* in obliquo , v. g. *Deus à me obtineatur* ; jam *quo* in recto , & *qui* in obliquo , v. g. *poſſeſſio Dei mihi concedatur* . Veruntamen philoſophicè , ac ſecundum rem ipſam loquendo , finis ultimus integer , adæquatuſque noſter , eſt complexum dicens in recto illa duo . Rectitudo namque , & obliquitas entitativa , & philoſophica , non pendet ex majore , aut minore æſtimabilitate (quia non eſt dubium , quin hæc ſit infinitè major in Deo , quàm in poſſeſſione Dei , quandoquidem Deus eſt Deus ; poſſeſſio verò Dei eſt quid creatum) iſta namque eſt rectitudo , ac obliquitas moralis in ordine ad appretiationem . Et alias cum anima pluris æſtimanda ſit quam

cor-

corporalia juxta Dominicam ſententiam: *nonne anima plus eſt quam eſca* ſequeretur hominem phyſicè, ac entitativè componi ex anima in recto, & corpore in obliquo. *Matth.6.*

187. Rurſus neque conſiſtit in eo, quod unum ponatur in nominativo, & alterum in caſu alio, quia iſta eſt rectitudo, & obliquitas grammatica, & ad placitum ſic explicata. Stat ergo in eo, quod ſit illud, vel conſtitutivum intrinſecum illius, de quo aliquid enunciatur, vel illud, aut conſtitutivum illius, quod enunciatur, ut alibi dixi. Atqui eſſe id, cujus gratiâ cætera fiunt, enunciatur de ſola re intrinſecè conſtituta per finem *qui*, & per finem *quo*, quia ut dixi de ſolo complexo ex utroque enunciatur verè. Ergo uterque importatur in recto per finem integrum, & adæquatum in ſenſu philoſophico, & enunciativo; quo circa ne terrearis verbis illis. *Homo aquè appeteret Deum, ac creaturam* poſſeſſionem ſcilicet illius. *Æquaret Deum cum creatura*. *Creatura foret ſaltem partialiter noſter ultimus finis*, & ſimilibus ad perterrefaciendum compoſitis. Nam in primis non debet hic intelligi quævis creatura, ſed illa ſola, quæ eſt æterna noſtra beatitudo formalis. Deinde illud *aquè* non debet ſignificare æqualitatem appretiationis. Abſit. Sed æqualitatem conſtitutionis entitativæ: ideſt, noſtrum ultimum finem phyſicè, ac entitativè conſtitui in recto, tàm per Deum, quàm per poſſeſſionem Dei, licet Deus infinitè excedat ſui poſſeſſionem; ſicut Chriſtus Dominus conſtituitur in recto, tam per naturam Divinam, qua eſt Filius Dei, quàm per humanam, qua eſt Filius hominis. Hæc autem æqualitas, quoad conſtituendum, non eſt abſurda, ſed neceſſaria; quoniam ſi ultimus finis eſſet ſolus Deus, damnati quoque fruerentur ſuo ultimo fine, cum etiam reſpectu illorum ſit Deus. Si eſſet ſola poſſeſſio, objectum primarium Spei Theologicæ, noſterque finis ultimus, eſſet adæquatè quid creatum. Denique iſte idem ſcrupulus excitatur contra objectum formale fidei conſtitutum ex Divina authoritate, atque ex revelatione, quæ eſt quid creatum, nempe ſignum extra ipſum Deum, quo manifeſtat aliquid creaturæ. Et ſicut ibi eſt merus ſcrupulus, ita hic, utrobique rejiciendus ex eo, quòd licet objectum formale *ut quod* Fidei Theologicæ, & objectum primarium materiale *ut quod* Spei Theologicæ debeant eſſe quid divinum; Objectum formale *ut quo* Fdei, nempe inſtar actualis exercitii authorizandi myſterium, poteſt, & debet eſſe tale aliquid determinatum creatum, ſcilicet locutio Dei ad extra: atque objectum primarium *ut quo* Spei, nempe inſtar actualis exercitii adipiſcendi ultimum finem, debet quoque eſſe tale aliquid determinatum creatum, videlicet intuitio, & fruitio Dei.

188. Quamvis in hac re ſit multum de modo loquendi, nihilominus propter alluſionem dictam ad noſtrum ultimum finem, ad objectumque primarium Spei Theologicæ, multa hinc inde tranſvolant argumenta ſuper fine *qui*, & fine *quo*. Durandus enim contendit, ſolam beatitudinem formalem eſſe objectum materiale primarium Spei noſtræ: cumque hujus virtutis actu primario aſpiremus ad noſtrum finem ultimum,

mum, & beatitudo formalis non eſt finis *qui*, ſed finis *quo*, quia eſt conſecutio illius, fiet rationem cauſæ finalis ſtare propriè, ac formaliter in ſolo fine *quo*. E contrario Thomiſtæ contendunt, ſolum Deum eſſe objectum primarium Spei noſtræ, & beatitudinem formalem eſſe inſtar merè applicationis objecti primarii: cumque Deus ſit ultimus finis *qui*, conficitur rationem cauſæ finalis conſiſtere phyſicè, ac entitativè in ſolo fine, *qui*. Cumque utræque rationes ſint contra datam ſententiam dicentem, rationem cauſæ finalis in neutro ſolo illorum conſiſtere; ſed in complexo ex utroque, utraſque rationes explicare oportet.

§. VI.

189. Objicies ergo primò pro ſententia Durandi. Spes pertinet ad amorem concupiſcentiæ, ut nos ipſi dicebamus ſupra. Sed Deus non eſt honeſtè amabilis hoc amore, quoniam eo amore amare Deum eſt amare Deum *nobis*, & *propter nos*, qui eſt nefarius ille ordo, quem ſugillavit Auguſtinus *utendi fruendis*, & *frui utendis*. Ergo objectum ſpei non eſt beatitudo objectiva, ſed ſola formalis. Confirmatur 1. Deus ipſe non eſt bonum noſtrum formale; ſed ſola conjunctio, poſſeſſioque illius: illud enim, quod à nobis diſtinguitur ſuppoſito, non poteſt eſſe nobis bonum formaliter ratione ſui, ſed ratione aliùs diſtincti; atqui amor concupiſcentiæ, & conſequenter Spes, duntaxat tendit in illud, quod formaliter eſt bonum nobis. Ergo non tendit in Deum ipſum. 2. objectum materiale ſpei eſt bonum futurum, & arduum. Sed hæc attributa non cadunt in Deum ipſum, ſed in ſolam ipſius poſſeſſionem, quæ futura eſt, & ardua. Ergo. 3. Prædictum objectum eſt bonum illud, quod conſequi optamus. At non optamus conſequi ipſum Deum, ſed poſſeſſionem Dei, ſiquidem Deus ſemper, & ubilibet eſt. Ergo. 4. Idem eſt objectum ſpei, ac delectationis, quæ ſubſequitur bonum poſſeſſum. At objectum hujus delectationis eſt ſola poſſeſſio Dei, & non Deus ipſe, quandoquidem delectatio, quæ eſt de ipſo Deo, ad Charitatem ſpectat, & non ad Spem. Ergo. 5. Non Deus ipſe, ſed ſola Dei poſſeſſio eſt objectum deſperationis: quia nullus mediocriter rationalis deſperat Deum eſſe, ſed duntaxat deſperat (quando deſperat) Deum poſſidendum eſſe ab ipſo; atqui objectum Spei eſt objectum deſperationis, quia hi duo affectus ſunt motus oppoſiti circa eundem terminum, ergo &c. Hæ rationes adeò arridebant P. Becano cap. 17. ut ſententiam hanc Durandi non penitus deſeruerit.

190. Sed propoſitione ipſa noſtræ concluſionis diſſolvuntur. Probant quippe objectum Spei non eſſe Deum ſolum, ſeu ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè inſpectum; non autem evincunt, non eſſe Deum ipſum, reduplicativè *ut poſſidendum* per beatitudinem formalem: ſiquidem inhiantes adeptioni alicujus finis, ſive turpis, non inhiamus ſoli adeptioni ſolitudine prorſus præſcindente à fine; ſed adeptioni

talis

Digitized by Google

talis finis, ſeu tali fini, ut nobis comparando: ita ut appetitus hic ſimul indiviſibiliter, etiam ratione noſtra, feratur in utrumque: licet æquivocè, proportionateque ad utriuſvis naturam, nempe in unum, ut *in finem qui*, & in alterum, ut *in finem quo*. Hinc diſtinguo minorem objectionis; Deus ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè, non eſt &c. concedo: reduplicativè, ut à nobis poſſidendus, nego; quia in hoc modo amandi Deum non datur inverſio illa rationis, quam accuſat Auguſtinus, & nego conſequentiam propter adiectivum illud *ſola*. Prima confirmatio probat, avarum non concupiſcere pecunias, ſiquidem hæ præcisè, ut in ſe ipſis formaliter, non ſunt illi bonæ, ſed ut poſſeſſæ, atque ratione utilitatis; idemque deprehendes in aliis pleriſque finibus optatis, qui per ſe præcisè formaliter non ſunt boni intendentibus eos; ſed ratione poſſeſſionis, adeptioniſque eorundem. Igitur nego minorem: quoniam amor concupiſcentiæ non modo tendit in iſtud, verum etiam in illud, quod *ut poſſeſſum* eſt homini bonum, juxta nuperum exemplum, & alia paſſim obvia. Deus autem, licet non formaliter in ſe ipſo præcisè; attamen ut poſſeſſus eſt ingens bonum. Vel diſtinguo minorem illam: dumtaxat tendit in illud, quod formaliter eſt bonum nobis in genere cauſæ formalis intrinſecæ, nego; in genere cauſæ formalis intrinſecæ, aut extrinſecæ, concedo. Similiter ad ſecundam. Attributa illa non cadunt in Deum ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè inſpectum; cadunt verò in eundem reduplicativè, ut poſſeſſum. Unde elicies Deum primo modo non eſſe objectum materiale primarium ſpei, ſed modo ſecundo, nimirum complexum ex Deo, ipſiuſq; poſſeſſione.

191. Ad 3. diſtinguo min. non optamus conſequi ipſum Deum, ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè inſpectum, concedo; reduplicativè, ut poſſidendum, nego minorem, & conſequentiam. Ad 4. diſtinguo min. Non Deus ipſe ſpecificativè, ac ſecundùm ſe præcisè ſumptus, concedo; quia ut bene probatur, hæc delectatio ad charitatem ſpectat. Non Deus ipſe reduplicativè, ut poſſidendus, nego: quia ſicut delectatio de fruitione ſalutis, de dignitate obtenta, de poſſeſſione majoratûs, eſt ſimul ac indiviſibiliter delectatio de ſalute ipſa, de dignitate, de majoratu, ſpectans ad concupiſcentiam: ita delectatio de Deo, ut poſſeſſo, eſt indiviſibiliter delectatio de ipſo Deo ſpectans non ad benevolentiam, ſeu charitatem Theologicam, ſed ad concupiſcentiam, ſeu Theologicam Spem. Ad 5. nego majorem, quæ non probatur adjuncta ratione; ſiquidem hoc, quod eſt *deſperare Deum poſſidendum eſſe* eſt ſimul, ac indiviſibiliter deſperare Deum, non quidem ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè, ſed reduplicativè, ut poſſidendum. Inſtabis. Sicut ſe habet timor, & triſtitia ad malum; ita Spes, ac delectatio ad bonum. At timor, & triſtitia non ſunt proxime de Deo ipſo, ſed tantum remotè, quia ſunt de pęna amiſſionis Dei, vel imminente (& ſic erit timor) vel incurſa jam, & hæc erit triſtitia. Ergo ſpes, ac delectatio, non ſunt proximè immediatè de Deo ipſo; ſed tantum remotè: quatenus ſunt de viſione, per quam Deus eſt nobis bonus. Diſtinguo minorem: timor, & triſtitia non ſunt proximè de

Deo ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè inſpecto, concedo: non ſunt pro ximè de Deo, reduplicativè, ut amiſſo, nego minorem. Idem dico in hoc caſu, quod in altero. Sicut enim in exemplis paulò ante productis effectus illi, tum phyſici, tum formales, non tribuuntur ſolis exercitiis, cauſalitatibuſque; ſed ipſis inſuper formis, aut principiis efficientibus: ita ſpes, gaudium, timor, atque triſtitia, neque ſunt de ſolo Deo, neque de ſola poſſeſſione, amiſſioneve Dei, ſed duo priora de Deo, ut poſſidendo, atque poſſeſſo (ubi tam intrinſecè clauditur Deus, quàm poſſeſſio) duo poſteriora de Deo, ut amiſſo, vel amittendo, ubi æquè intrinſecè imbibuntur Deus, & amiſſio Dei, & quamvis irrationalis ſit timor, aut triſtitia de Deo ſecundum ſe præciſè, non tamen de Deo, ut amiſſo, vel amittendo.

192. Quia eadem bonitas, quæ poſſeſſa exhilarat animum, amiſſa cruciat, & affligit formaliter, ut talis bonitas. Sicut idem malum, quod præſens torquet, triumphatum exhilarat, non quidem, *ut quo* inſtar exercitii formalis cruciandi, vel exhilarandi, ſed *ut quod*. Neque urget, dolorem, atque triſtitiam eſſe de pęna; quia non ſunt de pęna in genere, atque in confuſo, ſed de tali individua pœna, nimirum amiſſionis Dei, ſeu quod idem eſt *de Deo, ut amiſſo*. Ergo non eſt purè, ac præciſè de aliquo diſtincto adæquatè à Deo, ſed etiam de ipſo Deo, non ſecundum ſe precisè, ſed *reduplicativè, ut amiſſo*. Neque inſtes; timorem hunc, atque triſtitiam eſſe de ſola amiſſione in recto, licet etiam ſit de Deo in obliquo. Tum quia iſta rectitudo, & obliquitas eſt purè grammaticalis, facileque invertibilis, ſi dicamus. Pœnam eſſe Deum ipſum ut amiſſum. Ubi Deus magis ſonat in recto, & amiſſio in obliquo. Tum quia rectitudo, & obliquitas philoſophica conſiſtit in eo, quod rei conveniat denominatio, de qua fuerit ſermo, vel non conveniat illi, ſed complexo alicui, in quo illa imbibitur, ut frequentia oſtendunt exempla. Atqui hoc, quod eſt eſſe objectum ſpei, atque delectationis, item timoris atque triſtitiæ, neque convenit ſoli Deo, neque ſoli poſſeſſioni, aut amiſſioni, ſed tam uni, quam alteri (reſpectivè, æquivocè, & cum proportione ad unumquodque) licet neutri adæquatè, ſicut hoc quod eſt, eſſe hominem, neque convenit ſoli materiæ, neque ſoli animæ, licet verè conveniat cuilibet æquivocè, ac cum proportione ad unumquodque, ergo licet tàm Deo, quàm poſſeſſioni, amiſſionive ejuſdem, conveniat eſſe objectum in obliquo ſpei, atque timoris, alia obliquitatis ſpecie; nimirum grammaticali, non verò obliquitate impediente, quod hi affectus attingant immediatè tam Deum, quam illam poſſeſſionem, aut amiſſionem.

193 Ex adverſo latere objiciunt Thomiſtæ. Beatitudo formalis nec inadæquatè eſt ultimus finis, ſummumve bonum; ſed applicatio dumtaxat ſummi boni; ergo non reſpicitur à ſpe, tamquam obiectum primarium, ſed tamquam illius applicatio. Confirmatur 1. ex cap. 6. ad Hebræos, ubi ſpes dicitur introire *uſque ad interiora velaminis*, ideſt, ad ipſum Deum. Item Geneſ. 5. *Ego merces tua magna nimis*. Ubi ſolus Deus dicitur præmium primarium. 2. ex divo Auguſtino ajente. *Præmium virtutis erit ipſe, qui virtutes dedit, & qui ſe ipſum, quo nil poteſt eſſe majus, promiſit*. Et ſuper Pſalmos. *Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium*. Convenit

Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei cap 30.
Idem ſup. Pſalm. 112

venit S. Thomas ſcribens. *Non enim minus aliquid ab eo ſperandum eſt quam ſit ipſe.* Nego antecedens objectionis propter rationes jam datas. Textus producti dumtaxat docent, quod nos ipſi dicimus: nempe Deum eſſe objectum materiale primarium *ut quod* ſpei; ſed non impugnant quod addimus: nimirum beatitudinem formalem eſſe objectum primarium *ut quo*. Non enim optamus fines, ſive bonos, ſive malos, ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè ſpectatos, ſed ut *nobis aquirendos*. Sic avarus non optat ſolam exiſtentiam, ſed poſſeſſionem inſuper pecuniarum. Sic probus animus non intendit exiſtentiam ſolam, ſed *adeptionem* quoque perfectionis: æquivocè autem, & proportionatè ad uniuſcujuſque naturam, unum ſcilicet ut *quod* inſtar formæ; alterum autem ut *quo*, & inſtar unionis. Explicatur; quod formaliter immediatè vivificat hominem eſt anima ipſa, non quidem formalitate, immediationeve excludente exercitium vivificandi (datur enim unio realiter diſtincta) ſed formalitate, immediationeque excludente alias formas vivificantes. Similiter quod formaliter immediatè movet aſſenſum eſt objectiva ipſa præmiſſarum veritas, quod formaliter immediatè excitat amorem finis eſt ipſius objectiva bonitas; quod formaliter immediatè præſcribit legem omnibus, de quibus agit logica, eſt demonſtratio; licet in his omnibus exemplis mediet aliquid inter rem, & rem: aliquando inſtar exercitii, aliquando inſtar præviæ conditionis requiſitæ, aliquando inſtar applicationis &c. Idem in præſenti: quod formaliter immediatè in genere cauſæ formalis extrinſecè beat hominem (& conſequenter eſt objectum materiale primarium ut quod) eſt ſolus Deus; veruntamen neque formalitate, neque immediatione excludente poſſeſſionem eiuſdem, quæ ſit exercitium beandi, imbibitaque neceſſariò in hoc objecto *Deus actu beans*, ſed formalitate, immediatione que excludente objectum aliud, quod per ſui poſſeſſionem beatificet animam. S. Thom. 2.2. q. 17. art. 2.

194 Inſtabis. Aliud eſt, quod ſpes tendat *indiviſibiliter*, aliud, quod *æquè primariè* in utramque beatitudinem. Primum eſt verum. Secundum eſt falſum. 1. quia bene ſtat, eumdem indiviſibilem affectum tendere ſimul in duos terminos, unum magis appretiando, quam alterum, atque adeò unum magis primariè reſpiciendo, & magis præcipuè; alium verò ſecundariè, minuſque præcipuè. Ergo ex eo, quod ſpes tendat in Deum, non ut bonum ſibi, & in ſe, ſed ut bonum nobis, in qua ratione conſtituatur per formalem beatitudinem, non ſequitur ſpem reſpicere, æquè primariè ac præcipuè utramque beatitudinem. 2. Reſpectus ad effectum formalem, ſeu denominationem eſt magis primariè, ac præcipuè ad rectum illius: atqui rectum hujus denominationis *beatitudo ſupernaturalis* eſt ſolus Deus: quippe eſt forma, ſeu quaſi forma, quæ ut poſſeſſa per viſionem, aut fruitionem nos formaliter beat. Ergo. 3. Spes reſpicit magis primario id, quod eſt noſtrum primarium bonum; ſicut enim reſpicit, quod eſt bonum ſperanti, ita magis præcipuè reſpicit, quod eſt magis præcipuum bonum. Sed beatitudo objectiva eſt noſtrum primarium bonum, & magis præcipuum, quàm beatitudo formalis, ergo ſpes reſpicit primariò beatitudinem objectivam. 4. Ju-

xta S. Thomam *Deus eſt ultimus finis, ſicut res quæ ultimò quæritur; fruitio autem, ſicut adeptio hujus ultimi finis*; ergo per ſpem aliter quæritur Deus, & aliter beatitudo formalis: ergo illa non reſpicit æquè primariè beatitudinem utramque. 5. Illud bonum reſpicit primariè Spes, quod primariè cadit ſub ejus motivo. Sed ſolus Deus primariè cadit ſub motivo ſpei. Nam primatium motivum eſt infinita Dei virtus, cui nullum bonum eſt magis ptoportionatum, quam Deus ipſe. Ergo. Quam rationem protulit S. Thomas inquiens. *Oportet effectum eſſe cauſæ proportionatum. Et ideò bonum, quod propriè, ac principaliter ſperare à Deo debemus, eſt bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis*. Ergo ſpes propriè ac principaliter tendit in bonum ipſum infinitum. 6. ſpes reſpicit primariò, & magis præcipuè bonum, quod eſt plenè ſatiativum, quoniam ſpes eſt motus, quo tendimus in Centrum, ut ibi quieſcamus; at hujuſmodi bonum non eſt poſſeſſio Dei, ſed Deus ipſe: quoniam dicere hanc poſſeſſionem eſſe bonum ſatiativum *ut quo*, non eſt eſſe bonum ſatiativum, ſed eſſe poſſeſſionem boni ſatiantis. Ergo.

S. Thom. 1. 2. qu. 11. art. 3. ad 3.

S. Thom. 1. 2. qu. 17. art. 2.

195 Si termini illi *primariè, & magis præcipuè* qui toties repetuntur in his argumentis, ſignificent idem, quod hi *ut quod*, idem dicimus omnes. Rurſus, ſi ab hoc primatu objecti materialis ſpei excludant beatitudinem formalem, tamquam id, quod per ſui reflexam poſſeſſionem, diſtinctam ab unione cum anima, *ut ſui poſſeſſionem* beatificat: ſeu ſignificet ſpem æquivocè, ac ptoportionatè ad utriuſque beatitudinis naturam reſpicere illas, idem etiam dicimus. Si verò termini illi excludant prorſus ab eo primatum beatitudinis formale, tamquam actuale, immediatum, & formale exercitium, quo beatitudo objectiva beat hominem: vel ſignificent ſpei reſpectum in beatitudinem objectivam eſſe vere priorem, quàm reſpectum in formalem; non dicimus idem, quin potius negamus aſſumptum contrarium. Ad primam ptobationem dato antecedente, diſtinguo conſequens. Non ſequitur ſpem reſpicere æquè primariè, primatu univocante utramque beatitudinem, concedo: objectivam namque reſpicit ut ultimum finem *qui*; formalem verò, ut ultimum finem *quo*: unde æquivocè reſpicit ambas. Non ſequitur, ſpem reſpicere æquè primariè primatu univocante utramque Beatitudinem, concedo: objectivam namque reſpicit ut ultimum finem *qui*; formalem verò ut ultimum finem *quo*; unde æquivocè reſpicit ambas. Non ſequitur, ſpem reſpicere æquè primariè primatu æquivocante utramque beatitudinem nego; quia ſicut primariè reſpicit beatitudinem objectivam, ut finē *qui*, eo quia non ordinat illam ad ulteriorem finem: ita primariè reſpicit beatitudinem formalem, ut finem *quo*, ſiquidem non dirigit illam ad ulteriorem conſequtionem, ſeu poſſeſſionem finis ullius. Ad 2. diſtinguo majorem. Illo *magis* tollente univocationem concedo: tollente etiam primatum æquivocum; ſed proportionatum uniuſcujuſque naturæ nego majorem. Et permiſſa minori, nego conſequentiam, vel terminis datis diſtinguo conſequens. Ad 3. diſtinguo in majore illud *magis*, ſicut modo diſtinxi, & illud *primariè* ſicut paulo ante. Ad minorem reſpondeo beatitudinem objectivam eſſe noſtrum primarium bonum ut *quod*, &

magis

magis præcipuum; non verò noſtrum primarium bonum ut *quo*: nam id ſoli poſſeſſioni competit, à qua realiter adæquatè diſtinguitur beatitudo objectiva. Radix æquivocationis contrariæ ſtat in eo, quod ut ſunt res valdè diverſæ phyſicè, & entitativè bonum, & boni poſſeſſio; & ex alia parte ambo reſpiciantur primariè à ſpe actuali, neceſſe eſt quod primatus non applicetur in eodem ſenſu uni, quo applicatur alteri: ſed falluntur, qui putant, primatum hunc, ſeu præcipuitatem eſſe phyſicè univocam, & alterutri ex eis beatitudinibus, ſoli, privativeque convenire. Ad 4. diſtinguo ſecundum conſequens terminis jam datis, primatus univoci, ac æquivoci. Ad 5. diſtinguo majorem; quod primario cadit ut *quod*, vel ut *quo* ſub ejus motivo, concedo majorem: ut *quod* preciſè, nego majorem; quia nullus ſperat objectivam bonitatem ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè; ſed illam ut poſſidendam, in qua reduplicatione imbibitur res, quæ primariò cadit ut *quod*, & quę primariò cadit ut *quo* ſub motivo ſpei. Et diſtinguo minorem. Solus Deus primariò cadit ut *quod* ſub motivo ſpei; concedo. Ut *quo*, nego minorem; diſtinguoque ſimiliter probationem. Cui nullum bonum eſt magis proportionatum ut *quod*, quàm Deus ipſe, concedo; ut *quo* nego; quia repugnat Deo eſſe ſic proportionatum, ſiquidem repugnat Deum identificari cum beatitudine formali, qua nos ipſum poſſidemus.

196. Neque rem evincunt verba S. Thomæ; quoniam terminis illis *propriè*, ac *principaliter* dumtaxat excludit omne aliud, quod ſit objectiva bonitas; non verò omne aliud, quod ſit poſſeſſio hujus objectivæ bonitatis. Unde manet locus, ut propriè, ac principaliter ſperemus etiam beatitudinem formalem inſtar poſſeſſionis boni infiniti. Sic quando ajunt Philoſophi; ſola forma actuat materiam, vel, forma immediatè unitur materiæ, neutro ſincathegoremate excludunt omne aliud, quod ſit exercitium actuandi, id eſt, quod ſit unio phyſica formæ cum materia; ſed omne aliud, quod ſit forma. Ad 6. diſtinguo majorem. Bonum quod eſt plenè ſatiativum tam ut *quod*, quàm ut *quo*, concedo; dumtaxat ut *quod*, vel ut *quo* nego; quia ut ſæpè ingeminavi, intentio efficax finis neque fertur præciſè in finem ſecundum ſe, neque præciſè in poſſeſſionem ut ſic; ſed in talem finem ut *poſſidendum*; cumque ſpes Theologica ſit intentio efficax boni plenè ſatiativi, id circò neque fertur in ſolam beatitudinem objectivam, quæ præciſè ſatiat ut *quod*, neque in ſolam formalem, quæ præciſè ſatiat ut *quo*; ſed indiviſibiliter in ambas, licet æquivocè, modoque uniuſcujuſque conſono naturæ. Et diſtincta minori, prout oportet, nego conſequentiam. Adjuncta probatio eſt vera; ſed nobis non obeſt: quia quidquid ſit de nomine boni ſatiativi, realitas eſt ſpem Theologicam non tendere in Deum, ut ſibi & in ſe dumtaxat bonum, ſed in Deum, ut à nobis poſſidendum: item realitas eſt, Deum ſpecificativè, ac ſecundum ſe præciſè, non eſſe bonum actu ſatiativum; ſed ut poſſeſſum à nobis: & ſicut ſpe non aſpiramus ad aliquam objectivam bonitatem, niſi divinam, ita non aſpiramus ad aliquam poſſeſſionem, niſi ad eam, quæ eſt beatitudo ipſa formalis. Difficultati magis de nomine, quam de re, hæc ſufficiunt.

Quæſtio

Digitized by Google

§. VII.

197\. QUæſtio quinta eſt. *An cognitio ipſa finis participet rationem finis: veréque, & ſimpliciter moveat ut quod, voluntatem ad ipſum; an potius ſit mera conditio requiſita inſtar applicationis intentionalis, ut ille ſolus moveat voluntatem ad media ponenda?* Ubi moleſta occurrit neceſſitas aſſignandi diſparitatem inter principium efficiens phyſicè, aut moraliter, & meram conditionem prærequiſitá; quod autem hic diſputatur, diſputatur quoq; de omnibus aliis cognitionibus proponentibus bonitatem, malitiam, veritatem, falſitatemve ſuorum objectorum. Nimirum utrum ipſæ, vel potius ipſarum objecta, ſint *quod* movet ad actus intellectus, aut voluntatis, qui ſint fuga, vel proſecutio, acceſſus, aut receſſus intentionalis, v. g. utrum quod movet intellectum ad concluſionem formalem ſint præmiſſæ ipſæ formales, an objectum earum? & ſimiliter de aliis. Cæterum non eſt quæſtio de cognitionibus illis, quæ verè, & ſine dubio ſunt fines, v. g. cognitiones practicæ, aut ſpeculativæ ex ſcientiis oriundæ. Nam iſtæ verè ſunt finis ſtudentium, atque comparandi gratiâ illas, ſtudent, vigilant, laborant, diſcurrunt, Magiſtros audiunt, evolvunt libros &c. Ergo cognitiones illæ participant verè rationem finis. Idem dico de cognitione intuitiva Dei, quæ aut ſola, aut ſimul cum fruitione, & amore illius eſt finis *quo*, ad quem anhelamus, & cuius obtinendi gratia, ſobriè, piè, ac juſtè degere ſatagimus. Idem dico, quando aliquis non modo aſpirat ad rem quandam, verum etiam ad ſecuritatem, ac certitudinem illius rei nanciſcendam, ut non rarò evenit: quia tunc illa cognitio certa, eſt quoque finis. Eſt itaque quæſtio de cognitione, quæ non ita certò eſt finis, ſed ſolum finis ipſius prævia, & invitatrix cognitio, v. g. de cognitione ſanitatis, de cognitione reflexa ipſius intuitivæ cognitionis Dei, cui inhiamus. Item non eſt quæſtio, an cognitio hæc ſit prærequiſita, & neceſſaria, ut finis moveat nos ad media ponenda; quia certum eſt eſſe neceſſariam, nil enim volitum quin præcognitum: neque eſt poſſibile ſaltem naturaliter, quod adipiſcendi ergo bonum A, quod prorſus ignoras, & ſub nulla expreſſione venit tibi in mentem, ponas hac, aut illa media. Demum non eſt quæſtio, an moveat, *ut quo*, ſive inſtar applicationis, ſeu complementi, quo finis ipſe objectivus eſt in ſtatu prompto, & expedito ex parte ſui, ut ſi voluntas velit, & non ſit potentior ratio in oppoſitum, moveatur ex ipſo: quia certum eſt cognitionem finis movere, ut *quo* in hoc ſenſu, ſicut applicatio phyſica ignis comburit, ut *quo* in hoc ſenſu.

198\. Dico ergo. Cognitio repreſentativa finis non eſt verè, & ſimpliciter finis in actu primo remoto, neque eſt virtus motiva, ut *quod* voluntatis in genere cauſæ finalis ad ponendum media, ſed eſt mera conditio neceſſaria inſtar applicationis finis objectivi ad voluntatem,

ut ille hanc moveat in ſui appetitum. Eſt tamen intrinſecum conſtitutivum finis, ut in actu primo proximo ad movendum voluntatem. Explicatur. Proportionata approximatio ignis ad paſſum, (& idem dico de cęteris cauſis phyſicis reſpectivè) non eſt virtus ipſa combuſtiva, ut *quod*; ſed tantum ut *quo*: ægrè namque probabis, habere vim, atque fęcunditatem adhuc partialem producendi ignem B, complexum ex individuis illis duabus præſentiis ignis A, & paſſi, in quo complexo ſtat formaliter approximatio localis; ſed eſt dumtaxat prævia neceſſaria conditio, ut ignis phyſicè operetur in eo paſſo, & unum ex eis, quibus agens operatur in paſſo; quia verò ignis, ut in actu primo proximo ad operandum, intrinſecè includit omnia prærequiſita ad operandum; ideò approximatio illa, tametſi verè non ſit cauſa comburens, conſtituit eſſentialiter cauſam, ut in actu primo proximo naturali ad comburendum. Hoc eſt, quod dico de applicatione intentionali finis reſpectu voluntatis, ideſt, de cognitione exprimente bonitatem finis, quem intendit voluntas, vel exprimente malitiam finis, quem vitare conatur. Arguo itaque 1. exemplo virtutum, imò & vitiorum. Quod movet ad aſſenſum fidei non eſt cognitio authoritatis perſonæ loquentis, ſed authoritas ipſa: quod movet, ut *quod* ad amorem Dei ſuper omnia, non eſt cognitio divinæ bonitatis, ſed bonitas ipſa: quod movet, ut *quod* ad appetendum Deum ſuper omnia, non eſt cognitio de eo, quod ſit noſter ultimus finis; ſed illum eſſe noſtrum ultimum finem. 2. à priori. Finis eſt id, cujus obtinendi gratiâ cętera fiunt. Ergo omne, quod neque adæquatè, neque inadæquatè eſt illud, cujus obtinendi gratiâ, cętera fiunt, neque adæquatè, neque inadæquatè eſt finis, & conſequenter non participat rationem finis, & conſequenter non movet, ut *quod*, in genere cauſæ finalis voluntatem, quamvis moveat in genere applicationis intentionalis, atq; ut *quo*. At cognitio ſanitatis, v. g. neque adæquatè, neque inadæquatè eſt illud, cujus obtinendi gratiâ cętera fiunt (quando ſcilicet homo ſolum intendit ſanitatem ipſam, & non inſuper certitudinem, ac ſecuritatem de exiſtentia ſanitatis, ut jam adverti) Ergo cognitio ſanitatis in eo caſu, neque adæquatè, neque inadæquatè eſt finis. Ergo non participat rationem cauſæ finalis. Ergo non movet, ut *quod* voluntatem; quamvis moveat ut *quo*.

199. Probo minorem. Omne, quod neque adæquatè, neque inadæquatè eſt ſanitas ipſa, v. g. expulſio febris, obductio vulneris &c. neque adæquatè, neque inadæquatè eſt id, cujus obtinendi gratiâ cętera fiunt ab ægroto illo, quem ſupponimus non aſpirare ad certitudinem intentionalem ſanitatis ſuæ, ſed ad ſanitatem ipſam. At cognitio ſanitatis, neque adæquatè, neque inadæquatè eſt ſanitas ipſa, ſicut cęterę cognitiones neutro ex his duobus modis ſolent eſſe objectum ſuum. Ergo. Præterea primarius, & immediatus effectus finis eſt excitare appetitum ſui, ergo quidquid non excitat eum appetitum, non eſt finis. At cognitio, de qua nunc, non excitat appetitum, ſeu intentionem ſui, quia certè ille, qui operatur propter finem, non appetit

hanc

hanc, quam habet jam cognitionem finis, ſed finem ipſum objectivum, ſi atque ad ſummum aliam cognitionem circa ipſum, nempe de ipſo jam obtento, & conſequenter poſteriorem ad ipſum, quam non diſputaymus, ſed priorem ſolam. Ergo. Hinc non nego primò multoties hominem eſſe anxium, & ſollicitum circa finem, licet eum jam adeptus ſit, donec ſciat ſe illum adeptum eſſe. Unde inferri videtur finem intentum non ſolum fuiſſe objectivum ipſum finem; ſed etiam certitudinem, vel probabilem aliquam cognitionem illius. Fateor id multoties contingere, ut jam notavi: & conſequenter fateor aliquam cognitionem finis multoties participare quoque rationem finis; ſed non loquor de iſta cognitione poſteriore ad finem, ut jam obtentum, vel obtinendum, ſed de priore illa, qua apparet bonitas finis, & non apparet ullatenus eum jam exiſtere, & qua mediante, objectiva ipſa bonitas finis allicit, atque inſtigat voluntatem ad illius cupiditatem, nec non ad ponendum media obtinendi ergo illum. 2. Non nego cognitionem habere ullam prorſus virtutem motivam, ſed dumtaxat nego illi virtutem motivam *propriam cauſæ finalis*, & eam participare ſtrictè rationem finis, quidquid ſit de motionibus in aliis generibus.

200. Objicies quinque: *Primum*. Eſto cognitionem præviam ad appetitum finis non movere ad ſui conſecutionem, ad ſuique appetitum, & non eſſe id, cujus obtinendi gratiâ cetera fiunt; aſt cur virtus motiva intentionis finis, atque electionis mediorum, horumque cauſa efficiens moralis danda eſt fini ipſi objectivo, & non cognitioni ei? Cur hæc eſt mera conditio, illa autem cauſa, & non è converſo? *Secundum*. Quoties dubitatur quodnam ex duobus moveat voluntatem ad effectum, quem certò conſtat exiſtere à voluntate, rationabilius fertur ſententia pro illo, quod verè, & ſimpliciter eſt præſens, quàm pro illo, quod non eſt, quod eſt merum nihil, imò quod eſt chymæra, & merum ludibrium mentis. At cognitio dictans bonitatem finis verè, & ſimpliciter eſt præſens: finis autem ipſe plerunque non eſt tunc, ut conſtat; imò interdum eſt merum nil, & interdum eſt pura chymæra, v.g. quando homo falsò ſibi perſuadet, eſſe poſſibilem finem A, & illum appetit, cum tamen verè ſit impoſſibilis, ut ſub nomine Babylonis videtur dicere Iſaias de Diabolo magno. *Similis ero altiſſimo*. Et Ezechiel

Iſai. 14. *Ezech.* 28. ſub nomine Regis Tyri. *Dixiſti. Deus ego ſum &c.* ergo virtus motiva excitativaque appetitus in voluntate rationabilius ponenda videtur in cognitione finis, quam in fine ipſo repreſentato per illam cognitionem. *Tertium*. Quemadmodum exiſtentia phyſica cauſæ phyſicæ non eſt mera conditio ſe tenens ex parte virtutis cauſæ; ſed virtus ipſa operatrix: ita exiſtentia intentionalis cauſæ intentionaliter, ac per viam cognitionum cauſantis, non eſt mera conditio; ſed virtus cauſativa intentionaliter. At cognitio finis eſt exiſtentia intentionalis illius. Ergo. *Quartum*. Omne prudenter aſſignabile pro ratione appetendi finem, eligendique media in ordine ad illum, verè movet voluntatem ad utrumque. At cognitio prudenter eſt ſic aſſignabilis: quoniam ſenſata eſt hæc ratio. Volo piè vivere, manuſque continere à malo, *quia cogno-*

cognoſce quam bonum ſit, æternum frui Deo. Ergo.

201. *Quintum*. Voluntas non modo ſolet eſſe libera ad appetendum; ſed etiam ad eligendum motiva menti obverſantia, concipiendo appetitum, ſive intentionem jam ex A, & non ex B, jam ex B, & non ex A. Sic cognoſcens homo in favorem myſteriorum fidei ingens authoritatis humanæ pondus, item argumenta, ſive potius argumentum invincibile credibilitatis: demum ineluctabilem authoritatem Dei, qui illa docuit, eſt liber ad imperandum aſſenſum illorum *propter humanam illam authoritatem* (& ſic eliciet aſſenſum fidei humanæ) *vel propter fortia illa argumenta* (& eliciet aſſenſum quendam philoſophicum moraliter certum, & evidentem) vel demum *propter authoritatem Dei*, cujus teſtimonium de illis myſteriis applicatur extrinsecè homini per argumenta credibilitatis, tanquam per extrinſecum miniſterium *arandi, plantandi, atque rigandi*; intrinſecè verò perſuaſivam apprehenſionem cœlitus infuſam homini ad præſentiam illius extrinſeci miniſterii, juxta providentiam ordinariam, & tunc eliciet actum Fidei Theologicæ, ac divinę; atqui quando voluntas appetit finem, obverſantur ipſi duo motiva, nempe finis ipſe, & cognitio, quam habet finis; ergo ſicut poteſt moveri ex illo, & non ex hac: ita poteſt ex hac, & non ex illo. Ergo non eſt univerſale, quod cognitio ſit mera applicatio virtutis motivæ. Hæc omnia ſimiliter adduci poſſunt ad probandum pręmiſſas formales, non autem objectivam earumdem veritatem, eſſe id, quod movet ad aſſenſum concluſionis. Item ad probandum, non authoritatem perſonæ, quæ jam locuta eſt, & jam non exiſtit in rebus, ſed ipſius cognitionem eſſe id, quod movet ad aſſenſum. Item, non utilitatem, aut delectabilitatem actionis vitioſæ, quæ aliquando non eſt poſſibilis; ſed illius cognitionem eſſe id, quod movet ad conatum in illam. Item non merita, ſed meritorum cognitionem movere ad decretum largiendi præmium. Non culpam, ſed culpæ cognitionem movere ad decretum pœnę. Non emptionem, ſed cognitionem emptionis movere ad ſolvendum pretium, & ſimilia. Unde fiet, quod objecta formalia virtutum, ac vitiorum hactenus inconcuſſa, nutare incipiant.

202. Igitur ad primum reſpondeo; quoties de A dubitatur, ſuppoſito quod ſit neceſſarium ad effectum B, ſit ne virtus phyſicè, aut moraliter effectiva illius, an mera conditio, inſpiciendus eſt ſpecificus ille conceptus, ſub quo id dubitatur de illo. Si ex eo conſtet habere virtutem illam, concedenda eſt; ſi ex eo non conſtet, eo quia ille conceptus paſſim deprehendatur abſque illa virtute, hæc neganda eſt: atq; dicendum quod ſi A, eſt prærequiſitum ad illum effectum, eſt prærequiſitum inſtar meræ conditionis, non verò inſtar cauſę, aut virtutis productivę illius; v.g. ut lignum comburatur, eſt neceſſarius ignis formalis, aut eminentialis: nec non applicatio localis ad lignum. Ignis ex hoc ſolo ſuo conceptu ſatis oſtendit capacitatem comburendi, non autem applicatio: quoniam licet applicatio individuæ ſpeciei ignis ad ſubjectum proximè diſpoſitum, ut comburatur, inferat combuſtionem: verum-

runtamen applicatio, ex mero hoc ſuo conceptu *applicatio*, non infert combuſtionem, ut patet, ſiquidem paſſim ſunt applicationes locales unorum ad alia, abſque combuſtione: imò abſque virtute illa combuſtiva; quando ergo ignis, & ejus applicatio coeunt, ille eſt *quod* comburit; hæc quæ comburit tanquam conditione neceſſaria. Idem ob eandem rationem dico de Omnipotentia, & decreto applicativo illius. Illa eſt *quod* ſolum, vel ſimul cum cauſa creata producit effectum; decretum illud eſt conditio, ſive prærequiſitum, ut Omnipotentia effectum producat, quia multa ſunt decreta divina, quæ non producunt illum effectum. Idem de premiſſis; quoniam ſimultanea objectiva illarum veritas apta nata eſt movendo intellectum in aſſenſum concluſionis; cognitio verò ex hoc ſolo ſuo conceptu, non movet ad eum aſſenſum, quandoquidem paſſim dantur cognitiones, quę ad illum non juvent. Et quidem ſi hæc regula non valeret, ableganda videretur ſolemnis diſtinctio inter cauſam, & præquiſitam conditionem, nam pone quam volueris, contra illam inſtrui poteſt quidquid contra regulam hanc machineris. Omni namque, & ſoli puræ conditioni, meroque prærequiſito convenit, quod cum ſit neceſſarium ex parte cauſæ ad effectum, eo quod per illud conſtituatur proxima facultas cauſæ ad operandum, ei tamen ex ſuo ſpecifico conceptu non convenit virtus formaliter, aut eminenter operativa effectus illius, cum tamen ex ſpecifico illo ſuo conceptu conveniat illi rei, quæ verè eſt cauſa effectus illius.

203. Id in præſentiarum. Cognitio vera, vel falſa bonitatis finis eſt quidem neceſſaria, ut voluntas moveatur, ſaltem prudenter, in conatum ipſius. item bonitas realis, vel bonitatis figmentum, quod falsè apparet bonitas realis. Hoc tamen intereſt; quod bonitas hæc, ex hoc ſuo conceptu bonitatis objectivę, probatur apta nata ad ſollicitandum voluntatem in ſui appetitum, quamvis per accidens interdum non ſollicitet, eo quia ſuum lenocinium enervetur per hoſtem potentiorem revocantem in contrarium. Cognitio verò ex hoc ſolo ſuo conceptu non oſtendit virtutem movendi, & ſollicitandi in eum appetitum, quippe frequenter dantur cognitiones, quæ certò non ſollicitant ad eum. Ergo rationabilius dicendum videtur bonitatem illam realem, vel figmentum illud bonitatis eſſe id, *quod* movet; & cognitionem eſſe *quo* movet inſtar meræ conditionis prærequiſitæ. Porrò non eſt conditio quomodolibet; ſed tanquam applicatio objecti ad voluntatem; loquimur enim, prout apprehendimus. Apprehendimus autem cognitionem per ſpeciem approximationis localis (ſicut Angelos per ſpeciem Juvenum) propter aliquam ſimilitudinem, licet non multum exactam inter hanc approximationem, & illam cognitionem. Unde fit, quod cognitio illa vocetur applicatio objecti ad potentiam, & quia eſt actus intellectûs, dicitur applicatio intentionalis, non autem phyſica, realis, & localis.

204. Ad ſecundum reſpondeo, valere maximam illam, quando ſermo eſt de cauſa phyſica: item de morali per ſe immediatè movente, abſque reflexa ſui cognitione, ut unus actus voluntatis ſolet exercitè

per

Digitized by Google

per ſe ipſum movere ad alium; ſecus quando ſermo eſt de cauſa morali, movente per cognitionem ſui ipſius; quia cum hæc poſſit eſſe falſa, & voluntas noſtra appetere poſſit omne, & ſolum, quod judicamus practicè poſſibile nobis, idcircò bonitas, quæ non eſt, ſed erit, & quæ, neque erit, ſed eſſet; & quæ, neque eſſet, ſed poſſibilis eſt; & quæ neque poſſibilis eſt, ſed exiſtimatur poſſibilis, movere poteſt ſaltem apparenter, ut dicebam num. 169. voluntatem ad ſui appetitum, atque ut ſui obtinendi gratiâ, faciat talem, aut talem rem: quæ motio nequit cadere in cognitionem illius rei, cum neque excitet appetitum ſui ipſius, neque moveat voluntatem, ut in ipſam jam præſentem conetur. At cauſa finalis, non eſt phyſica, nec moralis, per ſe immediatè movens, ſed per ſui cognitionem. Ergo maxima illa non valet in præſenti; quod ſi quæras, quidnam ſit ex parte rerum, & coram Deo id, quod apparenter movet voluntatem, quando finis eſt purum nil, aut etiam impoſſibile? nego ſuppoſitum quæſiti; quia hoc negotium appetendi movendi, & cauſandi per modum cauſæ finalis, non peragitur per relationes, & quidditates, ſed per apparentias, ſive cognitiones, quæ ab homine exiſtimantur veræ. Unde non debes quærere in iſto caſu, *quid eſt, quod movet*; ſed quæ, aut qualis eſt cognitio, qua mediante, vanè movetur voluntas vanitate phyſica. Movetur ſane nihilo, ſed quod putatur eſſe aliquid: movetur ex chymæra, ſed quam neſcit eſſe chymæram. Ad tertium eſt diſparitas. Vel putas exiſtentiam phyſicam, & entitativam virtutis identificari cum hac. Vel non. Si primum en diſparitatem, quia exiſtentia intentionalis, ideſt cognitio finis, non identificatur cum fine. Si ſecundum, exiſtentia quoque entitativa cauſæ phyſicæ, ſive phyſicæ virtutis, erit mera conditio, non autem virtus operativa.

205. Ad quartum reſpondeo, majorem in tota illa univerſalitate intellectam, falſam eſſe: quemadmodum enim pro ratione quare comburatur lignum, poteſt aſſignari non ſolum id, quod comburit; verum etiam applicatio comburentis ad combuſtum, v. g. Hoc lignum comburitur, *quia applicatus eſt ipſi ignis*. Ita pro ratione appetendi finem poteſt prudenter aſſignari, non ſolum bonitas ipſa finis, quæ una eſt id, quod movet; ſed etiam intentionalis applicatio illius, nimirum cognitio. Sicut etiam pro ratione ſolvendi debitum, dandi præmium, infligendi ſupplicium, poſſunt aſſignari cognitiones debitæ, v. g. *quia ſcio me debere hanc ſummam &c.* quin propterea hæ cognitiones ſint illud *quod* movet voluntatem. Poteſt etiam diſtingui illa major. Verè movet, *ut quod*, vel *ut quo* voluntatem ad utrumque, concedo. Semper *ut quod*, nego. Præterea, ut adverti ad finem numeri 199. non nego cognitionem movere ullatenus ad appetitum finis, & poſitionem mediorum; ſed movere motione propria cauſæ finalis, ideſt, movere ad ſui ipſius appetitum, & conſecutionem, ita ut ipſius cognitionis obtinendæ gratiâ, cætera fiant, quæ eſt characteriſtica motio cauſæ finalis; quoniam præceptum etiam Spei Theologicæ movet ad intentionem, & appetitum, ſeu conatum in Deum, ut noſtrum ultimum finem, ſiqui-

Digitized by Google

dem ad hoc tenemur ex virtute Spei; & tamen præceptum illud non movet motione propria cauſæ finalis.

206. Ad quintum, conceſſa majore, & diſſimulata minore, quæ ſanè non eſt firma, diſtinguo primum conſequens: ita poteſt moveri ex hac cognitione *in genere cauſæ finalis*, ideſt, ad faciendum cętera ejus cognitionis obtinendæ gratia, nego; *in alio genere* permitto: quia ut nuper dicebam, ſicut præceptum Spei Theologicæ, horror gehennæ, & multa alia poſſunt movere voluntatem ad appetendum efficaciter ultimum finem noſtrum, quin ipſa moveant in genere cauſæ finalis: ita cognitio ipſa finis. Et diſtinguo conſequens ſecundum, non eſt univerſaliter verum, quod cognitio ſit mera applicatio virtutis, quæ eſt motiva in genere cauſæ finalis, nego. In alio genere permitto. Sępius dixi punctum præſentis difficultatis ſtare in hoc. Participet nec ne cognitio verè, ac propriè rationem cauſæ finalis? Moveat nec ne voluntatem in genere cauſæ finalis? An potius in hoc genere ſit mera applicatio virtutis motivæ? Cum autem genus, & quidditas cauſæ finalis ſit, *quod cætera fiant illius obtinendi gratiâ*: & hoc nullatenus conveniat cognitioni finis, ſed fini ipſi objectivo, hac de cauſa concludo cognitionem non eſſe verè id, quod movet in genere cauſæ finalis, ſed applicationem illius, quod movet, quamvis aliunde moveret etiam ad finem appetendum, & procurandum, ſicut movet præceptum concipiendi actum Spei Theologicæ; quamobrem duas dedi rationes. Unam in genere probantem id, quod movet intellectum, ac voluntatem ad tales, & tales actus, non eſſe rerum cognitiones, ſed res ipſas. Alteram in ſpecie probantem cognitionem finis non movere in genere cauſæ finalis, eſto moveat in alio genere, ſicut movet præceptum Spei toties citatum.

207. Denique ultima pars concluſionis reſcriptæ num. 198. videlicet cognitionem eſſe intrinſecum conſtitutivum finis, ut in actu primo proximo ad movendum voluntatem, ultra exemplum, quo ibi explicatur, facilè quoque probatur. Omne naturaliter ſaltem prærequiſitum, ut finis moveat voluntatem ad ſui intentionem, conſecutionemque per media, conſtituit actum primum proximum naturalem finis ad eam motionem, & conſequenter conſtituit finem, ut in actu primo proximo ad motionem eam. Sed cognitio finis eſt naturaliter ſaltem prærequiſita, ut ille moveat voluntatem, quia nil volitum quin præcognitum, ſtando ſaltem terminis naturæ. Ergo. Majorem non ſemel tantum dedi. Actus primus proximus cauſæ ad effectum eſt ſtatus ille, in quo ad operandum jam nil aliud deſideratur præter operationem ipſam; & illa, quæ ex hac ſequuntur. Ergo actus primus proximus naturalis imbibit omnia naturaliter prærequiſita ad operandum, nam ſi aliquod non imbiberet, ſequeretur, quod præter orationem ipſam aliquid aliud deſideraret ſtatus ille, nimirum illud prærequiſitum; quia certè non eſt ſtatus habendi omnia neceſſaria ille, in quo deficit aliquod prærequiſitum. Ergo ſtatus non includens omnia penitus prærequiſita ad operandum, non eſt actus primus proximus, plenus, completus, & perfectus.

Digitized by Google

ſtus. Explicatur in re ipſa præſenti; quoties deficit actus primus proximus finis ad movendum, neceſſe eſt, quod deficiat aliquod intrinſecum conſtitutivum ipſius. Defectus namque connotati, conditionis, termini, connexionis, & ſimilium, eatenùs inducunt defectum rei, quæ non eſt ſimplex, ſicut anima rationalis, ſed compoſita, quatenus inducunt defectum alicujus intrinſeci conſtitutivi rei ejuſdem. Si enim omnia, nullo dempto, perſeverent, neceſſe eſt, quod perſevret illa res. At quoties deficit cognitio finis, deficit actus primus proximus naturalis finis ad movendum, nam quod penitus ignoratur, non eſt certè in actu primo proximo ad movendum voluntatem per ſui cognitionem. Ergo quoties deficit ea cognitio, deficit aliquod intrinſecum conſtitutivum actus primi proximi naturalis finis ad movendum; quodnam eſt iſtud conſtitutivum diſtinctum ab ipſa cognitione? Nam de quovis, quod aſſignes, fugiendi ergo à dicta cognitione, eſt eadem difficultas. Nimirum quod aliquod ipſius conſtitutivum deficere debet, ſi talis res deficit. Et quodnam eſt iſtud, ſi non eſt dicta cognitio.

CAPUT QUARTUM.

De Cauſa Exemplari.

208. CAUSA exemplaris, & Idæa, prout in præſenti (alias enim *Idæa* ſignificare ſolet intentionem, nimirum effectum pro cauſa.) ſunt idem juxta Senecam ajentem de cauſis. *His quintam Plato adjicit*, Exemplar, *quam ipſe* Epiſt. 65.
ideam vocat, hoc eſt id, quod reſpiciens artifex, id, quod deſtinabat, efficit. Seu, *in quod reſpiciens artifex operatur*, ut ſcribit Ariſtoteles, ſeu, *id quod imitatur effectus ex intentione artificis*. 1. Metaphyſ. c. 7.
Ubi jam habes quidditatem, ac definitionem cauſæ exemplaris. Fateor hanc vocem *Ideam* magis vergere in ſignificationem cognitionis; hanc verò, *exemplar*, in ſignificationem objecti externi, ad cujus ſimilitudinem fit alterum; cæterum, quia ut ibidem addit Seneca, nil ad rem pertinet utrum *foris* habeat exemplar, ad quod referat oculos v.g. Artifex, an *intus*, quia mente ſola illud concepit, vel imaginatione, idcirco Idæa, ſeu exemplar eſt duplex. Unum externum, quod ſenſu aliquo præcipitur, & ad cujus ſimilitudinem fit aliud ab artifice: & hoc eſt, ad quod reſpicit *ſignatè* artifex. Alterum internum conſiſtens in aliqua cognitione practica circa modum, quo res facienda eſt, & hoc eſt, ad quod reſpicit *exercitè* artifex, nam cognitiones exercitè per ſe ipſas in genere cauſæ formalis notificant ſuum objectum. Illud externum exemplar eſt duplex. Unum primarium, & eſt illa ipſa res, ad cujus ſimilitudinem fit alia, cum ipſa non ſit eo modo facta ad ſimilitu-

dinem

dinem alterius, v. g. pictor, vel ſtatutarius vult exprimere ſimilitudinem Regis ipſum intuens. Rex ipſe eſt exemplar primarium, & quaſi activum, quia artificioſè ad ipſius ſimilitudinem fit imago ipſius, cum ipſe non ſit factus artificioſè ad ſimilitudinem aliùs. Alterum ſecundarium, & quaſi paſſivum, & eſt illud, ad cujus ſimilitudinem fit aliud, cum ipſum quoque factum ſit ad ſimilitudinem aliùs; v. g. ſtatua illa, ſeu imago immediatè facta ex intuitione Regis, & ex cujus ſtatuæ intuitione poſſunt fieri aliæ.

209 Rurſus exemplar internum poteſt quoque eſſe duplex. Unum conſiſtens in actu phantaſiæ, ſive potentiæ imaginativæ, qui actus vocari ſolet phantaſma materiale; qualem actum experitur unuſquiſque ſaltem inter ſomniandum, quando, ſopita mente, ac ratione, videtur ſibi videre multa objecta, audire, ſentire, ratiocinari &c. ad hoc phantaſma materiale validè impreſſum cerebro Moyſi potuit quodque alludere illud divinum præceptum *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Et de hoc etiam vivace actu phantaſiæ poteſt intelligi ſapientia illa, & intelligentia, qua Beſeleel, & Ooliab

Exodi 25.

dicuntur *imbuti ad excogitandum, quidquid fabrè fieri poteſt ex auro, & argento, ex ære, & marmore &c.* Ut enim hi tres viri modo magis connaturali homini exequerentur quod ad ornatum Arcæ, atque cultum divinum volebat ipſe Deus: veroſimilius eſt, quod præter actus rationis, infuderit ipſis validas etiam imaginationes, vivacia quædam phantaſmata materialia, & conſequenter exemplaria interna hujus ſpeciei circa Oeconomiam totam illius ſacræ ſuppellectilis. Alterum exemplar ſive idæa interna poteſt ſtare in actu mentis, rationis, ſeu intellectus, quatenus artifex pro priori ad effectionem rei cognoſcat circumſtantias, aut omnes, aut aliquas, quæ rei faciendæ ineſſe debent ex natura ejus, vel poſſunt ex arbitrio artificis ipſius. Et qui negat Deum habere idæas in hoc ſenſu *ſequitur, ut dicat, Deum irrationabiliter feciſſe, quæ fecit*, inquit Auguſtinus. In hoc item ſenſu loquitur Seneca, inquiens loco citato. *Homines quidem pereunt; ipſa autem humanitas, ad quam homo effingitur* (Ideſt idæa divina humanitatis: vulgare namque eſt indere cognitionibus aliqua nomina ſuorum objectorum, ſicut his nomina aliqua cognitionum) *permanet: & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur.*

Exodi 31.

Auguſt. 1. retract. cap 3.

210. In hoc item ſenſu videtur Gravibus Doctoribus loqutus Plato, quando famoſas illas docuit Idæas, æternas, & univerſales; non quia tantus homo cenſuerit, dari à parte rei univerſale (ut ipſum defendit P. Vaſquez, & ſatis inſinuat Auguſtinus) ſed quia rem prorſus veram docuit. Nimirum, Deum mente concepiſſe, ideſt, cognoviſſe quoad numerum, menſuram, cæteraſque circumſtantias omnia, quæ in tempore facienda erant, juxta vocem illam ſapientiæ. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret &c.* & illam alteram Salomonis *Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tecum cum orbem terrarum faceres.* Cumque ejuſmodi cognitiones divinæ ſint æternæ, ſint incorruptibiles, ſint de omnibus, & ſingulis rebus, naturis, at-

Vaſquez 1. part. diſp. 71. cap. 1.

S. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 26.

Proverb. 8.

Sapient. 9.

que

que individuis, hac de cauſa dixit Plato juxta hos authores, Idæas eſſe æternas, eſſe &c. Satis probabile eſt, hanc, & non aliam fuiſſe mentem graviſſimi illius philoſophi emphaticè, ac myſteriosè plerumque loquentis. Sed quidquid de hoc ſit, in hoc quoque ſenſu accipiente cauſam exemplarem, ſeu idæam pro cognitione practica rei faciendæ loqutus eſt Auguſtinus, quando ſcripſit. *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt; ac per hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſe ſe habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipſæ neque oriantur, neque intereant; ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt, & omne quod oritur, & interit.* Hæ omnes phraſes, quæ ſatis indicant Platonem, certè non aliud ſignificant apud Auguſtinum, quam quod dixit Ariſtoteles, quando dixit *Sanitatem, quæ eſt in materia, eſſe à ſanitate, quæ eſt in anima Medici*, qua etiam explicatione utitur ibidem infra: & utrobique ſignificat ſanitatem objectivam, phyſicam, & realem derivari ex cognitione practica inducendi ſanitatem, quæ cognitio eſt anima Medici. Illa namque cognitio, quia ſanitatis inductiva, ſanitas vocatur, ſicut eſcæ quoque, potus, & medicina paſſim vocantur ſana ob eamdem rationem. Antiquum quippe eſt in omni literatura nomen rei appingere cauſæ illius. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti &c.* nempe quia hæc cognitio inducit in obedientiam legis, & per hanc, in vitam æternam. Item, *Mors in olla vir Dei*, nempe quia res ab ignaro ibi intromiſſa mortis cauſativa credebatur. Similiter apud ſæcularem literaturam. *Peſtis enim tacitis* (ideſt Alecto læthifera) *latet aſpera ſylvis*. Et alius de quodam lenone. *Sum periurus, peſtis &c.* & alius de alio dicit *Funeſta Reipublicæ peſtis*. Nimirum quia hi tres peſtem corporibus, aut animis inducebant.

Auguſt. q. 46. & 83. — *7. Metaph. text. 22.* — *ibid. lib. 12. text. 24* — *Ioan. 17.* — *4. Reg. 4.* — *Æneid. 7.* — *Terentius in Adel.* — *Cicero pro Sylla.*

211. Practica ergo ſanitatis cognitio vocatur ab Ariſtotele *ſanitas*, & practica divina cognitio formarum efficiendarum vocatur à S. Auguſtino *Principalis forma*, & practica divina cognitio naturarum vocatur à Platone *Natura*, quia ſingulæ hæ cognitiones ſunt cauſæ reſpectivè illorum effectuum. Cumque illæ cognitiones divinæ ſint, quæ dicuntur *Ideæ*, & exemplaria interna: & ex alia parte ſint æternæ, incorruptibiles, & neceſſariæ, tam quæ enunciant modum, quo poſſunt, quàm quæ enunciant modum, quo debent fieri res extra Deum: ecce ſenſum, in quo naturæ juxta Platonem, Principaleſque formæ juxta Auguſtinum, ſunt æternæ, incorruptibiles, & neceſſariæ; quamobrem cum audies myſterioſas illas phraſes. *Res ſunt in ſtatu Ideali. Ab æterno fuerunt ſecundum ſuum eſſe ideale. Præextiterunt in divinis ideis. In Deo ſunt, & intra mentem divinam pura ab omni imperfectione*; & ſimiles: ne ſuſpiceris arcanum aliquod, & ineffabile Sacramentum. Nec rearis, quæſo, Deum, aut mentem divinam, aut idæas divinas, eſſe regionem aliquam, intra quam res fuerunt ab æterno, ſicut modo ſunt homines intra ambitum hujus urbis. Ad ſcholaſticam enim trutinam revocatæ illæ omnes phraſes, nil aliud ſignificant, quàm hoc. Priuſquam res eſſent, ideſt, ab æterno habuit Deus

ſcientiam,

ſcientiam, ſive cognitiones rerum omnium, & ſingularum, nec non cunctarum circumſtantiarum, quibus illæ poterant ex placito divino, ac debebant ex natura ſua fieri. Cumque illæ divinæ cognitiones ſint in Deo, intra Deum, atque in mente divina, item ſint æternæ, puræque ab omni fæce, hinc manarunt iſti modi loquendi, nec non ille alius myſteriosus S. Joannis. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Et ille alius S. Pauli *ut ex inviſibilibus viſibilia fierent* tamquam exemplatum ex exemplari; & juxta hunc ſenſum capi debent phraſes illæ, quando aliquis inter argumentandum ſyllogiſticè utitur illis. Et monendus eſt ille, omnes iſtas loquutiones, quæ procedere videntur immediatè de rebus ipſis, atque idcircò videntur directæ, eſſe reflexas, atque procedere immediatè de ipſis divinis cognitionibus practicis, ſicut diſp. 1. logicæ majoris num. 161. dixi de propoſitionibus affirmantibus, aut negantibus identitatem, ſive diſtinctionem rationis.

Joan. 1.
Hebr. 11.

§. II.

212. HIs præmiſſis: quatuor occurrunt quæſtiones. Prima eſt. *An, & quomodo operetur Deus ex idæa, ſeu exemplari?* quia hoc egere, videtur proprium artificis non perfecti: & primum ſaltem opus, non fit ad ſimilitudinem alius, quia aliàs non eſſet primum: & conſequenter non fit juxta exemplar. Reſpondeo iſtud eſſe verum de exemplari externo, à quo diſcat artifex modum efficiendi illud, quod efficere conatur. Falſum verò de interno, quoniam irrationalis eſſet artifex, qui opus aggrederetur, licet primum, abſque prævia cognitione circa modum, quo poteſt, ac debet fieri opus, quod aggreditur. Igitur Deum habere idæas, ſive exemplaria interna nuper dixi ex Auguſtino, atque ratione. Omnis namque, qui operatur juxta infallibilem cognitionem, quam habet de modo, & circumſtantiis, quibus fieri debet, ac poteſt opus, etiam primum, quod facit, operatur ex idæa, & exemplari interno, quoniam hoc nil eſt aliud, quam ea cognitio. At Deus, quando fecit cœlum, & terram in principio, fecit illa juxta infallibilem eam cognitionem. Nam *quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege &c. cum eo eram cuncta componens.* Ergo Deus operatur cum idæa, & exemplari interno. Nec quidquam prohibet, quod ex ſuo placito operetur quoque juxta idæam, & exemplar externum. Poteſt namque velle facere rem A externam *ſimilem quoad aliqua, quoad multa, quoad omnia rei B externæ*, etiam reſpectu Dei. At tunc erit neceſſarium, quod pro priori ad externam exequutionem rei A, reſpiciat non quidem oculis carneis, ſed mente, rem B, alias caſu, vel nullo modo evadet unum ſimile alteri. Ergo poteſt Deus ex ſuo libito operari etiam juxta exemplar externum. Porrò operari *ex*, *juxta*, *ad*, *propter* exemplar externum, ſtat in eo, quod effectio rei A. v. g. eſſentialiter pendeat ex volitione efficiendi rem, quę volitio eſſentialiter præſupponat cognitionem de

Prov. 8.

Digitized by Google

de talibus, aut talibus circumſtantiis inhærentibus rei B, & inſuper ſit volitio formandi illas easdem, quoad ſpeciem, in A, & neque ipſa volitio, neque alia excludat morionem ex illis circumſtantiis rei B, per hanc aut ſimilem tendentiam. *Quamvis B, habeat circumſtantias tales, & tales, non propter iſtud, ſed propter aliud motivum volo ponere eaſdem in A*. Conſtat hoc ex generali doctrina circa cauſas morales, inter quas eligere poteſt voluntas, quam doctrinam ſupra dedi, & mox inſinuabo iterum, quando explicabo cauſalitatem cauſæ exemplaris.

213. Sed extraordinaria illa effecta, quæ nonnunquam evenerunt ad præſentiam talis, ac talis operationis humanæ, quomodo trahunt originem (cum fuerint quaſi repentinæ, ac prærer rerum ordinem, ac quaſi pro nata occaſione) ex æterna illa idæa, atque exemplari, quod habuit Deus circa mundi hujus fabricam. Reſpondeo conſentaneè ad ea, quæ ſcripſi in phyſica naturali ſuper hac eadem difficultate. Quemadmodum rector horologij, ita paſſim temperat, & combinat pondera cum rotis, ut poſt talem temporis menſuram edat horologium tale ſignum cum prius ſiluerit, & quidem tali etiam muſica: & poſt aliud tempus aliud edat ſignum cum alia muſica, & ſic deinceps (idem dico de alijs machinis, & artificijs paſſim obvijs) ita Deus futurorum præſcius, propter talia ſcelera, aut talia merita, quæ per tales homines prævidit eliciendą in talibus, & talibus temporibus, potuit ab initio hujus mundi ita combinare ipſius quaſi humores, & pondera, ideſt ipſius agentia, & qualitates, ut naturali ſucceſſione effectuum, & cauſarum in tali determinato tempore, & Provinciâ per multum tempus, nec unam pluat guttam aquæ, ut tempore Eliç, nec non Jeremiæ *Prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit*. In alio verò tempore ea conglobetur immenſa humoris copia, & ita mare exunder, ut hoc infernè, & pluvia ſupernè globum totum terrarum obruant, ut tempore Noè. Similiter, quod tali die ob preces ſancti hominis pluat, tali autem parte anni ob crimina hominum non pluat, poteſt eſſe effectus cauſarum ſecundarum, ſed ab initio ita combinatarum per Deum futurorum præſcium. Præcognoſcens quippe ab æterno talem Orationem hominis juſti, tales pænitentias populorum &c. potuit ita combinare harmoniam cauſarum ſecundarum, ut tunc, quando preces funduntur, aut verberationes corde humili, & contrito ſuſcipiuntur, naturaliter fluant nubes, ſed ex divina diſpoſitione initio mundi ſtatura, juxta æternam ideam divinam de eo, quod ſic poterant combinari cauſæ hç ſecundç.

3. Reg. 17
Ierem. 3.

214. Similiter quando terra, quæ ſulphurea habet viſcera, dehiſcit & flammas evomit, & ſuperſtantes homines, aut Urbes deglutit, poteſt eſſe effectus naturalis cauſarum cum hac intentione combinatarum ab initio per Deum. Sic prçvidens Deus pervicaciam illorum, qui rebellarunt contra Moyſen, potuit ab initio mundi ita diſponere Oeconomiam terrç illius individuæ, ut ignis latens in illa eadem terra, quam tunc calcabant, in eodem puncto temporis, in quo Moyſes ceſſavit loqui *diſrumperetur ſub pedibus eorum*, ut ſit in cuniculis arte militari diſpoſitis, *& devoraret illos flammâ, & fumo involutos*. Similiter cauſç natura-

Numer. 16

turales latentes ſub terra, quas primi Fundatores Urbium quarumdam ignorabant (puta Bajas in ora Neapolitana, & Sanctam Euphemiam in regno eodem) ſpontè, ac natura ſua excutere potuerunt quidquid ſupra ſe habebant (ut dicti militares cuniculi) in eo temporis momento, in quo impletus eſt numerus ſcelerum; quę Deus permittere decreverat eis individuis hominibus. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum. Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non convertam eum &c.* Similiter, quod copioſus ignis, ideſt, crebra, & continua fulmina erumpant è nubibus, poteſt eſſe effectus naturalis concurrentium cauſarum in ea parte Atmoſphęrę, ſed naturali tenore derivatus ex prima mundi conditione facta juxta ęternum, ac internum exemplar divinum. Unde pręcognoſcens Deus ſpurcities illarum quatuor Urbium, & procaciam divulgandi suum ſcelus. *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma, prædicaverunt, nec abſconderunt* potuit ita ordinare ab initio mundi, juxta ęternam ſuam Idęam, cauſas naturales, ut in illo momento, in quo Loth ingreſſus eſt Segor, & Sol fuit in Orizonte Orientali (quando magna commotio eſſe ſolet vaporum, & exhalationum) inciperit prodigioſum illud incendium.

Amoſ. 1.

Iſai. 3.

215. Similiter cur ab initio non potuit Deus futurorum pręſcius ita nectere, juxta ſuum internum exemplar, cauſas ſecundas, ut immediatè poſtquam dixit Elias. *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de Cęlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Ingens copia exhalationum occupantium aerem illum, protinus inflammaretur, & illapſus ille ingens ignis tamquam fulmen *devoravit illum, & quinquaginta ſuos*? Idem dico de pleriſque, non de omnibus, plagis Ægipti: de peſtibus, quę tales determinatè Provincias depopulatæ ſunt: de fulmine irruente in locum, ubi per accidens erat corpus talis hominis, beſtiæ, navis, arboris &c. de repentina hominum aliquorum privatione vitæ, visûs, motûs, loquelæ, de procellis tales, & non alias claſſes diſſipantibus: de ſubverſione talium determinatè Urbium, tali determinato tempore ob tremorem terræ, erumpente ſurſum magna copia aquarum, quæ ſubtus latebat, & neſciebatur. Et denique de omnibus illis, ſed ſolis, quæ poſſunt eſſe effecta concurrentiæ, ac combinationis cauſarum ſecundarum; tum quia ſicut miracula Chriſti Domini, quæ ſtrictè ſunt talia, ideſt quæ ſuperant vires totius naturæ, ut reſurrectio mortuorum, multiplicatio repentina panis pro millibus ſaturandis: item diviſio maris rubri, trina interruptio Jordanis &c. impiè negabuntur: ita vanè multiplicabuntur, & obnoxios reddemus nos correptioni illi. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos*? tum quia non urget ratio, ut dicamus, Deum tam ſæpè invertere ordinem, ſeriem, tenorem naturæ, atque cauſarum naturalium; quandoquidem ſalvis omnibus, quæ ſalvari debent, poteſt dici Deum, cum ab æterno præviderit omnes, & ſingulas actiones humanas omnium, & ſingulorum hominum, ab initio mundi ita coordinaſſe, temperaſſe, combinaſſeque numerum, qualitatemque agentium naturalium (ſicut reſpectivè in ſuis miniſterijs faciunt rectores horologiorum, navium, cuniculorum militarium, & ſimilium arteſactorum

4. Reg. 1.

Iob. 13.

ctorum) ut certiſſime in tali tempore, aut paulò ante, aut paulò poſt, in quo exercendæ erant tales actiones humanæ, bonæ, aut malæ, agentia illa naturalia ederent tales, aut tales effectus prorſus mirabiles, quia inſolitos omninò. En quomodo non ſolum regularia, & ordinaria effecta mundana; verum etiam extraordinaria, & quæ miracula cenſentur eo, quod ſint præter conſuetum rerum ordinem, poſſunt originem trahere ex æternis idæis divinis, hoc eſt ex æternis cognitionibus, quibus intuitus eſt omnes, & ſingulas temporales actiones creaturarum.

§. III.

216. CUm dixerim, Idæas divinas, ſeu exemplaria interna ſtare phyſicè ex parte rerum in divinis cognitionibus; quæſtio ſecunda eſt *quæ ſunt iſtæ cognitiones, & quomodo cauſant res externas?* Coincidit hæc quæſtio cum famoſa illa. An ſcientia viſionis ſit cauſa rerum? quam tetigi ſupra, & explicui in Prodromo diſ. 4. num. 185. Triplex ſcientia eſt in Deo. Una vocatur neceſſaria, naturalis, ſimplexve intelligentia: & eſt illa, qua Deus cognoſcit quidditatem, eſſentiam, naturam, poſſibilitatem, aut impoſſibilitatem rerum; & hæc interdum habet modum tendendi abſolutum, ut ſcientia, qua Deus videt ſuas perfectiones neceſſarias. Alia vocatur ſcientia libera: & eſt, qua intuetur exiſtere, aut intuetur non exiſtere rem contingentem A. v. g. & vocari ſolet ſcientia viſionis. Altera eſt inter utramque media: & eſt illa, qua ſcit Deus infallibiliter, quid ageret, quid non ageret
unaquæque libertas indifferentiæ, caſu quo exiſteret. Ut ſcivit, fore *1. Reg. 23.*
ut Ceilitæ traderent David in manum Saulis, ſi perſeveraret apud illos. Sic enim revelavit Davidi ipſi. Ut ſcivit etiam, fore ut populi
quidam ignotæ linguę, profundique ſermonis audirent Ezechielem, ſi *Ezechiel. 3*
mitteretur ad illos; ſic enim revelavit Ezechieli ipſi. Ut ſcivit, fore
ut Tyrij, & Sydones agerent pęnitentiam, ſi viderent miracula Chri- *Luc. 10.*
ſti: ſic enim exprobravit incredulis Judæis. Hæc ſcientia conditionata, quando aſſumit pro conditione totam libertatem activam creatam individuam A. v. & nihil aliud, pro conditionato autem exercitium immediatum hujus libertatis, & nihil aliud, vocatur ſcientia media directa. v. g. *ſi exiſtat integra libertas A. Petri conſtituta per tale, & tale auxilium, hæc eadem libertas A. exercebit ſe per amorem v. g.* quandò verò aſſumit pro conditione integram quamdam libertatem divinam A, & nil aliud; pro conditionato autem exercitium immediatum hujus libertatis, & nil aliud, tunc vocatur ſcientia media reflexa. v. g. ſi exiſteret divina individua libertas indifferentiæ, conſtituta per ſcientiam mediam directam de inefficacia libertatis A. creatæ ad canendum v. g. Deus non conferret illam. Non enim latet Deum, quid ipſe ageret, quid non ageret in tali, & tali caſu; alias creatura poſſet proponere Deo, quæ-

ſtiones, quas ille ſolvere non poſſet, nimirum Domine quid faceres, ſi prçvidiſſes Petrum malè geſturum ſupremum Eccleſiæ Magiſtratum? Commendaſſes ne illi oves tuas? Ambas has ſcientias explicui in Prodromo diſput. 5. à num. 207.

217. Reſpondeo ergo. Ex tribus dictis ſcientiis, illa quæ vocatur neceſſaria, aut naturalis, & illa quæ vocatur media, ſunt ideæ divinæ reſpectu eorum objectorum, quæ exprimunt, non autem aliorum. v. g. ſcientia neceſſaria, qua Deus cognoſcit naturam, eſſentiam, & quidditatem libertatis A Petri, eſt idæa reſpectu illius libertatis, non reſpectu rerum aliarum. Item ſcientia media de illa, eſt quoque illius idça, non alius rei diſparatæ. Quoniam omnis intentionalis imago illius libertatis, ejuſque effectioni prælucens, eſt idæa, ſeu exemplar internum reſpectu illius: dirigit namque ad illud, & illud imitatur in ſuo eſſe phyſico, atque entitativo imaginem illam ſui ipſius. At ambæ ſcientiæ, ut pote infallibiles, ſunt perfectiſſima imago intentionalis ſui objecti, enunciantes perfectiſſimè id, quod illud eſt: deinde prælucent illius effectioni, hoc eſt collationi libertatis illius, quia eſt impoſſibile Deum conferre Petro ullam libertatem, quin præcognoſcat, quid ſit illud, quod confert, cujus naturæ, cujus conditionis, quid boni, aut mali, aut indifferentis, trahat poſt ſe: alias quando trahat aliquid boni v. g. inopinatò continget illud Deo, & hic poſſet dicere. *Non venerat mihi in mentem, quod hæc libertas ſic ſe exerceret*. Ergo. Et ecce ſcientiam, de qua interdum pronunciat S. Thomas eſſe cauſam rerum. Adducit namque exemplum artificis, cujus ſcientia practica eſt cauſa arte facti. Non ſanè ſcientia practica, qua intuetur arrefactum jam factum, ſed qua ſcit modum, quo illud poteſt, ac debet fieri. Arguo 2. Omnis cognitio enuncians artifici modum, quo debet, poteſt, & expedit, aut non expedit, facere opus externum, eſt hujus idæa, ſeu exemplar internum Sed ſcientia neceſſaria, quippe quæ enunciat quidditatem, & eſſentiam libertatis A, enunciat modum, quo poteſt, ac debet fieri à Deo (qui unus eſt illius artifex) libertas illa; ſcientia verò media, quippe quæ enunciat fauſtum, vel infauſtum effectum, quem illa libertas ſponte ſua eliciet, enunciat modum, quo expedit, aut non expedit illam dare Petro. ergo.

218. Neque dicas de conceptu Ideæ, ſeu exemplaris eſſe, quod non ſit poſt exemplatum; ambæ autem illæ ſcientiæ ſunt poſteriores ad illam libertatem: quia ideò à priori Deus cognoſcit rem eſſe, aut futuram fore, quia illa eſt, aut futura eſt. Annuo; cæterum rationi ideæ ſive exemplari interno ſolum obeſt poſterioritas ad exiſtentiam *phyſicam*, *abſolutam* exemplati; atqui ſcientiæ illæ non ſunt poſt exiſtentiam phyſicam, & abſolutam illius libertatis A, quam dico *exemplatum* illarum, quia non enunciaret abſolutè illam. Ergo. Jam ambæ hæ ſcientiæ cauſant ſuum objectum, nempe libertatem A, (& idem proportionatè intellige de aliis actibus harum ſcientiarum reſpectu ſuorum objectorum) non phyſicè, quia cauſare phyſicè creaturas eſt proprium Omnipotentiæ. Non moralitèr poſitivè, quaſi mera poſſibilitas, quidditas, & eſſentia libertatis A, bonumve, aut malum exercitium, quod ſpon-

tè

tè ſua haberet, ſit per ſe motiuum ſufficiens (& multò minus meritum) ut Deus illam concedat Petro. Sed ſunt cauſæ in genere directivo, juxta nuperam explicationem: item in genere morali negativo, & tamquam removens prohibens, quatenus impoſſibile omninò eſt quod ſine eis ſcientijs Deus, qui eſt unicus artifex, hoc eſt, unicus collator libertatis humanæ, hanc conferat, ut nuper dicebam: & quatenus illæ ſcientiæ per ſe eſſentialiter opponuntur cum ignorantia naturæ, quidditatis, effectuſque illius libertatis A; ſub qua ignorantia non poſſet Deus illam conferre.

219. Dico 2. Scientia viſionis, qua Deus intuetur exiſtentiam unius rei creatę, poteſt eſſe cauſa directiva ad rem aliam; v. g. ſcientia, qua Deus intuetur meritum, poteſt dirigere ad pręmium, & conſequenter eſſe cauſa illius, & ſimiliter de ſcientia, qua intuetur culpam reſpectu ſupplicij, & ſimiliter de ſcientia, qua intuetur preces reſpectu conceſſionis rei, quę petitur. Imò ſcientia, qua intuetur rem A. exiſtere in uno inſtanti, poteſt eſſe cauſa anticipationis rei ejuſdem, & etiam ulterioris conſervationis, & ſcientia, qua intuetur rem ſecundum unum *eſſe*, aut *ſtatum* poteſt eſſe cauſa ejuſdem ſecundum aliud *eſſe*, aut *ſtatum* juxta varios modos, quibus principium meriti poteſt cadere ſub meritum, quoſque ſuo loco explico. Verumtamen ſcientia viſionis, qua intuetur Deus rem A. creatam exiſtere in inſtanti A, nequit eſſe ullatenus cauſa illius pro eodem illo inſtanti, & ſecundum idem eſſe: & conſequenter non idæa, ſeu exemplar internum illius. Concluſionem hanc probavi diſp. 4. Prodromi n. 185. gemina ratione. Una, quod divina volitio faciendi per ſe, aut concurrendi cum alio ad rem A, eſſet indigna Deo; cum ſit fatuitas velle exiſtentiam rei pro illo eodem inſtanti, & circumſtantiis, pro quibus ſcientia infallibili prævidetur exiſtere, ut ſi quis Solem intuens diceret. *Volo, deſidero Solem in hoc eodem inſtanti exiſtere*. Altera, quod libertas Divina ad volitionem illam conſtitueretur per ſcientiam viſionis de exiſtentia rei A. quia debet conſtitui per omnia pręrequiſita ad volitionem ipſam. Sed talis ſcientia eſſet per ſe methaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexa cum exiſtentia rei A, ſiquidem eſt divina viſio hujus. Ergo ea libertas conſtitueretur per aliquid metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connexum cum re A. Sed hęc per ſe metaphyſicè, abſolutè, ac determinatè connectitur hic, & nunc cum illa divina volitione, quia utpote creatura connectitur cum aliquo decreto divino, & non eſt aliud pręter illam volitionem. Ergo libertas divina ad hanc conſtitueretur per aliquid ſic connexum cum ipſa volitione: connexum namque cum connexo eſt connexum cum termino, quando ſermo eſt de hac ſpecie connexionis ut oſtendi in Prodromo diſp. 5. num. 143. Ergo libertas divina ad hanc volitionem non eſſet libertas ad illam. Cum verò in productione Verbi divini non interveniat divina volitio libera illius libertate indifferentię, ut conſtat, idcircò ibi locum non habent hęc duo abſurda. Ergo poteſt viſio abſoluta, ac determinata verbi eſſe id, ex quo procedit verbum. Sanctus autem Thomas, dicens aliquando ſcientiam viſionis

eſſe

eſſe cauſam rerum, non loquitur de hac, de qua ego modo, ut explicui in Prodromo diſp. 4. num: 186.

§. IV.

220. QUæſtio tertia eſt. *Ratio cauſæ exemplaris conſiſtit ne in conceptu objectivo, an potius in conceptu formali?* Affinis eſt hæc illi, quam explicui de cauſa finali ſupra num. 197. ſed oppoſito modo reſolvenda. Conceptus formalis dicitur cognitio, quam artifex habet de modo, quo poteſt, debet, ac expedit facere opus. Conceptus objectivus poteſt eſſe, aut res ipſa, quæ ex hac cognitione fit ab Artifice, aut res altera, ad cujus ſimilitudinem fit hæc, v. g. aut ſtatua ipſa Regis, aut Rex ipſe, ad cujus ſimilitudinem fit ſtatua. Reſpondeo ergo. Si dixeris, unumquodque ex his tribus participare in ſuo genere rationem cauſæ exemplaris, ſcilicet conceptum objectivum participare rationem exemplaris externi; conceptum verò formalem participare rationem exemplaris interni, nullumque ex illis participare rationem exemplaris, *ut ſic*, eo quia ratio illa non ſit univoca, ſed æquivoca. Si inquam id dixeris, non multum refragabor. Sin velis, quod magis caſtigatè, ac preſsè loquamur, ſit concluſio. Ratio cauſæ exemplaris non poſtulat conceptum objectivum ad cujus ſimilitudinem fiat aliud. Neque ſtat formaliter, ac immediatè in hoc alio, quod fit ex cognitione ſui ipſius, proponente modum, quo poteſt, debet, atque expedit fieri. Sed ſtat ſtrictè formaliter, ac immediatè in hac ipſa cognitione. Probo primam partem. Nil, ſine quo poteſt ſubſiſtere cauſa exemplaris, & idæa, poſtulatur determinatè à cauſa exemplari. Sed ſine objecto alio, ad cujus ſimilitudinem fiat res A, poteſt ſubſiſtere cauſa exemplaris, ſeu idæa rei A, tum quia cum cauſa exemplari, atque idæa fabricavit Deus hanc mundanam fabricam, ut conſtat ex ſequela illa S. Auguſtini, quam ſcripſi num. 209. & ex ratione quam dedi num. 212. & tamen non fuit prius mundus alius, ſive fabrica alia, ad cujus ſimilitudinem formaret Deus hanc; tum quia periti quique artifices humani, Pictores v. g. & Architecti, ſolent ex proprio cerebro, ſive phantaſia, ut ajunt, nova quædam facere, quin ſit aliud, ad cujus ſimilitudinem hæc fiant. Et tamen operantur cum Idæa, cauſaque exemplari ſtrictè, & formaliter tali. Ergo hęc non poſtulat illud; quamobrem definitiones illæ; *id quod imitatur effectus. Id quod reſpiciens artifex &c.* non innuunt tanquam rem ſimpliciter neceſſariam conceptum iſtum objectivum, ſed cognitionem, quam mox dicam. Probo ſecundam partem. De conceptu idæę, ſive cauſæ exemplaris, eſt dirigere artificem ad exemplatum. Ergo quidquid non dirigit formaliter immediatè artificem, non eſt formaliter immediatè idæa, ſeu cauſa exemplaris. At opus ipſum faciendum ex directione cognitionis, non dirigit formaliter immediatè artificem;

ficem ; quoniam licet virtutes cauſandi , movendi , & multæ aliæ conveniant objectis ipſis diſtinctis à cognitionibus ; at virtus *dirigendi* formaliter , immediatè, atque propriè artificem , non poteſt convenire objectis ; ſed cognitionibus ſolis : quia *dirigere* eſt dictare , enunciare , exprimere quod faciendum , aut non faciendum eſt : dictare autem , enunciare , ſeu exprimere ſolis cognitionibus convenit ſtrictè , aliis verò rebus depēdenter omninò à cognitionibus,& per analogiā ad eas; ergo ratio ideæ , ſive cauſæ exemplaris non ſtat formaliter immediatè in re illa , quæ fit ex cognitione proponente modum , quo poteſt , debet , expedit fieri illam rem ; ſed in cognitione ipſa , quæ eſt tertia pars concluſionis , & quam ſic probo .

221. Omne , quod per ſe formaliter , immediatè , dirigit artificem ad opus faciendum , eſt formaliter immediatè idæa , ſive cauſa exemplaris illius operis. Id namque eſt, quod reſpiciens artifex (non utique ſignatè , ac reflexè , ſed exercitè , ac directè) operatur . Et eſt illud , quod imitatur effectus ex intentione artificis . Imitatur , inquam , non imitatione phyſica, entitativa , & materiali ; ſed imitatione rationali , quatenus artifex intentionem habet efficiendi opus eo externo modo , & circumſtantiis aliis , quas mente concipit , quaſque cognoſcit . Et demum eſt id , ad cujus ſimilitudinem , non utique entitativam , & materialem ; ſed rationalem , & intentionalem fit exemplatum : ideſt , fit prout dicit Artifici cognitio , qua gubernatur hic , & nunc . At ſolæ cognitiones ſunt id , quod formaliter immediatè dirigit ad opus faciendum . Nam exemplar externum , ad quod interdum mentem detorquet artifex:item doctrina, & præceptum aliùs,quod interdum etiam auſcultar , demum res ipſa , quæ efficienda eſt , abs dubio non dirigunt per ſe formaliter immediatè artificem , cum non ſint hujus actus vitales ; ſed dirigunt ad ſummum mediatè , ac remotè . Ergo ſolę cognitiones participant ſtrictè loquendo rationem formalis , ac immediatæ ideæ , formalis , ac immediatæ cauſæ exemplaris . Hinc 1. ſolutum habes argumentum fieri ſolitum contra hanc cognitionem . Videlicet artefactum non imitari cognitionem , non fieri ad imaginem , ac ſimilitudinem illius , non eſſe id , quod reſpicit artifex ad operandum , quandoquidem non ſemper reflectit ſupra ſuam cognitionem . Sunt , inquam , ſoluta iſta ; quoniam ſi deberent intelligi juxta corticem verborum , ſolum illud opus pręexiſtens , ad cujus ſimilitudinem fit alterum , foret ſtrictè exemplar , & in eo ſolo inveniretur ratio exemplaris , quia illi ſoli competunt iſta in ſenſu phyſico , & materiali . Ergo cum tale opus non pręceſſerit fabricę hujus mundi , imò neque rebus multis , quas ex propria mente , ſeu phantaſia , ut ajunt,ſolent facere primi artifices humani , ſequeretur Deum , & hos operari ſine idęa , & ſine exemplari : Iſta ergo imitatio effectus,iſta ſimilitudo cum exemplari , iſta reſpicientia artificis eſt illa ſola , quam nuper explicui , & illa convenit ſine dubio cognitionibus .

222. Hinc 2. Bruta , quantumcunque ſagacia , non poſſunt operari ſtrictè , & propriè *ex idæa* , ſive cauſa exemplari , ſicut neque ex cau-

ſa

ſa finali, quia non ſunt capacia, ut immediatè, ac formaliter dirigantur per cognitionem rationalem; ſed *ex idæa*, ſeu exemplari materiali ſicut etiam ex fine; quippe eo ſolo modo poſſunt operari ex his cauſis, quo res cognoſcunt. At materialiter duntaxat cognoſcunt res, per actus nimirum phantaſiç, imperfectiores quàm multi eorum, quos inter ſomniandum habemus. Ergo. Hinc 3. eſt diſparitas ad illud, quod ſupra dixi de cognitione finis, nempè illam non participare ſtrictè, ac propriè rationem cauſæ finalis, neque movere, ut *quod* ad intentionem finis, poſitionemve mediorum. Diſparitas autem eruitur ex ipſis conceptibus definitivis, quorum non datur ulterior ratio à priori. Finis eſt, quod movet ad ſui conſecutionem per media. Eſt, cujus gratiâ cætera fiunt. Cujus *gratiâ*, ideſt, ut obtinendi, vel ſaltem, ut exstituri in rerum natura. Ergo omne quod neque adæquatè, neque inadæquatè eſt id, quod movet ad *ſui* conſecutionem, aut id cujus, ut obtinendi, vel extituri gratia, cętera fiunt, nullatenus eſt finis. At cognitio, quam habemus de noſtro ultimo fine, v. g. neque adæquatè, neque inadæquatè eſt ille ultimus finis. Ergo. Cęterum cauſa exemplaris eſt illa, quam imitatur effectus, ad cujus ſimilitudinem fit, quam reſpiciens artifex operatur. Vel ergo hæ definitiones intelligendæ ſunt de reſpicientia reflexa, & ſignata, de imitationeque, ac ſimilitudine entitativa, & materiali. Vel de reſpicientia exercita, dictante modum, quo res phyſicè fieri oportet: vel de imitatione, ſimilitudineque rationali. Si primum, ſequetur Deum non operari ex cauſa exemplari, ſeu idæa: unde ſubſequetur abſurdum, quod num. 209. protuli ex Auguſtino: & ſequetur quoque, primo quoſdam artifices, interdum ex nobili phantaſia operantes ſine ductu prioris ſimilis operis, operari ſine idęa, & ſtricto, veroque exemplari, unde temerè, ac irrationabiliter operari. Si ſecundum, illud convenit immediatè, ac formaliter ſolis cognitionibus. Ergo ex conceptibus ipſis quidditativis cauſæ finalis, & cauſæ exemplaris, educitur rationalis diſparitas inter cognitionem unam, & cognitionem alteram, vi cujus una non ſit cauſa finalis, & altera ſit cauſa exemplaris.

223. Quæſtio quarta eſt. *In quonam ſtet phyſicè ex parte rerum cauſalitas cauſæ exemplaris*? Hæc reſolvenda eſt, ſicut altera de cauſalitate cauſæ finalis, & cujuſlibet cauſę moralis. Reſp. Cauſalitas cauſæ exemplaris non ſtat in ſolo exemplari externo. Non in ſolo interno. Non in complexo ex utroque. Non in intentione efficace faciendi opus, quod dicitur exemplatum, eo modo, & circumſtantiis, quas dicit cognitio, & exemplar internum. Sed ſtat in complexo ex hac intentione, & carentia aliùs actus voluntatis repellentis motionem, ſeu directionem illius exemplaris interni. Hæc concluſio eſt ſimilis ei in qua explicui cauſalitatem cauſę finalis. Et probatur. Nil, quod exiſtere poteſt, quin res A, v. g. fiat ex cauſa exemplari B; eſt cauſalitas hujus in illam; quoniam cum cauſalitas in actu ſecundo (de hac ſola loquor) ſit actuale, abſolutum, immediatum, & formale exercitium

tium cauſandi, repugnat ex ſuamet eſſentia exiſtere, quin cauſa actu cauſet. At omnia illa poſſunt exiſtere, quin res A fiat ex cauſa exemplari B, ut ſingula inſpicienti conſtabit. Tria namque priora poſſunt exiſtere, quin ſimpliciter fiat res A, ut conſtat; quartum poteſt etiam contingere, quin res A fiat *ex directione* illius cognitionis: quia cum ſoleamus habere à Deo libertatem, non tantum ad faciendum, vel non faciendum rem A, ſed etiam ad faciendum *ex hoc*, vel *illo motivo*, ex hac, vel illa directione, poteſt homo actu cognoſcens modum, quo poteſt, ac debet fieri res A, illam facere hoc modo, quin faciat illam ex hoc motivo, aut directione, ſed ex alio, v. g. quia jubetur, vel quia illam tali modo facere conducit, aut eſt neceſſarium ad alium quemdam finem &c. quemadmodum actu cognoſcens paupertatem Petri, & actu ipſi ſuccurrens poteſt ſuccurrere illi ex alio penitus motivo, diſtincto ab ea paupertate, ac ſublevatione illius. Ergo nullum ex quinque illis prioribus eſt cauſalitas in actu ſecundo cauſæ exemplaris. Reſtat ergo, quod ſit ſextum, nimirum Complexum ex illa intentione efficace (ubi jam imbibitur actualis executio operis) & ex carentia omnis actus voluntatis repellentis exercitè, aut ſignatè directionem, ac motionem ex illa cognitione; quoniam eo ipſo, quod actu facias rem A, ex directione cognitionis dictantis quomodo fieri debeat res A, fit ex idæa, ſeu cauſa exemplari. Sed eo ipſo, quod facias illam cum ea cognitione, & non habeas actum ullum repellentem ullatenus motionem; ſeu directionem ex illa, facis rem A, ex directione illius cognitionis: quid enim aliud eſt facere rem A, ex directione illa? Ergo.

Finis Tertiæ Diſputationis.

Digitized by Google

DISPUTATIO IV.

DE *QUANDO*, SEU TEMPORE.

DE *UBI*, SEU LOCO.

TEmpus, quo vivimus, aut vivere poſſumus, quodque ad Prædicamentum *quando* ſpectat: item Locum, quem habemus, aut habere poſſumus, quique Prædicamentum *ubi* ſolet dici, explicare aggredior; quanquam nonnulla habeant ferè inintelligibilia. Adeò res ipſas naturales notiſſimas aſperſit Deus difficultatibus, quas vincere nequeamus, ut diſcamus hinc ſubmittere cervicem myſteriis, quæ revelare dignatus eſt. Conjungo autem hæc duo Prædicamenta, quia affinia ſunt, quoad multa, quæ eodem modo exponenda, probanda, atque defendenda ſunt; quia verò *ubi*, ſeu locus connotare ſolet *præſentiam*, & hanc per motum localem acquirimus, quæſtiones adjungam de præſentia, & motu locali: Et demum quæſtionem de Vacuo, quia eſt de loco vacuo.

CAPUT I.

Digitized by Google

CAPUT I. *Quid , & quotuplex ſit* quando , *ſive tempus*. num. 1.
CAPUT II. *An ſit poſſibilis Creatura ab æterno?* num. 23.
CAPUT III. *De* ubi , *ſeu loco*. num. 46.
CAPUT IV. *De compenetratione , ſeu concurſu Præſentiarum in eodem loco*. n. 82.
CAPUT V. *De Bilocatione , ſeu Præſentia ejuſdem Rei in locis diſtinctis*. n. 96.
CAPUT VI. *De motibus localibus in ſpecie. Ubi de levitate , gravitate , & impulſu*. num. 113.
CAPUT VII. *De vacuo*. num. 151.

CAPUT PRIMUM.

Quid , & quotuplex ſit quando , *ſive tempus*.

1. TEMPUS , ſeu *quando* ſtrictè ſumptum (& non
prout vulgò accipitur pro dominante qualita-
te in Atmoſphæra nobis vicina , aut pro majo-
re , vel minore Solis obliquitate) eſt juxta
Ariſtotelem . *Numerus motuum ſecundum prius,* 4. *Phyſic.*
& poſterius . Cum audias *numerum* intellige *c.* 10.
tempus ſimpliciter , & abſolutè dictum , eſſe rem finitam utrinque :
ideſt , rem , quæ principium habet , & finem . Unde 1. Vita præſens
eſt temporalis , quia aliquando incepit , & aliquando deſinet ; quam
autem futuram expectamus , aut timemus , non eſt temporalis , quia li-
cet habeat principium , finem non habebit , juxta ultimum articulum
Symboli . *Carnis reſurrectionem , & vitam æternam* . De unis quippe di-
ctum eſt , *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates* . De aliis verò . *Vermis eo-* *Daniel.* 12
rum non moritur , & ignis non extinguitur. Similiter æternitas à parte an- *Marc.* 9.
te , ſi conceſſa eſſet alicui creaturæ , ſicut æternitas à parte poſt conce-
denda eſt omnibus rationalibus , qui fuerunt , ſunt , & erunt , non fo-

ret tempus; quoniam licet ea non eſſet infinita verſus nos, unde non eſſet ſimpliciter, & undequaque infinita; eſſet tamen infinita à parte ante, quatenus nec mente creata, nec divina aſſignabile eſſet primum inſtans illius creaturæ, cujus exiſtentia propter hoc ipſum non tam eſſet infinita, quàm imprincipiata, ſicut linea infinita extenſa ab Ortu in Occaſum, verſus hunc tantum eſſet infinita; ſed non verſus Ortum Solis. Unde 2. Vita Divina non eſt temporalis, quia nec principium
Symbol. Nicæn. habuit, ut ſignanter de Verbo definit Concilium Nicænum (quia de illo ſignanter negabant Arriani) *Eos autem qui dicunt*. Erat aliquando quando non erat; & quia ex his, quæ non ſunt, factus eſt &c. *Anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia*. Nec habebit finem, quia
Pſal. 9. *Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi*. Et rurſus. *Re-*
Daniel. 3. *gnum ejus, Regnum ſempiternum*. Et demum. *Cujus regni non erit finis*.
In Symbolo Tum etiam, quia licet Deus coexiſtat tempori noſtro; at vita ſua non eſt ſucceſſiva ſicut noſtra, ſed ſimultanea; ita ut nunc, ab æterno, & in æternum (hæ diviſiones, ac ſucceſſiones alludunt ad nos, ſecus ad Deum ipſum) habeat ſibi præſentia quotquot fuerunt, ſunt, & erunt; quoniam licet hæc ſint ſucceſſiva inter ſe, unaque veniant poſt alia; at æternitas, & vita Dei non eſt ſucceſſiva pluſquam æquivalenter; verè autem, & realiter eſt ſimultanea; quod ex S. Thoma non incongrue explicatur, pro modulo noſtro, exemplo illius, qui firmus, & immobilis ex feneſtra intueretur numerum uno intuitu comprehenſibilem ab ipſo, hominum proceſſionaliter procedentium per viam. Hi haberent invicem ſucceſſionis ordinem, & uni non eſſent compræſentes aliis: ſed inſpector ille non haberet in ſe ipſo ſucceſſionem; imò neque reſpectu hominum illorum, ſed ſimul in eodem loco, & tempore haberet compræſentes pupillæ oculorum ſuorum omnes illos: & quos nos diceremus *tranſiiſſe*, & quos diceremus *præſentes*, & quos diceremus *jam jam venire*, ille præſentes haberet.

2. Dicitur in definitione *motuum*. Hi motus poſſunt eſſe purè locales, eo quia ſint præcisè productiones præſentiarum diſtinctarum, ut eſt motus Firmamenti ab Ortu in Occaſum, quorum motuum ſucceſſio eſt, quod vocatur *tempus extrinſecum*, ut jam dicam. Et poſſunt eſſe motus philoſophici, ſeu in ſenſu philoſophico: ideſt, actiones productivæ, vel conſervativæ rerum diſtinctarum à ſolis præſentiis. Cum enim Ariſtoteles ſemel, iterum, atque iterum dicat motum eſſe *actum*
3. Phyſic. c. 2. text. 6. & 16. & c. 3. text. 25. *entis in potentia, prout in potentia*. Item motum eſſe *actum ejus rei, quæ vim habet, ut moveatur, quatenus eam vim habet*. Item eſſe *actum ejus, quod agere, & pati poteſt quatenus tale eſt*, quibus verbis indicat, motum eſſe actionem illam, qua agens alterat paſſum, & qua paſſum alteratur ab agente, ſeu qua agens producit aliquid in paſſo, & qua paſſum ſuſcipit aliquid ab agente: hac de cauſa invaluit apud Philoſophos appellare hujuſmodi actiones *motum*. Et metaphora non eſt impropria; tametſi enim ſolus motus localis ſit ſimpliciter motus in phraſi latina; veruntamen cum in his frequentibus operationibus, per actionem agentis in paſſo tranſeat hoc à non habendo terminum illum, qui produci-

ducitur ad habendum illum: & agens quoque tranſeat, à non producendo, ad producendum illum, ſicut mobile tranſit per motum localem ab uno loco ad alium; producendo præſentiam ſui in eo alio loco, ut multi volunt: ideò non ſine fundamento actiones illæ dicuntur *motus*. Et hæc vox extenditur non ſolum ad primam actionem, qua ſimpliciter alteratur paſſum; ſed etiam ad ſubſequentes, quæ ſunt duratio, & conſervatio termini illius producti, quia conſervatio dici ſolet continuata productio. Imò extenditur illa vox ad ſignificandum productionem, & conſervationem animæ rationalis, quæ productio, & conſervatio, cum non ſit eſſentialiter alligata corpori, quippe quæ eſt creatio, non eſt ſimpliciter *actus ejus rei, quæ vim habet, ut moveatur*. Igitur motus illi ſucceſſivi, in quorum numero ſtat tempus, non tantum ſunt motus illi cœlorum locales; verum etiam productiones ſucceſſivæ continuatæ rerum: & non ſolum productiones, quæ ſunt eductio, ſive generatio, ſed etiam, quæ ſunt creatio. Ratio autem à priori eſt, quia ita vulgò loquuntur Philoſophi,& cum omnibus loquendum, ſicut cum paucis ſentiendum.

3. Dicitur demum *ſecundum prius, & poſterius*, quia cum motus illi, quibus tempus conſtat, ſive ſint locales, ſive ſint actiones productivæ, aut conſervativæ rerum, ſint menſura ad taxandum majorem, aut minorem rerum durationem: neceſſe eſt, quod faciant ſpatium, ſive longitudinem temporis. At ſi omnes forent in uno eodemque momento, non facerent ſpatium, ſive longitudinem temporis, quemadmodum puncta quantitatis non facerent extenſionem localem, ſi omnia eſſent in eodem penitus puncto loci. Ergo neceſſe eſt, quod motus, quibus conſtat tempus, non ſint in eodem momento, & ſimul. Ergo debent eſſe uni poſt alios, quod tempus, ſicut puncta quantitatis, ſunt una poſt alia, quoad locum. Profectò in hoc eodem inſtanti A, ſunt innumeri motus ex eis, qui faciunt tempus, nimirum durationes, ſive conſervativę actiones omnium prorſus creaturarum, quę ſunt nunc. Et tamen in unico inſtanti non datur tempus, ſed particula temporis, Ergo ad rationem temporis non ſufficit, quod dentur multi motus; ſed neceſſe eſt, quod illi ſint ſucceſſivi, uni poſt alios, & conſequenter, quod ſint ſecundum prius, & poſterius. Neque ſolum hoc ſufficit. Sed opus eſt, quod hi motus ſint *eſſentialiter* ſucceſſivi, & uni poſt alios, ita ut nec divinitus poſſit duratio, (quæ vocatur craſtina; v. g. A, coexiſtere durationi, quæ dicitur hodierna, v. g. B, quoniam licet multæ durationes diverſarum entitatum poſſint ſimul exiſtere, ut modo coexiſtunt durationes omnium entitatum, quæ nunc ſunt in mundo: item, & multæ durationes entitatis ejuſdem, ſi eadem entitas poteſt produci ſimul per geminam actionem totalem. Aſt durationes, quæ ſemel ſunt ſucceſſivæ, eſſentialiter habent eſſe ſucceſſivas, & eſſentialiter ſunt impotentes exiſtere ſimul adhuc per reflexam durationem, ut dicam num. 11. ſicut duæ quæcunque alię res eſſentialiter oppoſitæ, nec divinitus poſſunt coexiſtere adhuc per ſuperadditum reflexum quidquam.

Probo

4. Probo hanc minorem ; quemadmodum neceſſe eſt concedere rem, quæ ex ſua eſſentia eſt rationalis, atque impotens ex ſua eſſentia ut ſit irrationalis. Item concedere rem, quæ ex ſua eſſentia eſt irrationalis, atque impotens ut ſit rationalis, & ſimiliter de alijs, quin hoc ſit contra potentiam, altumque Dominium Dei. Ita concedere oportet creaturas, non ſanè omnes, ſed multas, quæ ſint eſſentialiter ſucceſſivæ, quin una poſſit adhuc divinitùs eſſe ante, aut eſſe poſt; ſed ex ſua eſſentia habeat, ut, ſi ſit, talis determinata menſura, aut pars temporis ſit, & neque prior, neque poſterior, quin hoc ſit contra potentiam Dei, quamvis verè eſſet, ſi fingeretur in creaturis alius ſpeciei, aut generis. Et tales dico durationes, idest motus illos, quibus tempus conſtat : quia nulla, quæ eſſentialiter diſtant temporaliter, poſſunt adhuc divinitus exiſtere ſimul in eodem tempore : eſſentiæ quippè rerum non ſunt variabiles ſine contradictione. At duratio hodierna, & duratio craſtina ſunt eſſentialiter diſtantes temporaliter. Probatur. Omnia, quæ ſunt rationes unicæ, ac formales diſtandi temporaliter, eſſentialiter habent diſtare temporaliter ; quoniam ſi hæc quoque forent indifferentes ad diſtandum, vel non diſtandum temporaliter, oporteret recurrere ad aliud ultra rationes formales diſtandi, ad hoc ut rationes hæ formales diſtarent. Et de illo alio fieret idem argumentum: unde abire deberemus in infinitum reflexarum rationum diſtandi temporaliter, vel ſiſtendum in aliquo eſſentialiter diſtante temporaliter.

5. At durationes, hodierna, & craſtina, ſive motus, quibus conſtat ſpatium temporis complectens hos duos dies, ſunt rationes formales diſtandi temporaliter. Nam cum de re exiſtente hodie, uſque ad horam ſolùm octavam v. g. & de incipiente cras ab hora octava v. g. verificetur diſtare temporaliter per ſpatium 24. horarum : & ex alia parte res illę ſint per ſe indifferentes, ut diſtent, vel non diſtent temporaliter, quia poterant exiſtere in eodem tempore, oportet aſſignare aliquid, quo formaliter immediatè tollatur hæc indifferentia, & quo formaliter immediatè diſtent. Hoc aliquid non poteſt eſſe, niſi durationes ipſę hodierna, & craſtina. Decretum quippe divinum, non eſt ratio formaliter conſtitutiva rerum in eſſe talium, ſed cauſa exequtiva in ſuo genere rationum earum formalium, v. g. decretum producendi rem, non eſt productio formalis, & immediata, decretum uniendi non eſt unio formalis immediata, decretum calefaciendi, non eſt calor formalis immediatus &c. Ergo durationes, hodierna, & craſtina, ſunt eſſentialiter diſtantes temporaliter. Sed hæ durationes ſunt motus illi, quibus componitur tempus intrinſecum, ut mox dicam, ergo hi motus non ſolum debent eſſe uni poſt alium, & ſucceſſivi, ſed eſſentialiter ſucceſſivi.

6. Hinc 1. tempus bene apprehenditur pro hoc ſtatu vitæ mortalis inſtar catenæ modo longioris, modo brevioris, cujus annuli, vel aliquando exiſtentes (& tunc eſt tempus reale) vel purè poſſibiles (& tunc eſt tempus imaginarium) ſunt ex ſua eſſentia uni poſt alios, ita ut nullus

poſſit

poſſit adhuc divinitus anticipari, aut poſticipari. Sicut enim in aliis rebus, ut dixi, ſunt unæ, quæ ex ſua eſſentia habent eſſe rationales, alię, quæ ex ſua eſſentia habent non eſſe rationales, ita ut nec divinitur poſſint illæ eſſe irrationales, aut hę eſſe rationales; quia hoc enervet, aut mutilet Omnipotentiam divinam: ita non eſt contra eam, quod unę entitates ſint ex ſua eſſentia tranſeuntes, ita ut ipſæ (ſecus aliæ) nec divinitus poſſint aliter exiſtere; qui autem plures adipiſcitur annulos catenæ hujus, ideſt qui pluribus fruitur durationibus ſic ſucceſſivis, plus vitæ habet; minus autem, qui paucioribus. Cumque per multos annos coexiſtere ſoleant multæ entitates, fit, quod tempus unarum, non eſt ſucceſſivum reſpectu temporis aliarum, ſed unæ partes temporis Petri v. g. ſunt ſucceſſivæ ad alias partes temporis Petri ejuſdem, & etiam ad alias temporis Joannis, v. g. hodiernum tempus Petri eſt motus ſucceſſivus ad heſternum Joannis; & quamvis hodiernum Petri non habeat ex ſua eſſentia coexiſtere abſolutè hodierno Joannis, aut vice verſa; habent tamen ex ſua eſſentia ambo coexiſtere *ſi ſemel coexiſtant*.

7. Hinc 2. Sicut his motibus, quibus conſtat tempus eſt eſſentialis ſucceſſio temporalis, eo quod ſint rationes formales, & immediatè diſtandi temporaliter: ita præſentijs, quibus conſtat locus, eſt eſſentialis ſucceſſio localis: eo quia ſunt rationes formales, & immediatæ diſtandi localiter, ut infra dicam. 3. Ne arguas tempus eſſe Chymeram aliquam, eo quia conſtet conſtitutivis eſſentialiter oppoſitis, & inconjungibilibus, & quia numquam poſſit adhuc divinitus exiſtere, niſi ſecundum unicam ſui particulam, quæ profectò non eſt tempus, cum non ſit numerus motuum. Ut enim adverti in Prodromo diſp. 6. à num 1. cum non omnia ſint ejuſdem naturæ, capacitas exiſtendi, non eſt definienda per eamdem regulam. Sed inſpiciendum, poſſit nec ne res exiſtere *modo ſuæ naturæ proportionato*. Si hoc modo poſſit exiſtere, res eſt poſſibilis, quamvis non poſſit exiſtere modo ſuæ naturæ improportionato, qui tamen alijs rebus proportionatus ſit. Si autem modo ſuæ naturæ proportionato, non poſſit exiſtere adhuc divinitus, tunc eſt impoſſibilis. At chymæra non poteſt exiſtere, modo ſuæ naturæ proportionato, quia hic ſtat in *in ſimultate* duplicis contradictorii, quæ ſimultas nec divinitus poteſt dari. Tota autem ſucceſſiva, quamvis nequeant exiſtere modo, quo exiſtunt tota permanentia, nempe quoad omnes partes ſimul; poſſunt tamen exiſtere modo ſuæ naturæ proportionato, quia hic modus ſtat in eo, quod unæ ſuæ partes poſſint exiſtere ante, & aliæ poſt. Et hoc modo poſſunt exiſtere, paſſimque exiſtunt. Ut patet in mutatione entis naturalis, in juſtificatione peccatoris, in prioritate unius diei ad alium, quæ omnia ſunt tota ſucceſſiva. Ergo quamvis hæc nec divinitus poſſint exiſtere eo modo, quo exiſtunt tota permanentia, poſſunt tamen ſimpliciter exiſtere, & ſunt ſimpliciter poſſibilia. Atqui tempus ex ſua natura, & definitione eſt totum quoddam ſucceſſivum, numerus ſcilicet motuum ſecundum prius, & poſterius. Ergo. Quod ſi dixeris, etiam chymæram poſſe exiſtere hoc modo, qua-

tenus

tenus videlicet unum contradictorium exiſtat ante, & alterum poſt; jam vides iſtum non eſſe modum proportionatum chymæræ, quia iſtud non eſt *ſimultas* duplicis contradictorii, in qua ſimultate ſtat natura chymeræ. 4. Ex eo quod puncta componentia extenſionem quantitatis poſſint divinitus compenetrari, non ſequitur durationes, inſtantia, puncta componentia tempus, poſſe quoque divinitus compenetrari temporaliter: quoniam illa non ſunt rationes formales, & immediatæ diſtandi localiter; ſed res phyſicè dumtaxat connexæ cum præſentiis ſeparatis illorum punctorum, in quibus ſolis pręſentiis ſtat ratio immediata, & formalis diſtandi localiter. Durationes autem, ſive inſtantia, ſive puncta temporis, ſunt rationes formales, & immediatæ diſtandi temporaliter: aliquę enim debent aſſignari, & aliæ non ſunt aſſignabiles juxta diſcurſum factum ſupra. Ergo eſt diſparitas inter puncta quantitatis, & puncta temporis.

8. Jam tempus aliud eſt extrinſecum: aliud intrinſecum. Tempus extrinſecum eſt illud, quo utimur tamquam regulà, ac menſurà ad dignoſcendum plures, aut pauciores durationes rerum: cumque horologiorum motibus ſoleamus uti ad hoc dignoſcendum, v. g. durationem ſtudii, durationem orationis &c. ideò motus illi horologii poſſunt dici tempus. Sed ſunt tempus partiale, ac particulare. Tempus autem extrinſecum univerſale, atque ſtabile eſt illud, quod cum ſit commune omnibus hominibus, idoneum eſt, ut per illud taxemus, ac definiamus majores, aut minores rerum durationes. Cumque tales ſint motus Cœlorum, non quidem omnium, ob irregularitatem, quam habent, ſed primi mobilis, ſi forte datur: aut ſi non datur (ut probabilius reor in Phyſica naturali diſp. 4.) cum tales ſint motus Cœli, ubi ſunt ſtellæ fixæ: ideò motus illi, ſeu revolutiones firmamenti ſtellati, ſunt abſolutè, ac reſpectu omnium, tempus extrinſecum. Et quidem unicum, quia non datur niſi unica ſucceſſiva, & continua revolutio Firmamenti. Et entitates, quæ pluribus revolutionibus firmamenti coexiſtunt, dicimus plus durare, & minus durare, quę paucioribus coexiſtunt. Et Angelus
Apocal. 10 ille terribilis *qui levavit manum ſuam ad Cœlum, & juravit per viventem in ſæcula ſæculorum &c. quia tempus non erit amplius* cum loquatur in ſenſu litterali de *tempore* ipſo, & non de *libertate* ad agendum pœnitentiam; & rurſus non de tempore intrinſeco, ſtante in durationibus ſucceſſivis, cum conſtet nos duraturos in ęternum poſt reſurrectionem: videtur juraſſe ceſſaturas circumvolutiones firmamenti. Et quamvis poſſemus non uti motibus cœlorum ad dignoſcendum durationes rerum, ſubſiſteret illos eſſe tempus, quoniam eſſent numerus motuum ſecundum prius ac poſterius, quamvis non eſſent tempus, quoad actualem uſum; quod mirum non eſt, quia eſſentia temporis non ſtat in eo, quod utamur illo, tamquam menſura durationum, ſed in eo, quod propter ſuam ſtabilitatem, univerſalitatem, nec non regularitatem in ipſa irregularitate, idoneum ſit, ut illo utamur.

9. Tempus intrinſecum eſt numerus durationum, ſive continuatarum actionum ſucceſſivarum, quibus res durant, & conſervantur. Unde

tempus

Digitized by Google

tempus intrinſecum non eſt unicum à parte rei, ſicut extrinſecum; ſed multiplex, & tempus intrinſecum meum non eſt tempus intrinſecum tuum; tot enim dantur tempora intrinſeca,quot ſunt entitates permanentes, quia unicuique reſpondet ſua ſeries actionum, quibus durat conſervaturque à ſuis cauſis; quando figuratè loquentes dicimus; tempus docuit: tempus te docebit &c. ſenſus eſt. *Res quæ in ſeriebus priorum durationum hominum evenerunt, aut quæ in ſeriebus durationum futurarum evenient,docuerunt, docebunt &c.* Igitur prædictus numerus eſt tempus,quia eſt numerus motuum; ſive actionum ſucceſſivarum: eſt intrinſecum, quia terminat intimam connexionem rei durantis: unaquæque enim, ut pote creatura,intimè connectitur in qualibet hypotheſi cum aliqua ſua actione productiva,& non ita cum motibus firmamenti,niſi ex hypotheſi quod talem habeat humorum, & aliarum qualitatum complexionem. Hæ durationes habent ex ſua eſſentia coexiſtere motibus Cœli in ſenſu dicto num. 6. Nimirum duratio A,quæ coexiſtit motui A,eſſentialiter coexiſtit illi, quia ille motus A, cum ſit productio præſentiæ A, partis A, cœli: & hæc præſentia individua poſſit durare, ſi ibi pars illa Cœli quieſceret,ut quieſcere poterat,inde fit,quod motus ille individuus eſt duratio præſentiæ illius partis A Cœli: ſeu eſt capax conſtituendi ſeriem durationum illius individuæ præſentiæ. Duratio verò, quæ eſt ante,vel poſt motum A ,nunquam poteſt illi coexiſtere. Ex hac diviſione naſcitur alia. Cum enim tempus conſtet motibus, durationibus, ſeu inſtantibus (hę tres voces ſignificant idem) & tempus ſit extrinſecum aut intrinſecum: hac de cauſa durationes, ſive inſtantia, ſive momenta, ſive particulę temporis, alia ſunt extrinſeca, nimirum illa,quibus conſtat jugis circumvolutio firmamenti. Alia ſunt intrinſeca, videlicet catena illa ſucceſſivarum actionum, quibus conſtat tota vita hominis v. g. Plerumque tamen (ſed non ſemper) quando loquimur de inſtanti B. &c. loquimur de inſtantibus extrinſecis componentibus tempus extrinſecum, utpote magis notis. Interdum verò frequentes illę locutiones. *Nunc. de præſenti. in hoc inſtanti. Modo.* Et ſimiles ſignificant collectionem omnium individuarum durationum, quę ſunt in mundo,quando concipitur,aut profertur illa propoſitio. v. g. Nunc, de præſenti, in hoc inſtanti Petrus currit: ſolet ſignificare curſum Petri coexiſtere cunctis durationibus,quę tunc ſunt. Neque refert quod ſint jam diverſę durationes quando abſolvitur propoſitio,ab eis, cum quibus incępit, ob majorem velocitatem tranſeuntium durationum, quam intellectûs propoſitionem concipientis. Non refert, quia ſunt eadem moraliter, & juxta humanum modum loquendi.

10. Ambo tempora dividuntur in æuum, ætatem, ſive ſæculum (quæ verba ſolent ſignificare ad libitum centum annos) & in annum, menſem, hebdomadam, diem, horam, minutum. Hæc autem membra dividentia non differunt niſi ſecundum magis, & minus. Rurſus tempus aliud eſt reale; aliud imaginarium. Tempus reale non eſt illud,quod dumtaxat eſt poſſibile, ſed quod inſuper exiſtit modo ſuæ naturę proportionato, ideſt, cujus particulę verè ex parte rerum ſibi ſuccedunt, &

Nnn ſunt

ſunt unæ poſt alias. Tempus imaginarium non eſt tempus chymericum, ſed illud, quod poteſt exiſtere, aſt *non exiſtit*; v.g. plures anni hominis illius, qui nunc moritur, necnon anni anteriores illius infantis, qui nunc naſcitur. Utrique ſanè ſunt poſſibiles, aſt neutri ſunt, fuerunt, aut erunt adhuc proportionatè ad ſuam naturam. Utrique ergò ſunt tempus imaginarium. Similem explicationem dabo infrà ſimilis diviſionis loci.

§. II.

11. His poſitis, ſeptem occurrunt quæſtiones ſuper tempore, & inſtanti, præſertim intrinſeco, ideſt, ſuper duratione. Prima eſt: *An duratio diſtinguatur à re durante*. Solvi hanc rem in Prodromo diſp.7. cap.2. Connotationem autem temporis extrinſeci, ad quam multi confugiunt, arcebis ratione ſępè data contra Connotatores. Secunda eſt: *An una duratio, craſtina v.g., poſſit poni à Deo hodiè per reflexam ſaltem aliam durationem?* Tetigi hanc ſuprà n.3., & amplius conſtabit pars negativa, quandò dicam, unam præſentiam non poſſe alibi poni per reflexam aliam pręſentiam. Probatur modo. Reflexa illa duratio hodierna, utpotè exiſtens antè craſtinam, eſſentialiter haberet exiſtere antè illam ob rationem generalem datam n.4. Ergò eſſentialiter haberet diſtare ab illa ſpecificativè, ac ſecundùm ſe præcisè ſumpta. Deinde, utpote duratio illius, eſſentialiter haberet non diſtare ab illa ſpecificativè, ac ſecundùm ſe ſumpta, quia eſſet duratio illius ſic ſumptæ. Ergò eſſet impoſſibilis. Neque valet effugium ſolemne, *ab illa, ut exiſtente hodiè, ut exiſtente cras*. Nam iſtud *hodiè*, *cras* vel ſignificant tempus extrinſecum, vel intrinſecum. Si primum, eſto quod deficiat omne tempus extrinſecum, vel ſaltem præſcindamus ab illo. Ad quodnam *hodiè*, & *cras* confugiemus? Si ſecundum, cùm *hodiè intrinſecum* ſit duratio A. v.g. & *cras intrinſecum* ſit duratio B. reduplicatio iſta nil entitatis, ac realitatis addit ſupra ipſas durationes ſpecificativè, ac ſecundùm ſe. Redit igitur argumentum prius factum. Neque rurſus valet paritas divinæ Æternitatis, quæ exiſtens hodiè, habet ex ſua eſſentia diſtare temporaliter à duratione craſtina Solis, cum cujus poſſibilitate, & eſſentia intimè connectitur: ut exiſtens autem cras habet ex ſua eſſentia non diſtare temporaliter ab ea duratione. Non, inquàm, valet, tum quia in Deo, & reſpectu Dei non eſt heri, hodie, aut cras; ſed unica ſimplex duratio, ſive æternitas, ut explicui n.1., quæ ſimul ex parte ſui eſt præſens omnibus inter ſe ſucceſſivis durationibus, eo quaſi modo, quo punctum centricum reſpondet cunctis lineis, licèt inter ſe ſucceſſivis, & per ſpatia oppoſita tendentibus. Atqui duratio illa reflexa, qua ponitur duraturam hodiè durationem craſtinam, non poteſt fungi hac indiviſibilitate reſpondente ſimul durationibus eſſentialiter ſucceſſivis, quia ipſa, utpotè duratio, etiam debet eſſe ſucceſſiva,

quia

quia debet eſſe ratio formalis, & immediata diſtandi temporaliter. Ergò. Tum quia de iſtis *hodiè*, & *cras*, quæ appingis Æternitati, dico idem quod nuper. Vel ſignificant tempus extrinſecum, vel intrinſecum Dei. Hoc eſt falſum, quia Deus non eſt capax temporis intrinſeci, quia non eſt capax habendi numerum moruum. Si illud, eſto quod ceſſet omne tempus extrinſecum, quid utilitatis importabunt tunc iſtæ reduplicationes? Denique Æternitas divina non eſt per ſe abſolutè connexa cum indiſtantia temporali à duratione craſtina, ſed ſolùm ex hypotheſi, quod exiſtat hæc, à qua tamen hypotheſi præſcindit. Duratio verò reflexa eſſet per ſe abſolutè connexa cum iſta duratione craſtina, ſicut quævis alia duratio connectitur cum re durante.

12. Jam ratio eſt. Nil eſſentialiter diſtans ab alio temporaliter, poteſt aut per ſe, aut per aliquid extrinſecum indiſtare temporaliter ab illo. Sicut nil, quod eſſentialiter eſt non rationale, poteſt aut per ſe, aut per aliud extrinſecum eſſe rationale. At omnis craſtina duratio eſſentialiter habet diſtare temporaliter ab hodierna, eo quod ſint eſſentialiter ſucceſſivę, ut dixi, necnon rationes formales, & immediatæ diſtandi temporaliter. Ergò nulla craſtina duratio poteſt indiſtare temporaliter ab hodierna. Sed, ſi duraret hodiè per reflexam durationem, indiſtaret temporaliter ab hodiè, ſeu a duratione hodierna. Ergò. Quod ſi dixeris durationem hodiernam, & craſtinam habere quidem ex ſua eſſentia non eſſe ſimul *per ſuam eſſentiam*; aſt non habere ex ſua eſſentia, quod per aliquid extrinſecum non ſint ſimul, tantundem eſſet ac dicere: Hanc cartam habere ex ſua eſſentia, quod per ſuam eſſentiam non ſit animal rationale; ſed non habere ex ſua eſſentia, quod per aliquid extrinſecum non ſit animal rationale. Non vides implicationem in terminis? Iſta diſtinctio valet, quandò ſermo eſt de prædicato contingenter verificabili de ſubjecto. v.g. Homo habet ex ſua eſſentia, quod per ſuam eſſentiam non ſit albus; ſed non habet ex ſua eſſentia, quod per aliquam formam extrinſecam non ſit albus. Id eſt verum. Cęterùm quandò ſermo eſt de prædicato, cui ſubjectum eſſentialiter repugnat; neque per ſuam eſſentiam, neque per aliud quidquam poteſt convenire ſubjecto, ut dicebam de animali rationali reſpectu hujus cartæ. At indiſtantia temporalis eſſentialiter repugnat durationibus eſſentialiter ſucceſſivis, ſicut animalitas rationalis eſſentialiter repugnat animali non rationali. Ergò.

13. Tertia quæſtio eſt. Poſito quod duratio diſtinguatur à re abſoluta durante, *quid eſt phyſicè, in quo ſtat phyſicè, atque ex parte rerum?* Reſpondeo, tametſi Æternitas Verbi, atque Spiritus Sancti non conſiſtat in productionibus eorum, eò quia omnes Divinæ Perſonæ ſunt æternum quid per eamdem formalem æternitatem, ſicut immenſum quid, & Omnipotens per eamdem immenſitatem, & omnipotentiam. Et inſuper, quia divinæ productiones nequeunt eſſe ſucceſſivæ, ac tranſeuntes, ſicut creatæ. Veruntamen durationes creatæ conſiſtunt immediatè, ac formaliter in ſerie, ſeu catena actionum productivarum, quam ſuprà explicui. (Una quippe ſola productio non eſt ſtrictè lo-

quendo duratio) cumque productio omnis creata ſit creatio, vel eductio: & creatio ſit actio non unita per ſe ſubjecto præſuppoſito, & in hoc ſolo ſenſu ſit productio rei *ex nihilo*, ideſt, nulli præſuppoſito ſubjecto unita, ſed ſoli ſuo termino; eductio verò ſit actio eſſentialiter unita ſubjecto alicui præſuppoſito, & in hoc ſolo ſenſu ſit productio *ex aliquo*, ideſt, alicui præſuppoſito unita: indè fit, quod duratio rei productæ per eductionem, non ſit in ipſa re, ſed in ſubjecto illo, ex quo educi dicitur; duratio autem rerum, quæ creatione producuntur, non ſit in præſuppoſito ſubjecto, nec ab eo pendeat, ſed ſit in ipſa re, quæ creatur; v.g. in anima ipſa rationali, non quidem tamquam in ſubjecto præſuppoſito, ſed tamquam in termino per ipſam producto. Rurſus cum ambæ productiones ſint modus, ut ſuprà dictum: creatio eſt modus intrinſecus ſuo termino; eductio modus huic extrinſecus, eò quia illi non unitur, quamvis illius terminet intimam connexionem; intrinſecus verò ſubjecto eductionis, eò quia illi intimè unitur: idcircò duratio eſt modus rei durantis, licèt æquivocè. Probo igitur reſponſionem. Omnis conſervatio formalis, immediata, & poſitiva eſt continuata productio, quia alii modi conſervandi, v.g. defendere rem à contrario, non perdere, aut corrumpere illam &c. non ſunt immediata, & formalis *poſitiva* conſervatio, ſed *negativa*, aut remota, aut virtualis, aut indirecta, aut ſimilis alia. Sed omnis formalis, immediata, & poſitiva duratio, poſito quòd ſit diſtincta à re durante, eſt formalis immediata, & poſitiva conſervatio illius: quia quid eſt ex parte rerum, rem durare, niſi rem conſervari in ſuo eſſe exiſtentiali. Ergò. Et ſanè poſito, durationem diſtingui à re durante, cedo aliud à continuata productione, in quo rationabilius ponatur ſucceſſiva duratio.

14. Explicatur. Lucem ſparſam à Sole per Emiſphærium durare, atque conſervari *per Solem*, non ſtat in eo præciſè, quod ſemel produxerit illam, & poſtea nil aliud præſtet, quàm arcere hoſtem, & ſic defendere illam, nè pereat. Lux enim non habet contrarium, quia tenebræ non ſunt contrarium, ſed contradictorium illius. Stat itaque in eo, quod, & novis, & novis actionibus illam producat, & hæc non interrupta productionum ſeries eſt conſervatio ex parte Solis, & duratio ex parte lucis. Si enim exponas Soli rem, quæ prius non erat expoſita, illicò producet lucem in illa: & ſi aliam, protinùs etiam producet lucem eamdem individuam in illa. Idem facit in aere. Continuè producit, & producit lucem eamdem individuam (eſt enim lux qualitas permanens) in ipſo, jam majorem, jam minorem, juxtà alia præ-requiſita, non tamen experitur oculus illam novam productionem, ſicut experitur in objecto de repente expoſito Soli: quia in aere non contingit mutatio illa perceptibilis per oculum, à non lucido ad lucidum, quæ contingit in objecto jam expoſito, jam non expoſito Soli. Similiter flumina non durant, conſervanturve à Mari præciſè, quia hoc ſemel emiſerit illa; ſed quia jugi ſucceſſivo tenore influit, & influit in foſſas ſubterraneas, & ſuperterraneas. Quod de aqua fluminum, & de aeris

luce

luce, idem dico de cęteris omnibus creaturis. Hæ durant, & conſervantur à ſuis cauſis, & plerumque a ſolo Deo (nempè quandò non ſit alia proportionata) non præcisè, quatenus Deus, v.g. defendat illas à contrariis, aut quatenùs præcisè non perdat illas, quia hæc eſt conſervatio merè *negativa*; ſed quatenus continuè ſine interruptione producit, & producit, & producit eaſdem illas novis actionibus, quarum unæ veniunt poſt alias, & omnes hæ tranſeuntes actiones, quandò ſunt merè poſſibiles, vocantur tempus, ſive inſtantia imaginaria; quandò autem verè exiſtunt, vocantur inſtantia intrinſeca realia, tempus intrinſecum, ſeu particulæ temporis hujus, item durationes. Et in hoc ſenſu intelligitur, Creaturas omnes pendere à Deo, non ſolùm in fieri, ſeu in ſuo produci; verùm etiam in ſuo *durare*, atque *conſervari*, quoniam conſervari, & durare nil eſt aliud, quàm novâ, & novâ, hoc eſt diſtinctâ, & diſtinctâ productione produci à Deo, cujus infinitam virtutem exhauriri, aut fatigari tot, & tot continuis actionibus, nè timeas. Nec enim virtus Solis exhauritur continuis lucis effluviis, nec terra fatigatur novis, & novis, & ſemper novis impulſibus ipſam quatientibus. In hoc etiam ſenſu dixit Auguſtinus: *Non ſanè Creatoris deſiſtente bonitate, & malis Angelis ſubminiſtrare* (hæc vox ſatis indicat influxum, *S. Aug. in Enchir. 27*
actionemque poſitivam non interruptam) *vitam, vivacemque potentiam, quæ ſubminiſtratio, ſi auferatur, interibunt &c.*

15. Neque dicas, imperfectum fore Architectum, qui fabricaret domum collapſuram, ubi primùm Architectus non firmaret illam propria manu, ita ut ille deberet continuè tenere manu domum, nè rueret. Et conſequenter Deum non fore bonum Architectum, ſi condat hanc, v.g. mundanam fabricam, & continuis, & continuis, & ſibi ſuccedentibus actionibus illam producat, alioquin tota redigeretur in nihilum. Etenim in Artifice creato iſta eſſet miſeria, tum propter aſſiduum laborem ſuſtentandi domum inſtar fulcri: renovaretur quippè in illo fabula Promethei affixi rupi; tum propter ignorantiam, vel malitiam in omiſſione fundamentorum, & aliorum fulcrorum, quæ ex natura rei ſufficiunt, ac requiruntur, ut domus ſtet. Cęterum cum Deus nec minimùm fatigetur continuâ manutentione ſingularum craturarum (ſicut nec virtus noſtra fatigatur, aut atteritur continuâ diffuſione quaquaverſum ſpecierum viſioni inſervientium) *Quis appendet tribus digitis molem terræ?* nempe, niſi ſolus Deus: neque hæc manutentio ſit *Iſa. 40.*
illi moleſta, nam *lætatur Dominus in operibus ſuis*, ut dicit David in *Pſal. 103.*
Pſalmo compoſito ſuper operibus Dei. Et filius ſuus loquens nomine Sapientiæ æternæ fabricantis hanc totam mundanam machinam: *Cum* *Prov. 8.*
eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens &c. Rurſus cum indigentia, quam ſingulæ Creaturæ habent illius jugis influxus divini poſitivi, non naſcatur ex ignorantia, aut malitia, ſed ex intimis ipſis viſceribus, atque eſſentia ſingularum Creaturarum, quæ ex ſuamet eſſentia pendent à Deo in fieri, & in conſervari: ideò eſt diſparitas inter Deum, & Artificem iſtum creatum, qui deberet manu ſemper tenere fabricam, nè rueret. Nec exemplum deficit in rebus ipſis humanis.

Titu-

Titulus *Majeſtatis*, qui Reges commendat, probro eſſet, irriſioni, ac dedecori homini privato, nempe quia dedecori vertitur exceſſiva elevatio ſupra propriam conditionem, & ſtatum. Artefactum eſſentialiter pendere, quoad ſuam durationem à non interrupto influxu poſitivo artificis, ſuperat longè hujus conditionem, non autem excellentiam cauſæ primæ. Ergo licet deprimat illum, extollit hanc. Ex huc uſque dictis infertur. 1. ſcholas noſtras jure præventas eſſe, ne admittant illam propoſitionem. *Modi, vel accidentia in aliquo ſubjecto ſemel producta, non amplius indigent actione poſitiva cujuſquam cauſæ ipſam conſervantis; ſed tandiu durare debent, donec poſitiva actione cauſa externa deſtruantur.* 2. in ſingulis inſtantibus, ſive extrinſecis, ſive intrinſecis annihilari omninò innumeras creaturas, nimirum innumeras actiones creativas Angelorum, animarum rationalium, & materiarum primarum. Nam omne quod deſinit, & non in ſubjectum ſuum præſuppoſitum, & conſequenter in nullum, & conſequenter in nihil, annihilatur. Sed in ſingulis inſtantibus noſtris deſinunt earum rerum unæ productiones, ſuccedentibus aliis, eo quod utręque ſint, animæ v. g. durationes, ſeu particulæ, ſeu motus, quibus coſtat tempus intrinſecum animæ; & hę productiones, quippe quæ ſunt creationes, non deſinunt in aliquod ſuum pręſuppoſitum ſubjectum, quia nullum habent: Ergo annihilantur, ſicut etiam de facto annihilatur in Euchariſtia materia panis, & vini juxta aliquorum ſententiam, quam nullâ cenſurâ dignam cenſet P. Suarez, quamvis communiter cenſeatur oppoſitum poſt S. Thomam.

P. Suarez diſp. 50. de Sacramen. ſect. 7.

16. Quæſtio quarta eſt. *An creatura poſſit exiſtere abſoluta ab omni tempore?* Facilis eſt ex dictis reſponſio. Poteſt res exiſtere abſque tempore extrinſeco: Omne namque potens exiſtere, abſque menſura hominibus perceptibili ſuarum durationum, poteſt exiſtere abſque tempore extrinſeco, quia in ea menſura præſertim ſtabili, atque univerſali, quales ſunt circumvolutiones Firmamenti, ſtat tempus extrinſecum. At licet aliquæ creaturæ nequeant exiſtere ſine prædicta menſura, v. g. judicia fidei ſupernaturalis de illius exiſtentia, pleræque tamen poſſunt exiſtere ſine illa; quod enim abſurdum invincibile Omnipotentiæ divinæ ſequeretur ex eo, quod omnes homines, Angeli, & res ſimiles exiſterent, quin Firmamentum circumvolueretur, & quin eſſent horologia, aliæve menſuræ, quibus deprehenderemus multitudinem, aut parvitatem tranſeuntium durationum? Poteſt inſuper exiſtere abſque tempore intrinſeco; quia omne exiſtens abſque numero motuum intrinſecorum, hoc eſt, abſque numero durationum poteſt exiſtere, abſque tempore intrinſeco, quia una hirundo non facit ver, & multo minus una duratio facit numerum durationum. At multæ creaturæ poſſunt exiſtere, abſque illo numero motuum; quia poſſunt exiſtere per unicum inſtans, ita ut immediatè poſtea deſinant eſſe. Ergo poſſunt exiſtere, abſque tempore ſtrictiſſimè ſumpto. Abſolutè tamen, & ſimpliciter, nulla creatura poteſt exiſtere aliquandiu, abſoluta penitus ab omni tempore intrinſeco, ideſt, ſine ullo tempore in-

intrinſeco; quia nil impotens exiuere abſque aliquibus ſuis productionibus poteſt exiſtere abſolutum ab omni penitus tempore intrinſeco; quia in ſerie harum productionum continuatarum ſtat tempus intrinſecum, ut paulò ante dicebam. Sed omnis creatura eſt impotens exiſtere aliquandiu, abſque aliquibus ſuis productionibus, ſiquidem omnis illa eſt ens ab alio. Ergo nulla creatura poteſt aliquandiu exiſtere abſoluta ab omni tempore intrinſeco; quod ſi finxeris actionem quandam productivam creatam, quæ cum omninò ſimplex ſit, reſpondeat multis ſucceſſivis durationibus noſtris: & dicas rem ſic productam exiſtere poſſe per multum tempus noſtrum abſolutum ab omni tempore intrinſeco ſuo. Reſpondeo. Vel iſta ſimplex, & unica productio reſponderet ex ſua eſſentia omnibus inſtantibus noſtris poſſibilibus. Vel aliquibus tantum. Si primum, iſta eſſet æternitas divina, haberetque per ſuam eſſentiam ſemper ab æterno, & in æternum exiſtere; quod repugnat creaturæ. Si ſecundum, iſta productio foret æquivalenter numerus motuum ſecundum prius, & poſterius, quatenus æquivaleret motibus finitis ſucceſſivis. Ergo foret æquivalenter tempus. Ergo creatura, quæ productione iſta produceretur, non eſſet abſoluta ab omni penitus tempore intrinſeco.

§. III.

17. QUinta quæſtio eſt. *An, & cujus temporis ſignificatio ſit eſſentialis omni enunciationi.* Reſpondeo. Non eſt eſſentiale omni enunciationi ſignificare tempus extrinſecum; quod enim abſurdum ſequeretur ex eo, quod ceſſante motu cœlorum, deficienteque omni alia menſura durationum creatarum, mens Humana, vel Angelica conciperet aliquod Judicium verum, v. g. Adamum aliquando fuiſſe vivum? Rurſus neque eſt eſſentiale ſignificare aliquod tempus intrinſecum ipſius enunciationis, ſive propoſitionis; quoniam licet propoſitio nequeat eſſe de præterito, aut de futuro, quin ſaltem indirectè ſignificet aliquod præſens tempus, poteſt tamen eſſe de re, quæ præterita eſt, atque de re, quæ eſt futura, quin ſignificet ſignatè, ac reflexè propriam præſentem durationem: v. g. *Adamus exiſtit ante hanc individuam collectionem motuum firmamenti. Adamus fuit ante primam conceptionem hujus infantis recens nati.* Imò neque omnis propoſitio de præſenti habet eſſentialiter reflectere ſignatè ſupra propriam ſuam præſentem durationem. Quia, ut ſit de præſenti ſufficit, quod enunciet ſuum objectum pro duratione præſente. At poteſt enunciare pro duratione præſente aliena, & non pro propria, ſiquidem non omnis præſens duratio, eſt duratio propria ipſius propoſitionis. Ergo. Demum non eſt de eſſentia omnis enunciationis ſignificare tempus reale formale, ideſt, tempus phyſicè exiſtens ſucceſſivè; quia fortè eſt poſſibilis duratio, de qua nuper, quæ cum ſit entitativè indiviſibilis

æqui-

æquivaleat multis ſucceſſivis durationibus, eaque exiſtente poſſet concipi aliqua enunciatio vera.

18. His tamen non obſtantibus, eſſentiale eſt omni enunciationi ſignificare (eo ſenſu, & modo, quo fuerit enunciatio) aliquod tempus ſaltem imaginarium, ſeu purè poſſibile, ſive extrinſecum, ſive intrinſecum, ſive proprium, ſive alienum. Probatur. 1. omne eſſentialiter conſtans aliquo eſſentialiter ſignificante aliquod tempus ſaltem imaginarium (a cujus determinatione præſcindo nunc) eſſentialiter ſignificat aliquod tempus. Sed omnis enunciatio eſſentialiter conſtat verbo copulante, alias non erit enunciatio, ſed acervus quidam terminorum non bene junctorum; & de eſſentia verbi eſt ſignificare tempus ſaltem imaginarium, quia licet non ſit de eſſentia talis, aut talis termini eſſe verbum, eo quod ſignificat ad placitum; ex ſuppoſitione tamen, quod ſit verbum, neceſſariò debet ſignificare tempus cum dicat hoc ſua definitio. Ergo. Nec refert diſtinctio *in vi copulæ*, *in vi verbi*, quia hæc eſt diſtinctio formalitatum, ſive reſpectuum. Et in præſenti ago de realitatibus. Verbum autem omne in ſenſu reali ſignificat, quia conſignificat, tempus. Et omnis enunciatio realiter conſtat verbo, cum realiter conſtet copulâ. Probatur. 2. contradictio formalis, & immediata enunciationum indiſpenſabiliter poſcit, quod una neget *pro illo eodem tempore* ſaltem imaginario, ſeu purè poſſibili, pro quo altera affirmat. Ergo omnis enunciatio, cui eſt eſſentialis capacitas, ut ei contradicatur formaliter immediatè, per alteram, eſt eſſentialiter capax ſignificandi aliquod tempus, imaginarium ſaltem, ſive intrinſecum, ſive extrinſecum, ſive proprium, ſive alienum. Sed omni enunciationi eſt eſſentialis capacitas, ut ei per alteram formaliter immediatè contradicatur. Ergo omnis enunciatio eſt eſſentialiter capax ſignificandi aliquod tempus imaginarium ſaltem. Ergo omnis ſignificat illud.

19. Conſequentia hæc eſt legitima; quia cum capacitas hujus, v.g. enunciationis *Petrus eſt homo*, ad ſignificandum tempus, non reducatur ad actum ſignificandi illud per ſupervenientem contradictoriam (quæ utique illi eſt omninò per accidens, quamquam per eam conſtituatur in eſſe *actualis contradictoriæ*, quia actualitas hæc eſt terminus complexus ex utraque reſultans) ſequitur primam illam propoſitionem non ſolum eſſe ſemper capacem ſignificandi aliquod tempus; verum etiam ſemper ſignificare illud: Unde capacitas hæc non eſt phyſica, ſicut capacitas hominis ad currendum, ſed logica, ſicut capacitas ipſius ad exiſtendum in ſententia non diſtinguente eſſentiam ab exiſtentia. Primum antecedens, ex quo cætera pendent, probatur. Omne, quo deficiente deficit contradictio illa, indiſpenſabiliter requiritur ab illa. Sed deficiente, quod una enunciatio neget *pro illo eodem tempore* ſaltem purè poſſibili, pro quo altera affirmat, deficit contradictio formalis, & immediata enunciationum. Sicut deficiente, quod ſubjectum ſit idem, aut deficiente, quod prædicatum ſit idem. Et hac de cauſa dixi in Prodromo diſp. 1. num. 11. ſimultatem ſignificatam per illud principi-

cipium. Impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe, debere eſſe *adæquatum*, quoad ſubjectum, locum, tempus &c. aliàs propoſitiones non erunt contradictoriæ (quia nimirum ambæ poterunt eſſe veræ) aut ſaltem præſcindent ab hujus ſimultatis impoſſibilitate. Nam quoties propoſitiones, ut tales, poſſunt eſſe ſimul veræ, & poſſunt repugnare ſimultaneæ veritati, præſcindunt, ut tales, ab impoſſibilitate ſimultaneæ veritatis. At quoties præſcindunt ab omni prorſus tempore, etiam merè poſſibili, & imaginario, poſſunt eſſe ſimul veræ (nempe ſi diſtinctione facta contrahantur ad tempora diverſa, v. g. *Petrus eſt Sanctus, Petrus non eſt Sanctus*, poſſunt eſſe ſimul veræ, ſi adjungatur eis ſignificatio inſtantium diverſorum) & poſſunt repugnare ſimultaneæ veritati, nempe ſi contrahantur ad idem prorſus tempus. Ergo &c.

20. Objicies tria. *Primum*. Quoties A diſtinguitur realiter à B, poteſt intellectus creatus enunciare A, quin enunciet B, nam licet illud intimè connectatur cum hoc, poteſt connexio hæc latere intellectum creatum. At identitas, v. g. hominis cum rationali, diſtinguitur realiter ab omni tempore, etiam intrinſeco, quia in Prodromo diſp. 7. num. 12. probavi durationem ſumptam in abſtracto, diſtingui realiter à ſubjecto durante. Ergo poteſt intellectus creatus enunciare illam identitatem, quin ullum tempus enunciet. *Secundum*. Non minus connectitur intimè res cum aliquo loco, ſaltem intrinſeco, ideſt, cum aliqua præſentia, quàm cum aliquo tempore intrinſeco, ideſt, cum aliqua duratione. Et tamen poteſt enunciatio præſcindere objectivè ab omni loco. Ergo etiam ab omni tempore. *Tertium*. Propoſitiones conditionales, v. g. ſi Tyrii vidiſſent miracula Chriſti Domini, egiſſent pœnitentiam. Item illæ, quæ ſunt neceſſariæ veritatis, v. g. *quodlibet eſt vel non eſt*. *Homo eſt animal*; & ſimiles, abſtrahunt omninò à tempore. Solum namque enunciant, caſu quo eſſet unum, futurum quoque alterum, item omnem caſum exiſtentię hominis, eſſe caſum identitatis cum animali. Item ſive detur aliquod tempus, ſive nullum detur, hanc cartam extituram, vel non extituram. Solvuntur hęc primâ ratione concluſionis. Ad primum diſtinguo majorem, quando enunciatio rei A, intrinſecè conſtituitur per aliquid ex ſua eſſentia habens enunciare rem B, nego; quando ſecus, concedo. At quamvis identitas hominis cum rationali diſtinguatur realiter à tempore, enunciatio identitatis intrinſecè conſtituitur in ſenſu reali per verbum, & hoc ex ſua quidditate habet ſignificare aliquod tempus ſaltem imaginarium, & purè poſſibile. Ergo quamvis illa identitas diſtinguatur ab omni tempore, nequit humanus intellectus enunciare illam, quin enunciet hoc. Propter hanc eandem rationem: & inſuper quia illa major ſolum eſt vera, quando aliunde non urget neceſſitas enunciandi B, quoties enunciatur A, ut in præſentiarum urget, (nempe contradictio formalis, & immediata, quam poteſt componere propoſitio omnis enuncians identitatem illam). Propter hoc, inquam, poteſt in re præſenti negari abſolutè univerſalitas illius majoris, quę in alia materia eſt vera.

Digitized by Google

21. Ad ſecundum nego conſequentiam; quoniam omnis enunciatio eſſentialiter conſtat aliquo eſſentialiter ſignificante aliquod tempus, ſive extrinſecum, ſive proprium, ſive alienum: Conſtituitur namque verbo, ſeu copula, quæ in ſenſu reali eſt verbum, non autem conſtituitur aliquo eſſentialiter ſignificante locum adhuc intrinſecum, quia verbum non ſignificat illum ex ſua eſſentia. Ad tertium permitto, quod illę propoſitiones abſtrahant ab omni tempore determinato, ac in particulari; ſed non abſtrahunt ab omni tempore indeterminatè, ac univerſaliter; quippe caſus iſti, quorum meminit argumentum, non ſunt burſę, aut cubilia, intra quę res ſint abſconditæ; ſed ſunt res ipſæ voce illa reflexa explicatæ; quocirca explicatio iſta. *Caſum, in quo detur unum, fore caſum, in quo detur alterum*. Si vera ſit, reddit hunc ſenſum. Inſtans aliquod reale, vel imaginarium, in quo daretur intuitio, aut memoria intuitiva miraculorum Chriſti Domini, eſſet inſtans, in quo illi agerent pœnitentiam. Item omne inſtans reale, vel imaginarium, in quo exiſtat homo, eſt inſtans, in quo identificabitur cum animali. Illa altera *quodlibet eſt, vel non eſt*, tranſeat, quod præſcindat objectivè ab omni tempore reali, ideſt, actu exiſtente; aſt non præſcindit ab omni tempore imaginario, ideſt, poſſibili. Si enim ab hoc pręſcinderet, daret hunc ſenſum, *ſive ſit poſſibile, ſive non ſit poſſibile ullum tempus*, quodlibet eſt, aut non eſt. Hic autem ſenſus eſt falſus, ſicut hic. *Sive ſit poſſibilis, ſive non ſit poſſibilis Deus*, quodlibet eſt, vel non eſt. In uno enim ex iſtis caſibus nempe, quod non eſſet poſſibilis Deus, aut quod non eſſet poſſibile ullum tempus, *non quodlibet eſſet, aut non eſſet*; quia ex impoſſibili quodlibet, ut explicui in Prodromo diſp. 1. n. 116. ſeu dato uno abſurdo cętera accidunt, ut ibi dixi ex Ariſtotele. At quod Deus non ſit poſſibilis: item quod nullum tempus ſit poſſibile, eſt manifeſtè impoſſibile apud Philoſophos, & Theologos. Ergo.

22. Hinc 1. quanquam Deus non cognoſcat *componendo*, & conſequenter non habeat judicia ſimilia noſtris, quibus componimus, & quaſi unimus prædicatum cum ſubjecto; verumtamen omnis divina ſcientia (& potiori jure Angelica) eſſentialiter ſignificat tempus, vel reale, vel imaginarium, vel extrinſecum, vel intrinſecum creaturæ; tum quia, omni actui in individuo ſcientiæ divinæ, poteſt immediatè, ac formaliter contradici per actum alium creaturę ſtultæ, aut blaſphemæ. Ergo neceſſe eſt, quod ambo actus ſignificent idem prorſus tempus reale, vel imaginarium. Tum quia licet titulo ſuæ ſimplicitatis repugnet ſcientiæ divinæ, compoſitio formalis ex ſubjecto, copula, & prædicato mentalibus; aſt omnis illa, eo ipſo, quod verè, ac ſimpliciter ſit ſcientia de eo, quod homo eſt rationalis v. g., æquivalet, quoad mentalem objectorum expreſſionem, quamvis infinitè perfectiorem, noſtro judicio de hac eadem re. Ergo ſicut noſtrum judicium componitur formaliter Verbo, illud divinum eſt citra omnem compoſitionem, Verbum quoque (non utique illud divinum, quod eſt ſecunda Perſona SS. Trinitatis) expreſſivum temporis, quod enim divina judicia ſint infinitè perfectiora, quam noſtra, non probat, illa non

expri-

exprimere tempus, aut alia, quæ indiſpenſabiliter exprimunt noſtra, quamvis perfectiore modo exprimatur per actus divinos. Hinc 2. Argumenta, quibus aliqui intendunt non eſſe eſſentiale omni propoſitioni judicativæ, enunciare tempus, ſolvenda ſunt: concedendo illa de tempore determinato, ac in particulari: item de tempore reali, & formali; negando autem illa de tempore in communi, & de tempore ſaltem æquivalenter tali, & de tempore ſaltem imaginario. 3. Habetur diſparitas inter enunciationem, ſive propoſitionem ex una parte, atque apprehenſiones meras, & diſcurſus ex altera. Meræ quippe apprehenſiones, neque conſtant verbo, neque ſunt capaces, ut ipſis formaliter immediatè contradicatur, cum nil affirment, aut negent, licet interdum alliciant ad affirmandum, aut negandum, atque ideò dicantur ſuaſivæ, vel diſſuaſivæ: ſicut etiam pia affectio juvat, allicitque ad credendum, quamvis pia affectio nil per ſe affirmet, aut neget. Diſcurſus autem ſi capiantur reflexè pro judiciis enunciantibus illationem unius ex alio, ſive quod idem eſt, connexionem hujus cum illo, cum ſint enunciationes, non præſcindunt ab omni prorſus tempore extrinſeco, & intrinſeco, reali, & imaginario, formali, & virtuali. Si capiantur directè, pro tranſitu ipſo intentionali ex uno aſſenſu ad alium, neque ſunt apprehenſio, neque judicium; ſed actio illa, qua actu abſolutè movetur intellectus ex uno aſſenſu, ſeu unius aſſenſus objecto, ad aſſenſum alterius; hac autem actio non eſt intentionalis imago objecti; ſed conſiſtit in actione phyſica, phyſicè productiva concluſionis mentalis, eſſentialiter alligata præmiſſis mentalibus, juxta regulam generalem ſupra datam circa cauſalitates morales.

CAPUT SECUNDUM.

An ſit poſſibilis Creatura ab æterno.

23. DUÆ ſub hoc titulo latent difficultates. Una ſuper creatura permanente. Altera ſuper ſucceſſiva, ut eſt motus localis, tempus, Generationum ordo per Patrem, Avum, Proavum, Abavum, Atavum, Tritavum &c. Ubi adverte ſeptem. *Primum*. Poſſibiles eſſe, imò de facto dari innumeras creaturas in æternum duraturas. Omnes quippe nos ipſi in æternum ſumus victuri poſt generalem reſurrectio-
nem; fatemur enim in Symbolo, *vitam æternam*, & apud Marcum tri- *Marci 9.*
bus continuis vicibus præmonet Dominus inextinguibilem ignem, & immortalem vermem. Difficultas duntaxat eſt de æternitate à parte ante, ita, ut ſicut eſt poſſibilis creatura cum principio quidem, ſed ſine fine, & conſequenter coæva Deo à parte poſt: ita ſit quoque poſſibilis

creatura, quæ vixerit ſine principio, ſeu ſine initio temporali, ſed cum fine, ita ut ſit Deo coæva à parte ante. *Secundum*. Nullam in hac providentia fuiſſe creaturam ab æterno, eſt certum de fide; quamobrem dicere poſſumus de Ariſtotele, quod inclytus hic Philoſophus de aliis dicebat. *Amicus Plato, amicus Socrates; ſed magis amica veritas.* Veritatem autem eſſe, quod nulla creatura fuerit ab æterno eſt certum, *Geneſ. 1.* quia licet aliquis poſſet cavillari teſtimonia illa. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram.* *Pſ. 101.* Item *initio tu Domine terram fundaſti*, inquiens S. Joannem uti eâdem voce. *Io: 1.* *In principio erat Verbum*; & rurſus; *Ep. 1. c. 1.* *quod fuit ab initio*, quin propterea negaverit æternam Verbi exiſtentiam; aſt cavillari nemo poteſt definitionem Concilii Magni Lateranen. ſic docentis de Deo: *Conc. Lateran. 3. c. 1. de Fide Catholica.* *qui ſua omnipotente virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.* Ergo neutra fuit ab æterno. Deinde non alia tertia ab his duabus diſtincta; tum quia id prorſus temerè diceretur; tum quia mens Concilii procul dubio fuit, voce illâ *utramque creaturam* complecti Angelos omnes, & creaturas omnes, originem trahentes ex primis illis elementis, & animas etiam rationales, quæ licet, ex illis non trahant originem ſicut animæ aliæ; Veruntamen illis egent ad connaturalem ſuam primam creationem. Ergo.

24. Neque dicas, præcipuum finem hujus Concilii fuiſſe rem aliam valdè diverſam, nimirum controverſiam Petri, & Joachimi dirimere; In Synodicis autem definitionibus attendenda eſt deciſio primariæ litis non autem illa, quæ obiter, ac quaſi obliquè traduntur. Nam contra 1. Falſum eſt iſtum finem ſolum fuiſſe primarium. Conſtat enim ex præambulis Epiſtolis ipſius Innocentii, nec non ex Hiſtoria, & ex actis ipſis, fuiſſe quoque alios: puta damnationem Almarici, recuperationem Terræ Sanctæ, reformationemque populi Chriſtiani. 2. quamvis non ſint de fide omnia, quæ ab interlocutoribus dicuntur in Conciliis, *Collatione 6. poſt medium.* ut in quinta Synodo Generali notarunt Theodorus, Andreas, Magethius, & Euſebius Epiſcopi, occaſione famoſæ illius Epiſtolæ Ibæ ad Marin Perſam, quæ approbata dicebatur in antecedente Calcedonenſi Synodo; imò neque omnia, quæ dicuntur Synodicè à tota Synodo, niſi dicantur tanquam res per Deum revelatæ, hoc eſt tanquam res de Fide: & hac de cauſa putarunt aliqui Thologi apud Suarez, *P. Suarez 3. de Sacrament. diſp. 52. ſect. 2. verſ. ſed quartò.* & ipſe cum eis, non eſſe ſimpliciter de Fide corpus totum Chriſti Domini eſſe in ſingulis particulis hoſtiæ conſecratæ ante diviſionem hujus, eo quod licet Tridentinum Synodicè dixerit in decretis *totus enim, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte &c* poſtea tamen in Canone 3. addiderit ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus *ſeparatione facta* totum Chriſtum contineri, quæ verba non ſine cauſa eſſe addita ab Eugenio, *Eugen. ad Armenos.* & à Tridentino notat eximius ille Doctor. Veruntamen omnia, quæ Synodicè docentur à toto Concilio Generali, ut de Fide, ſive ut per Deum revelata, ſimpliciter ſunt de fide: At tale eſt initium temporale omnium creaturarum in hac providentia, quoniam ſuper ſcriptio capitis illius primi Concilii Lateranenſis, eſt

de

Digitized by Google

de Fide Catholica; & initium capiris eſt. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur &c.* inter quæ eſt illud. *Ab initio temporis*. Ergo.

25. Tertium eſt. Conſentaneè ad illud, quod notavi in phyſica naturali diſp. de infinito, videlicet. Præſentem rem ex illis multis eſſe, de quibus philoſophamur eodem modo, quo multi à nativitate cæci poterant inter ſe diſputare de coloribus, adiuti lumine naturali, eiſque ſpeciebus, quas per alios ſenſus hauſiſſent; quid enim prodeſt nobis naturale lumen, & ſubſidium rerum omnium, quod aliunde habemus; ſi nullam prorſus habemus ſpeciem propriam rei infinitæ, ſive quoad numerum, ſive quoad durationem, ſive quoad extenſionem, ſive quoad alia? Imò ſi à primo rationis uſu imbuti ſumus ſpeciebus prorſus oppoſitis huic infinitudini: ſpeciebus nimirum rerum finitarum habentium principium, & finem? Poſſumus utique combinare has ſpecies, quas habemus inter ſe, atque ex his combinationibus formare varios diſcurſus; ſed combinationes, ac diſcurſus erunt ſicut illi, quos haberent prædicti cæci magna contentione diſputantes de coloribus. Et pejores forſan, quia cçci illi nullam quidem habenr ſpeciem colorum, ſed non habent oppoſitam: Nos verò, ut dixi, referti ſumus ſpeciebus oppoſitis infinitati. Unde combinationes mentales, affirmationes, negationes, diſcurſuſque omnes, quos ſuper infinitate fabricamus, tranſeunt per ſpecies oppoſitas ipſi infinirati: & conſequenter ſapiunt naturam rerum finitarum, ſicut aquæ tranſeuntes per loca fœtida, & ſalata, ſapiunt fœtorem, & ſalem. Unde naſcuntur contradictiones, implicationes, ac difficultates, quas in his rebus experimur, ſicut experiuntur oculi intuentes objectum per vitrum, ex illis, quæ figuram objectorum invertunt. Condonandum eſt igitur uniuſcujuſque opinionis ſequacibus, qui correpti à primis inſtitutoribus harum quæſtionum, coguntur ſeriò diſputare de illo, cujus nullam habent ſpeciem, imò cui oppoſitæ ſunt omnes ſpecies, quas habent. Et conſequenter non eſt hic expectanda reſolutio *evidens*, ſed merè opinativa: & non ſicut ſunt aliæ, ex majore luce oriundæ; ſed opinativa, qualis poteſt dari à cæco circa colores. Hinc verò cave ne inferas propoſitionem jure repulſam à Scholis Noſtris per Summum Magiſtrum Societatis, ſcilicet. *Mens noſtra eo, quod finita ſit, nil certi de infinito poteſt ſcire; proindeque à nobis diſputari de illo nunquam debet*. Tum quia aliàs nil certi de Deo ſciremus, nec de ſuis diſputare poſſemus. Tum quia certò ſcimus infinitum non poſſe ſucceſſivè tranſire, & alia non pauca; tum quia diſputare etiam licet de his, quæ probabiliter ſolum novimus.

26. *Quartum* naſcitur ex hoc, ut ibidem quoque notavi; Doctores negantes poſſibilitatem æternitatis creatæ à parte ante, maximè rerum ſucceſſivarum, argumentaque ſua, validiſſimas auxiliares habere copias, nimirum apprehenſionem, ſeu imaginationem, quam potentiſſimè dominari noſtris diſcurſibus paſſim experimur. Apprehenſiones quippe, & imaginationes, quibus ſumus referti ab infantia, ſunt de rebus aliquando incipientibus. Item habent à parte ſua vocabularium totum

hu-

humanum. Utuntur namque Verbis, phraſibus, diſcurſibus Ordinariis in aliis rebus creatis. Hæc verba, phraſes, & diſcurſus uſuales circa res creatas, ſemper ſignificant expreſsè, vel ſaltem innuunt principium, ac finem. Unde quando transferuntur ad rem præſentem, tacitè ſupponunt finitatem utramque, aut alteram, aut aliquid inferens illam. Et hinc naſcitur, quod validiſſima videantur argumenta eis terminis referta, ni accuratè amoveatur larva terminorum, & oſtendatur, eſſe illa verba impropria, ac falſæ ſuppoſitionis ad ſiſtendum diſputationi præſenti rem, quæ diſputatur: nempe rem infinitam, & ſine principio, aut ſine fine. Unde negandum eſt ſuppoſitum multarum propoſitionum, quæ evidentes videbantur. Diſputantibus quippe nobis de imprincipiato, deque infinito, ſed verbis propriis rerum finitarum, evenit, quod diſputantibus de *rationali*, & ob inopiam aliarum vocum utentibus his. *Hinnibile*. *Latrabile*. *Expers rationis*. *Incapax diſcurrendi*, & ſimilibus. Veruntamen hi eidem Doctores ſuaque ferè omnia argumenta, validam quoque habent retorſionem in æternitate à parte poſt, quam negare non poſſunt Angelis, & hominibus hujus præſentis providentiæ. Argumenta namque ferè omnia ſua probantia, impoſſibilem eſſe æternitatem creatam ſine initio, probant impoſſibilem etiam fore æternitatem creatam ſine fine: ſicut argumenta quibus probant impoſſibile eſſe infinitum cathegorematicum, eodem ferè prorſus modo probant impoſſibile eſſe Sincathegorematicum. Unde utraque argumenta ad claſſem ſpectant eorum, quæ multum probant, & conſequenter nil, juxta ſenſum axiomatis hujus quem dedi in Prodromo diſp. 1. num. 128. Hæc igitur inſtantia habenda ſemper eſt præ oculis contra argumenta prædicta, nec non fraus, & abuſus loquendi de re infinita, verbis, terminis, & phraſibus appropriatis rei finitæ.

27. *Quintum*; quando dicitur, creaturam poſſe exiſtere ab æterno, hoc *ab æterno* non eſt intelligendum in ſenſu poſitivo, ut enim notavi in phyſica naturali diſp. de infinito, quaſi ex parte rerum ſit aliquid, quod ſubjectivè in ſeipſo, ſit illud *ab æterno*, aut aſſignabile ſit mente ſaltem divina, in quo, vel ex quo æterno incipiat eſſe illa creatura. Jam enim vides imaginationem iſtam fore contra rem ipſam, quæ diſputatur, unde præoccupatus præviâ apprehenſione diſputationem aggredieris. Intelligendum eſt itaque illud *ab æterno*, in ſenſu mere negativo, nempe, *ſine principio*; non utique ſine principio phyſicè influente, quia deberet indiſpenſabiliter creatura illa eſſe à cauſa prima, cum impotens ſit eſſe à ſe, ſed ſine principio, ſeu initio temporali in exiſtendo; quod intellige dictum pro tota hac quæſtione, quoties dicam creaturam illam fore ſine principio. Igitur ſicut conceptus *infiniti*, ut illic dicebam, non eſt adæquatè quid poſitivum, ſed ſtat formaliter in eo, quod res in ea ratione, in qua eſt infinita *non habeat finem* ad quem ordine ſucceſſivo perveniri poſſit. Ita conceptus *æterni à parte ante*, non eſt adæquatè quid poſitivum, ſed ſtat formaliter in eo, quod res illa æterna, ut talis, neque habeat, neque habere poſſit *principium*

in

Digitized by Google

in exiſtendo, quamvis ſpecificativè ſumpta poſſit habere illud. Hinc omnes propoſitiones adverſariorum univerſales, aut ſingulares, quæ in genere, in ſpecie, aut individuo enuncient æternitatem, aut infinitudinem illius creaturæ, diſtinguendæ ſunt: atque concedendæ de æternitate, atque infinitudine *in ſenſu merè negativo*, ideſt, negante principium, aut negante finem illius; negandæ verò de æternitate, aut infinitudine *in ſenſu poſitivo*, ideſt affirmante, tacitève, aut indirectè ſupponente aliquod inſtans reale, vel imaginarium, quod ſit æternum, ideſt, ſine principio, aut infinitum, ideſt, ſine fine. Nullum quippe deſignabile eſſet adhuc mente divina, ante quod, aut poſt quod, non forent innumera alia, & alia inſtantia, ſive durationes, aut reales, aut imaginariæ. Aliàs illa durationum ſeries, vel non eſſet abſque principio, vel non eſſet abſque fine, quod eſt contra rem ipſam, quæ diſputatur, & eſſet aggredi diſputationem habendo intellectum præoccupatum imaginatione, ſive apprehenſione contraria ipſi rei, de qua prudenter dubitatur.

28. *Sextum* non omnis infinitudo, eſt infinitudo in omni linea: poteſt namque in uno ſenſu eſſe infinita, & in alio finita, v. g. conſidera lineam ab occaſu porrectam in infinitum verſus ortum. A quacunque illius parte, percurras illam mente, verſus occaſum deprehendes finem nempe quia ſupponimus illam incipere in occaſu, & hoc initium, erit finis reſpectu venientium per illam ab Ortu; Veruntamen à quacunque parte percurras illam mente, verſus ortum, nunquam deprehendes, aut deprehendere poteris, imò neque Deus ipſe, partem aliquam, quę ultima ſit, ſeu finis extenſionis illius verſus Occaſum; aſt non probat fore extenſionis infinitæ verſus ortum. Quod ſi hoc exemplum non tibi probetur, eo quod neges poſſibilitatem lineæ illius. Accipe aliud non ita facilè negatù. Vita Angelorum, Animarumque rationalium eſt infinita à parte poſt, quoniam ſuppoſito divino decreto conſervandi utroſque ſpiritus per totam æternitatem, non eſt aſſignabile adhuc mente divina ullum inſtans reale, vel imaginarium, quod ſit ultimum, finis, ſive terminus vitarum illatum; à parte verò ante eſt finita, quia ſi mente retrogredieris ab hoc puncto temporis præſente, deprehendes tandem, ſi per Deum illumineris, principium, in quo vivere incęperunt: & hoc principium eſt finis retrogradæ illius conſiderationis, nam ultra illud non invenies Angelos viventes, ſed vivere, ac produci potentes. Poteſt ergo res, quæ habet principium non habere finem: & conſequenter, quæ eſt infinita à parte poſt, eſſe finita à parte ante. Ergo non eſt de ratione omnis infinitudinis eſſe infinitam in omni linea. Denique ſicut in æternitate à parte poſt, aliud eſt quod nulla ſit poſſibilis duratio, quæ ſpecificativè, ac ſecundum ſe nequeat eſſe ultima. Aliud quod non ſit poſſibilis duratio, quæ ſit ultima. Et primum eſt verum, quia in quacunque ex illis durationibus poterat antecedenter Deus finire ſeriem durationum. Secundum verò eſt falſum, quia nulla eſt poſſibilis duratio Angeli, v. g., ultra quam non ſit alia. Ita in æternitate à parte ante, nulla eſt poſſibilis duratio, ſeu generatio, ſeu

ſeù motus, qui ſpecificative ſecundum ſe *non poſſet* eſſe primus, in quo Deus inciperet, quia nulla illarum durationum eſt ęterna in ſenſu poſitivo, ſicut Deus; ſed ſingulæ ſunt æternæ in ſenſu merè negativo. Cæterum neque ulla eſt poſſibilis, quæ *ſit* prima, quia nulla eſt poſſibilis ultra quam non ſit alia, & alia. Et hic eſt ſenſus negativus, in quo hæ durationes eſſent ab ęterno.

§. II.

29. SIt jam concluſio. Quamvis veroſimilius videatur non omnes ac ſingulas creaturas de facto exiſtentes potuiſſe produci à Deo ſine ullo principio in exiſtendo, propter generalem rationem, qua nego ſingulas creaturas de facto exiſtentes, habere potentiam obedientialem ad quodlibet: ſcilicet quia hæc potentia obedientialis eſt poſitiva perfectio, quæ non debet ſingulis adſcribi abſque poſitivo fundamento, & tale non datur, ut dicamus, hanc v. g. individuam cartam frui potentia obedientiali ad excellentiam adeò ſupernaturalem, qualis foret exiſtere ſine ullo principio in exiſtendo, eſſeque Deo coævam, quæ potentia obedientialis non eſt mera non repugnantia, ſed poſitiva intrinſeca capacitas, & conſequenter perfectio hujus cartæ. Nihilo tamen minus inſpecto conceptu creaturæ, inſpectiſque omnibus, quæ inſpici pro hoc ſtatu vitæ debent, non eſt de ratione creaturæ, aut creationis *novitas eſſendi*, hoc eſt, nullum apparet abſurdum in creatura exiſtente ab æterno in ſenſu purè negativo, paulò ante expoſito, nempe ita exiſtente, ut neque mente divina ſit aſſignabile quando incœpit exiſtere hæc creatura. Et hoc ſive creatura ſit permanens, ut homo, ut Angelus &c. ſive ſucceſſiva, ut ſeries quædam generationum per Patres v. g. Avos Provos, Abavos, Atavos &c. item ut motus localis ſive revolutionis Cœlorum ab uno in alterum Emiſphærium, item ut ſeries, & catena ſucceſſivarum durationum nullum habentium initium. Doctores aliqui legendi apud Oviedo diſtinguunt inter creaturam permanentem, & ſucceſſivam: rurſus inter ſucceſſivam, quæ ſit tempus, aut motus, & ſucceſſivam, quæ ſit ſeries generationum per naturalem propagationem unorum v. g. hominum ex alijs. Concedunt duo priora poſſe eſſe ab æterno, negant de hoc ultimo. Et aſſentitur Oviedo ipſe. Ego cum in his tribus claſſibus creaturarum non diſcernam magnum diſcrimen quoad rem præſentem, ideò de omnibus profero ſententiam eandem. Certè res permanentes quales ſunt Angeli, & animæ rationales, non ſunt habituræ finem, ſed æternum durabunt. Series durationum utrarumque erit infinita, & non habebit finem, neque habere poterat adhuc divinitus ſuppoſita efficace voluntate Dei conſervandi ſemper eas entitates. Series item generationum æternarum per naturalem propagationem unarum entitatum ex alijs, ſine ullo abſurdo poſſet inſtitui per Deum. Quod-

Oviedo controv. 19. phyſ. puncto 2. & 3.

Quodnam igitur argumentum producitur contra æternitatem à parte ante, ſive contra carentiam principij in ulla ex his tribus claſſibus entitatum, quod non retundatur in æternitate à parte poſt, nempe in carentia finis in eadem claſſe entitarum?

30. Arguo igitur negativè; ſolvendo octo argumenta contraria. Ideo repugnaret creatura exiſtens ſine principio temporali, & conſequenter exiſtens ab æterno in ſenſu quæſtionis, & conſequenter ſine novitate eſſendi; *quatenus primò* de ratione principij productivi eſſet præcedere tempore ſuo termino, quem producit, & de ratione hujus eſſet ſubſequi tempore ad illud. Sed hoc eſſe falſum ſemel, & iterum dixi: tum exemplo divinarum perſonarum, quarum prima eſt principium phyſicè productivum ſecundæ, quin tempore illi præcedat, ſicut nec ſecunda tertiæ, cujus etiam eſt principium productivum juxta Concilium Florentinum. Tum exemplo Solis, qui ſanè in primo ipſo momento ſuæ exiſtentiæ non fuit tenebroſus, ſed refulſit fulgore non à ſolo Deo, ſed à Sole ipſo producto, quandoquidem in illo primo momento ſuæ exiſtentiæ erat cauſa neceſſaria cum omnibus prærequiſitis ad fulgorem, & omnis cauſa neceſſaria operatur in omni momento, in quo eſt cum prærequiſitis: neque ſeriò dici poteſt ſolem eguiſſe quiete in illo primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ, quaſi collecturus vires poſt longum iter à nihilo ad aliquid, à non fuiſſe ad eſſe, aut attonitum novitate exiſtendi non potuiſſe operari tunc. Jam quippe vides, quam ridicula imaginatio eſſet iſta. Tum exemplo cauſæ meritoriæ ſive diſpoſitivæ tantum: cui in eodem primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ datur præmium, quod eſt ſuus effectus; alias ſi peccator in inſtanti A eliceret perfectam contritionem, & protinus moreretur in B, moreretur ſine gratia, & conſequenter damnaretur, quia licet peccata venialia remittantur quoad culpam poſt mortem; ſecus mortalia, quippe quæ non remittuntur quoad culpam in hac providentia niſi per infuſionem gratiæ, & hæc non datur in hac Providentia poſt mortem, aut in inſtanti mortis, ſed homini vivo. Ergo.

Seſſ. ultim.

31. *Quatenus ſecundò* Nullum attributum proprium Dei poteſt adhuc ex Dei voluntate, ac dependenter ab ipſa communicari creaturæ v. g. eſſe unum, & trinum, eſſe eſſentialiter, ſimpliciter, infinitè ſanctum ſanctitate eſſentiali, eſſe cauſam primam &c. Æternitas autem eſt attributum proprium Dei, quia hinc probabant Patres apud Suarez legendi, & maximè Athanaſius Divinitatem Verbi, nempe quia *fuit ab initio*, quia *in principio erat Verbum*, ut ſemel, & iterum docet Joannes. Unde fluxit priſcum illud. *Quod ab æterno eſt, vel Deus eſt, vel nil eſt*. Sed hoc etiam eſt nullum. Tum quia. Aliud eſt eſſe *per ſe eſſentialiter* ſine principio exiſtendi; aliud eſſe non per ſe eſſentialiter; ſed *contingenter*, & ex mero placito divino (quæ diſtinctio non ratiocinandi, ſed purè altercandi, & cavillandi cauſâ detorqueri poteſt in iſta alia: cum ſit manifeſta chymæra eſſe contingenter, ac precariò cauſam primam. Unum, & trinum. Infinitè ſanctum, eſſentialiter, ſanctitate eſſentiali &c.) Illud primum eſt character Dei ſolius, unde neque per accidens

P. Suarez. diſp. 20. Metaph. ſect. 6. n. 2.

Digitized by Google

neque dependenter à Divino decreto poteſt communicari creaturæ. Sicut ei communicatur exiſtere, quamvis non ſimpliciter neceſſariò exiſtere. Item eſſe ſanctam, & beatam, quamvis non eſſe ſimpliciter neceſſariò ſanctam, aut beatam. Ratio autem à priori eruenda eſt ex quidditate ipſa rerum, ſeu ex ſignificatione uſuali, & conſtante verborum. Eſſe namque cauſam primam. Eſſe unum in eſſentia, & trinum in perſonis. Eſſe Omnipotentem. Eſſe ſimpliciter infinitè ſanctum per eſſentiam. Et ſimilia; ex terminis ipſis ſunt prædicata eſſentialia: ſicut eſſe animal, eſſe vivens, & ſimilia. Unde ſicut dici nequit ſine contradictione, aut peſſima intelligentia terminorum, hanc cartam poſſe eſſe dependenter à divina voluntate animal: ita ſine ſimili errore dici nequit, creaturam poſſe ex divina voluntate eſſe cauſam primam &c. Attributa namque eſſentialia non poſſunt convenire contingenter ac dependenter à divina voluntate. Cœterum quemadmodum exiſtere ſine fine non eſt de genere prædicatorum eſſentialium, aut repugnantium, unde ex arbitrio divino pendere poteſt, quod creatura exiſtat, aut non exiſtat ſine fine. Ita exiſtere ſine initio, non eſt de genere prædicatorum eſſentialium, aut repugnantium: unde ab arbitrio divino pendere poteſt, quod creatura exiſtat, vel non exiſtat ſine initio exiſtendi.

32. Tum quia argumentum S. Athanaſii erat ex conceſſis, ſeu ad hominem, ut ajunt. Fatebantur Arriani nullam creaturam fuiſſe ab æterno in hac Providentia, admittebantque illud Axioma. Unde egregiè argumentabantur Patres. Per vos quidquid ab æterno eſt, vel Deus

Joan. 1. eſt, vel nil eſt. Sed Verbum eſt ab æterno, quia *in principio erat Verbum,*

Proverb. 8. & *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram &c.* Ergo Verbum eſt Deus, vel nil. Sed non eſt nil, ut vos ipſi fatemini. Ergo Deus. Quamobrem diſcurſu hoc individuo non probabant *abſolutè* diſtinctionem Verbi à creaturis, quia exiſtere ab æterno, hoc eſt ſine initio in exiſtendo, præciſè ut tale, convenire etiam poteſt creaturæ. Inefficaciter autem probatur abſolutè diſtinctio rei A à B, ex titulo, qui præciſè ut talis convenire poteſt utrique. Egregiè verò probabant *hypothetice* diſtinctionem illam, quoniam licet titulus ex ſe communis ſit rei A. & B, ſi tamen conceditur illum convenire rei A, & non B, infertur diſtinctio illius ab hac. Semel autem ſtatuta diſtinctione quaſi extrinſeca, & accidentali Verbi *ab omni creatura* ſubinferebatur diſtinctio intrinſeca, & eſſentialis. Omne enim quod ſemel diſtinguitur poſitivè ab alio, ſemper, ac neceſſariò diſtinguitur ab illo: diſtinctio namque, & identitas non ſunt de genere prædicatorum, quæ abſunt, & adſunt præter ſubjecti corruptionem. Ergo ſi ſemel extorquebatur ab Arrianis Verbum diſtingui *ab omni creatura*, extorquebatur poſtea illud neque eſſe, neque poſſe eſſe creaturam, & per ſe eſſentialiter diſtingui ab omni creatura.

33. *Quatenus Tertiò*. De ratione omnis creaturæ eſt fieri ex nihilo, aut ex aliquo. Utrovis autem modo debet incipere; quoniam ante ipſius productionem debet eſſe aut *nihilum*, aut *aliquid*. Sed neque hoc valet, quippe offendit ad non rectam intelligentiam illius ex *nihilo*, ex

aliquo,

aliquo rejectam toties. Non ſiunt res naturales ex *nihilo*; aut *aliquo*: quaſi ex parte rerum, & coram Deo detur quoddam *nihilum* in ſenſu poſitivo, aut quoddam *aliquod*, ex quorum unoquoque diverſimodè combinato, fiant jam unæ res naturales, jam aliæ: ſicut res artificiales fieri ſolent, v. g. ſtatua ex marmore, veſtis ex panno, domus ex terra ligno, gypſo &c. Abſit peſſima intelligentia grammaticæ philoſophicę. Rurſus neque ex *nihilo*, aut, *aliquo* tamquam ex termino à quo, ſicut ignis ex ligno; ita ut prius tempore, quam ulla res fiat, debeat per aliquod ſaltem inſtans præexiſtere ſuum non eſſe, (de hoc eſt quæſtio in præſenti, & non debet ſupponi ut principium ab Adverſariis) aut quædam alia res, quæ ſit illud *aliquod*. Igitur ſenſus priſcarum illarum phraſeon eſt quem toties dixi. Rem fieri ex aliquo in caſu præſenti, ſeu educi ex illo, nil aliud eſt à parte rei, quàm produci per actionem eſſentialiter unitam illi, ut ſubjecto præſuppoſito, ideſt, ut ſubjecto per actionem illam non producto. Item fieri ex nihilo ſtat phyſicè ex parte rerum in eo, quod cum diſtinguatur quoad eſſentiam à ſuo principio (ut omnis creatura diſtinguitur à Deo, ſecus Verbum æternum) producatur per actionem nulli penitus ſubjecto præſuppoſito eſſentialiter per ſe unitam. Et hoc *nullum ſubjectum*, ſeu carentia unionis actionis dictæ cum eo ſubjecto, eſt nihilum illud arcanum, & myſterioſum quod tantum negotium facit aliquibus, quaſi foret Sacramentum à ſæculis abſconditum. At ſine novitate eſſendi, ſine initio in exiſtendo, & conſequenter cum æternitate in ſenſu negativo, ſtare poteſt, quod creatura producatur à Deo per actionem nulli penitus præſuppoſito ſubjecto unitam, aut per actionem eſſentialiter unitam alicui ſubjecto præſuppoſito, (non ſane præſuppoſitione ſtante in eo, quod prius incipiat eſſe; ſed ſtante in eo, quod aliunde, ſive per alias actiones non habentes etiam initium exiſtat) Nam profer duo contradictoria, vel aliud abſurdum. Ergo ſine novitate eſſendi, ſine initio in exiſtendo, & conſequenter cum æternitate à parte ante poteſt creatura produci per Deum *ex nihilo*, aut *ex aliquo* in ſenſu præſenti, quem unum dico. Neque opponas in ſigno cauſæ priore ad creaturam non eſſe hanc, & conſequenter eſſe ſuam carentiam, aut ſuum nihilum. Nam etiam in ſigno cauſæ ad Saturnum non fuit carta hæc, & tamen neque fuit carentia hujus cartæ, cum neutra fuerit cauſa, aut prærequiſita ad productionem illius ſtellæ. Vide ſimilem objectionem diſp. 1. n. 80.

34. *Quatenus* 4. In æterna ſucceſſiva hominum v. g. generatione naturali per Patres Avos &c. neceſſariò deveniendum eſſet ad aliquem, qui immediatè procederet à ſolo Deo; quia non poſſunt omnes non procedere à Deo, inquit Oviedo, tamquam ab una cauſa prima, à qua tota illa ſeries derivatur. Sed ille homo eſſet primus illius ſeriei. Ergo hæc haberet principium. Propter illud idem, nego majorem quemadmodum enim in ſerie infinita generationum etiam naturalium à parte poſt, quam Deus poterat inſtituere: nec non durationum realium Angelorum, qui æternum ſunt duraturi, non eſt neceſſariò deveniendum ad aliquem hominem, qui non producat alium, aut ad dura-

P. Oviedo controv. 14 phyſ. punct. 2.

tionem aliquam, poſt quam non ſit alia, imò eſt impoſſibile ad hæc pervenire ſucceſſivè, quia alias eſſet finita ſeries illa a parte poſt. Et hoc ſine læſione primatus cauſæ primæ. Ita in ſerie naturalium generationum humanarum à parte ante infinita, nec divinitus poſſet pervenire ſucceſſivè ad aliquem hominem, qui non eſſet generatus ab alio, habente proportionatam ætatem, & hic ab alio habente quoque ætatem proportionatam &c. & conſequenter qui eſſet à ſolo Deo. Ab eo namque tamquam ab unica cauſa prima eſſent omnes illæ generationes; ſed non ab eo ſolo, ut contingit etiam in præſentibus generationibus humanis, quarum nulla eſt à ſolo Deo. Adamus namque, & Eva non fuerunt geniti; quapropter de hac propoſitione. *Aliquis eſſet homo in ea ſerie productus non ab alio homine, ſed à ſolo Deo*. Ferendum eſt idem judicium, quod de hac. *In ſerie generationum humanarum infinita à parte poſt aliquis eſſet homo non producens alium*. Et quod de hac. *In æterna ſerie durationum à parte poſt aliqua eſt hora, aliquod inſtans, aliqua duratio, poſt quam non ſit alia*. Omnes hę ſunt falſæ. Radix difficultatis eſt imaginatio altè infixa de aliquo primo, vel aliquo ultimo, ubi primum audimus has voces. *Series, linea, ordo, catena, ſucceſſio &c.* quia ab infantia ſumus aſſueti deprehendere principium, & finem in omnibus ſeriebus, lineis, ac ſucceſſionibus, quarum habemus proprias ſpecies. Imbuti hac apprehenſione naturaliter involamus in inquiſitionem primi, & ultimi ſimul, ac audimus *ſeriem, lineam, ſucceſſionem*, quamvis caſtigatam ſyncathegoremate *ab æterno, in æternum* immemores multoties ſignificari *ſine principio, ſine fine*, & conſequenter immemores hic ſignificari lineam, ſeriem, ſucceſſionemque prorſus oppoſitam ei, cujus ſumus aſſueti, & quam paſſim ſignificant hæ voces, quibus etiam hic utimur, quia alias non habemus. Eamdem difficultatem ſentiret qui propterea quod hæc vox *Animal* ſignificet *vivens ſenſibile*, vitam, & ſenſibilitatem quæreret in animali mortuo, immemor rigorem illius vocis *Animal* mortificari per adjunctam alteram *mortuum*. In ſerie igitur, linea, ordine; catena, ſucceſſione (hæ ſunt voces, quæ decipere poſſunt in præſentiarum, ſed aliæ non ſuppetunt) generationum humanarum æternarum negativè, hoc eſt ſine ulla prima, non eſt devenire ad ullam, quæ non ſit ex alia humana, & conſequenter non eſt devenire ad ullam, quæ ſit à ſolo Deo.

35. *Quæreres* 5. ſi eſſet poſſibilis æterna hæc creatura, præſertim ſucceſſiva, ſequeretur illam, vel duraturam, quoque in æternum, vel ſi Deus illam hodie deſtrueret, ac ſuſpenderet, infinitum ſucceſſivum finiretur, & verificaretur jam non eſſe id, quod per infinitos annos jam duraverat; quod eſt formaliter finiri ſucceſſivè infinitum. Neque hoc valet; tum quia tranſeat Deum liberè volentem producere ſine principio, quoad exiſtendum, aliquam creaturam, ſive permanentem, ſive ſucceſſivam, liberè hoc ipſo ſe determinare ad conſervandum illam per totam ęternitatem, ſicut liberè ſe determinavit ad conſervandum in æternum omnes rationales creaturas, quas produxit in hac providentia Hoc poſito non ſequeretur infinitum finiri, quia ſicut Deus non poteſt

occidere

occidere unam formicam in ſenſu compoſito volitionis efficacis conſervandi eam: ita non poſſet deſtruere hodie iſtam creaturam, aut interrumpere iſtam generationum ſeriem, in ſenſu compoſito volendi efficaciter illam conſervare in æternum. Et hæc volitio eſſet conſequens ad volitionem producendi illam ab æterno, & eſſet conſequens propter illud abſurdum, quod ſequeretur. Ex eo, quod hæc omnia vera eſſent, quid contra nos? Tum quia in hoc argumento committitur fraus, vel æquivocatio unius modi habendi infinitatem cum alio valdè diverſo. Aliud namque eſt rem finiri quoad illud, quoad quod eſt infinita; & hoc repugnat. Aliud verò, quoad illud, quoad quod eſt finita, & hoc non repugnat, quia ut dixi, & duobus exemplis probavi num. 28. non omnis infinitudo eſt infinitudo in omni linea, ſeu ſecundum omne. Si enim æternam durationem, quam ſumus habituri, intueatis ſurſum, & retrogradè, invenies finem, nempe punctum primum. Jam æterna illa creatura duraret infinitè; non quidem deorſum, & verſus nos; ſed ſurſum, ideſt à parte ante, ergo quod deorſum à parte poſt, ac verſus nos finiretur, non eſt abſurdum. Abſurdum foret, quod mente numerando ſurſùm, ſeu retrogradè verſus ante actas durationes deprehenderetur ultima: nam illa foret principium illius æternitatis, & conſequenter illa non foret æternitas à parte ante. At quamvis per totam æternitatem à parte poſt mente numerares ſucceſſivè anteactos illos annos, numquam deprehenderes ultimum, quia numquam deprehenderes primum, qui profectò ultimus eſſet retrogradæ illius numerationis. Ergo. Juxta hanc rationem diſtinguendum eſt, quod infinitum ſucceſſivè finiretur: & concedendum de finitione deorſum, negandum autem de finitione ſurſum. Illud autem infinitum eſſet ſurſum, non verò deorſum.

36. Tum quia non finitur preſſè loquendo, quod numquam incæpit. At creatura illa, ſive permanens - ſive ſucceſſiva, quæ ab æterno exiſteret, eo ipſo numquam incæpiſſet, quia, ut dixi, hæc æternitas ſtat formaliter in hoc negativo, ita exiſtere, *ut numquam habuerit principium*. Ergo. Verumtamen quia hic terminus *Durare infinitè*, ſignificat primariè non habere finem à parte poſt, atque in futurum: & illa creatura poterat habere finem à parte poſt, & in futurum: idcircò ſi ſenſum magis frequentem illius termini conſervare velis, dicam creaturam illam permanentem, aut ſucceſſivam, non habituram durationes infinitas propter hoc ipſum, quod terminus iſte magis ſignificat futurum, quàm præteritum, magis innuit excluſionem finis, quàm principij. Nihilominus utraque illa creatura non haberet initium in exiſtendo. Nam ſemper, & ſemper extitiſſet, & non eſſet aſſignabile adhuc mente divina inſtans ullum reale, vel imaginarium, ante quod non extitiſſet; atqui in hoc ſtat quidditas exiſtendi ab æterno. Ergo licet non haberet durationes infinitas in ſenſu magis frequente iſtius termini tendentis in futurum, & in *à parte poſt*, extitiſſet tamen ab æterno, & ſine initio. Unde ſi velis, ne dicas illam creaturam habituram durationes infinitas; dicas verò habituram durationes imprincipiatas. Et in hoc

ſtat

ſtat, ut notavi, fraus, vel æquivocatio hujus argumenti, quod tendit deorſum verſus finem per motum ſurſum verſus principium, & ex eo, quod deorſum non ſit res infinita, contendit quod neque ſurſum. Juxta hunc diſcurſum dicendum eſt ęternitatem à parte ante, ſiſtentem in hoc puncto, in quo nunc ſumus, non eſſe infinitam: ſed imprincipiatam; è converſo autem æternitatem à parte poſt, nunc incipientem in anima v. g. quam nunc Deuſ creat, eſſe principiatam, ſed infinitam. Unde ex eo, qnod nunc ceſſaret catena durationum à parte ante æternarum, non ſequeretur *infinitum, ſed imprincipiatum* finiri.

§. III.

37. Q*Uatenùs* 6. Vel Deus creat hoc noſtrum Zenith in hoc Emiſphærio, vel in altero. Si primum, motus completus inciperet in altero. Si ſecundum, motus inciperet in hoc. Utrovis igitur modo motus, & circumvolutio haberet principium. Ergo non eſſet ab ęterno. Neque hæc ingenioſa ratio P. Rubio, quæ nonnullis valdè probata fuit, urgere videtur. Illud namque dilemma *crearet in hoc, vel non crearet in hoc, ſed in alio*, quamvis inter contradictoria verſari videatur, eſt falſæ ſuppoſitionis. Sicut hęc: *Incognoſcibile, vel exiſtit, vel non exiſtit. Omnis Deus, vel eſt, vel non eſt Omnipotens. Diſtinctum adequatè ab omni poſſibili, & impoſſibili, vel eſt, vel non eſt cognoſcibile. Chymæra, vel cantat, vel non cantat.* Et ſimilia; quibus ingenium, & patientia tyronum exerceri ſolet. Sicut enim hæc dilemmata ſupponunt falſum, ita iſtud *crearet in hoc; vel crearet in illo*; tacitè ſupponit primam aliquam actionem Dei, primamque aliquam præſentiam hujus noſtri Zenith. Atqui de hoc primatu eſt quæſtio, & negatur à nobis ajentibus, quod licet nulla ſit poſſibilis creatio, ac præſentia illius, quæ ſpecificativè, ac ſecundum ſe non *poſſit* eſſe prima, eo quod illam eligere poterat Deus ad incipiendum opus; nulla tamen eſt poſſibilis, ſeu aſſignabilis, quæ *ſit* prima, & ſupra quam non ſint aliæ, & aliæ ſine principio. Ergo dilemma iſtud ſupponit tacitè id, de quo eſt quæſtio, & quod à nobis negatur. Nego itaque ſuppoſitum illius, ſicut illorum aliorum, quæ repoſui. Vel diſtinguo, creatione aliqua, aut præſentia, quæ eſſet prima, nego, Creatione, ac præſentia, quæ eſſet pura conſervatio, dico Deum creaturum noſtrum Zenith in noſtro Emiſphęrio, ita tamen, ut immediatè antecedenter creaverit illud in altero; Et etiam in altero, ita tamen, ut immediatè antecedenter creaverit illud in hoc. Creatio namque illius *in* non eſt res aliqua ſimplex, ac indiviſibilis, ſed imprincipiata congeries creationum, & præſentiarum oadinatè ſibi ſuccedentium. Ergo eſſet creario in hoc, in altero emiſphærio, ſed diſtributione accommoda, una in hoc, alia prior in altero, altera magis prior in hoc, altera magis adhuc prior in altero

altero. Et ſic ſine initio hujus prioritatis. Sicut ſi Deus conſervaret idem Zenith per ęternitatem à parte poſt movendum, conſervaret illud in hoc, & in altero Emiſphęrio; ſed diſtributione accommoda. Una conſervatio, & pręſentia in hoc, altera in altero, altera magis poſterior in hoc, altera magis adhuc poſterior in altero. Et ſic ſine ſine hujus poſteritatis. Sicut enim hæc ęternitas à parte poſt non habet finem, ita illa à parte ante non habet principium.

38. *Quatenus* 7. Si Deus ab ęterno produceret ignem applicatum ſtuppę, ille,utpotè agens neceſſarium,combureret hanc, quam primum poſſet,deinde non combureret, quia alias ſtuppa non foret ab ęterno cum ponamus illam ſic eſſe. Neque hoc valet, tum quia idem argumentum fieri poteſt contra ignem, quem Deus velit conſervare per ęternitatem à parte poſt applicatum ſtuppę. Tum quia poteſt creatura eſſe ab ęterno, quamvis non poſſet eſſe iſta combinatio propter iſtud idem abſurdum. Ergo data impoſſibilitate caſus iſtius, ſubſiſtit ignem ſolum, ſtuppam ſolam, aut ambo, ſed non applicata, poſſe eſſe ab ęterno. Tum quia argumentum iſtud trahit originem ex imaginatione ſupra rejecta. Nimirum,quod illud *ab æterno* ſit aliquid poſitiuum, & determinatè ſignabile, ubi res incipiat. Producere itaque ab ęterno ignem applicatum ſtuppę,eſt à parte rei, quod nullum ſit aſſignabile inſtans, ante quod non fuerit ignis ex divino decreto applicatus ſtuppę, quam vellet tamen conſervare. Poſita hac volitione, quę eo ipſo eſt nolitio concurrendi cum igne ad combuſtionem, hic non poſſet in quolibet inſtanti comburere, ſed in eo tantum, quod Deus pręfiniret, quia licet ignis ſit cauſa neceſſaria combuſtionis, proxima tamen facultas ipſius ad comburendum conſtituitur per decretum applicativum Omnipotentię ad combuſtionem, quod decretum non datur, quando Deus non vult concurrere. Unde diſtinguo primam partem, quàm primum poſſet, tum ex parte ſui, tum ex parte Dei, concedo; (ſed ex parte Dei non poſſet in tota ęternitate à parte ante, eo quia Deus in tota illa vellet conſervare ſtuppam) quamprimum poſſet ex parte ſui pręcisè, nego. Tum quia iſtud *quamprimum*; ſicut illud alterum, quo utitur Arriaga inquiens. Poteſt velle Deus ab ęterno producere creaturam in tempore *quam primum poſſit*, ſupponunt falſum, quia ſupponunt conceptibile eſſe inſtans aliquod, quod ſit primum, in quo poſſit incipere tempus, ſeu ante quod non poſſit incipere tempus; atqui hoc eſt falſum, quoniam tempus extrinſecum, v. g. motus firmamenti, & intrinſecum, nempe tuæ, aut meæ, aut aliæ durationes potuerunt eſſe ab æterno diſtributione accommoda, quia ita potuerunt diſponi à Deo, ut illarum ſeries non habuerit initium, & nulla ſit illarum antequam non ſit alia. Ergo falſæ ſuppoſitionis ſunt iſta *quamprimum*. Dico; ambo illa tempora potuiſſe eſſe ab æterno,ſed ſpecificativè,ac ſecundum ſe:quia ſi ab ęterno eſſent,jam non eſſent tempus, ſed ęternitas. Tempus ergo poteſt eſſe ab ęterno, ſicut ſedens poteſt ſtare, nempè in ſenſu diviſo: ita ſeries durationum(quę eſt tempus,quia incipit,& finitur)poteſt

ſupra,

ſuprà, vel infrà tot alias habere durationes, ut jam non ſit tempus, ſed ęternitas.

39. *Quatenus* 8. In æterna ſerie generationum humanarum, ſi modò fiant naturali, nulla eſt aſſignabilis, quæ non ſit tempore poſterior reſpectu alterius: Pater enim non generat filium in inſtanti, quo generatur ab Avo. Ergò nulla eſt ab æterno. Idem in æterna ſerie temporis, ſeu motus, quia nullum minimum punctum alterutrius eſt aſſignabile, quod non ſit poſterius alio. Ergò nullum eſt ab æterno. Id diſtinguo, conceſſo antecedente. Nullum eſt ab æterno in ſenſu poſitivo, ſicut eſt Deus, & ſicut poteſt eſſe creatura permanens, concedo. In ſenſu merè negativo, nego, quià ambæ iſtæ ſeries generationum motuum, & ſimilium non ſunt ab æterno poſitivè, quaſi tota ſeries, aut aliqua ipſius pars ſit ab æterno; ſed purè negativè, quatenùs eſt ſeries, cujus nulla penitùs pars eſt prima, ſeu ante cujus unamquamque partem ſunt aliæ, & aliæ, & aliæ ſine principio. Et explicatur exemplo ſimilium generationum æternarum à parte poſt, quia etiam nulla eſt aſſignabilis, poſtquam non ſit alia, & conſequenter nulla eſt in ſenſu poſitivo ęterna à parte poſt. Neque dicas. Si motus, aut generationum ordo fuit ab æterno, Deus non fuit prior tempore, quàm motus. Ergò, vel quatenus non fuit prior, quàm ulla pars illius (& hoc palàm eſt falſum, quoniam qualibet aſſignatâ, eſt verum, quòd alia, v.g. pars A. eſt prior tempore, & conſequenter eſt verum, quòd Deus coexiſtens parti A. eſt prior tempore, quàm illa pars aſſignata) vel quatenus non fuit prior tempore, quàm pars quædam determinata (& ſic illa fuiſſet prima totius ſeriei, & conſequenter hæc non caruiſſet principio, & neque fuiſſet ab æterno, ſed ſola illa pars determinatè fuiſſet ab æterno.) Vel quatenus non fuit prior tempore, quàm omnes diſtributivè ſumptæ (& ſic oportet aſſignare aliquam, vel aliquas, reſpectu cujus, aut quarum non fuerit prior tempore: & illa, vel illæ ſunt primæ illius ſeriei, & illa, vel illæ ſolæ fuerunt ab æterno) vel demum quatenus non fuit prior tempore, quàm omnes collectivè ſumptę. Et ſic jam admittitur collectio omnium durationum, generationum, ac motuum exiſtens æternè à parte ante. At de ratione collectionis omnium eſt, quòd extrà illam nil ſit, & conſequenter, quòd undique ſit clauſa, & undiquè habeat terminum. Ergò admittitur ſeriem iſtam æternarum generationum à parte ante undiquè eſſe clauſam, habereque terminos. Ergò admittitur, non eſſe infinitam, nec imprincipiatam.

40. Id inquàm nè dixeris; tum quia loquutiones iſtę *Omnes diſtributivè. Omnes collectivè. Una determinata* ſunt propriè numeri finiti, aut etiam rerum infinitarum, ſi volueris, ſimul tamen exiſtentium, quia ſyncathegorema illud *omnis* præſefert aliquam ſimultatem, & nil extrà ſe relinquit. Ergò uti loqutionibus iſtis in caſu præſenti ſeriei durationum, motuum, & generationum *nunquam incipientium*, tàm alienum, & improprium eſt, quàm uti his ſolis vocibus, *irrationale, hinnibile, latrabile, expers rationis*, quandò diſputatur de *rationali*, ut nota.

vi

vi num. 26. Quòd ſi dixeris, alias non ſuppetere voces, propior ſum annuenti, quàm renuenti. Et hinc naſcitur fraus, aut æquivocatio in diſputando de infinito quoad numerum, & ſucceſſionem, quia Doctores impugnantes illud utuntur terminis, apprehenſionibus, atque ſpeciebus, non ſolùm impropriis reſpectu illorum infinitorum, verùm etiam oppoſitis cum illis eiſdem: ſicut ſi diſputantes contrà Angelos, v. g. uterentur his terminis: *Corpora, robuſta, virilia, formoſa, juvenilia, alata*, & ſimilibus. Conceſſo igitur, Deum non eſſe priorem tempore æternâ illâ ſerie motuum, aut generationum: nego conſequentiam cum omnibus ſuis diviſionibus. Illa namque non prioritas reſpectu hujus motus, aut ſeriei, non eſt reſpectu hujus in ſenſu poſitivo, quaſi hæc ſit aliquid per modum unius exiſtens ab æterno; ſed reſpectu hujus in ſenſu merè negativo; quatenus nec mente ipsâ divinâ eſt aſſignabile ullum punctum temporis realis, vel imaginarii, in quo exiſteret Deus, & in quo non exiſteret etiam aliqua pars ſeriei prædictæ.

41. Et in hoc ſolo ſenſu negativo eſt verum, quòd Deus non eſſet prior tempore illâ ſerie motuum, aut generationum. Et in hoc ſolo ſenſu illa ſeries eſſet imprincipiata, eſſet ab æterno, eſſetque infinita à parte ante. Et in hoc ſolo ſenſu negativo poſſumus loqui, ac diſputare de his infinitis. Et ad hunc ſolum ſenſum negativum venire debes abjiciendo vocabula iſta omnia præſeferentia ſenſum poſitivum, quia omnium illorum ſuppoſitum negabo, quin moveat me aptitudo illorum pro rebus aliis, quæ habent principium, aut finem, aut utrumque. Tum etiam, quia iſtud argumentum adoritur eodem modo æternitatem à parte poſt Angelorum, & Hominum. Sicut enim Deus non eſſet prior tempore ſerie dictâ motuum, & generationum; ita nec erit tempore poſterior ſerie infinitarum durationum realium, vel imaginariarum, formalium, vel æquivalentium (his vocabulis nè irretiaris) quæ concedendæ ſunt Hominibus, & Angelis. Deduc modò idem, quod ex non prioritate temporis reſpectu imprincipiatæ ſeriei durationum deducebas. Nempè; Ergò, vel quatenus non erit poſterior tempore, quàm ulla. Vel quatenus non erit poſterior tempore, quàm pars quædam determinata. Vel quatenus non erit poſterior tempore, quàm omnes diſtributivè. Vel quatenus non erit poſterior tempore collectivè. Et omnia ſunt falſa, vel æquivoca. Ad ſenſum igitur merè negativum jam dictum venire debes, quoties argumentaris contrà infinitum ſucceſſivum, ſive contrà imprincipiatum, ut jam notavi in phyſica naturali agens de infinito numerorum: & indè non debes excurrere ad ſenſum poſitivum falſæ ſuppoſitionis, vel cavilloſum valdè, niſi extrà eſſentiam ſubjecti diſputationis vagari velis. Cum ergò his octo argumentis præcipuè impugnetur poſſibilitas creaturæ, quam dixi num. 29. ſi argumenta hæc non concludunt, poſſibilitas illa ſubſiſtit.

42. Ut cætera ſolvas, obſerva ſex. *Primum eſt*, quòd toties dixi, & dicam: nimirùm verba omnia, terminos, & loquutiones, quibus conſtant pleraque argumenta contraria caute admittenda eſſe. Pleræque enim illæ phraſes malè aptantur rei præſenti, eo quia illæ ſunt pro-

Digitized by Google

priè pro rebus, quarum aſſueti ſumus, & conſequenter pro rebus habentibus initium in exiſtendo, & conſequenter facillimè imprimunt hanc apprehenſionem. At res præſens, quæ diſputatur, non habet tale initium. Ergò facillimè imprimunt apprehenſionem, rei ipſi, quæ diſputatur, contrariam. Ergò cautè utendum eſt illis. *Secundum*. Argumenta contraria trahenda ſemper eſſe, ut toties inculcavi, ad conceptum negativum: ſcilicet, *non habere initium*, aut *non habere finem*. Quia in hoc conceptu negativo ſtat quidditas rei, quæ diſputatur, nempè eſſe æternam à parte ante, ſicut quidditas infiniti ſtat in eo, quod per viam ſucceſſivæ numerationis non habeat finem. Arcendæ igitur ſunt omnes phraſes, quæ redoleant quid poſitivum ultra ipſam creaturam, & ipſius durationes in æternitate à parte ante. Atque ad illum conceptum negativum, & juxtà illum exponendæ ſunt contrariæ rationes. *Tertium*. Æternitatem à parte ante creaturæ explicui, a cdefendi per viam durationum ſucceſſivarum, ſicut æternitatem à parte poſt, & non per viam unius indiviſibilis quaſi durationis reſpondentis toti æternitati, aut à parte ante, aut à parte poſt. Quia neceſſe non eſt exponi aſperæ difficultati concedendi eſſe poſſibilem creaturam, habentem ex ſua met eſſentia eſſe coævam Deo, & tam antiquam dierum, ſicut eſt Deus ipſe, ſi ſemel exiſtat. In ſerie autem durationum non habentium initium, nulla eſt iſtiuſmodi eſſentiæ creatura; quoniam, licèt ſingulæ durationes, hanc quaſi ſeriem componentes, habeant ex ſua met eſſentia, quod ſi exiſtant, exiſtant quando exiſtunt, & antea, vel poſt. Veruntamèn ea quaſi ſeries (propriè non eſt ſeries, quia non habet initium) non eſt æterna in ſenſu poſitivo, quaſi tota ea, aut aliqua ipſius pars debeat exiſtere poſitivè ab æterno, ut ſæpè dixi; ſed in ſenſu merè negativo, quatenus nulla ex eis durationibus eſt, aut poteſt eſſe prima, ſiquidem ante quamlibet fuerunt aliæ, & aliæ, & aliæ ſine initio.

43. *Quartum*. Sicut non dedecet Deum impotentia occidendi unam formicam, ex hypotheſi, quòd efficaciter decreverit illam conſervare vivam, imò dedeceret potentia, quia eſſet potentia ad ſibi ipſi contraria adum. Et neque dedecet Deum impotentia deſtruendi Angelos, & Homines hujus providentiæ per totam æternitatem à parte poſt, ex hypotheſi, quòd efficaciter ſtatuerit, illos in æternum conſervare. Ita non dedecet impotentia deſtruendi in tota æternitate à parte ante creaturam, quam efficaciter voluiſſet producere ab æterno. Omnes quippe hæ impotentiæ ſunt conſequentes ad voluntatem ipſam Dei. Et licèt non omnis impotentia, quæ utcumque dicatur conſequens ad voluntatem Dei, eo ipſo ſine diſcretione ſit admittenda poſſibilis, nam fieri poteſt, ut ea voluntas, quæ ab alio affirmatur, ſit impoſſibilis (& ideò impotentia non ſubſerviendi creaturæ, quæ diceretur conſequens ad voluntatem divinam, obligandi ſe ex voto, ex ſervitute, ex obedientia creaturæ, eſt impotentia repugnans Deo, nempè quia illa hypotheſis, & voluntas manifeſtè repugnat Deo). Verumtamen, quando impotentia eſt conſequens ad voluntatem, quæ prudenter diſputa-

tur,

tur, ſit nè poſſibilis, non eo ipſo, quod ſit impotentia, eſt Deo impoſſibilis. At prudenter diſputatur, ſit necnè poſſibilis voluntas efficax divina producendi creaturam ab æterno. Ergo.

44. Non obſtante autem hac impotentia deſtruendi ab æterno dictam creaturam, ſubſiſtit, quòd nullum eſſet inſtans imaginarium in æternitate à parte ante, in quo non poſſet Deus adhuc conjunctim cum æterna illa productione deſtruere illam creaturam. (Secùs de inſtantibus realibus, quia cum hæc ſint durationes ipſæ creaturæ illius, implicat, quòd deſtruatur in duratione ipſius, ſeu quandò datur aliqua duratio illius.) Quia cùm neque ſit, neque potuerit eſſe initium æternitatis à parte ante, ſicut neque erit, neque poteſt eſſe finis in æternitate à parte poſt: nullum eſt aſſignabile inſtans imaginarium, ante quod non fuerint infinita, & infinita, & iterum infinita inſtantia. Sunt namque ſine principio. Ergò nullum eſt aſſignabile inſtans, in quo, ſi creatura illa deſtrueretur per Deum, non verificaretur, creaturam illam fuiſſe ab æterno, ideſt ſine primo inſtanti. Non ergò opponuntur hæc duo *exiſtere ab æterno*. *Poſſe deſtrui in quolibet inſtanti æternitatis aſſignabili à parte ante*. Neque ex hoc inferretur oppoſitum illius, quoniam, ut dixi, in quocumque deſtrueretur, jam præceſſiſſet per infinita, & infinita inſtantia, ideſt ſine initio: & in quocumque deſtrueretur, deſtrueretur in tempore, & non ab æterno. Quoniam deſtrui ab æterno ſtaret in eo, quod nullum eſſet aſſignabile *primum* inſtans, in quo deſtrueretur. At eſset aſſignabile, nempè illud, in quo poſt infinita, & infinita inſtantia imaginaria ſine ullo initio deſtrueretur. Ergò.

45. *Quintum* infertur ex his. Nullum penitus eſset inſtans in dicta æternitate à parte ante, quod eſset ab æterno; ſed omnia diſtributivè ſumpta (ſi ità loqui licet) inciperent in tempore. Ipſa tamen durationum ſeries propter hoc ipſum foret ab æterno. Tum propter obvium exemplum. Nullum penitus conſtitutivum phyſicum hominis eſt ſimpliciter animal rationale; ſed omnia, & ſingula ſunt ſimpliciter non animal rationale; & tamen homo eſt ſimpliciter animal rationale. Tum propter ſpecificam rationem. Eo ipſo, quòd ſit durationum ſeries, & nullum prorsùs aſſignabile ſit initium illius ſeriei, illa eſt ab æterno, quia in illo conceptu negativo ſtat primariè quidditas, & realitas eſſendi ab æterno, ut toties dixi. Sed eo ipſo, quod exiſtant inſtantia conſtitutiva illius ſeriei, & nullum ſit ab æterno, ſed ſingula incipiant in tempore, erit durationum ſeries, & nullum penitus erit illius initium. Quia nullum fuiſſe ab æterno in hypotheſi, quæ diſputatur, ſed omnia incæpiſſe in tempore, ſtat in eo, quod ante unumquodque fuerint alia, & alia ſine initio. Ergò, eo ipſo, quod exiſtant inſtantia conſtitutiva illius ſeriei, & nullum ſit ab æterno, ſed omnia incipiant in tempore, ſeries durationum eſt ab æterno. Ergò nullum inſtans fuiſſe ab æterno, ſeriem verò fuiſſe ab æterno, tam longè diſtant ab oppoſitione in hypotheſi, quæ diſputatur, ut potius unum inferatur ex altero. *Sextum*. Non quia ſeries durationum dicta ab æterno fuerit dire-

ctè loquendo, poteſt illicò dici reflexè, *Æternitatem à parte ante fuiſſe ab æterno*; ſicut nec *æternitatem à parte poſt futuram eſſe in æternum*. Hæ namque propoſitiones poſſunt habere ſenſus valdè diverſos, & rapere, vel ſaltem ſollicitare imaginationem in res valdè diverſas. Unus ſenſus eſt. *Non habere initium in eſſendo* (in hoc ſtat æternitas à parte ante) *non habet initium in eſſendo*, in hoc ſtat exiſtere ab æterno. Et ſimiliter reſpectivè de altera propoſitione. Hic ſenſus utpotè identicus, verus eſt. Alter. *Æternitas à parte ante eſt aliquid poſitivum, ac per modum unius, ante cujus exiſtentiam nil exiſtit*. Hic ſenſus eſt falſus: quoniam æternitas à parte ante non eſt ſimpliciter aliquid poſitivum; ſed primariè conſtituitur per carentiam dictam: & neque eſt per modum unius, ſed res eſſentialiter ſucceſſiva, & cujus partes invicem repugnant quoad ſimultaneam exiſtentiam, prætereo alia, tum quia minus difficilia,
P. Oviedo & obvia, maximè apud P. Oviedo. Tum, quia in phyſica naturali diſp. 2.
contr. 19. agens de infinito, ſatisfeci illis. Octo namque argumentis à num. 30.
phyſ. pun. 3 ſolutis, & his aliis ſex præoccupatis rationabiliter fulcitur poſſibilitas illius creaturæ, quam dixi n. 29.

CAPUT TERTIUM.

De Ubi, ſeu Loco.

46. DUPLEX ſpatium, ſeu Ubi, ſeu Locum diſputant Philoſophi. Primus locus dicitur purè imaginarius, non quia ſit chymericus, ſed quia non eſt, nec fuit, neque erit, tametſi eſſe poſſit: ut paulò ante dicebam de tempore, ſive durationibus imaginariis. Et ſic infiniti homines, & Angeli, quos Deus poteſt producere; ſed neque fuerunt, neque ſunt, neque erunt, ſunt Homines, & Angeli purè imaginarii, ideſt purè poſſibiles. Et quemadmodùm hi, ſi ſunt, aut fuerunt, aut erunt, non ſolent dici homines purè imaginarii, v.g. primi, & ultimi Incolæ hujus Mundi, quia licet neutri ſint modo, uni tamen fuerunt, & alteri erunt, & conſequenter neutri vocari ſolent *purè poſſibiles*. Ita locus, qui fuit, vel erit, quamvis modò non ſit, non ſolet dici locus merè imaginarius, quandoquidem præter non repugnantiam, verificatur de ipſo actualitas aliqua, v.g. *fuiſſe*, aut *futurum eſſe*. Et in hoc ſenſu mundana hæc fabrica, in qua ſumus, Deus, Angeli, Homines, & reliqua numquam fuit, aut erit ſpatium purè imaginarium, ante ipſius namque conditionem verificabile erat *futurum eſſe* ſpatium hoc, quod Empyreo circumcingitur, & caſu quo illam totam Deus deſtrueret, verificabile eſſet *fuiſſe* ſpatium hoc. Et in hoc ſenſu non eſſet verum dicere, totum quod apprehenditur ultrà Empyreum, eſſe ſpatium imaginarium,
ſi ul-

Digitized by Google

ſi ultrà illud producturus eſſet Deus corpus aliquod, cujus ſuperficies eſſet locus extrinſecus, aut aliquem ſpiritum, cujus pręſentia eſſet locus intrinſecus. Prętetquamquod illud *ultra, extra*, cęteraque adverbia loci ſunt impropria, imò falſę ſuppoſitionis, quandò loquimur de loco non loco, ideſt de loco, ſive ſpatio purè imaginario, ut jam adverti in Phyſica naturali, diſp.4. cap. ult., ubi egi de ſpatio imaginario, & ubi legere potes, quod pręcipuè diſputari ſolet ſuper illo. Hęc de ſpatio *purè* imaginario, quod ſi expungas particulam eam excluſivam, & loquaris de ſpatio imaginario: dicam eſſe ſpatium, ſeu locum, qui poteſt eſſe, ſed actu non eſt. Et in hoc ſenſu Homines, qui non ſunt, ac fuerunt, vel erunt, licèt non ſint *purè imaginarii*, ſunt tamen Homines imaginarii. Et circulus Empyrei ante ſuam primam productionem, licèt non fuerit ſpatium *purè imaginarium*, fuit tamen ſpatium imaginarium.

47. Alter locus, ſeu ſpatium dicitur locus realis, ſeu Ubi reale. Et eſt, *Ubi, ſpatium, & locus* verè phyſicè exiſtens. Eſt duplex. Unus *extrinſecus*, qui definitur *ultima ſuperficies corporis continentis primò immobilis*, v.g. vas plenum aquâ eſt locus extrinſecus aquę, quoad illam primam ſuperficiem vaſis, quę contigua eſt ipſi aquę. Mare quoad illas particulas immediatè circumdantes piſcem, eſt locus extrinſecus piſcis. Aer iſte, intra quem degimus, eſt noſter locus extrinſecus &c. Addit autem Philoſophus verbum illud *immobilis*, non quia locus phyſicè, ac realiter debeat non moveri: movetur namque ſuperficies aeris, in quo ſumus, movetur ſuperficies aquę, in qua eſt navis, movetur navis, in qua eſt homo. Sed quia vel alludere voluit ad ſententiam quorumdam, quos ibidem impugnat, quamvis poſtea aliquatenus redeat in ipſorum gratiam, ajentium, locum eſſe interſtitium ſpatium indiviſibile, atque immobile, per quod diſcurrunt huc illuc corpora. Vel quia locus non movetur moraliter, eo quod licèt mutentur partes aeris circumdantis nos, veniunt aliæ, quæ ſunt quoque aer: & licèt mutentur individuæ aquæ circumdantes piſcem, ſuccedunt aliæ ſimiles aquæ. Eſt autem uſitatum in omni literatura loqui de re, tamquam de una, eademque, licèt mutentur individua illius, v.g. *Quem occidiſtis inter Templum, & Altare*, cùm non occidiſſent eum illi individui, quos Chriſtus corripiebat. Item: *Tu regere Imperio populos Romane memento*, ſcilicet jam uni jam alii Romani. Vel quia locus in ſenſu compoſito, quod ſit locus, à quo, debet non moveri, aut ſeparari ex re locata, quia aliàs jam non eſſet locus illius: ut concava ſuperficies vaſis non eſſet locus extrinſecus aquæ, ſi moveretur ex illa, propterea quòd illa aliò transferretur, vel propterea, quòd illa permanente vas diſcederet, ut interdum contingit, quandò fulmine diſjecto dolio, vinum ſtat, in quo caſu dolium jam non eſt locus extrinſecus vini. Applicuit autem immobilitatem loco potiùs, quàm rei locatæ, quia de loco diſſerebat: & hic eſt qui definit eſſe locus extrinſecus aquæ, ſi moveatur ex illa. Et ſic verbo illo *immobilis* voluit amplius explicare illud alterum *continentis*, nam ſi per unicum punctum temporis vaſis ſuperficies contineret aquam im-

Ariſtot.4. Phyſic. c.4.

Matth.23.

Æneid. 6.

pro-

propriè diceretur eſſe *locus aquæ*, cum eſſe locum alterius innuat permanentiam aliquàm. Vel denique potuit habere alia motiva ad verbum illum *immobilis* addendum.

48. Hic locus extrinſecus eſt duplex. Unus immediatus, & formalis, nempe ultima ſuperficies dicta, in qua non poſſet certè conſervari naturaliter aqua tota vaſis, ſed hoc probat corpus non poſſe naturaliter conſervari in loco extrinſeco præciſo, & formali. Alter mediatus, & æquivalens. Et eſt complexum ex omnibus illis ſuperficiebus, quæ conſtituunt profunditatem corporis continentis aliud. Juxta hunc ſenſum vas totum eſt locus extrinſecus, in quo eſt aqua, & totum hoc cubiculum, ut locus extrinſecus, in quo ego ſum modo. Rurſus locus extrinſecus immediatus eſt etiam duplex. Unus phyſicus immediatus: nempe illud cujus profundiores ſuperficies ſunt phyſicè continuæ cum ultima illa, quæ continet locatum; & ſic vas eſt locus extrinſecus immediatus aquæ. Alter immediatus moraliter, & eſt ille, intra quem continetur locus phyſicus immediatus. Sic urbs, in cujus una domo eſt Petrus, eſt locus extrinſecus immediatus moraliter, in quo vivit Petrus; juxta communem quippe modum non ſolum dicimus, Petrus eſt in tali domo, verum etiam eſt Madriti, eſt Romæ, eſt Neapoli &c. Id pendet ex communi modo loquendi, & cum inter modos loquendi nequeat inſtitui paritas ex unis ad alios, ideò ex eo, quod talis, aut talis urbs ſit locus extrinſecus hominis in ea degentis, non poteſt argui Orbem Saturni, v. g. eſſe locum extrinſecum Lunæ.

49. Alter locus realis, ſive *ubi*, ſive *ſpatium*, eſt locus realis *intrinſecus*; & eſt forma, aut quaſi forma, per quam immediatè formaliter res eſt in loco extrinſeco, de qua infra diſputabo ſit nec ne diſtincta ab ipſa re, quæ eſt in eo loco. Hæc forma, aut locus intrinſecus, eſt, quod paſſim vocatur, *præſentia*. De qua licet ſit dubium, infra examinandum, diſtinguatur nec ne ab aliis rebus præſentibus; aſt à Deo non diſtinguitur ſua præſentia; quoniam licet Deum *eſſe præſentem in loco hoc*, & conſequenter præſentia in actu ſecundo Dei in hoc loco, utpote conceptus quidam copulativus, includit eſſentialiter hunc locum propter generalem rationem ſæpè datam contra connotatores, & conſequenter diſtinguatur realiter inadæquatè à Deo; veruntamen forma, vel quaſi forma, qua immediatè, ac formaliter Deus eſt in hoc loco ex hypotheſi, quod ſit hic locus, identificatur adæquatè cum Deo, quia eſt ſua immenſitas; atqui hæc, ſicut omnipotentia, & reliqua attributa neceſſaria, identificatur adæquatè cum Deo. Ergo præſentia divina, ſeu ubi intrinſecum Dei, ſeu locus intrinſecus Dei, eſt Deus ipſe. Præſentia, inquam, non actualis abſoluta, & in actu ſecundo, ſed radicalis, & in actu primo. Dices. Omne, reſpectu cujus hoc cubiculum non eſt locus extrinſecus, non eſt in hoc cubiculo. Sed reſpectu Dei non eſt locus extrinſecus hoc cubiculum: quia de ratione loci extrinſeci eſt, quod ſua ultima ſuperficies *contineat* locatum; ultima autem ſuperficies hujus cubiculi non *continet* Deum, tum quia eſt extra hoc cubiculum etiam: nempe ubilibet: tum quia penetratur cum ipſa

ulti-

ultima ſuperficie, imò cum cęteris omnibus, eo quod ſit totus Deus in quolibet puncto loci, in quo ſunt reſpectivè omnes ſuperficies hujus cubiculi. Ergo non datur præſentia Dei in hoc cubiculo, imò nec dabilis eſt. Sed datur Deus ipſe. Ergo Deus diſtinguitur ab illa, quam dicimus præſentiam Dei. Reſpondeo; continere locatum, duo poteſt ſignificare: unum poſitivum; ſcilicet, quod locatum ſit in loco immediato illi loco, in quo eſt ſuperficies loci extrinſeci. Aliud negativum, ſcilicet, quod ita ſit ibi, ut non ſit alibi. Solum illud primum eſt de ratione loci extrinſeci; non autem hoc ſecundum: quoniam in eodem puncto temporis, in quo Sacroſanctum Corpus Chriſti Domini eſt in loco extrinſeco Cœli, eſt etiam extra illum: nempe in Euchariſtia, & quando viſum eſt in terris cum præſentia circumſcriptiva propria corporis, non eſt dicendum deſeruiſſe cœlum, ſicut nec dicendum videtur non poſſe illud idem ſacrum corpus apparere ſimul in diverſis partibus terræ, diverſiſque hominibus cum præſentia propria corporis, aut fuiſſe corpus aereum, ſive phantaſticum illud, quod toties viſum eſt hominibus Sanctis. Dico igitur hoc cubiculum continere ſecundum poſitivum totum Deum, quia totus Deus ratione ſuæ immenſitatis eſt in puncto loci immediato ei puncto loci, in quo eſt ultima ſuperficies hujus cubiculi, licet ſimul ſit etiam in puncto eodem, in quo eſt ipſa ultima ſuperficies, & in quibus ſunt cęterę, & in quibus ſunt alia.

50. Hæc præſentia eſt multiplex. 1. alia eſt ſpiritualis, v. g. immenſitas, qua Deus eſt ubique, præſentia, qua Angeli ſunt in Cœlo, vel in terra. Præſentia item, qua anima rationalis eſt præſens omnibus, & ſingulis membris corporis, quod licet negent illi, qui cenſent apud, & cum Oviedo omnem formam, etiam rationalem, eſſe præſentem per præſentiam materiæ, cui unitur: infra probabo negandum non eſſe. Nempe, quia licet omnes hæ præſentiæ ſumptæ in concreto intimè conſtituantur per locum ipſum extrinſecum, ut dicebam numero antecedente de præſentia divina in loco A, v. g.; & conſequenter ſic ſumptæ conſtituantur per corpus aliquod: & conſequenter ſint corporeæ, ſeu proprius loquendo, ſit corporeum illud complexum, quod ex illis reſultat, & ex loco extrinſeco; cęterum hę eędem præſentiæ ſumptæ in abſtracto verè exiſtunt, quin dicant talem connexionem cum quantitate, ut ſine miraculo nequeant carere illa, in qua ſpecie independentiæ à quantitate poſui conceptum ſpiritus diſp. 4. logicæ majoris. Alia pręſentia eſt materialis, & corporea, v. g. qua hæc carta eſt in hoc loco potius, quam alibi. Hæc eſt duplex. Una formaliter immediatè corporea, nimirum præſentia ipſa quantitatis, quæ ſola eſt ſimpliciter corpus, quia per ſe immediatè, ac formaliter reſiſtit alii quantitati, quoad locum, & in ordine ad quam cætera omnia corporea dicuntur, & ſunt corporea, ut ibi explicui. Altera reductivè corporea videlicet omnis præſentia rerum, quæ ex ſua eſſentia eum dicunt ordinem ad quantitatem, ut ſine miraculo nequeant carere illâ. Et talis eſt præſentia materiæ primæ, formę materialis, & reliquorum omnium materialium; quamvis enim dixerim in Prodromo diſp. 5. num. 158.

num. 158. *non omne* metaphyſicè connexum cum fundamento connexionis phyſicæ, eſſe metaphyſicè, aut phyſicè connexum cum termino, quinimò interdum eſſe metaphyſicè oppoſitum huic; non tamen dixi *Nil* metaphyſicè connexum cum eo fundamento eſſe phyſicè connexum cum termino. Hinc licet caſu, quo Deus materiam primam panis conſervaret ſine ulla quantitate (ſicut hanc in Euchariſtia conſervat ſine ulla materia panis) non fieret ullum miraculum contra præſentiam materiæ primæ, ſed ſolum contra hanc; ſubſiſtit nihilominus præſentiam materiæ primæ ex ſua eſſentia eſſe intimè, ac metaphyſicè connexam cum unione phyſica ſui ipſius ad materiam: & hanc ita connecti cum quantitate, ut ſine miraculo nequeat orbari eâ. Sed hoc ſufficit, ut præſentia materię ſit reductivè ſaltem corporea, ideſt, ad genus ſpectet rerum corporearum, quod genus in multas ſpecies dividitur, v. g. corporeum primarium, & immediatè, ratione dictæ identitatis (& eſt ſola quantitas) Corporeum ſecundarium, & mediatè, ratione dictæ connexionis (& eſt materia prima, v. g.) Corporeum magis ſecundarium, & mediatum, & eſt omne illud, quod ex ſua eſſentia exiſtere nequit ſine intima unione intrinſeca cum corporeo ſecundario, quæ impotentia nulli rei ſpirituali convenit. Ergo ſubſiſtit pręſentiam materiæ, & ſimilium rerum corporearum eſſe corpoream, & materialem.

§. II.

51. PRæſentia, ſive ſpiritualis, ſive materialis eſt duplex. Una entitativè indiviſibilis, v. g., qua totus Angelus eſt, aut eſſe poteſt in unico puncto loci, & qua unum punctum quantitatis eſt in unico puncto loci, & unum punctum materiæ, ac unum punctum formæ diviſibilis ſunt cum uno puncto quantitatis utrique communi in eodem puncto loci: tria namque hæc invicem penetrantur, nam impenetrabilitas formalis, ac immediata ſtat in ſola quantitate, & eſt reſpectu alterius quantitatis, & ratione illius ſolius cætera ſunt impenetrabilia non inter ſe; ſed cum alia quantitate. Altera entitativè diviſibilis, v. g. qua tota hęc carta eſt in toto hoc ſpatio longitudinis, & latitudinis: item qua Angelus poterat replicari per Deum in toto hoc cubiculo: licet enim non immeritò diceretur, cubicularem hanc præſentiam non eſſe unicam, ſed completam ex multis; meritò etiam dici poteſt illam fore unam præſentiam adæquatam ex multis compoſitam, quandoquidem ſubjectum præſens unicum foret, & præſentię ipſæ inter ſe diſtinctę eſſent; tametſi poſſet etiam contingere, quod occupatio illa totius cubiculi fieret per unicam ſimplicem indiviſibilemque actu formaliter præſentiam, & ſolum virtualiter diviſibilem. Rurſus cum præſentia innuat tria: ſcilicet ſubjectum præſens, præſentiam ipſam, locum, in quo illud eſt pręſens, multæ combina-

tio-

Digitized by Google

tiones præſentiarum excogitari poſſunt. Nempe pręſentia indiviſibilis entitativè, ſed diviſibilis ex parte ſubjecti, & ex parte loci, ut ſi unica indiviſibili præſentia poneret Deus totam hanc cartam in omnibus ſingulis partibus hujus cubiculi. 2. pręſentia indiviſibilis entitativè, atque etiam ex parte ſubjecti, ſed diviſibilis ex parte loci, ut ſi unicâ ſimplici pręſentiâ poneret Deus animam rationalem, quam entitativè indiviſibilem ſuppono, in toto hoc cubiculo. 3. indiviſibilis tribus eis modis, ut præſentia, qua anima rationalis eſt in quolibet puncto corporis animati. 4. indiviſibilis ex parte ſubjecti, ſed diviſibilis entitativè ex parte ſui, nec non ex parte loci, ut præſentia, qua anima noſtra eſt in toto noſtro corpore. Anima namque, quæ eſt ſubjectum præſens, eſt in loco diviſibili, nempe, quem occupat corpus totum, & eſt per pręſentiam diviſibilem. Reſciſſo enim uno brachio deficit pręſentia animę ibi, & non deficit pręſentia animę in altero brachio, ſine fundamento quippe diceretur deficere totam priorem pręſentiam animę, & de repente produci aliam in eiſdem partibus corporis reſtantibus. Ergo pręſentia, qua anima eſt in uno brachio, diſtinguitur à pręſentia, quâ eſt in altero. Sed ambas habebat ante abſciſſionem illius brachii. Ergo pręſentia, quam habebat, componebatur ex partialibus pręſentiis diſtinctis. Ergo erat pręſentia diviſibilis rei indiviſibilis in loco diviſibili. 5. indiviſibilis ex parte loci, ſed diviſibilis ex parte ſui, atque ex parte ſubjecti, ut ſi Deus omnes partes hujus cartę per ſingulas præſentias ſingulis partibus reſpondentes poneret in unico puncto loci; tu conſidera cęteras combinationes.

52. Præterea præſentia materialis poteſt eſſe cum figura, vel ſine figura. Eſt cum figura, quando partes corporis habent inter ſe eas diſtantias, atque indiſtantias, quarum concurſus, ſive congeries, faciunt vultum potius, quàm manum: aut faciunt ſtatuam humanam potius, quàm equinam. Unde figura corporalis, ut diſtincta à forma externa corporis, ſtat formaliter immediatè in duobus: uno poſitivo, & altero negativo. Poſitivum eſt, quod partes illæ eædem corporis, & non aliæ habeant inter ſe proportionem illam ſpecificam, quæ conſiſtit in eo, quod habeant inter ſe reſpectivè diſtantiam, & indiſtantiam, quam habent. Negativum autem eſt, quod non habeant aliam diſtantiam, aut indiſtantiam; quod autem partes ſint plures, aut pauciores ad magnitudinem ſpectat, aut parvitatem figuræ. Forma verò externa ſolet addere numerum determinatum partium: caput enim humanum ordinariæ magnitudinis, hoc eſt, ordinarii numeri partium, & caput complens 50. milliaria eſſent ejuſdem figuræ, ſi haberent eandem diſtributionem partium; ſed non ejuſdem formæ. Solet etiam hęc addere talem, aut talem colorem, ſeu colorum mixturam. Duæ quippe facies, tametſi habeant eundem numerum partium, eaſdem diſtantias, ac indiſtantias habentium, & non alias; ſi tamen una ſit alba, & altera nigra, dicentur habere eandem figuram; ſed non eandem formam externam corporalem. Præſentia materialis ſine figura datur, quando corpus, aut nullas habet partes, ſiquidem tunc non datur di-

ſtantia, aut indiſtantia illarum, vel tot habet, ut careat termino, eo quia illæ ſint in infinitum porrectæ; tunc enim corpus nullam habebit figuram verſus illam plagam mundi, verſus quam infinitè extenderetur. De ratione quippe figuræ eſt, quod, ut talis, circunſcribatur termino. Et hac de cauſa in phyſica naturali diſputans infinitum, negavi argumenta ſumpta ex quibuſdam mathematicis figuris.

53. Sed famoſa diviſio præſentiæ eſt in *circumſcriptivam, & definitivam*. Præſentia circumſcriptiva eſt illa, per quam *totum eſt in toto, & ſingula partes illius in partibus ſingulis hujus diſtributione accommoda*. v. g. pars A, corporis in parte ſola A loci, & pars B, in ſola parte B &c. talis eſt præſentia, quam habent omnia hęc, quæ ſenſu percipimus, nam tota hęc carta eſt in toto hoc ſuo ſpatio, & unaquęque pars cartæ in parte ſpatii, aliæ extra alias; quocirca licet extenſio hujus cartæ naſcatur modo immediatè ex quantitate, eo quod ſingulę particulę cartæ habeant ſuam particulam quantitatis, quæ particula quantitatis reſiſtit penetrationi cum particula vicina, & conſequenter particulæ ipſę cartę informatæ per particulas quantitatis, ſunt in locis diverſis, ac proinde carta eſt extenſa; nihilo tamen minus ſpecifica hæc extenſio formalis, & immediata, quidquid ſit de alia, vi cujus per eandem ſimplicem, ac indiviſibilem pręſentiam poneret Deus totam hanc cartam in multis his partibus loci, ſtat in pręſentiis ipſis particularum cartę, non utcunque diſtinctis (nam per pręſentias diſtinctas poterat Deus ponere illas omnes in eodem puncto loci) non in pręſentiis diſcretis, quia tunc non eſſet una carta, ſed multę partes diſcerptę cartę: non in pręſentiis contiguis, ſicut in militari cuneo unus miles eſt contiguus alii; ſed ſtat formaliter immediatè in præſentiis diſtinctis, & continuis, ita ut licet unę ſint extra alias, omnes tamen ſint proportionatè concatenatæ.

54. Hinc 1. Si Deus ſpoliaret omni quantitate hanc cartam, poterat reſtare extenſa, ſicut modo eſt: quia omnes ejus partes poterant reſtare cum eiſdem, quas modò habent, præſentiis, quamvis ſi moverentur per Deum, vel per cauſam ſecundam, quæ poſſet operari in ſubjecto non quanto, facillimè ſine ulla reſiſtentia penetrarentur inter ſe. 2. illa vox *totum*, & in *toto* non ſignificat totum abſolutè, ſed illud ſolum totum, de quo, ut præſente, fuerit ſermo, & illud ſolum ſpatium, in quo eſt præſens: quocirca licet corpus humanum truncum capite, v. g. aut brachiis mutilatum, non ſit *totum* corpus humanum, habet tamen præſentiam circumſcriptivam, quia totum illud reſiduum eſt in toto eo ſpatio, & unaquæque illius pars occupat ſuum locum aliæ extra alias. 3. præſentia circumſcriptiva eſt propria corporum; non verò ſpirituum; quia omne habens partes eſt corpus ſaltem de facto. Sed omne habens præſentiam circumſcriptivam habet partes, ut ſupponit illa definitio. Ergo. Neque obſtat, quod Tharaſius Patriarcha, approbante ſeptima Synodo actione 5. ante medium notaverit Angelos circumſcribi, ac depingi poſſe, cum tamen neque ille, neque Concilium ullatenus approbaverint Angelos eſſe corporeos, prout aſſerebatur in quodam libello Joannis Theſſalonicenſis ibi lecto; quoniam

Pa-

Patriarcha ille , atque Concilium loquuntur de Angelis , prout apparuerunt ; *veluti homines apparuerunt* dixit Tharaſius; atqui apparuerunt, ut habentes corpora , nempe ut homines . Ergo ut capaces præſentiæ circumſcriptivæ . Ergo ſubſiſtit , præſentiam circumſcriptivam eſſe propriam corporum, ſiquidem tribuitur Angelis, non prout ſunt in ſe , ſed prout apparuerunt , & quamvis in ſe non ſint corpora , ut corpora apparuerunt . Præterquamquod vox illa Tharaſii *circumſcripti ſunt* ſolum ſignificat , Angelos non eſſe ubique ; ſed præſentiâ fungi habente terminum : Unde ſignificat præſentiam circumſcriptivam ſecundum negativum , ideſt , quod ſubjectum non ſit extra talem determinatum locum , non verò ſecundum poſitivum , ideſt , quod unaquæque pars ſubjecti circumſcriptivè præſentis , ſit in ſuo ſolo loco , alia extra aliam . Neque obſtat 2. quod ſpiritus nequam poſſidentes corpus humanum , videantur aſcendere , deſcendere , ligari , prominere in tali , aut tali parte corporis vexati : quia iſtas mutationes præſentiæ circumſcriptivæ non habent in ſe ipſis , ſed in aliis corporibus , aut corpuſculis , quæ movent , & quibus oſtendunt oculis noſtris eam varietatem ſitus , & loci, ubi ipſi tunc per præſentiam definitivam ſunt. 4. Si continuum conſtat punctis phyſicè indiviſibilibus , præſentiâ puncti A non eſt circumſcriptiva , de ratione namque hujus eſt , quod ſingulæ partes rei præſentis ſint in ſingulis partibus loci diſtributione accommoda . At præſentia puncti indiviſibilis eſt præſentia indiviſibilis . Ergo illa non eſt circumſcriptiva . Sed neque definitiva ob hujus definitionem mox dandam . Ergo neutra . Veruntamen diviſio præſentiæ in circumſcriptivam , & definitivam poteſt eſſe adæquata , quia præſentia puncti indiviſibilis eſt pars præſentiæ circumſcriptivæ , qua totum continuum eſt in toto ſuo loco .

55. Præſentia definitiva eſt , qua totum, de quo fuerit ſermo, eſt in toto ſpatio illo , & totum in ſingulis partibus illius ſpatii , ita ut tota illa res ſit in parte A illius loci , & tota in parte B &c. talis eſt præſentia quam habet corpus Chriſti Domini in Euchariſtia *totus enim , & integer Chriſtus ſub panis ſpecie , & ſub quavis ipſius ſpeciei parte , item ſub* Seſs.13. c.
vini ſpecie , & ſub ejus partibus exiſtit , docet Tridentinum, *ut veriſſimum*. 3.
Talis item eſt pręſentia , quam anima rationalis habet in corpore ; quoniam tota anima (non enim eſt in ea pars , & pars) eſt in capite , tota in uno brachio , tota in altero &c. Ubi jam vides duas ſpecies pręſentiæ definitivę: unam, quæ convenit rei entitativæ diviſibili, quale eſt Corpus Chriſti Domini : alteram rei entitativè indiviſibilis qualis eſt anima rationalis . Ambæ poſſunt eſſe in duplici differentia conſentaneè ad diviſionem factam ſupra num. 51. unde quatuor reſultant ſpecies pręſentię definitivę . Res namque entitativè diviſibilis poteſt eſſe tota in ſingulis partibus illius loci ratione diſtinctarum præſentiarum , ita ut tota ſit in parte A , per unam pręſentiam , & in parte B , per aliam realiter diſtinctam , quo fiet , ut præſentia illa definitiva ſit entitativè diviſibilis . Et talis forſan eſt pręſentia , quam de facto habet Corpus Domini in Euchariſtia , quia convincens non datur ratio , ut

Digitized by Google

dicamus, quod, unâ particulâ hoſtiæ abſciſsâ, mutatur, ſeu diſcontinuatur præſentia tota, quam paulò ante habebat Chriſtus Dominus in tota illa hoſtia. Ergo perſeverat prior præſentia. At præſentia, quam poſt diviſionem habet in hoſtia, & præſentia, quam habet in particula abſciſſa, ſunt diſtinctæ, quia localiter ſeparantur. Ergo antea quoque erant diſtinctæ. Poteſt item res diviſibilis eſſe tota in toto loco illo, & tota inſuper in quavis parte loci per unicam ſimplicem indiviſibilem præſentiam, quia ęgrè in hoc aſſignatur contradictio. Ergo præſentia definitiva rei diviſibilis poteſt eſſe indiviſibilis.

56. Similiter res entitativè indiviſibilis poteſt habere in loco diviſibili pręſentiam definitivam entitativè diviſibilem, qualem dixi ſupra, eſſe pręſentiam animę in noſtro corpore, quia non occurrit fundamentum, ut dicamus, quod auriculâ reciſsâ mutetur pręſentia, quam anima habebat in uno digito. Ergo hęc perſeverat deſtructâ pręſentiâ, quam habebat anima in illa auricula. Ergo ſunt pręſentię diſtinctę, ſive partes diſtinctę pręſentię ejuſdem. Utcavis autem hęc pręſentia definitiva entitativè diviſibilis rei, tum diviſibilis, tum indiviſibilis, eſt re vera replicatio, ſeu multitudo præſentiarum definitivarum rei ejuſdem in locis diſtinctis. Denique præſentia definitiva rei entitativè indiviſibilis poteſt eſſe entitativè quoque indiviſibilis. Et talis eſt pręſentia, ſeu immenſitas, qua Deus replet orbem terrarum, imò & cęlorum, nam licet loca ſint ſummè diſtantia, eandem penitus divinam pręſentiam, quam Deus habet in centro terrę, habet in vertice Empyreo; talis item eſt præſentia, qua fruuntur Angeli. Nam cum difficile ſit unumquemque eorum habitare, quoad ſuam ſubſtantiam, & pręſcindendo à corporibus, quę ſolent aſſumere, in unico puncto indiviſibili loci, & veroſimilius illos, quoad ſuam ſubſtantiam inſpectos, habitare ſpatia diviſibilia juxta menſuram, & proportionem, quam Deus, & ipſi ſciunt congruere proprię ipſorum naturæ. Sicut noſtrę quoque animę, tametſi entitativè indiviſibiles, naturaliter habitant in ſpatio diviſibili proportionato. Pręſentia autem definitiva, quam Angeli habebunt in eo ſpatio, ſeu loco diviſibili, erit entitativè indiviſibilis: quia diviſibilitatem illius non poſſumus probare ratione, qua probavi diviſibilitatem pręſentię definitivę Chriſti Domini in Euchariſtia, & animę in corpore noſtro.

§. III.

57. His pręmiſſis, quinque concluſionibus expédiam me à levioribus difficultatibus. Dico 1: Dantur phyſicè ex parte rerum pręſentiæ, neque eſt titulus ſine re, aut vox ſine ſignificato hęc vox *Præſentia*. Eaque producitur per motum localem ab agente, quod cauſat eum motum; & conſervatur ab agente, quod ſubjectum conſervat in eo loco; quando autem ſubjectum habet illam ſine ullo

pręſ-

præcedente motu locali, v.g. in primo inſtante ſuæ exiſtentiæ, producitur ea præſentia ab agente producente ſubjectum illud. Probo primam partem. Quoties res verè, ac ſimpliciter ſubit aliquam denominationem, neceſſe eſt aſſignare aliquid, ſive ſit forma phyſica, ſive metaphyſica, ſive ſubſtantiale, ſive accidentale, ſive abſolutum, ſive modale (ab his omnibus abſtraho nunc) per quod formaliter immediatè in genere ſuo habeat talem denominationem. Sed quoties res eſt, eſt præſens ſaltem naturaliter: nam quoties eſt, alicubi eſt naturaliter loquendo. Ergò, quoties res eſt, neceſſe eſt aſſignare aliquid, ſive ſit forma phyſica, ſive metaphyſica &c. per quod formaliter immediatè ſit præſens. Sed id, per quod formaliter immediatè res eſt præſens, eſt, quod vocamus præſentiam. Ergò, quoties res exiſtit naturaliter, neceſſe eſt, quod habeat præſentiam, ſive ſit hujus, ſive illius conditionis. At multæ res naturaliter exiſtunt. Ergò hæc vox *præſentia* non eſt titulus ſine re, ſed ſignificat rem verè ſimpliciter exiſtentem, ſive hujus, ſive illius conditionis, de qua poſtea. Hinc in quovis ente naturali datur, ſive unica, ſive multiplex, de quo etiam poſtea, præſentia materiæ, formæ, unionis, accidentiumque ſingulorum ſuorum, ſive illa ſint materialia, ſive ſpiritualia, item ſuarum actionum, durationum &c., quia hæc omnia, & ſingula verè ſunt à parte rei, & verè à parte rei ſunt in loco tali, potiùs quàm in alio. Et nè declines ad quidditatem, & conditionem præſentiarum, quia, ut vides, ab hoc præſcindo nunc, & ſolùm ſtabilio exiſtentiam præſentiarum quoad ſubſtantiam, ſeu in genere. Hæ autem præſentiæ non percipiuntur ſenſu, ſed ratione ſola (ſicut neque ſenſu percipis tuam animam) niſi ſint præſentiæ accidentium illorum, quæ ſenſu percipiuntur, v.g. oculis percipimus præſentiam albedinis hujus cartæ, quia illam videmus hìc in hoc loco: tactu percipimus præſentiam ſuæ quantitatis, quia percipimus illam non penetrari hìc cum noſtris digitis, neque partes illius inter ſe. Naſo percipimus præſentiam odoris cartæ hujus, quia naſo percipimus eum odorem eſſe hìc, in hoc loco, & ſic de aliis reſpectivè.

58. Probo ſecundam partem: nimirùm præſentiam produci per motum localem ab agente, quod cauſat eum motum; undè interdum producitur ab ipſo ſubjecto, quod movetur, nempè quandò ipſe ſeipſum movet, v.g. quandò gradimur per locum aliquem, interdum ab agente extraneo, nempè quandò alius te movet, habendo te merè paſſivè interdùm ab utroque, nempè quandò tuus motus localis ſimul, ac indivisè procedit à te, & ab alio, ut contingere ſolet in aliis actionibus. Undè obiter refutantur duæ propoſitiones juſſæ exulare à noſtris ſcholis. Una eſt. *Corpus moveri nil eſt aliud, niſi illud à Deo conſervari aliis, atque aliis in locis ſucceſſivè*. Altera eſt. *Solus Deus eſt, qui movere poſſit corpora; Angeli verò, animæ rationales, ipſaque corpora, non ſunt cauſa motûs efficientes, ſed occaſionales tantùm*. Arguo ſic. Quoties ab agente agitur, aliquid agitur, ſeu producitur ab illo; nam agere nil, non eſt agere, ſed non agere. At quoties ſubjectum movetur localiter, agitur ab agente; nam hoc localiter movere ſe, aut aliud, proculdubiò eſt

age-

agere, quia non eſt otians. Ergò quoties ſubjectum movetur localiter ab agente, aliquid agitur ab hoc. Quodnam eſt hoc, quod per motum illum, ſeu actionem formaliter immediatè, ac primariè agit, & producit agens, niſi præſentia in loco, ad quem movet, & in quo localiter ponit ſubjectum, quod localiter movet? Alia namque diſtincta à præſentia ſunt per accidens, & quaſi corollaria deſtructionis præſentiæ in loco A. & acquiſitionis præſentiæ in loco B., quod ſi dicas, agens quod localiter movet ſubjectum, actione illa loco motiva nil aliud producere, quàm impulſum in ſubjecto moto. Sit ita. Iſte impulſus cauſat directè, ac per ſe eum motum localem, qui ſanè actio aliqua eſt. Quid ergò cauſat, & producit per iſtam actionem, niſi præſentiam in loco B. ſubjecti moti à loco A. Ergò impulſus iſte directè, ac per ſe cauſat, & producit iſtam præſentiam. Sed agens primarium cauſat directè, ac per ſe iſtum impulſum. Ergò cauſat ſaltem mediatè præſentiam iſtam. Confirmatur. Omne phyſicè ponens hanc cartam, v. g. in loco B., phyſicè ponit, facit, ac producit aliquid de novo, quod prius non erat, cujuſcunque conditionis hoc ſit. At non producit cartam ipſam, neque locum ipſum B., quoniam ambo phyſicè præexiſtebant. Ergò phyſicè producit ipſum, quod eſt *eſſe in loco B.* Sed hoc eſt, quod dicitur præſentia in loco B. Ergò, omne phyſicè ponens hanc cartam in loco B. phyſicè producit de novo præſentiam in eo loco. Sed omne phyſicè movens localiter hanc cartam à loco A. in B., phyſicè ponit hanc cartam in loco B. id namque eſt movere illam ab A. in B. Ergò omne phyſicè movens localiter hanc cartam ab A. in B. phyſicè producit de novo præſentiam hujus cartæ in B. Undè quandò equus, quandò ventus, quandò aliæ cauſæ te otiantem movent, aut vehunt ex uno loco ad alium, equus, ventus, aut aliæ cauſæ ſunt id, quod mediatè, vel immediatè per motum illum localem (qui ſanè eſt actio phyſica, & aliquis terminus debet agi, ſeu produci per illum) producit illas præſentias tuas (ideſt tuæ quantitatis, & tuæ molis: nam de forma, & accidentibus ſpiritualibus ſupernaturalibus &c., quæ in te ſunt, poſtea dicam) quas ſucceſſivè acquiris, quia ſunt id, quod te ponit phyſicè in loco B., poſtea in C., poſtea in D. &c. Difficultatem contra hanc doctrinam circa motum localem, quæ difficultas omnes Philoſophos premit, ab omnibuſque explicari debet, ſolvam infrà n. 94.

59. Probo tertiam partem: videlicet præſentiam conſervari ab agente, quod ſubjectum conſervat in eo loco. Undè præſentiæ, quas habent in eis locis ſaxa per campos ſparſa, rupes ſtantes, domus, turres &c. conſervantur à ſubſtante terra, quæ mole, ac quantitate ſua reſiſtit motui deorſum rerum illarum: item a gravitate impediente motum ſurſum, ab æquilibrio, aliiſve cauſis obſtantibus motui obliquo, quorum omnium collectio eſt cauſa conſervans turrim, v. g. in eo loco determinato, in quo eſt. Et ratio eſt ferè eadem. Omne phyſicè conſervans, aliquid debet phyſicè conſervare. Cùm ergò non conſervet phyſicè turrim ipſam, quippè quæ alibi poterat conſervari, neque locum, reſtat, quod phyſicè conſervet illud *in*, hoc eſt turrim in eo loco.

Sed

Digitized by Google

Sed illud *in*, eſt præſentia ea turris. Ergò omne phyſicè conſervans turrim in eo loco, conſervat præſentiam illam turris. Quod ſi dixeris, ea, quæ nuper dixi non conſervare illam pluſquam negativè in eo loco: quatenus obſtant quominus moveatur ad alium. Sit ita. Sed in primis hoc eodem modo conſervant illam præſentiam turris. Deinde aliqua cauſa aſſignari debet, quæ poſitivè conſervet turrim in eo loco, quoniam hæc conſervatio aliquid poſitivum creatum eſt. Iſta ergò cauſa, ſive ſit prima ſola, ſive prima cum aliqua ſecunda, eſt, quæ præſentiam illam conſervat. Probo ultimam partem, nimirùm primam pręſentiam, quam habet res in primo inſtanti ſuę productionis, produci ab agente illo, quod talem rem producit. Omne, quod non ſolùm primò producit rem, ſed primò producit illam in loco A. v.g., non ſolùm producit rem, ſed etiam producit illud *in*, ſeu eam pręſentiam, niſi aliundè jam pręſupponatur exiſtens, ſicut locus ipſe A pręſupponitur exiſtens, atque ideo non producit locum ipſum A. Sed omne primò producens rem, non ſolùm primò producit illam, ſed etiam primò producit illam in tali determinato loco, v.g. in A. ut conſtat. Ergò non ſolùm producit rem, ſed illud *in*, ſive pręſentiam, quæ ſanè non præſupponitur jam exiſtens.

60. Hinc anima producens ſuas operationes, cognitiones, amores, odia, ſenſationes, nutritiones, & ſuppellectilem totam ſuorum actuum ſupernaturalium, naturalium, ſpiritualium, materialium, producit omnium horum pręſentiam (alicubi namque ſunt hęc omnia, & in aliquo loco, licèt ſint ibi contingenter, quia contingenter eſt ibi anima) quia non modò producit hęc, ſed *in tali loco* determinato producit illa, quin privilegium ſpiritualitatis officiat, ſiquidem etiam Angeli, & anima ipſa, ſunt ſpirituales, & tamen in aliquo loco ſunt. Ex quibus habes, præſentiam non eſſe propriam paſſionem, ſeu phyſicam proprietatem rei, quę dicitur pręſens, quatenus ab illa ſemper produci debeat phyſicè; ſed quatenus illius terminat phyſicam ſaltem connexionem, eo quod omne, quod eſt, alicubi eſt: & interdum produci phyſicè ab illa, interdum non: habes ſecundam diſparitatem ad cauſas alias, quę in primo inſtante ſuę exiſtentię producunt aliquos effectus, v. g. ignis producit calorem, Sol producit lucem &c. quin ſit prorſus univerſaliter verum hęc omnia produci à ſolo Deo, & tribui huic ſoli, ex quo principio inferunt multi DD. non potuiſſe Angelos peccare in primo inſtanti ſuę exiſtentię, quia putant primam illam operationem tribui Deo. Etenim cùm noverimus quotidianâ experientiâ nil acquirere de novo pręſentiam ullam naturaliter, niſi per motum localem ad illum locum: & nulla res moveat ſe localiter in primo inſtanti ſuę exiſtentię ad eum locum, in quo primò producitur: ideò prudenter inferimus, nullam rem poſſe naturaliter producere illam pręſentiam primam, quam habet in primo loco, in quo producitur, & incipit exiſtere; ſed quod accipit illam à ſua cauſa, quę non modò producit eam rem, ſed producit eam in tali loco determinato: undè producit illud *in*, quod eſt pręſentia, ſicut producit unionem, ac receptionem formę in materia, quę

eſt

eſt illud *in*, quo forma eſt in materia. Sed hęc ratio, ut vides, detorqueri nequit ad probandum ceteras omnes actiones, quę non conſiſtunt in motu locali, non poſſe fieri à cauſis ſecundis in primo inſtanti, quę hę incipiunt exiſtere. Ergò eſt diſparitas.

61. Dico 2. in quovis ente naturali tot pręſentię rerum diſtinctarum dantur, quot dantur res diſtinctę, & in his recipiuntur reſpectivè, ita, ut ſicut unicuique reſpondet ſua productio diſtincta, ſuaque proindè duratio, ſic unicuique reſpondet ſua pręſentia. Quamobrem in quovis, quem videris, homine, dantur innumerę pręſentiæ partiales, diſtinctę, reſpondentes innumeris particulis illius materię, & unionibus illarum particularum: item reſpondentes illi animę unitę ſingulis articulis, & portiunculis illius materię: item reſpondentes innumeris accidentibus jam externis, jam internis, jam materialibus, jam ſpiritualibus, jam naturalibus, jam ſupernaturalibus, jam abſolutis, jam modalibus, quę inſunt illi homini. Undè, ſicut abs jure dicemus multiplicari ſine neceſſitate tot entitates, ac entitatulas in quolibet compoſito humano, cum ex ſeparabilitate illarum, ſive reciproca, ſive non reciproca, vel ex aliis titulis abundè conſtet, illas verè coram Deo eſſe diſtinctas. Ita immeritò dicemus multiplicari ſine neceſſitate tot pręſentias, ſive pręſentiolas, quia ex diſcurſu, quem mox ſcribo, ſatis rationabiliter conſtat, illas eſſe diſtinctas. P. Vaſquez, ut ab hac multitudine rerum ſe explicaret, eam reſcidit, inquiens, materiam primam, & omnes formas, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, quę ſunt in compoſito, eſſe præſentes per unam ſolam quantitatis pręſentiam. Sed hoc non caret difficultate, nam diſſimulato, quod anima ſpiritualis ſit verè in ſeipſa præſens coram Deo (ſecus quoad nos, quia utpotè ſpiritualem, nullo ſenſu percipimus illam) per pręſentiam corporalem, & materialem, qualis eſt præſentia quantitatis. Diſſimulato item, quod in Euchariſtia perſeveret pręſentia ſubſtantiæ panis (cum perſeveret præſentia quantitatis) cùm tamen omne, cujus datur actualis pręſentia phyſica videatur debere actu exiſtere. Vel diſſimulato, quod ſine neceſſitate producatur miraculosè alia pręſentia illius quantitatis priore corrupta. His inquàm diſſimulatis, ęgrè admodum capitur, præſentiam naturalem quantitatis, fore pręſentiam actuum ſupernaturalium, & ſupernaturalium habituum, qui ſunt in homine, utrique enim verè ſunt in eo loco, in quo eſt homo, & non ſunt extra omnem locum. Item pręſentiam permanentem quantitatis eſſe actualem abſolutam præſentiam actuum tranſeuntium in homine, v. g. multarum cogitationum, & actuum voluntatis citò abeuntium. Item, pręſentiam non vitalem quantitatis eſſe actualem veram, & realem præſentiam actuum vitalium. Hæc fundamenta ſufficiebant ad rationalem neceſſitatem multiplicandi tot pręſentias, quarum neceſſitas eſt conſequens ad fabricam naturalem, & moralem, quâ Deus conditam eſſe voluit, aut permiſit, conditionem humanam. Sed amoveo offendiculum, antequam probem concluſionem.

P. Vaſquez in 3. part. diſp. 199.

62. Aliud eſt, quod omnia, quæ ſunt in homine, moveantur localiter *ad motum quantitatis* (excipe motum deorſum naſcentem ex gravitate,

tate de quo infra num. 123.) eo quod principium intrinſecum , quale eſt anima , vel extrinſecum aliud , in ſola quantitate ponat corporeum motum à dicto diſtinctum , immediatè , directè , ac primario, eo quia illa ſola ob ſuam molem , ſoliditatem , impenetrabilitatem , atque reſiſtentiam , ſit apta nata ad recipiendum motum hunc corporeum (aliud eſt de motu locali Angelorum) & hunc motum localem quantitatis ſequantur motus reliquorum omnium , quæ ſunt in homine , eo quia hæc omnia mediatè , aut immediatè ſint phyſicè colligata cum quantitate , & in eodem puncto ſunt , in quo eſt quantitas , & non in alio (ſicut eſt Verbum in omni etiam loco , in quo non eſt humanitas Chriſti Domini) unde fit , quod ſi loco moveatur quantitas , omnia etiam illa moveantur loco . Et hoc eſt verum , atque in hoc ſenſu concedo omnia , quæ ſunt in homine , moveri ad motum , ſive per motum annuli primi . Ac in hoc ſolo ſenſu dixi ſupra num. 58. præſentiam produci per motum localem ab agente , quod cauſat eum motum , ſcilicet præſentiam illius rei , quam directè, ac primariè movet agens illud . Aliud verò eſt longè diverſum , quod mota quantitate , cętera omnia immediatè , ac formaliter moveantur per eum motum , & ſint præſentia per pręſentiam quantitatis productam eo motu , ita ut tunc non detur niſi unicus motus multorum motorum , & unica præſentia multorum pręſentium . Hoc eſt quod negat noſtra concluſio .

63. Et in primis non vitatur multiplicitas rerum , & entitatularum (ſi Deus ita fecit Oceanum , ut guttulis totum conſtet : ſi ita condidit omnia hæc entia naturalia , ut innumeris particulis , & entitatulis componantur,quid faciendum? *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare*) per recurſum ad unam , eamdemque præſentiam quantitatis ; tum quia iſta eadem cum ſit extenſa , ex innumeris componitur particulis : tum quia cum iſta nequeat facere præſentes actu phyſicè innumeras illas res , quarum congeries eſt in homine v. g. , quin phyſicè uniatur unicuique illarum , quia ſicut calor non facit calidum niſi ſubiectum , cui unitur , ita præſentia (quæ non eſt forma quidem extrinſeca , ſicut viſio , ſed intrinſeca) non facit præſens niſi ſubjectum , cui phyſicè unitur ; unio autem purè mediata non ſufficit per ſe præciſè , aliàs Verbum foret præſens per præſentiam humanitatis , ſiquidem unitur phyſicè huic , quæ unitur phyſicè ſuæ præſentiæ : & ſimiliter humanitas foret præſens per præſentiam Verbi , ſiquidem unitur phyſicè huic , quod logicè unitur , idest identificatur cum ea præſentia . Cum , inquam , hoc ita eſſe videatur ; oportet admittere tantum numerum unionum iſtius præſentię quantitatis , quantus eſt numerus formarum accidentalium , qui eſt in homine v. g. Ergo qui dicunt omnia , quæ ſunt in homine , corpus , animam , unionem , totamque ſuppellectilem accidentium etherogeneorum , eſſe præſentia per unicam , & eamdem pręſentiam quantitatis , dicunt rem ſcatentem difficultatibus inſinuatis num. 61. & moderatum lucrum importantem . *Iſai.* 14.

Sff Duas

P. Hurtado diſp. 14. phyſica ſect. 4.

Oviedo contraverſ. 15. phyſic. puncto 5.

64. Duas bonas rationes invenio apud Authores in favorem hujus ſententiæ. Primam apud Hurtado, & Arriaga, ſumptam ex ſeparabilitate quantitatis à formis accidentalibus, quæ ſunt in compoſito, & ab ipſa forma ſubſtantiali: quandoquidem his abeuntibus perſeverat eadem quantitas, & eadem præſentia quantitatis. Reſpondet Oviedo *Ubi*, ſeu præſentiam quantitatis, huic ſoli eſſe intrinſecum, & cum ea ſola connexum: Unde ſi veniant alia accidentia, ſeu alia forma ſubſtantialis, illa omnia faciet præſentia; ſin abeant, contentum reſtabit illud *Ubi* quantitatis hac ſolâ, quia hæc ſola eſt ſuum ſubjectum. Sed contra, quoties datur phyſica realis, actualis præſentia rei, res exiſtit actu, phyſicè, & realiter. Tum quia aliàs nunc erit phyſicè, actu, realiter, preſens in hoc cubiculo homo multis ab hinc ſæculis mortuus, aut homo nondum conceptus, ſi actu ſit præſens, ut poteſt eſſe quantitas quæ fuit, aut erit illius. Tum quia omne actuale phyſicum abſolutum, & immediatum exercitium ſubeundi aliquam denominationem phyſicam eſt per ſe metaphyſicè abſolutè connexum cum ſubjecto illam ſubeunte, eo quod ſit modus illius ſive intrinſecus, ſive extrinſecus. Sed omnis phyſica realis actualis præſentia rei eſt actuale phyſicum abſolutum, & immediatum exercitium, quo res illa ſubit denominationem phyſicam eſſendi præſens, ſeu eſſendi in loco aliquo determinato: ſicut unio phyſica eſt exercitium eſſendi unitum, productio phyſica eſt exercitium eſſendi productum &c. Ergo omnis phyſica realis actualis præſentia eſt per ſe metaphyſicè abſolutè connexa cum re, cujus eſt præſentia. Ergo firmum videtur illud antecedens. Videlicet quoties datur phyſica actualis realis præſentia rei, res exiſtit actu phyſicè, & realiter. Ergo per contrapoſitionem: quoties res non exiſtit actu, phyſicè, & realiter, non datur actualis phyſica, & realis præſentia ipſius. At quoties deſtruuntur accidentia, & forma ſubſtantialis, quę prius erant in compoſito, non exiſtunt illa actu phyſicè, & realiter. Ergo non datur actualis, abſoluta, phyſica præſentia illorum. Sed poteſt, ac ſolet perſeverare tunc præſentia quantitatis, quia dicere mutari phyſicè præſentiam totam hominis v. g. ob defectum unius ſolius accidentis inſenſibilis, videtur nimis durum. Ergo præſentia quantitatis non eſt præſentia omnium omninò, quæ ſunt in homine. Neque valet recurſus ad ſolemnes illas cantilenas *ſecundum explicitum ſecundum implicitum, quoad entitatem, quoad denominationem, ſecundum virtualitatem, ſecundum formalitatem* &c. quia ſatis argumentorum dedi diſp. 1. contra iſtas ſolutiones connotatorum. Neque valet dicere præſentiam eſſe indifferentem ut jam hoc, jam illud, jam neque hoc, neque illud faciat formaliter immediatè præſens. Tum quia idem liceret dicere aliis de unione phyſica de productione, & ſimilibus. Nempe unionem phyſicam A, eſſe ex ſe indifferentem, ut jam hæc extrema reddat formaliter immediatè unita, jam illa, jam neque hæc, neque illa. Tum quia iſta indifferentia competere ſolet formis abſolutis; non autem modalibus, quæ ſunt actuale, formale, abſolutum, immediatumque

exer-

exercitium, quo tale individuum ſubjectum talem ſubit individuam denominationem.

65. Secundam bonam rationem invenio apud ipſum Oviedo, qui hanc eamdem ſententiam ſequitur, licet ſit contra Vaſquez. Omne creatum, quod videtur, diſtinguitur ab eo, quod non videtur, quia ſuppono ex diſp. 1. Logica Majoris locum non eſſe in creatis diſtinctioni virtuali, aut formali ex natura rei. At præſentia albedinis cartæ hujus videtur: nam videmus hanc albedinem eſſe *hic* in *hoc loco*, & non in alio. Præſentia vero quantitatis, ſeu unio præſentiæ albedinis cum quantitate, non videtur; quia neque quantitas, neque ipſius præſentia, neque unio hujus cum illa percipiuntur *oculis*, ſed *tactu*, quatenus hoc percipimus duritiem, aſperitatem, reſiſtentiamque cum penetratione. Et certè eodem prorſus modo perciperemus oculis hanc eamdem cartam, ſi conſervato colore, loco, extenſione, cæteriſque accidentibus extra controverſiam viſibilibus, Deus privaret eam omni quantitate, ita ut ſine reſiſtentia penetraretur cum quovis corpore per ipſam tranſeunte. Ergo præſentia hujus albedinis diſtinguitur à præſentia hujus quantitatis. Ergo verum non eſt, eſſe præſentia per præſentiam quantitatis omnia, quæ ſunt præſentia in hac carta v. g. Hinc, ſicut vulgò dicimus objectum formale intellectus eſſe veritatem, quod non tollit, falſitatem eſſe etiam objectum formale intellectus quoad actus negativos. Et objectum formale voluntatis eſſe bonitatem, quod non tollit malitiam eſſe quoque objectum formale voluntatis quoad actus fugę. Ita vulgò dicimus lucem, & colorem eſſe objectum quod oculis percipitur. Hoc vero non tollit multa alia oculis percipi. Eis namque percipimus motum localem, & ſuas differentias, extenſiones curvitates, rectitudines, & alia, quæ non ſunt lux, aut color; ſunt tamen in ſubiecto habente utrumque. Ergo licet præſentiæ rerum non ſint lux, aut color, videntur oculis (ſiquidem videmus cartam hanc eſſe *hic*, & non *ibi*) quia ſcilicet præſentiæ hæ ſunt in ſubiecto habente lucem, & colorem. *Oviedo ibid. n. 7.*

66. His duabus adjicio tertiam erutam ex concluſione probata num. 58. Omne productum per motum localem, quo movetur quantitas, diſtinguitur ab eo, quod non producitur per eum motum localem. At præſentia quantitatis producitur per motum localem, quo agens movet quantitatem tui corporis, ut ibi probabam. Præſentia verò accidentium ſpiritualium, & ſupernaturalium tuorum (pura gratiam ſanctificantem, habitus infuſos, characteres, ſupernaturales illuſtrationes, ſalutares volitiones, his enim ſi fruaris, alicubi eſſe debent, & habere aliquam præſentiam) non producitur per eum motum localem quantitatis. Nam ſi equus excutit te, ſi navis te portat, & conſequenter movent localiter tuam quantitatem, eſt incredibile quod producant præſentias novas, & novas tuę gratię ſanctificantis, tuarumque infuſarum virtutum. Nam unde conſtat equum habere virtutem obedientialem ad producendum tot præſentias phyſicas, & reales gratię ſanctificantis, quę proculdubio pręſentię

ſupernaturales eſſe debent, alias natura ſibi ſoli relicta par foret producendo adęquatè pręſentiam phyſicam, & realem chariſmatum ſupernaturalium? Et quamvis equus fungeretur hac virtute obedientiali, quonam ſupernaturali principio adiuvatur ad producendum phyſicè novam pręſentiam ſupernaturalium chariſmatum, quando calcibus, aut ſubſultatione excutit hominem ſanctum? Ergo dicendum, quod pręſentia horum ſupernaturalium accidentium non eſt pręſentia quantitatis, & ſimiliter novam pręſentiam, quam tunc acquirit anima non eſſe pręſentiam quantitatis.

67. Itaque novę illę pręſentię, quas acquirunt accidentia illa omnia ſupernaturalia, producuntur per motum, quem habent. Hic motus neque identificatur cum motu ipſo naturali quantitatis, neque cauſatur immediatè abſolutè, & per ſe à motu quantitatis hominis illius, nam hujus motus eſſet idem in individuo, licet nullum ex eis accidentibus eſſet in homine illo, imò nec eſſet anima; ſed indirectè, ac per accidens ex hypotheſi, quod accidentia ea ſint in homine illo ſequitur illorum motus motum quantitatis: quatenus hic immediatè directè, ac per ſe tendit in novam pręſentiam quantitatis in alio loco: cumque anima ſit phyſicè colligata cum quantitate, & accidentia illa cum anima, ſed per accidens omnino reſpectu motus quantitatis, idcircò hic motus per accidens, ac ex ſuppoſitione, determinat animam, ut ipſa, quę ſpontè conſervat, non merè negativè, ſed per influxum etiam phyſicum poſitiuum, elevata per comprincipium ſupernaturale, accidentia illa ſupernaturalia, quę ſibi fuerint libera, moveat ſecum illa, & per hunc motum producat novam illorum pręſentiam adiuta illo eodem principio ſupernaturali, quo adiuvatur ad illa conſervanda; quod ſi accidentia non fuerint libera animæ, ut illa, quæ Deus operatur in nobis, tunc motus ille quantitatis (ſuppoſito quod Deus velit illa dare, aut conſervare) per accidens, atque ex ſuppoſitione determinat Deum (ſed determinatione per eum fruſtrabili antecedenter, ac conſequenter ad motum quantitatis) ut ipſe Deus, qui ſolus dat, & conſervat illa accidentia, illa moveat cum anima, & illorum producat novam præſentiam in eo novo loco, ad quem movetur homo. Unde ſubſiſtit nil entitativè ſupernaturale eſſe abſolutè ac per ſe debitum illi motui naturali quantitatis; ſed ſolum ex ſuppoſitione non debita naturæ. Sed deberi naturæ ex ſuppoſitione non debita naturæ non officit ſupernaturalitati, nam quodlibet ſupernaturale poteſt deberi naturæ ex hypotheſi, quod Deus promiſerit illud. v. g. Ergo.

68. Obiicies ex P. Oviedo: Eo ipſo quod pars A animæ equinæ ſit unita parti A materiæ, debet eſſe in eodem ſpatio, in quo eſt pars A materiæ, præſcindendo à quavis alia diſtincta pręſentia, quę ſit propriè illius partis animę. Ergo eo ipſo, quod tota anima rationalis ſit unita omnibus, & ſingulis punctis corporis humani, debet eſſe in locis, in quibus illa ſunt, pręſcindendo à quavis alia pręſentia diſtincta, quę ſit propria animę ipſius. Sed animam eſſe in omnibus eis locis eſt

habere

Digitized by Google

habere prçſentiam,ſeu præſentias in illis ; ergo prçſcindendo à quavis alia præſentia , quæ ſit propria animæ , hçc eſt præſens toti corpori per ſolam hujus præſentiam . Antecedens in ſenſu univerſali non eſt verum ; alias eo ipſo,quod humanitas Chriſti Domini eſſet unita phyſicè Verbo,deberet eſſe in eodem loco,in quo eſt Verbum , prçſcindendo à quavis alia præſentia propria ipſius ſacræ humanitatis ; unde hæc foret præſens per præſentiam Verbi , nempe per immenſitatem . Videtur inſuper implicare in terminis , ſicut hæc propoſitio . *Eo ipſo, quod datur unio phyſica duorum præſcindendo ab eorum exiſtentia , contingit res A* , quoniam omnis propoſitio aſſumens fundamentum connexionis metaphyſicæ , & præſcindens à termino (præciſione non utique merè negativa, ſed excluſiva qualis hic inſinuatur) implicat in terminis . At talis eſt iſta : quoniam unio phyſica animæ cum corpore connectitur metaphyſicè cum eo,quod ambo ſint in eodem loco , & ambo eſſe in eodem loco connectitur cum eo,quod ambo exiſtant phyſicè,ergo . Quocirca fateor quod eo ipſo, quod anima uniatur materiæ (& idem dico de accidentibus quibuſlibet unitis materiæ) debet eſſe in eodem loco ; non tamen præſcindendo ab omni alia præſentia animæ,illorumque accidentium ſed quia præſentia hujus , & illorum,coire debent cum præſentia materiæ in illo eodem loco : quia unio iſtorum cum materia , licet non ſit actualis formalis prçſentia illorum in eo loco,eſt determinatio ad illam, ſeu eſt per ſe connexa cum illa .

§. IV.

69. DIco 3. quemadmodum creatura poteſt exiſtere abſoluta ab omni tempore reali extrinſeco ; ſecus intrinſeco , ut ſupra dicebam . Ita poteſt exiſtere ſine ullo loco , ſeu ubi , ſeu ſpatio, ſeu ubicatione reali extrinſeca : quia nullum ſequeretur abſurdum ex eo,quod priuſquam Deus conderet hanc mundanam fabricam , quç mediatè , vel immediatè eſt locus extrinſecus in prçſenti providentia , produceret aliquam , vel aliquas creaturas : quç eo ipſo nulla ſuperficie corporis primò continentis immobilis continerentur , & conſequenter nullibi eſſent , ſeu in nullo loco reali extrinſeco . Rurſus ; quemadmodum creatura poteſt exiſtere abſque tempore intrinſeco , quod ſit ipſi ſuperadditum , & ab ipſa diſtinctum , ſic namque exiſtunt durationes ipſç , quarum certè non dantur durationes reflexç. Ita poteſt exiſtere creatura abſque præſentia , ſeu loco intrinſeco ei ſuperaddito . Sic enim exiſtunt prçſentiç ipſç , quarum ſanè non dantur reflexç aliç prçſentiç . Prçterea ; quemadmodum non repugnat creaturam exiſtere abſolutàm ab omni tempore extrinſeco *imaginario*.ideſt quin poſſibile ſit tempus extrinſecum tunc in ſenſu compoſito talis creaturç v. g. aſſenſus fidei ſupernaturalis de eo, quod tempus

extrinſecum

extrinſecum non eſt amplius. Ita non repugnat creatura abſoluta ab omni loco extrinſeco, etiam imaginario, ideſt, quin ſit poſſibilis ullus conjunctim cum illa; v. g. ſimilis aſſenſus de eo, quod nullus eſt locus extrinſecus. Aſt veroſimilius videtur repugnare, quod ulla creatura exiſtat, quin habeat locum, ſpatium, ubi, ſive ubicationem intrinſecam, ideſt, præſentiam diſtinctam, aut indiſtinctam. Univoco *Ubi* cum *ubicatione* intrinſeca, quia licet hæc ſecunda vox ſoleat accipi pro actione productiva præſentię, ſicut calefactio pro actione productiva caloris, & in hoc ſenſu ubicatio diſtinguitur ab *Ubi*, ſive præſentia, & loco intrinſeco; aſt etiam ſumitur pro termino ipſo producto, quemadmodum *intellectio* capitur interdum pro ſola ſpecie expreſſa, verboque mentis, interdum pro actione productiva illius, interdum pro utroque; majorem veroſimilitudinem dictam probo gemina ratione.

70. Prima. Omne exiſtens in loco extrinſeco reali, vel ſaltem imaginario, & purè poſſibili, debet habere aliquam præſentiam; quoniam cum hæc ſit forma, vel quaſi forma, qua immediatè, ac formaliter res exiſtens conſtituitur in loco extrinſeco, ſi aliquis tunc ibi ſit, vel qua conſtitueretur in illo, eo pręcisè, quod ille eſſet: eſt neceſſe, quod habeat præſentiam, ſi eſt in loco reali, ideſt, ſi talis locus detur, nec non ſi eſt in loco imaginario, ideſt, ſi daretur ille locus, qui tunc non datur. At omne exiſtens phyſicè, ac realiter, exiſtit in loco extrinſeco reali, ſi hic datur ibi: vel in loco imaginario, & purè poſſibili hoc eſt exiſteret in illo, eo præcisè, quod ille daretur. Ergo omne exiſtens debet habere aliquam præſentiam, ſive locum, aut *ubi* intrinſecum. Explicatur; quoties res A fuerit in tali ſtatu, ac diſpoſitione, ut eo pręcisè, quod superveniat pręſentia rei B, & perſeveret ille ſtatus, res A debet eſſe compręſens rei B: res A habet jam pręſentiam; & quod dico de re B, dico de loco extrinſeco, ſi hic ſupervenіat. Sicut quoties in tali ſtatu eſt, ut eo præcisè, quod exiſtat res B, debeat huic coexiſtere res A, debet habere exiſtentiam, & utriuſque eſt eadem ratio, nimirum compręſentiam, & coexiſtentiam conſtitui eſſentialiter per præſentiam, & exiſtentiam rei A, & rei B, quapropter ſi ut hæc verificentur, nil penitus aliud deſideratur, quam adventus exiſtentiæ, atque pręſentię rei B, ſignum videtur manifeſtum, quod A jam habet exiſtentiam, & pręſentiam. At quoties A exiſtit actu phyſicè, ac realiter, eſt in tali ſtatu, ac pręparatione, ut eo pręcisè, quod ſuperveniat præſentia rei B, perſeveretque ille ſtatus, res A debet eſſe compreſens rei B, ſicut debet eſſe coexiſtens illi. Ergo quoties exiſtit actu phyſicè debet habere aliquam præſentiam, ſicut aliquam exiſtentiam.

71. Secunda. Nil cui Deus foret intimè pręſens, & ſimul non eſſet intimè pręſens, eſt poſſibile. Seu aliter. Nil quod eſſet Deo intimè pręſens, & ſimul non eſſet pręſens intimè, eſt poſſibile. At creaturę exiſtenti actu phyſicè, abſque omni pręſentia, Deus foret intimè pręſens: quia licet hoc non debeatur Deo ex ſolo titulo cauſę, ut bene probat P. Vaſquez, quandoquidem non eſt de ratione cauſę, aut de ratione effectus pendentis à cauſa, quod hoc ſit illi intimè pręſens;

P. Vaſquez p. diſp. 28. c. 4. & 5.

de-

debetur tamen Deo ratione ſuę immenſitatis, vi cujus debet eſſe intimè pręſens per pręſentiam, eſſentiam, & potentiam omni creaturæ exiſtenti. Deinde non foret eidem intimè pręſens: quia ſicut coexiſtentia, ita intima pręſentia unius reſpectu alterius, ſeu compręſentia cum illo, eſſentialiter conſtituitur per utriuſque exiſtentiam, & utriuſque pręſentiam; & ex alia parte creatura illa non haberet ullam pręſentiam, unde tam impoſſibile videtur Deum eſſe intimè pręſentem creaturę nullo prorſus modo pręſenti (ut pręſcindamus à pręſentia creaturarum in ęternitate) quàm eſſe coexiſtentem creaturę nullo prorſus modo exiſtenti. Deindè illa creatura eſſet pręſens Deo, cui omnia ſunt pręſentia proportionatè ad ſtatum, quem habent. Et non eſſet intimè pręſens, quia ſupponitur illam non habere ullam pręſentiam phyſicam, ut diſtinctam ab intentionali, qualem habent apud Deum illa etiam, quæ non ſunt. Ergo creatura exiſtens actu phyſicè ſine ulla pręſentia, tam impoſſibilis videtur, quam exiſtens actu phyſicè ſine ulla exiſtentia. Si dixeris creaturam illam per ſolam ſuam eſſentiam fore pręſentem Deo, & eſſe id, cui Deus eſt præſens. Transeat. Habebimus ſaltem illam creaturam non poſſe exiſtere abſolutam ab omni penitus pręſentia, tam diſtinctâ, quam indiſtinctâ. Et hoc ſolum probandum aſſumpſi. Nimirum eſſe impoſſibile, quod ulla creatura exiſtat, quin habeat locum, ubi, ſeu pręſentiam aliquam diſtinctam, aut indiſtinctam. Ea namque determinatè, quæ ſit diſtincta, non poſtulatur à conceptu creaturę, ut in ipſa concluſione notavi, ſiquidem pręſentię ipſę obvię, ſunt pręſentes eo, quod ſingulę alicubi ſint, quin ſint præſentes per pręſentiam diſtinctam. At aliunde probabitur infra creaturam illam, quę non eſt pręſentia ipſa, debere diſtingui à pręſentia qua hic potius, quàm alibi eſt pręſens. Si dixeris 2. Demum ex parte ſui fore pręſentem illi creaturę: & illam fore pręſentem Deo ex parte hujus, non ex parte ſui. Hoc erit redire ad ovum: & dicere eo caſu dandam pręſentiam Dei, ſed non illius creaturę. De hoc autem eſt quęſtio an ſit poſſibile. Et eodem modo dicere poteras Deum coexiſturum creaturę numquam prorſus exiſtenti, nempe coexiſturum ex parte ſui, non ex parte illius. In hoc autem ſtat implicatio, vel abuſus terminorum: nempe coexiſtere rei non exiſtenti, ſiquidem *coexiſtere* eſſentialiter importat amborum exiſtentiam.

72. Dico 4. quemadmodum durationes ſunt rationes formales diſtandi temporaliter rerum illarum, quę temporaliter diſtant invicem (quod non tollit ſibi mutuo coexiſtere durationes illas individuas rerum, quę exiſtunt ſimul, & conſequenter non diſtant temporaliter inter ſe) & illa magis, aut minus diſtant temporaliter inter ſe, quę ſunt, aut poſſunt eſſe plures, aut pauciores durationes, ſive inſtantia, ſive tempore intrinſeca. Atque ideò, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter poteſt contingere, ut ſupra dixi, quod duratio ſemel diſtans temporaliter ab alia, ſicut hodierna ab heſterna, ponatur per reflexam durationem in tempore alterius. Ita rationes formales diſtandi localiter rerum illarum, quę localiter diſtant, conſiſtunt in pręſentiis) quod non tollit coire in eodem loco

præ-

pręſencias eorum, quę non diſtant localiter, v. g. pręſentias materię, formę, unionis, & accidentium, quę eandem penitus habent quantitatem) & illa magis, aut minus diſtant localiter, inter quę ſunt, aut poſſunt eſſe plures, aut pauciores pręſentię, ſive loca intrinſeca, atq; ideò, nec divinitus poteſt contingere, quod pręſentia ſemel diſtans localiter à Romana, qualis eſt individua illa, qua modo fungitur Rex Madriti, ponatur per reflexam pręſentiam in loco alterius. In tota hac concluſione duo ſola probanda ſunt, quia cętera ſufficienter explicantur, & ex his duobus pendent. Unum eſt, pręſentias eſſe rationes formales diſtandi localiter. Non dubito quantitatem hujus cartę, ſeu impenetrabilitatem ſuarum partium, eſſe bonam rationem, ob quam hę non ſint in eodem puncto loci, & conſequenter diſtent inter ſe; ſed non eſt ratio formalis, & immediata, ſed tantum radicalis, & mediata hujus diſtantiæ. Tum quia poteſt Deus ponere in eodem puncto loci omnes partes has, & penetrare illas in ſenſu compoſito hujus quantitatis. Tum quia hac deficiente poterat perſeverare hæc carta cum eadem extenſione, quam modo habet, & conſequenter cum eadem diſtantia ſuarum partium, donec cauſa alia redigeret eas, ut poterat, in idem punctum ſpatii. Ergo ratio formalis, & immediata, ob quam diſtant, non eſt quantitas.

73. Rurſus non nego ratione formalem *quoad nos* diſtandi localiter, ſolere eſſe diverſa ipſa loca extrinſeca, quæ occupant ſubjecta, quæ diſtant, quia ſicut tempore extrinſeco, utpote magis noto ſenſui, v.g. circomvolutionibus Solaribus utimur ad metiendum majorem, aut minorem rerum durationem: ita locis extrinſecis, utpote magis notis ſenſui, utimur tanquam menſura ad dignoſcendum majorem, aut minorem diſtantiam localem rerum. Unde non nego rationem formalem diſtandi localiter *extrinſecè* ſtare in ipſis locis extrinſecis. Aſt ratio formalis diſtandi intrinſecè, atque entitative non ſtat in locis extrinſecis. Eſto namque Deum ante reliquam mundanam fabricam produxiſſe Solem cum eadem illa ſpecifica præſentia, quam modo habet, ſeu in illo remotiſſimo loco intrinſeco, ſeu cum hac, quam modo habet, præſentiâ. Certè diſtarent localiter intrinſecè: ſiquidem inter ambo poterat Deus ponere multas præſentias corporum. Et tamen tunc adhuc non eſſet ætherea illa regio, cujus ultima ſuperficies continet hanc cartam, & ideò eſt locus extrinſecus ipſius. Ergo ſine ullo loco extrinſeco poteſt dari diſtantia localis intrinſeca. Ergo ratio formalis immediata diſtantiæ hujus non ſunt loca extrinſeca. Reſtat ergo, quod ſint præſentiæ ipſæ, quia non reſtat aliud; cum tamen aliqua ratio formalis diſtandi localiter intrinſecè aſſignari debeat, cum noverimus res poſſe hoc modo inter ſe diſtare. Igitur ratio dicta diſtandi, actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium diſtandi, ſumptum adæquatè ſtat phyſicè ex parte rerum in utriuſque diſtantis præſentia; ſumptum inadæquatè ſtat in unuſcujuſque præſentia. Et hinc obiter habes præſentiam eſſe modum (phyſicum utique, ut mox dicam, non autem purè metaphyſicum ſicut eſt immenſitas reſpectu

Dei)

Digitized by Google

Dei) rei præſentis: quoniam cum diſtinguatur realiter ab illa, ut dicam, eſt abſolutum, actuale, formale, & immediatum exercitium, quo res illa ſubit inadæquatè denominationem diſtantis ab alia, à qua diſtat. Nec non ſubit denominationem præſentis in hoc ſpatio reali, vel imaginario. Cumque præſentia recipiatur in ſubjecto ipſo, quod præſens dicitur, eſt modus intrinſecus illius. Non autem videtur eſſe modus ſpatii, ſeu loci extrinſeci. Tum quia licet mutetur, imò prorſus deficiat ſuperficies aeris continentis hanc cartam, poteſt perſeverare hujus individua hæc præſentia. Tum quia non hæc, ſed ipſius ſuperficiei præſentia eſt actuale exercitium, quo aer continet hanc cartam.

74. Alterum, & primarium probandum in ea concluſione eſt. Præſentiam Madritanam, v. g. individuam illam, per quam Rex modo eſt Madriti præſens, nec divinitus poſſe poni Romæ per reflexam aliam præſentiam, contra quod docent Doctores quidam Complutenſes. Nil per ſe eſſentialiter diſtans à præſentia Romana, poteſt adhuc divinitus indiſtare ab hac, aut per ſe, aut per aliud. Sicut nil per ſe eſſentialiter diſtinctum ab A, poteſt adhuc divinitus indiſtingui ab A, aut per ſe, aut per aliud, quia neque res ipſæ, neque aliud poteſt invertere, aut tranſmutare eſſentias ipſarum rerum. At omnis ratio formalis, & immediata, omneque actuale, abſolutum, & immediatum exercitium diſtandi à præſentia Romana, per ſe eſſentialiter diſtat ab illa: quoniam ſi inſpectum ſecundum ſolam ſuam eſſentiam, foret indifferens ex parte ſui ad diſtandum, vel non diſtandum à Romana, oporteret quærere aliud quid quaſi reflexum, quo tolleretur hæc indifferentia ex parte ſui, & ſic abiremus in infinitum; vel tandem ſiſtendum eſſet in aliquo per ſe eſſentialiter diſtante à præſentia Romana. Ergo nulla ratio formalis, nullum actuale, abſolutum, formale, & immediatum exercitium diſtandi à præſentia Romana poteſt adhuc divinitus indiſtare ab illa, ſive per ſe, ſive per reflexum aliud. At præſentia illa Madritana ſpecificativè ſumpta, præſcindendoque ab omni loco extrinſeco, eſt ratio formalis, & immediata, actualeque, & formale exercitium diſtandi à Romana, & hæc ab illa, ut nuper dicebam. Ergo nec per ſe, nec per aliud poteſt indiſtare ab hac. Sed ſi præſentia illa Madritana per reflexam quandam præſentiam poneretur Romæ, indiſtaret ab hac præſentia Romana. Ergo. Similis inſtruitur ratio contra præſentiam ipſam reflexam Romanam per quam directa Madritana poneretur Romæ. Nil eſſentialiter per ſe diſtans ab alio (ſumpto utroque ſpecificativè, ac ſecundum ſe tantum, præſcindendo à locis extrinſecis) poteſt eſſentialiter, ac per ſe, eſſe in eodem loco intrinſeco, in quo eſt illud aliud. At omnis præſentia Romana ſpecificativè, ac ſecundum ſe ſumpta, per ſe eſſentialiter diſtat à Madritana, alias ut præſentia Romana diſtaret à Madritana, neceſſe erit comminiſci aliud quid reflexum auferens indifferentiam præſentiæ Romanæ. Ergo nulla præſentia Romana ſpecificativè, ac ſecundum ſe ſumpta poteſt eſſentialiter, ac per ſe eſſe in eodem loco intrinſeco, in quo eſt præſentia Madritana. At ſi aliqua præſentia Romana eſſet præſentia

P. Peynado phyſic. diſp. de loco.

reflexa præſentiæ Madritanæ, eſſentialiter per ſe eſſet in eo loco, in quo eſt Madritana, quia omnis præſentia eſſentialiter, ac per ſe eſt in eodem loco, in quod eſt ſpecificativè, ac ſecundum ſe res illa, cujus eſt præſentia. Ergo nulla præſentia Romana poteſt eſſe prçſentia reflexa ullius præſentiæ Madritanæ. Ergo hæc non poteſt poni Romæ per reflexam ullam præſentiam, hæc namque reflexa eſſet Romana.

75. Ubi jam vides præoccupatam ſolutionem *Præſentia ſpecificativè ſumpta. Reduplicativè ſumpta.* Procedit namque utraque ratio data de præſentiis ipſis ſolis, præſcindendo à locis extrinſecis, ideſt, ab ultimis ſuperficiebus terræ, ac aeris ambientium ſubjectum, cujus una propria, & directa præſentia eſt Madriti, & altera reflexa, per quam ea directa dicitur poni Romæ, & eſt Romana. Ergo reſpondere, præſentiam Romanam eſſentialiter diſtare à Madritana, ut exiſtente Madriti, ſecus ut exiſtente Romæ, eſt reſpondere Romanam eſſentialiter diſtare à *Madritana* ſumpta ſecundum ſuam eſſentiam; quoniam hçc eſt ſuum exiſtere Madriti: & præſentiam Romanam non diſtare eſſentialiter à *ſe ipſa*, quoniam ipſa eſt formale ipſum exiſtere *Romæ* prçſentiæ Madritanæ. Sed reſpondere hod videtur merum ſubterfugium. Nam in uno membro diſtinctionis detorquentur verba ad ſignificandum unum, & altero ad ſignificandum aliud. Ergo. Explicatur. Prçſentia Madritana, ut exiſtens Madriti, vel reduplicat illum locum extrinſecum (& hoc non venit ad rem, quia ſçpè monui me prçſcindere à loco extrinſeco) vel reduplicat noſtras cognitiones, modoſque cognoſcendi, quod frequenter accidit in iſtis reduplicationibus (& nec hoc venit ad rem, quia non diſputamus cognitiones, aut formalitates, ſed realitates objectivas) vel reduplicat formam, aut quaſi formam, qua Regia illa præſentia eſt Madriti, ideſt, reduplicat Madritum intrinſecum, non autem extrinſecum. Sed præſentia illa Regia eſt ſua forma, aut quaſi forma, per quam illa eadem eſt Madriti, quia non eſt ibi per aliam reflexam præſentiam, & illa per ſe eſſentialiter eſt ſuum Madritum intrinſecum, hoc eſt, per ſe eſſentialiter eſt id, quo reſpondet Madrito extrinſeco perſona, quæ illam præſentiam habet. Ergo quemadmodum homo, ut animal rationale reduplicante illo ut animalitatem, ac rationalitatem objectivas, nil penitus addit ſupra hominem ſecundum ſe; ita præſentia Madritana, ut exiſtens Madriti, nil realitatis addit ſupra præſentiam illam ſecundum ſe. Ergo ſi reflexa præſentia Romana habet per ſe eſſentialiter non diſtare à Madritana ſecundum ſe, & ſecundum hujus entitatem, quia hujus eſt prçſentia, habet eo ipſo per ſe eſſentialiter non diſtare ab illa, ut exiſtente Madriti. Sed hoc per iſtam diſtinctionem eſt falſum. Ergo. Vide ſimilia, quæ dixi ſupra num. 11. tractans ſimilem difficultatem circa durationes. Denique ſi objicias modos, qui reflexos alios modos terminare ſolent, in longum ibimus. Aliqui enim poſſunt, alii non poſſunt, oportet enim ſingulorum naturam, & quidditatem exploratam habere. In genere dico. Ex eo, quod modus A terminet modum B; v. g. unio aliam unionem, actio aliam actionem &c. Vel ſequuntur abſur-

da

Digitized by Google

da nuper producta, aliave ſimilia, vel non ſequuntur. Si primũ, ob iſtam eandem ſequelam dicam repugnare ſimiliter, quod modus A terminet modum B. Si ſecundum, tu ipſe diſparitatem das, nimirum non ſequi ex eo, quod modus A terminet modum B; abſurda quæ naſcuntur ex eo, quod una præſentia reddatur alibi præſens per aliam præſentiam.

§. V.

76. Dico 5. Quemadmodum rem durare in hoc tempore ſumptum in concreto non diſtinguitur adæquatè ab ipſa re & tempore extrinſeco, quoniam eſt concretum intrinſecè conſtitutum per rem, per durationem, & per tempus extrinſecum, unumquodque in ſuo genere. Item quemadmodum non omnis duratio ſumpta in abſtracto diſtinguitur à re durante, ſiquidem non diſtinguitur à ſe ipſa, quæ etiam ſuo modo durat; non quatenus ſit permanens, ſed quatenus reſpondet tempori extrinſeco reali, aut imaginario; His verò non obſtantibus, omnis duratio diſtinguitur à re abſoluta durante, atque à tempore extrinſeco, ut ſuo loco dixi. Ita hanc cartam eſſe præſentem in hoc loco v. g., ſumptum in concreto, non diſtinguitur adæquatè à carta, & loco hoc extrinſeco, quia eſt concretum intrinſecè conſtitutum per cartam, quæ præſens eſt per locum, in quo eſt præſens, & per præſentiam, qua eſt præſens. Rurſus neque omnis præſentia ſumpta in abſtracto diſtinguitur ab omni re, cujus eſt præſentia, quia non diſtinguitur à ſe ipſa, quæ etiam præſens eſt, & interdum ſenſu ipſo percipitur, ut adverti num. 57. Veruntamen præſentia hujus cartæ in hoc loco ſumpta in abſtracto, diſtinguitur realiter adæquatè ab hac carta, & ab hoc loco extrinſeco. In primis in hanc concluſionem invehi ſcias ſolitam doctrinam connotatorum, ſicut in ſententiam affirmantem diſtinctionem durationis ſumptæ in abſtracto à re durante, temporeque extrinſeco; quia tamen in ſuperioribus ſæpè hanc doctrinam repuli, ideo à ſolitis illis verbis, *quoad entitatem, quoad denominationem. Secundum explicitum; ſecundum implicitum. Secundum formalitatem, ſecundum virtualitatem. Secundum connotationem. De formali; de conſequente*, & à ſimilibus elegantiis, toties revocatis ad realitatem ipſam, & quidditatem, non ſanè verborum, ſed rerum, manum continebo.

77. Arguo itaque antiquo argumento, & antiquitate ſua ſatis commendato. Omne, ſine quo poſſunt exiſtere phyſicè, quoad ſuam entitatem, hæc carta, & hic individuus locus extrinſecus, diſtinguitur ab utroque ſecundum ſuam entitatem. At hæc duo poſſunt exiſtere phyſicè, quoad ſuam entitatem, quin detur præſentia hujus cartæ in hoc loco, quin detur ſimultas localis horum duorum, quin detur denominatio exiſtendi in hoc loco, ut conſtat. Ergo hæc ſimultas, hæcque præſentia diſtinguitur ab illis, & hæc denominatio imbibit aliquid ab

illis diſtinctum. Explicatur. Hæc ſimultas localis, ſeu hæc indiſtantia cartæ, ac loci, ſeu hęc pręſentia, ſeu hęc objectiva realitas. *Cartam eſſe in hoc loco, cartam, & hunc locum eſſe ſimul* (idem dico de aliis ſimilibus) Hæc, inquam, quæ ſolis verbis diſtinguuntur: quæro, vel identificantur cum ſolis entitatibus cartæ, & loci; vel cum his, & aliquo alio. Si ſecundum: hoc aliud vocamus præſentiam, ſive ſimultatem localem. Si primum: ergo omnis caſus poſſibilis, in quo dentur illæ duæ entitates, eſt caſus, in quo datur ea ſimultas localis, illa præſentia, illud, *cartam, & locum eſſe ſimul*. Sed hoc jam vides eſſe falſum. Ergo. Parco aliis, quia, ut dixi, totus nervus ſententiæ contrariæ ſtat in doctrina Connotatorum, & eum nervum multoties reciſum invenies. Unum addo. Concluſionem hanc inferri ex ea, quam probavi num. 58. Si enim præſentia hujus cartæ in hoc loco producitur per motum localem, quo agens movet cartam ad locum hunc, ut ibi probabam: proculdubio diſtinguitur à carta, & loco, quandoquidem quando cartam moviſti, neque feciſti illam, neque ſuperficiem iſtam aeris, v.g. continentis cartam.

78. Sed occurrunt quatuor difficultates. Prima: quomodo eſt continua ſeries motus localis, & præſentiarum, ſi quando advenit unus motus, & pręſentia, jam non eſt prior motus, & præſentia in loco priore? Secunda. In ſingulis momentis motûs localis mutabitur intrinſecè ſubjectum: ſiquidem perdit priorem præſentiam, quam in ſe habebat intrinſecè receptam, & de novo intrinſecè recipit aliam. Ut quid tanta multitudo præſentiarum abeuntium, & de novo venientium? Tertia; quomodo movetur localiter ſubjectum, & novas, atque novas, & iterum novas, acquirit pręſentias maximè, quando motu circulari redit ad idem ſpatium, in quo prius erat? Quarta. Ut ſubjectum à præſentia in loco A, tranſeat ad præſentiam in loco B, erit prærequiſita præſentia in loco A. Sed hęc eſt naturaliter incompoſſibilis cum præſentia in loco B, & hæc cum illa. Ergo præſentia in loco B, naturaliter opponitur cum illo eodem, cum quo naturaliter connectitur, ſeu cum eo, quod eſt naturaliter prærequiſitum ad ipſam. Ad primam reſpòndeo. Sicut *natura continui localis* non poſtulat omnes ſuas partes eſſe in eodem puncto loci, ſed unas immediatè poſt alias, nempe quia eſt continuum *ſucceſſivum*, quoad locum. Ita natura *continui temporalis* non poſtulat omnes ſuas partes eſſe in eodem puncto loci, quia non eſt continuum permanens; ſed ſucceſſivum. Ergo tametſi adveniente uno motu, & præſentiâ, ceſſet prior, ſeries motuum, ac præſentiarum erit continua (continuitate utique temporali, hoc eſt ſucceſſiva non autem permanente) ſi immediatè poſt unum motum, & præſentiam veniat alius, & alia ſine morulis, & interruptionibus. Ad ſecundum; quid mirum, quod ſingulis inſtantibus mutetur intrinſecè (non juxta vulgarem, ſed juxta philoſophicam iſtam phraſim) ſubjectum, quod ſupponitur moveri ſingulis inſtantibus? At ſupponitur ſingulis inſtantibus moveri ſubjectum ſine interrup ione, & motus ſunt realiter diſtincti, quamvis homogenei: nam motus ab A ad B, eſt

prior

prior tempore, quam motus à B, ad C; unique poſſunt exiſtere ſine alteris. Ergo non eſt abſurdum, ſed neceſſarium, quod ſubjectum iſtud mutetur intrinſecè ſingulis inſtantibus in ſenſu iſto. Et en reſponſionem illius *ut quid*. Cum enim detur iſta multitudo motuum localium ſucceſſivorum invicem diſtinctorum: & ſingulis motibus in individuo reſpondeat præſentia individua ſubjecti, quod movetur, quia omni actione aliquid fit: & motus illi ſunt actiones, ut ſupra dixi, neceſſe eſt, quod data multitudine motuum, detur multitudo præſentiarum numero ſaltem diſtinctarum.

79. Ad tertiam; quæ profectò non eſt ſpecialis contra meam concluſionem difficultas, ſed communis, reſpondeo: totum mobile (quando eſt indiviſibile, v. g. Angelus) vel ſuperficies extima illius, quando eſt corpus aliquod exiſtens in loco A, eſt in loco immediato, loco reali, aut imaginario B, quæ ergo eſt difficultas in eo, quod ex ſua intrinſeca virtute, vel ex alterius impulſu actionem faciat, in ſe ſolo receptam, per quam faciat ſuam prҽſentiam in B: & hic exiſtens faciat aliam in ſe ſolo receptam, per quam faciat ſuam prҽſentiam in C, & hic exiſtens, faciat aliam in ſe ſolo receptam, per quam faciat ſuam præſentiam in D? ſicut ignis immediatè applicatus paſſo actionem facit, per quam facit alium ignem in eo paſſo? Hæc actionum iteratio, eſt motus localis. Rectus, quando actiones illҽ fiunt per lineam rectam: obliquus, quando per curvam; circularis, quando per circulum; quamobrem ſicut ignis, oleum, aqua, humiditas, & ſimilia ſerpunt per pannum v. g., quatenus exiſtentia in parte A, vel producunt novum individuum ſuæ ſpeciei in parte B, ut facit ignis, vel illud idem, quod cum aliis conglobatum erat in parte A, facit actionem in ſe ipſo, qua producit ſuam præſentiam in parte C, & ſic propagatur, & ſerpit per pannum illum. Ita mobilia omnia per virtutem intrinſecam loco motivam, qua funguntur, vel per alienum impulſum, aut aliud quid in ſe receptum, cum ſunt in ſpatio A, producunt in ſe ipſis tanquam in ſubjectis receptivis; in eo autem ſpatio, tanquam in loco extrinſeco (ſicut etiam dicuntur agere *in* tempore hoc aut illo) actionem, qua producunt præſentiam aliam numero diſtinctam in loco B, non *in* tanquam in ſubjecto receptivo, quia ſuperficies illius aeris v. g., ad quam tranſit mobile, non recipit in ſe præſentiam illius, ſicut lignum recipit ignem; ſed tanquam in loco extrinſeco, ſicut de tempore extrinſeco dicere ſolemus: *talis res accidit in anno tali*.

80. Omnes autem iſtҽ ſunt ſibi ipſis reſpectivè immediatæ: quia cum agentia corporea, imò, & Spiritualia creata, quando utuntur inſtrumentis corporeis, nequeant operari, niſi uniformiter difformiter: tranſilire nequeunt de loco ad locum, niſi tranſeundo per medium, aut terræ, ut quando per eam gradimur, aut aeris, ut quando homo ſaltat. Cujus ratio eſt, quia ſicut ſolâ experientiâ novimus cæteras conditiones naturaliter prærequiſitas ad producendum cҽteros effectus, & poſtea adjicimus unam, vel alteram congruentiam, aut etiam rationem. Ita ex ſola experientia novimus præſentiam corporei

mo,

mobilis in ſpatio immediato A v. g., eſſe conditionem naturaliter exactam, ut per motum localem producat præſentiam B, Nunquam enim experti ſumus corpus, quod per motum localem aſſequatur præſentiam B, quin prius fuerit in loco huic immediato; & hoc quia vel ſimpliciter non habent virtutem ad hos ſaltus faciendos: vel quia licet habeant, Deus ob motiva ſibi nota non vult cooperari; ſicut ſupra dixi diſp. 1. num. 138. ex Hurtado, & Oviedo, quod licet causę naturales habeant virtutem ad producendum illum eundem ignem, v. g. qui olim fuit: ſicut ad illum, qui nondum eſt, ſiquidem non mutavit eſſentiam, non poſſunt illud abſolutè producere, quia reproductiones non conceſſit Deus cauſis ſecundis, ſed ſibi eas reſervavit; quid autem dicendum, ſi motus fiat per ſpatium vacuum omni corpore, eo quia Deus locum extrinſecum deſtruxerit? Reſpondeo; tunc non tranſiret mobile à loco reali extrinſeco A, ad locum realem B, ut patet; ſed de præſentia, ſive loco intrinſeco A, ad præſentiam, ſive locum intrinſecum B. Unde ad hunc non foret naturaliter prærequiſitum immediatè, & directè, quod mobile fuerit in inſtanti immediatè antecedenti in loco extrinſeco reali A, ſed in loco intrinſeco A, aut etiam in loco extrinſeco, ſed imaginario, & merè poſſibili A.

P. Oviedo controv. 12 phyſ. pun. 5 P. Hurtado diſp. 2. phy. ſic. ſect. 3. n. 38.

81. Demum ad quartam difficultatem, nego conſequentiam, quia cum in præmiſſis fiat ſermo de *tranſitu*, qui ſemper poſcit terminum à quo & conſequenter terminum incompoſſibilem cum termino ad quem; in conſequente fit ſermo de ſolo termino ad quem, ideſt, de præſentia in loco B. Igitur vel loqueris de hac ſola, ac ſecundum ſe; vel de hac, ut ſucceſſiva ad præſentiam A, atq; ut habenda per motum localem. Si primum, eſt quidem incompoſſibilis cum præſentia A, ſed eam non prærequirit, quia præſentia in loco B, potuit eſſe prima præſentia illius mobilis. Si ſecundum, verum eſt, quod prærequiritur præſentia in loco A, non quidem naturaliter duntaxat, ſed ut conſtitutivum phyſicum illius tranſitus ab uno loco, ſeu præſentia, ad alterum locum, & præſentiam, ſed hoc eſt proprium omnis mutationis; conſtitui nimirum per terminum *à quo*. Unde ſicut generatio formæ, præciſè *ut generatio*, non conſtituitur per privationem formæ; *ut mutatio* autem, conſtituitur. Ita motus ille localis, ut mera productio præſentiæ in loco B, non conſtituitur per præſentiam in loco A, ut *motus* autem, ſeu tranſitus ab uno ad alium conſtituitur per locum A, ſed cum ſit ens ſucceſſivum, non eſt res abſurda. Adde. Poſſe rem connecti metaphyſicè cum A, pro uno inſtanti, & opponi metaphyſicè cum illa eadem pro alio inſtanti (connexiones autem, & oppoſitiones metaphyſicę fortiores ſunt, quam merè phyſicę, ac naturales) Sic Chriſtus Dominus infallibili teſtimonio dixit Petro; *quod ego facio tu neſcis modo, ſcies poſtea*. Ecce verba metaphyſicè oppoſita cum ea ſcientia Petri in eo inſtanti, & ſimul connexa metaphyſicè cum eadem ſcientia pro alio Inſtanti.

Io: 13.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

De Compenetratione, ſive concurſu præſentiarum in eodem loco.

82. DUO compenetrari, non eſt habere unam, eandemque pręſentiam. Deus enim ob ſuam immenſitatem, & anima rationalis ob ſuam indiviſibilitatem, atque informationem, intimè penetrantur cum toto corpore noſtro; & tamen divina præſentia eſt diſtincta à noſtra corporea, ſicut etiam præſentia animæ, ut dixi capite antecedente. Stat ergo in eo, quod illa duo, ſive per unam, ſive per duas præſentias ſint ſimul in eodem penitùs loco extrinſeco, ſive reali, ſive ſaltem imaginario, & poſſibili, ut contingeret, ſi ante mundanam fabricam, & conſequenter, quando non eſſet ulla ſuperficies ullius alius corporis continentis, & ambientis, crearet Deus hominem aliquem. Nam cum illo foret intimè penetratus ipſe Deus, illaque anima cum illo corpore; quod ſi dixeris, corpus ipſum fore tunc locum extrinſecum, ſiquidem haberet ultimam ſuperficiem, & poterat ambire rem aliam, non multùm proficies; tum quia non ambiret, aut contineret animam, ſicut vas continet aquam, quoniam anima non hoc modo contineretur intrà corpus illud; aliàs foret extra illius ſuperficiem, ſicut aqua extra concavam ſuperficiem vaſis. Tum quia pone, Deum in caſu illo compenetrare duos ſpiritus: & tunc non dabitur ulla ſuperficies ullius corporis, & conſequenter non dabitur locus extrinſecus realis. Quæritur itaque: An, & quomodo poſſint duo penetrari, ſeu eſſe in eodem penitùs loco extrinſeco. Non eſt 1. quæſtio de præſentiis indiſtantibus; quoniam paſſim ſunt res contiguæ, & continuæ, v.g. particulæ minutiſſimæ hujus cartæ. At particula A. v.g. & particula B. habent pręſentias indiſtantes; quia diſtantia importat aliquam intercapedinem inter unum, & alterum. Et hæc intercapedo non datur inter particulas prorſus immediatè contiguas, & continuas. Ergo.

83. Nec 2. eſt quæſtio de rebus ſpiritualibus; quoniam ſine ulla difficultate in natura poſſunt duo, imò innumeri ſpiritus eſſe in eodem penitus loco; quoniam omnia, quæ carent reciprocâ, & non reciprocâ reſiſtentiâ, ſive oppoſitione quoad locum, poſſunt naturaliter eſſe in eodem penitùs loco. Sed ſpiritus omnes ſpecificativè, ac ſecundùm ſolam ſuam entitatem inſpecti, carent eâ reſiſtentiâ, luctâ, ſeu oppoſitione. Hæc namque, ut talis, in ſola quantitate hactenus deprehenſa eſt. Et omnes ſpiritus inſpecti ſecundùm ſolam ſuam entitatem carent quantitate. Ergo. Et ſic de facto penetrantur anima rationalis,

& ſup-

& ſuppellex tota accidentium purè ſpiritualium; quibus fruitur, ſive ſint naturalia, ſive ſupernaturalia, ſive ſint actus vitales, ut intellectio, & volitio, ſive non vitales, ut habitus infuſi, characteres Sacramentorum &c. Hæc namque omnia intimè penetrantur cum anima, & quamvis non ſint in omni eo loco, in quo eſt anima, v.g. in digitis, in pedibus &c., ſicut nè ipſa anima eſt in omni eo loco, in quo eſt Deus, licèt cum ipſo intimè penetretur; ſunt tamen in aliquo eodem loco, in quo eſt tota anima, ſive ſit locus reſpondens loco cerebri, ſive reſpondens cordi. Nec 3. eſt quæſtio de duabus rebus, unâ corporeâ, & alterâ ſpirituali. Nam anima rationalis, & corpus humanum ſunt id generis, & naturaliter compenetrantur, ſeu ſunt in eodem penitus loco. Et quivis alius ſpiritus, quamvis ſit entitas completa, v.g. Angelus bonus, aut nequam, ſine ulla repugnantia in natura, poteſt penetrari cum corpore, nam hoc reſiſtit quidem alii corpori, ſed cedit ſpiritui. Nec 4. eſt quæſtio de quibuslibet rebus corporeis inter ſe comparatis. Nam materia prima, formæque materiales, ſunt res corporeæ: hoc eſt ſuapte natura eam habentes connexionem cum quantitate, ut ſine miraculo nequeant ſeparari ab illa. Et tamen connaturaliter penetrantur inter ſe. Idem dico de accidentibus omnibus materialibus, quæ omnia ſunt corporea ob eandem rationem, & naturaliter penetrantur jam cum materia, & forma, jam inter ſe, prout fuerint illa. Nec 5. eſt quæſtio de corpore, & corporeo. Corpus primariè non in aliis acceptionibus, ſed prout eſt *proximè, ac ratione ſui impenetrabile cum alio*, eſt ſola quantitas. Corporeum eſt illud, quod cùm non ſit quantitas ipſa, eum tamen dicit ordinem ad illam, ſeu eam habet cum illa connexionem, ut ſine miraculo nequeat ab illa ſeparari. Conſtant hæc ex diſp. 4. Logicæ majoris, capite de quantitate, ubi conceptus dedi corporis, & ſpiritus. Dico nunc, quæſtionem præſentem non eſſe de corpore, & corporeo. Quoniam quantitas eſt corpus primariè in ſenſu dicto. Materia, forma equi, multaque turba accidentium ſunt corporea, quia licèt non ſint quantitas; eam nihilominùs connexionem habent cum quantitate, ut ſine miraculo nequeant ſeparari ab illa, ſicut ignis nequit ſeparari ab omni calore, materia ab omni forma &c. At ſine ulla difficultate in natura quantitas, materia, forma, accidentiaque equina, omnia, inquam, hæc ſunt reſpectivè in eodem penitus loco, licet per diverſas præſentias, ut dixi ſuprà; & conſequenter invicem penetrantur. Ergò ſine difficultate ex parte naturæ penetrari poſſunt corpus, & multa corporea in ſenſu dicto.

84. Tota igitur difficultas præſens eſt. An, & qua ratione *duo corpora*, hoc eſt duæ quantitates (molis utique, non vero perfectionis, temporis, aut ſimilis rei diſparatæ) vel duo *corporea*, quæ diverſas habeant quantitates, vel duo ſpiritus, puta duas animas rationales, quamdiu uniuntur diſtinctis quantitatibus, compenetrari poſſint? Reſpondeo, poſſe metaphyſicè, ſecus phyſicè, ac naturaliter. Probo primam partem ratione, quam dedi in Logica diſp. 4. Sacroſanctum corpus Chriſti Domini verè, ac ſimpliciter habebat quantitatem, tùm quia verè, & ſimpli-

ſimpliciter erat humanum, tum quia aliàs nec flagris, nec clavis, nec funibus, nec lanceę obnoxium eſſet. Et tamen quater fuit penetratum cum alia quantitate (dicere namque cum Oviedo, illas non fuiſſe penetrationes, ſed tranſitus à loco in locum ſine tranſitu per medium, videtur divinari, & fugere ab uno, ut admittatur aliud miraculum) 1. in ſua nativitate, quia B.Mariam confitemur Virginem, non ſolùm mente, ſed etiam corpore. 2. in reſurrectione, quia poſt eam *Angelus revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum*. 3. in apparitione ad Apoſtolos abſente Thoma: *Et fores eſſent clauſæ*. 4. in apparitione ad eoſdem præſente Thoma: *Venit Ieſus januis clauſis, & ſtetit in medio*. Ergo divinitùs poteſt contingere, quòd duo corpora, ideſt duæ quantitates, & duo corporea, ideſt duæ ſubſtantiæ habentes diverſas quantitates, verè, ac ſimpliciter compenetrentur. Rurſus penetratio propriè dicta non eſt magis impoſſibilis, quàm reſurrectio mortuorum propriè talis. At ex Scripturis habemus novem ſingillatim, ac in particulari, reſurrexiſſe mortuos; & multos alios in generali. Nam *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Et Paulus ait: *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: alii autem &c.* Ergò.

P. Oviedo contr. 15. phyſ. pu. 11 — *Matth. 28.* — *Ioan. 20.* — *Matth. 27.* — *Hebr. 11.*

85. Similiter in eo, quod duo corpora ſint in eodem puncto loci, non eſt major impoſſibilitas, quàm in eo, quòd grave corpus, alio validè impellente à tergo, ſtet, ac non ruat. At ex Scriptura novimus grave aquarum corpus, aliis, & aliis propellentibus aquis, quater ſtetiſſe, & non ruiſſe: ſemel nimirum in Mari rubro, & ter in Jordane. Ergo. Idem dico de aliis miraculis, quæ à Scriptura docti ſumus. Ratio autem philoſophica eſt. Nulla impoſſibilitas per Deum ſuperabilis eſt metaphyſica. Sed tota impoſſibilitas penetrationis propriè dictæ corporum eſt per Deum ſuperabilis, quia tota illa ſtat phyſicè ex parte rerum in connexione naturali, cujuſvis quantitatis cum eo, quod ipſa ſola ſit in eo loco, in quo eſt: in naturalique oppoſitione, ſeu reſiſtentia, qua reluctatur ingreſſui quantitatis aliùs, & rerum habentium illam aliam quantitatem. Et hæc connexio, atque oppoſitio eſt vincibilis per Deum, ſicut connexio ignis cum combuſtione corporis combuſtibilis, & oppoſitio materiæ cum privatione omnium formarum. Ergo impoſſibilitas ea non eſt metaphyſica. Hinc meritò arcetur à noſtris ſcholis propoſitio illa: *Penetratio corporum propriè dicta: & locus omni corpore vacuus, involvunt contradictoria*. Sumpto ſcilicet illo, &, in ſenſu diſtributivo; aliàs clarum eſt, quòd penetrari corpora in loco vacuo omni corpore, eſt implicatio. Satisfeci in Prodromo diſp. 5. à n.162. illis, quæ objici poſſunt; fuſius autem in Logica magna diſp.4. à num.47., ex quo incœpi explicationem quantitatis; & ideo eis ſuperſedeo.

Exod. 14. — *Iosuè 3.* — *4. Reg. 2.*

86. Sed num poſſunt naturaliter moveri duo corpora penetrata? Affirmant aliqui, eo quia ſaxum, v.g. penetratum in aere cum palea, caderet pondere ſuo naturaliter, & ſecum traheret paleam. Negant alii, eo quia ſi moverentur illa corpora penetrata, pars, vel partes unius tranſirent per locum occupatum à parte alterius, & ſic penetrare-

Digitized by Google

tur cum illa, quod eſt naturaliter impoſſibile. Reor opus eſſe diſtinctione. Vel motus eſt ita proportionatus, & ęqualis, ut ambo corpora moveantur ad locum B. cum eadem penetratione, quam habebant in loco A. vel non. Si primùm motus illorum corporum penetratorum, poteſt eſſe naturalis. Nam motus, quo Hoſtiam conſecratam movemus, eſt naturalis, aliàs tot nova miracula ponenda eſſent in Euchariſtia, quot motus habet, ob contactum digitorum, labiorum, linguæ, gutturis, atque ob inceſſum hominis, qui illâ fruitur. At ibi ſunt omnes partes corporis Domini reciprocè penetratæ, quia ob pręſentiam definitivam, quam ibi habet Chriſtus, totus eſt in tota Hoſtia, & totus in ſingulis Particulis illius, ut ſuprà citavi ex decreto Tridentini: undè dextra eſt in eodem loco, in quo ſiniſtra, & ambæ in eodem, in quo eſt caput &c. Deinde omnes illæ habent quantitatem, quia hæc non opponitur cum ſtatu immortalitatis, ſiquidem poſt reſurrectionem piæ illæ
Matth. 28. fœminæ *tenuerunt pedes ejus*, & ipſe Dominus dixit ad Apoſtolos: *Pal-*
Lucæ 24. *pate*, & *videte* &c. Ergo quantitates, & res corporeæ ſemel penetratæ, naturaliter moveri poſſunt motu ęquali conſervante illas in eodem ſtatu. Dicere autem, motum illum eſſe naturalem ſuppoſitâ pręſentiâ definitivâ, quam ibi habet Chriſtus Dominus, quia ſolæ pręſentię circumſcriptivę ſunt, quę opponuntur cum naturalitate motus, videtur tergiverſatio; quoniam cùm partes omnes ſacri illius corporis invicem compenetrentur ratione pręſentię definitivę, ſi naturaliter moventur ratione hujus, ſequitur, quod naturaliter moveantur ſimul ratione compenetrationis, quam habent.

87. Jam ratio eſt. Licèt non ſit naturalis motus ille, qui per ſe cauſat penetrationem in loco B. immediatè, ac directè, vel ſaltem mediatè, quatenus per ſe habeat id, quod cauſat per ſe illam penetrationem; veruntamen poteſt eſſe naturalis motus ille, qui per accidens omninò cauſat penetrationem, præſentiamque definitivam: quatenùs per ſe cauſat pręſentiam quantitatis in loco B., & aliundè antecedenter decrevit Deus cauſare penetrationem, ſeu pręſentiam definitivam in loco B., quoties in eodem loco datur præſentia illius quantitatis, v.g. ſi Deus ſtatuiſſet ſuſcitare mortuum, ſimul ac ſonaret campana, certè ſuſcitaretur ubi primùm hæc ſonaret. Num propreteà ille ſonus eſſet ſupernaturalis, aut eſſet cauſa illius miraculi? At motus, quo homo movet Euchariſtiam, & conſequenter corpus Chriſti ſecum penetratum ad locum B., per ſe dumtaxat cauſat præſentiam Euchariſticæ quantitatis in loco B., nam hæc quantitas ſola eſt id, quod directè, ac immediatè movet: Deus verò aliundè antecedenter decrevit cauſare illam penetrationem, ac præſentiam definitivam in loco B., quoties in eo loco datur præſentia illius quantitatis Euchariſticæ cum eis omnibus circumſtantiis. Ergo motus, quo homo ſacram Euchariſtiam movet à loco in locum, licèt moveat quantitates penetratas partium corporis Chiſti, eſt motus naturalis: nempe, quia non per ſe, ſed omninò per accidens movet illas. Quod ſi per ſe, ac directè cauſaret illarum penetrationem in loco B., non eſſet abſolutè, ac ſimpliciter naturalis, tametſi

ſup-

Digitized by Google

ſupponeret decretum divinum penetrationis, quia continuatio, & extenſio miraculi non eſt abſolutè naturalis; poterat tamen dici naturalis conſequenter, quatenus ſuppoſito eo miraculo non annexo ulli loco determinatè, erat conſequens facultas ponendi per motum localem in loco B. eam penetrationem, & præſentiam definitivam. Sicut ſuppoſita ſupernaturali vehemente contritione, ſolent eſſe conſequentes actiones quædam externæ pœnitentiæ.

88. Si dicatur ſecundum: videlicet motum, quo corpora penetrata moveantur, fore inæqualem, ita, ut immoto uno moveatur alterum, vel moveatur velocius, vel in aliam Mundi plagam tendat, tunc motus ille nequit eſſe naturalis, quia, ut benè obſervat P. Vaſquez, nequit hoc fieri, quin partes unius corporis tranſeant per locum occupatum à partibus alterius. Ergo nequit fieri, quin aliquæ penetrentur cum aliquibus. Sed omnis penetratio quantitatum eſt impoſſibilis naturaliter, ut dixi, & mox probabo. Ergo iſte motus traheret per ſe abſolutè terminum naturaliter impoſſibilem. Hinc ſi ſaxum penetraretur in aere cum palea, non poſſet naturaliter moveri motu velociore, quàm palea, nec vis ulla naturalis poſſet explicare, ſeu à ſe ſe invicem expedire illa corpora: quoniam licet innatum ſuum pondus, validive extranei impulſus ſimul cum levitate paleæ, incitarent ad motum, atque ad illorum corporum ſeparationem; at prævalitura videtur impenetrabilitas, contra quam nullum hactenus detectum eſt agens naturale, potens illam vincere, cum paſſim inveniantur, quæ vincunt pondus, & gravitatem conſervantia ſuſpenſum magnum pondus, & cohibentia gravitatem, nè cadat. Sed eo ipſo, quod impenetrabilitas prævaleret, illa duo corpora non poſſent invicem ſeparari localiter, neque motibus etherogeneis moveri. Ergo. Quapropter in eo caſu rueret quidem ſaxum, ſed ſimul cum palea, & quamvis ſingulis momentis accideret nova penetratio in novis punctis loci ex vi præcipitationis illius, cauſatæ per gravitatem ſaxi, id eſſet per accidens, ut nuper dicebam de motu Euchariſtiæ, nam motus ille per ſe tendit in præſentias deorſum quantitatis; per accidens autem eſſet, quod cum hac penetrata eſſet palea.

§. II.

89. PRobo jam ſecundam partem concluſionis ſcriptæ num. 84., videlicet duo corpora, ideſt duas quantitates, & duo corporea, ideſt duas alias quaſcunque res, habentes quantitates diſtinctas, imò duos ſpiritus quandiù uniti ſunt diverſis quantitatibus, v.g. duas animas rationales, actuſque ſpirituales utriuſque non poſſe phyſicè, ac naturaliter penetrari. Omne poſſibile ſuperans vires naturæ hactenus notæ, & ſibi ſoli relictæ, eſt ſaltem phyſicè, ac naturaliter impoſſibile. Sed omnis penetratio localis quantitatum diſtinctarum, & quarumli-

bet rerum aliarum, habentium tamen quantitates diſtinctas, ſuperat vires naturæ hactenus notæ, ac ſibi ſoli relictæ. Ergo. Major videtur certa, quia omne ſupernaturale, eſt phyſicè, ac naturaliter impoſſibile, v.g. hominem verè converti ad Deum, atque ideo ſine ſpeciali Spiritus Sancti gratia, quæ tamen *ſtat ad oſtium, & pulſat*, fieri non valet. Omne autem, quod ex una parte eſt poſſibile, ex altera verò ſuperat vires naturæ hactenus notæ, & ſibi ſoli relictæ, eſt ſupernaturale. Minor etiam videtur vera. Quoniam licèt neſciamus omnia, quæ poſſunt Angeli (qui profectò ſunt entitates naturales, & ſtupenda ſolent edere effecta, v.g. velocitatem nobis ferè inapprehenſibilem ſtellarum Libræ, & Arietis) & multò minus omnia, quæ poſſent facere creaturæ aliæ purè poſſibiles, nobiliores, & potentiores, quàm Angeli. Item licèt multæ creaturæ de facto faciant, tanquam cauſæ meritoriæ de congruo, aut tanquam cauſæ miniſteriales effectum longè perfectiorem, quàm penetrationem quantitatum, v. g. reſurrectionem mortuorum, & miracula ſimilia: item infuſionem gratiæ ſanctificantis per adminiſtrationem Sacramentorum, compenetrationemque partium corporis Domini in Euchariſtia per conſecrationem. Et demum, licèt creatura, ut cauſa per ſe, adjuta verò comprincipio ſupernaturali, verè, ac ſimpliciter faciat actus ſupernaturales Viæ, ac Patriæ.

90. Veruntamen hactenus viſum non eſt, quod Angelus, vel creatura alia ex eis, quæ ſunt, aut fuerunt in hac providentia, ſolis ſuis viribus naturalibus, & ſibi ſoli relicta, cum ſolo concurſu generali Dei, compenetraverit duas quantitates, aut duas alias res habentes quantitates diverſas. Hiſtoriolæ namque de ſtrygibus ſe inſinuantibus per rimas januæ, ſeu feneſtræ ſunt diabolicæ præſtigiæ: & vanum eſt credere, corpora illa humana, aut penetrari cum ligno, aut ſine morte ad eas anguſtias redigi. Similiter experientiæ objici ſolitæ, v.g. de vaſe tantùm capiente aquæ cum cinere, ac ſine cinere, cum monetula, ac ſine illa, ſunt ſimiles aliis fieri ſolitis in favorem vacui. Neutræ ſunt veræ; ſed provenientes ex aliis cauſis tunc præſentibus, anſam præbent intellectibus novitatum amantibus, ad judicandum penetrationem, vel vacuum, v.g. illud de cinere, & moneta eſt falſum, ſi vas fuerit plenum uno, vel altero. Solet eſſe verum, quando ſolùm eſt aliqua portio cineris, & hoc idem probat, non dari penetrationem, nam ſi ſemel aliqua portio cineris, & aliqua moneta penetrantur cum aqua, non eſſet cur major portio, & major numerus non penetrarentur. Quod autem tunc ſit verùm, provenit ex eo, quod cinis humiditate illa conglobatus emittit multas aeris, ſpirituumque portiunculas, quibus refertus erat. (& hoc ipſi oculi teſtantur) illis autem abeuntibus ſuccedit aqua. Monetula autem una parvula, licèt occupet locum non occupatum ab aqua, non effundit hanc; quia labia vaſis poſſunt adhùc continere illam ſub figura quaſi globoſa, & elevata; quòd ſi aliç, & aliç ingerantur monetç, effundetur aqua. Cùm ergò judicia, & diſcurſus non ſint formanda juxtà ſola abſtracta principia metaphyſica, ut toties dixi, propter abſurda, quç ſequerentur; ſed etiam juxtà principia practica, & prudentia-

Digitized by Google

dentialia: legitimè concluditur, dicendum, ac judicandum eſſe di-ctam compenetrationem eſſe phyſicè, ac naturaliter impoſſibilem.

91. Hinc 1. Homo poteſt cauſare penetrationem duarum quantitatum, ut cauſa miniſterialis, & ſic, Sacerdos conſecratione eſt cauſa, quod omnes, ac ſingulę partes quantitatis Corporis Domini ſint in eodem puncto loci. 2. ut cauſa congruè meritoria, quia ſicut Deus precibus, & meritis Sanctorum concedere ſolet reſurrectionem mortui, quam ipſe ſolus facit, ita concedere poteſt penetrationem à ſe ſolo factam duorum corporum, quando prudenter optabilis eſt: 3. An homo fruatur virtute obedientiali ad compenetrandum, ita ut ſi elevaretur principio ſupernaturali, ſicut elevatur ad viſionem beatificam, penetrationem ſimpliciter faceret, non ut cauſa purè miniſterialis, aut meritoria, ſed ut cauſa per ſe: eſt dubium pendens ex univerſali ea queſtione. An quodlibet poſſit elevari ad quodlibet? De qua ſupra egi ſecutus P. Uaſquez. 4. Impenetrabilitas, ſive reſiſtentia, qua unum corpus, aut pellit alterum, aut cedit, aut colluctatur illi, ſtat formaliter immediatè in utraque quantitate: ſicut quęvis reciproca oppoſitio duorum, ſtat phyſicè immediatè in utriuſque forma phyſica, aut metaphyſica. Impenetratio actualis ſtat, non in quantitatibus ipſis, quia hæ duntaxat ſunt radix impenetrationis; ſed in carentia ſimultatis ambarum in eodem loco, quæ carentia poteſt fundari in eo, quod neutra exiſtat, vel in eo, quod una ſola.

92. Pulſio verò quantitatis A, à loco A, per adventum quantitatis B, duo dicit. Unum negativum, ſcilicet quod non habeat præſentiam in loco A, & hic eſt effectus formalis negativus præſentiæ quantitatis B, in eo loco, ſicut expulſio frigoris eſt effectus formalis negativus caloris; quoniam licet locus A, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus, ſive realis, ſive imaginarius, non ſit ſubjectum commune *informationis*, ſeu *unionis* reſpectu utriuſque præſentiæ; aſt locus extrinſecus A, eſt ſubjectum commune *continentiæ* reſpectu illarum, quatenus æquè poteſt eſſe ſuperficies continens quantitatem A, & quantitatem B, deinde hæc, per ſolam ſuam præſentiam in eo loco extrinſeco A, excludit præſentiam quantitatis A, quæ erat in illa eadem ſuperficie, ſive loco extrinſeco, quemadmodum calor intenſus, per ſolam ſuam unionem phyſicam cum ſubjecto excludit intenſum frigus, quod erat phyſicè unitum ei ſubjecto (non utique quaſi hæ formæ poſitivæ eſſent excluſio formalis, & immediata oppoſitarum; ſed quatenus illam inducunt ex ſua natura) Ergo ſicut hæc excluſio eſt per calorem in genere cauſæ ſtrictè formalis, ideſt, informativæ, & ideo eſt effectus formalis negativus illius: illa altera eſt effectus formalis negativus præſentiæ quantitatis B, & provenit ab ea in genere cauſæ formalis per *informationem*, ſeu per *continentiam*, ſui in illa ſuperficie, ſive loco extrinſeco. Alterum, quod dicit pulſio illa, eſt poſitivum: nimirum quod quantitas A, occupet locum B, & ibi ſit præſens. Hic eſt effectus quantitatis B, non in genere cauſæ formalis, ſed efficientis, quia movendo quantitatem A, per motum illum, qui ſanè eſt actio phyſica

(ſiqui-

(ſiquidem aliquid agit phyſicè qui alium loco movet) producit præſentiam quantitatis A , in eo alio loco .

93. Denique quemadmodum animal mori in inſtanti B , eſt conceptus copulativus dicens duo . Unum poſitivum ſcilicet , quod illud fuerit vivum in inſtanti immediatè antecedenti , non enim poteſt dici , quod in hoc inſtanti moritur Adamus . Alterum negativum, videlicet , quod in inſtanti B , non vivat illud animal : & hac de cauſa , licet *mori* ſumptum inadæquatè , ſecundum ſolum negativum , contingat in unico inſtanti , ſumptum tamen adæquatè, ſecundum utrumque , quod importat , indiſpenſabiliter dicit duo inſtantia , quod etiam contingit reſpectivè in multis aliis realitatibus , v. g. *incipere* , *Deſinere* . *Donare* . *Augeri* . *minui &c* Ita corpus moveri ab uno loco in alium, duo importat. Unum poſitivum , nempe quod in inſtanti immediatè antecedenti fuerit in loco A , (non enim movetur modo hęc catta ab eo loco in quo fuit heri) alterum quod modo non ſit in A , per actionem , aut propriam, aut alius moventis, ſit in B , ſeu habeat præſentiam aliam ab ea, quam habebat in inſtanti immediatè antecedenti. Cumque hęc ſecunda præſentia ſit incompoſſibilis cum prima , ſi non formaliter immediatè ratione ſui ; at ſaltem ratione corporis nequeuntis habere ſimul duas præſentias , & ratione illius alius corporis trudentis hoc à loco A , idcircò ſecundâ hac adveniente præſentiâ , deficit illa prima , & motus localis non eſt explicandus per regulas mutationis ſolius , ſed converſionis, cum ſit tranſitus rei, ab una pręſentia poſitiva ad aliam poſitivam præſentiam , & diſcernenda ſunt omnia illa , quæ diſp. 1. n. 98. diſcrevi , & dixi intervenire converſioni : & demum motus localis adæquatè inſpectus indiſpenſabiliter dicit duo inſtantia , duo loca , ſeu duas præſentias ; unam tanquam terminum *à quo* , & alteram tanquam terminum *ad quem* ; quod ſi res miraculoſe habuerit duas ſimul præſentias , unam in A , & alteram in B , non poterit moveri localiter ab A , in B , ſicut ſubiectum , quod ſupponatur habere ſimul formam ligni , & formam ignis , eà periſtaſi durante , non poteſt converti ab una ad alteram formam. Si ſubjecto per motum producente præſentiam ſuam in B, Deus conſervet illius præſentiam in A, ſicut conſervatur pręſentia Chriſti Dñi in Cęlo in eodem inſtanti , in quo citra motum localem alia definitiva nova producitur in Euchariſtia, tunc ſubjectum illud movebitur localiter ab A, in B, non per motum qui ſit converſio , ſed qui ſit mera mutatio , ideſt , non tranſibit ab una præſentia ad aliam ; ſed à carentia præſentiæ in B, ad præſentiam in B , quemadmodum non daretur converſio , ſed pura mutatio , ſi adveniente forma ignis Deus miraculosè conſervaret in eadem materia formam ligni .

94. Sed dices quando , in quo loco , producitur ille motus , ſeù ſit illa actio, qua ſubiectum acquirit novam præſentiam in loco B . Si enim actio illa fiat in loco A , ſequetur illam ſeparari localiter à ſuo termino , quandoquidem illa eſt in loco A , & præſentia , quę per ipſam producitur phyſicè juxta dicta ſupra num. 58. eſt in loco B , ergo

hęc

hęc eſt in loco, in quo non producitur, & producitur in loco, in quo non eſt. Imò cum actio illa ſit momentanea, & ſucceſſiva ſicut cæteræ actiones, ſeparabitur etiam temporaliter à ſuo termino, quandoquidem actio illa fit in loco A, & conſequenter in inſtanti antecedente ad inſtans, in quo incipit ſuus terminus, quia hic, nempe præſentia in in loco B, eſt in inſtanti ſubſequente, ad inſtans, in quo ſubjectum erat in loco A. Si propterea dicatur actionem fieri in loco B, cum pro priori ad actionem *in loco B*, debeat intelligi ſubjectum jam eſſe in loco B, v. g. ſi ignis comburit in loco B, pro priori ad hanc combuſtionem debet eſſe jam in loco B, ſequetur quod pro priori ad actionem productivam præſentiæ in loco B, ſubjectum jam eſt in loco B, quomodo ergo, quà venit ad locum B? & cum eſſe in loco B, importet præſentiam B, ſequetur ſubjectum pro priori ad præſentiam B, habere præſentiam B. Reſpondeo actionem, ſeu motum localem ab A, in B, non fieri phyſicè in loco A, qui per eum motum relinquitur, quique hujus eſt terminus *à quo*; ſed fieri phyſicè, ac realiter in loco extrinſeco B, (locus intrinſecus eſt præſentia ipſa B, cumque hæc non fiat in ſe ipſa: & neque motum localem, neque præſentias poſſimus commodè explicare niſi per loca extrinſeca realia, vel ſaltem imaginaria magis nota, idcircò dico in loco extrinſeco B,) Actio namque fit in loco & tempore, in quo fit ſuus terminus. At terminus hujus actionis, nempe præſentia in loco B, fit in loco B. Ergo ibi etiam fit ea actio, ſeu motus localis ſecundum ſuum poſitivum.

95. Ad impugnationem reſpondeo. Subjectum debet præintelligi exiſtens, & præſens in loco B, pro priori ad actionem aliam in loco B, *quæ non ſit productiva præſentiæ in loco B*. Secus quando ſermo eſt de actione, quæ aquiſitiva, & productiva eſt præſentiæ in ipſo loco B. Unde abiicienda eſt illa locutio *ſubjectum, ut exiſtens, & præſens in B, fecit motum, ſive actionem productivam præſentiæ in B*; quoniam hic modus loquendi innuit falſam illam prioritatem; ſed dicendum. *Subjectum quod in inſtanti A, habebat præſentiam in loco A* (oportet enim non oblivisci mutationis, aut termini *à quo*) *in inſtanti B, producit motum ſecundum poſitivum, ſive actionem, quæ incipit eſſe in loco B*. Hanc actionem, & motum ſecundum poſitivum (negativum quippe eſt, quod deſinat eſſe præſentia in loco A) facit in loco B, à poſteriori non à priori. Ideſt, facit in loco B, non quatenus præſens jam in hoc loco, facit illam actionem, ſed quatenus faciens eam actionem, fit præſens in eo loco; quemadmodum quando ſubjectum perfricatione manuum, v. g. ſe calefacit, concurrunt in eodem inſtanti calefactio, & calor; non quia ſubjectum, ut jam calidum calefaciat ſe; ſed quia calefactione redditur calidum, & eſſe calidum eſt poſterius, non prius calefactione. Sic ſubjectum, quod in inſtanti A, habet præſentiam A, in loco extrinſeco A, reali, vel imaginario, ſeu purè poſſibili, impulſum à ſe ipſo, vel ab alio, facit motum, ſeu actionem in inſtanti B, quà acquirit præſentiam B, in loco B, reali, vel imaginario, quo fit, ut in inſtanti B, concurrat quidem motus, & præſentia ſubjecti in loco B,

non

non tamen ordine, quem inſinuat argumentum contrarium, quaſi præſentia in B, ſit pro priori ad motum illum, ſed ordine inverſo, quia præſentia eſt in poſteriori ad illum motum, cum ſit effectus per illum comparatus; quamobrem diſtinguenda eſt illa propoſitio. *Actio productiva præſentiæ in B, fit in loco B*: illo *in* ſignificante coexiſtentias ſolas temporalem, ac localem actionis, atque præſentiæ, concedo. Significante præcedentiam naturæ præſentiæ reſpectu illius actionis, nego: quia cum ipſa producatur per illam actionem, ſive motum localem, præcederet ſibi ipſi, ſi præcederet illi actioni.

CAPUT QUINTUM.

De bilocatione, ſeu præſentia ejuſdem rei in locis diſtinctis.

96. HACTENUS de præſentiis rerum diſtinctarum in eodem loco. Reſtat examinandum. An eadem omninò res poſſit eſſe ſimul in locis diſtinctis? Non eſt quæſtio 1. de Deo. Nam *quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si* Pſ.138. *aſcendero in Cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades &c.* Non 2. de creatura quoad duas, vel plures præſentias definitivas continuas naturaliter habendas; quoniā tota anima rationalis eſt naturaliter in dextera definitivè, & tota naturaliter in ſiniſtra, tota in auricula &c. quia cum ſit ſubſtantia indiviſibilis, non habet partes, quę informent unas partes corporis, & partes, quæ informent alias. Rurſus præſentia definitiva, quam habet in dextra, v.g. eſt diſtincta à pręſentia definitiva quam habet in ſiniſtra, quia, ut ſupra dixi, non probatur eſſe neceſſarium, quod abſciſsâ unâ particulâ corporis, & conſequenter deficiente præſentiâ, quam ibi habebat anima, deficiat præſentia in toto reliquo corpore, & de repente producatur alia. Præterquam, quod cum ſimus in fere continuo exercitio aquirendi unas partes corporis ratione nutritionum, & amittendi alias ratione reactionum contrariarum: ſequeretur animam eſſe ferè in continuo exercitio mutandi præſentias in noſtro corpore, ſiquidem jam eſt intimè præſens portiunculis ſubſtantiæ, quibus ante nutritionem præſens non erat: & jam deſinit eſſe præſens portiunculis, quibus præſens non erat ante reactionem agentium contrariorum. Ut quid mutatio tam crebra pręſentiarum in corpore, quando anima permanenter eſt illi præſens? Habet ergo rationalis anima ſimul multas præſentias definitivas ſaltem partiales, per quas ipſa tota eſt ſimul multis partibus corporis intimè præſens, & in loco, in quo ſunt illæ. Veruntamen nequit dici abſolutè, eſſe bilocata, ſeu habere ſimul multas præſentias, ſeu eſſe ſimul in multis locis: quia hæ locutiones innuunt multiplicationem loci *adæquati*.

At

At anima non eſt in multis locis adæquatis adhuc continuis: quia ſicut locus adęquatus corporis commenſuratur per dimenſionem longitudinis, latitudinis, ac profunditatis, quam habet, adeò ut corpus non ſit in multis locis, tametſi ſit in loco reſpondente longitudini, & in loco reſpondente latitudini, & in loco reſpondente profunditati. Ita locus adæquatus animæ, quę ſit indiviſibilis, taxatur per locum debitum his eiſdem dimenſionibus, quas habuerit corpus, quod informat. Ergo tametſi ſit anima tota in loco reſpondente longitudini, & tota in reſpondente latitudini, & tota in reſpondente profunditati corporis, quod informat, non eſt in multis locis adęquatis abſolutè, ac ſimpliciter, ſi non ſit alibi, ſed in his ſolis locis.

97. Quo circa concedendum eſt, totam animam, & adæquatè eſſe in multis locis, adæquatione ac totalitate cadente ſupra animam; negandum verò, illam eſſe in multis locis adæquatis adæquatione appellante ſupra loca ipſa: quia id ſtaret in eo, quod anima eſſet præſens in pluribus locis, quàm debetur longitudini, latitudini, & profunditati corporis, quod informat. Cumque hæc regula taxandi locum adæquatum formæ indiviſibilis non militet pro taxando locum adæquatum puncti phyſicè indiviſibilis materiæ, quia hoc punctum non eſt forma indiviſibilis rei diviſibilis, hac de cauſa licet anima rationalis non ſit abſolutè, ac ſimpliciter in multis locis adæquatis, punctum illud materiæ eſſet bilocatum, ſeu in multis locis ſibi adæquatis, ſi ratione motus velocioris, aut ratione rarefactionis eſſet ſimul in duobus aut pluribus punctis loci, ut ſuo loco dicebam. Rurſus ex hac multiplicitate præſentiarum partialium, quas anima noſtra habet in corpore, non ſequitur illam creſcere, aut minui ſubſtantialiter, quia nec nutritione aquirit novas partes ſubſtantiæ *ſpiritualis*, licet novis partibus ſubſtantiæ materialis fiat præſens, nec amittit aliquas reactione agentium contrariorum, licet illis deſinat eſſe præſens. At ipſa eſt ſubſtantia ſpiritualis; Ergo nec creſcit, nec minuitur ſubſtantialiter. Demum neque ſequitur illam extendi, aut contrahi; quoniam licet juxta mutationes dimenſionum corporis, illa jam habeat plures jam pauciores præſentias juxta latitudinem &c. nihilominus, neque ipſi adduntur, aut detrahuntur novę partes ſubſtantiales ſpirituales: neque occupat verſus longitudinem v. g., aut latitudinem, locum, quem prius occupabat verſus profunditatem, & hoc ex vi ſupervenientis accidentis, ut ſolet contingerere in rarefactione, juxta quæ dixi in Phyſica naturali diſp. 1. cap. de rarefactione, & condenſatione. At extenſio & contractio localis ſtat in uno ex his duobus. Ergo licet anima jam pluribus jam paucioribus partibus corporis ſit pręſens ſecundum longitudinem v. g., neque extenditur, neque contrahitur localiter, cum hæc verba ſignificent non plures utcumque, aut pauciores pręſentias verſus longitudinem, ſed inſuper plures aut pauciores præſentias rei, quæ ſit *corporea*.

98. Non eſt quæſtio 3. de creatura, quę ſimul habeat duas, aut plures præſentias definitivas diſcontinuas, ſive illę ſint contiguæ,

ſive diſcretę. Humanitas namque Chriſti Domini eſt creatura, & ſupernaturaliter eſt ſimul per multas pręſentias definitivas in multis hoſtijs conſecratis diſcontinuis, interdum diſcretis; ergo hoc extra quęſtionem eſt metaphyſicè poſſibile. Sine dubio etiam videtur eſſe id phyſicè impoſſibile, ut explicui diſp. 1. inter diſputandum de forma, ubi mandatum produxi S. Joannis Damaſceni ad Tyrannum Damaſci. Demum neque eſt quęſtio de duabus præſentijs, una circumſcriptiva, & altera definitiva; quoniam certum eſt Chriſtum Dominum fungi utraque ſimul quoad humanitatem: nam cum non abſit à Cœlo, quando eſt pręſens in Euchariſtia, ibi habet pręſentiam circumſcriptivam, quę connaturalis eſt corpori humano, licet beato, & hic definitivam. Difficultas ergò pręſens tota reducitur ad ſimultatem præſentiarum circumſcriptivarum. An nimirum unum, & idem corpus poſſit ſaltem divinitus eſſe ſimul in duplici loco adęquato, v.g. Madriti, & Romæ per duplicem pręſentiam circumſcriptivam? Et eadem eſt difficultas: An idem Angelus poſſit ſaltem divinitus eſſe in duplici loco, v.g. Madriti, & Romæ?

99. Reſpondeo. Utrumque eſſe poſſibile metaphyſicè, quamvis non phyſicè. Prima pars probatur 1. egregiâ paritate ſimultaneitatis præſentiarum definitivarum, quas habet ſacroſancta Chriſti humanitas in cunctis Hoſtiis conſecratis; cùm tamen non amittat pręſentiam circumſcriptivam, quam habet in Cœlo. In hac quippe paritate non omnia omninò; at pleraque argumenta contraria hebetantur, ut expendenti conſtabit. 2. quia difficile creditu eſt, quod quoties Chriſtus Dominus poſt Aſcenſionem apparuit in terris, necnon Beatiſſima Mater (v.g. quandò Chriſtus apparuit Saulo pergenti Damaſcum) diſceſſerint omninò à Cœlo, ita, ut omninò nullam ibi habuerint pręſentiam: aut quod neque Chriſtus, neque Beatiſſima Mater unquam verè in ſeipſis apparuerint in terris; ſed quod fuerit ſpectrum aliquod, vel Angelus, vel aliud, id, quod viſum eſt hominibus ſanctis, quoties Chriſtus Dominus, aut ſua Sanctiſſima Mater dicuntur apparuiſſe huic, vel illi ſancto homini. Ergò rationabilius dicendum videtur, Chriſtum Dominum, v.g. verè ſimpliciter, in ſuo ipſo corpore apparuiſſe multoties in terra, quin amiſerit præſentiam in Cœlo. Sed tunc habuit ſimul ſacra illa humanitas geminam præſentiam circumſcriptivam: unam in Cœlo, alteram in eo loco, in quo apparuit. Ergo hoc eſt metaphyſicè poſſibile. Idem poteſt dici de quotidianis, imò continuis judiciis particularibus, quæ facit Chriſtus Dominus de ſingulis, qui moriuntur, & in loco, ut dici ſolet, in quo moriuntur. Ratio autem ſcholaſtica ſtat in eo, quod nullum hucuſque probatum eſt abſurdum, nulla difficultas invincibilis Deo, in eo, quod idem corpus ſit in duplici loco adęquato per duplicem pręſentiam circumſcriptivam, aut eadem anima, aut idem Angelus per duplicem adæquatam pręſentiam definitivam, quod explicatione objectionum conſtabit.

100. Objic. 1. Si homo idem, v.g. poſſet eſſe in duplici loco circumſcriptivè, poſſet in uno loco eſſe vivus, & in altero mortuus. In uno

loco

Digitized by Google

loco eſſe ſanctus, filiuſque adoptivus Dei, & in altero eſſe ſceleſtus, filiuſque Diaboli. In uno loco eſſe beatus, & fruens viſione Dei, in altero eſſe ad pœnas damnatus. In uno loco credere, eſſeque catholicus: in altero negare, & eſſe hęreticus. Hujuſmodi, vel ſimiles oppoſitas formas, ac denominationes multas agglomerare potes. Reſpondeo. Idem poteſt objici contra ſimultatem duplicis præſentiæ definitivę, nec non circumſcriptivę, ac definitivæ: ſcilicet hominem, ubi eſt circumſcriptivè pręſens fore vivum, & ubi eſt pręſens definitivè fore mortuum &c. At ſimultas harum pręſentiarum non eſt neganda, ut poſſibilis, ſiquidem fide illam novimus in Chriſto Domino. Ergo conglobatio iſtarum formarum oppoſitarum non probat impoſſibilitatem illius ſimultatis. Igitur vel ſignificantur per iſtas propoſitiones formæ poſitivæ, quæ ſint poſitivè oppoſitæ. Vel ſolum præſentiæ formarum in uno loco, & non in alio, v.g. quod forma vitæ ſit præſens in uno loco, in quo eſt corpus, quod eo ipſo in eo alio loco erit mortuum ſecundum negativum, ideſt non habebit *ibi* formam vitæ (& ſimiliter de iſtis aliis denominationibus reſpectivè). Si hoc ſecundum, cōcedo ſequelas iſtas; quia non eo ipſo, quod corpus bilocetur, bilocari debent omnia penitus, quæ illi uniuntur phyſicè, de quo poſtea. Ergo fieri poteſt ſine contradictione, quod in aliquo loco ſit præſens corpus, in quo non ſit pręſens anima, & ibi corpus erit mortuum ſecundùm illud negâtivum pręcisè, quod ſignificat hęc vox *mortuum*: item, quod in aliquo loco ſit pręſens Gratia ſanctificans hominem, & in alio, in quo etiam eſt homo ille, non ſit pręſens Gratia ſanctificans illum: & conſequenter *ibi* non erit homo ſanctus, & filius Dei adoptivus, quia eſſe *ibi* ſanctum, ſignificat eſſe ibi ſanctitatem. Nihilo tamen minus homo ille abſolutè, ac ſimpliciter coram Deo erit ſanctus, illeque alius erit vivus &c. Quippe omnis, qui verè, & realiter coram Deo habet ſanctitatem, & vitam, abſolutè coram Deo, eſt ſanctus, & vivus. At quanquam homo ille hìc, v.g. Romæ, non haberet pręſentem ſanctitatem, vitam &c. abſolutè, & realiter coram Deo haberet ſanctitatem, quia illam haberet verè, & realiter Madriti ille idem individuus homo: quemadmodum de facto, licèt neque vitam, neque ſanctitatem habeas Mexici, abſolutè tamen, & ſimpliciter potes utravis fungi coram Deo. Ergo, quanquam homo ille &c.

101. Si dicatur illud primum, nempè ſignificari per illas propoſitiones, formas poſitivas, poſitivè oppoſitas. rogo iterum, vel oppoſitio eſt merè phyſica, & naturalis, qualem multi putant oppoſitionem gratię cum peccato: & ſic concedo ſequellas iſtas, loquendo de potentia abſoluta Dei. Vel eſt metaphyſica, & ſic nego illas: quia cum iſtæ formæ non opponantur quoad locum pręcisè (quia non eſt impoſſibile methaphyſicè, quòd Angelus nequam, v.g. intimè penetretur cum homine ſancto, in quo caſu ſanctitas, & peccatum erunt in eodem penitus loco) ſed directè, ac primariè quoad ſubjectum: & cum inſuper ponatur, ſubjectum eſſe prorſus idem Madriti, & Romæ: idcircò erit impoſſibile metaphyſicè, quod illud idem ſubjectum ſit ſanctum Madriti,

 & pec-

& peccator Romę, vivus Madriti, & mortuus Romę, catholicus Madriti, & hęreticus Romę &c. Quia iſtę formę, ac denominationes cadunt immediatè, ac directè non ſupra pręſentias, ſed ſupra ſubjectum ipſum, quod ponimus eſſe unum, & idem: & non ſunt ſicut denominationes diſtandi, aut non diſtandi, quę cadunt etiam ſupra pręſentias ipſas, quæ ſanè diſtant, aut non diſtant; ſed neque ſunt ſanctæ, neque peccatrices, neque catholicę, neque hęreticę &c. Quamobrem diſtinguenda eſt propoſitio univerſalis enuncians, ſi ſubjectum poſſet eſſe in duplici loco, poſſet habere formas, ſeu denominationes oppoſitas. Poſſet habere ſecundum negativum duntaxat, concedo, ideſt, habere in uno loco, & non pręſentem in alio talem aliquam formam. Secundum negativum, & poſitivum, ſubdiſtinguo: ſi formę ſint metaphyſicè oppoſitę quoad ſimultaneam unionem cum eodem ſubjecto, nego. Si ſecus, concedo de poſſibilitate ſaltem metaphyſica.

§. II.

Vaſq. in 3. part. diſp. 164. c. 5.

102. Objic. 2. Argumentum, propter quod P. Vaſquez diſceſſit à ſententia communiore in Scholis noſtris. Si corpus poſſet eſſe in duplici loco adęquato, poſſet moveri naturaliter in utroque: caſu nimirum, quo arcerentur impedimenta tendendi in ſuum centrum. Sed impoſſibile eſt metaphyſicè, quod naturaliter moveretur in utroque loco, ſicut eſt impoſſibile metaphyſicè, quod materia prima naturaliter careat omni forma, nempe, eſt metaphyſicè impoſſibile rem ullam mutare ſuam eſſentiam, & naturam. Ergo. Hęc ratio in primis non videtur valere contra ſpiritum bilocatum, v.g. contra Angelum, aut animam rationalem exiſtentem Madriti, & Romę. Neque contra corpus nudatū omni, vel maxima parte gravitatis, ut nudę ſunt vaſtiſſimę moles corporum cœleſtium, & pręſertim ſupercœleſtes aquæ, & hoc ſine miraculo, niſi dicamus, Deum ita condidiſſe machinā mundanam, ut ſine miraculo continuo, continuaq; manutentione Dei, ut Authoris ſupernaturalis violantis jam ab initio Mundi naturas rerum, ſubſiſtere non valeat. Sicut ergo moles illæ immenſę neque ſurſum, neque deorſum moventur naturaliter à ſe, & ex ſe, neque antrorſum, neque retrorſum, neque dextroſum, neque ſiniſtrorſum, ſed inſpectę, prout ſunt conditæ à Deo, ſtarent, ſicut immobilis ſtat terra: ita poterat Deus bilocare corpus ita temperatum, ut ſub tali temperamento ſtaret utrobique, & nullum ex ſua natura haberet motum localem. Idem dico, ſi ante hanc mundanam fabricam produxiſſet Deus aliquod corpus in ſpatio, quod tunc erat imaginarium reſpectu cognitionis, quam de illo habemus modo. Non gravitaret illud corpus, quoniam tunc non eſſet centrum: & ubi modo eſt centrum terræ, poterat Deus in alio ſyſtemate ponere Jovem, aut Saturnum, aut Capellas; & in alio ſyſtemate ponere centrum Mundi, ubi modo eſt cor Scorpionis, ut dixi in Phyſica

patu-

Digitized by Google

naturali diſp.3. Sicut enim in hoc noſtro aere poſſumus ad libitum formare multos circulos, unos ſuperiores, alios inferiores, unos magis Orientales, alios magis Occidentales &c. Ita in eo infinito ſpatio poſſibili poterat Deus circulum complectentem mundanam fabricam, formare hìc, aut alibi, magis verſus illam plagam, quam modò vocamus ſuperiorem, magis verſus illam, quam vocamus modò inferiorem &c. Hæc omnia ſufficiunt noſtrę concluſioni de Bilocatione divinitùs poſſibili.

103. Sed eſto corpus habere gravitatem, & eſſe ſicut iſta, quæ præ manibus habemus, adhuc non convincit iſta ratio. Aliud namque eſt, quod utrobique gravitaret in actu primo, quatenus utrobique haberet exigentiam naturalem tendendi in centrum, ſed per unicum motum (& hoc eſt verum, quia cum hęc exigentia non diſtinguatur à corpore illo, ubicumque fuerit hoc habebit innatam exigentiam tendendi in centrum.) Aliud autem, quod utrobique moveretur naturaliter: & hoc eſt falſum, ſicut neque corpus exiſtens in duplici loco per duplicem pręſentiam definitivam, ſicut eſt corpus Domini in duabus hoſtiis, moveretur naturaliter ab intrinſeca gravitate per duos motus diſtinctos (Corpus enim Chriſti non cadit in duplici, aut multiplici loco naturaliter ob propriam gravitatem, ſed ob gravitates diſtinctas diſtinctorum eorum accidentium.) Ratio, propter quam illud eſt falſum, hæc eſto. Vel decreviſſet Deus efficaciter conſervare utramque illam præſentiam per multum tempus. Vel uſque ad ſolum inſtans A. incluſivè. Si primum, ex neutro loco moveretur naturaliter, aut ſupernaturaliter, nam *voluntati ejus quis reſiſtet* in eis, quæ noluit pendere à libertate *Rom.9.*
creata, ſicut voluit pendere actiones meritorias, atque demeritorias, atque ideò dictum fuit quibuſdam: *Vos Spiritui Sancto ſemper reſiſtitis*. Si *Act.7.*
ſecundum, immediatè poſt inſtans A, ceſſaret corpus eſſe in duplici loco, & ex illo ſolo, v.g. ex Madritano, in quo vellet Deus conſervare illud, inciperet cadere, ſeu moveri. Nunquam ergo contingeret, quod naturaliter, ideſt ob ingenitam gravitatem moveretur ex duplici loco, & per duplicem locum.

104. Sed poſſetne moveri illud corpus Madriti ab una cauſa naturali, & ſimul Romæ ab alia, aut immotum Madriti moveri Romæ? Reſpondeo. Cum hæc pręſentiarum ſimultas, utpotè miraculoſa pendeat ex divino decreto ſolo, neceſſe eſt huic attendere. Vel decrevit Deus conſervare illud corpus cum individuis illis pręſentiis A. & B. & ſic à nulla cauſa poſſet moveri illud corpus, aut Madriti, aut Romę, quia per motum localem alterutra deficeret, quod repugnat ſtante illo divino decreto) vel ſolùm decrevit dare illas individuas præſentias pro uno inſtanti. Et ſic elapſo hoc, deficeret ea ſimultas, & conſequenter corpus illud ceſſaret eſſe pręſens, v.g. Romę, & conſequenter à nulla cauſa naturali poſſet moveri Romæ, ſed poſſet moveri Madriti à cauſa naturali ibi exiſtente, & impulſum corpori illi imprimente. Vel decrevit conſervare in eo corpore pręſentias per totum unum, & per totum alium locum extrinſecum, caſu quo moveatur. Et tunc utrobique

po-

Digitized by Google

poteſt moveri à cauſa naturali proportionata: & poteſt moveri iu uno ſolo loco, & quieſcere in altero: quoniam licet in utroque concurſus rerum ſit abſolutè, ac ſimpliciter miraculum; aſt hoc non fieret ab ulla ex illis cauſis naturalibus, ſed à Deo volente ſuo mero placito concurrere ad eam pręſentiarum ſimultatem, & perinde ſe habere cum cauſis Romanis v.g., ac ſi ibi ſolùm eſſet illud corpus, & cum Madritanis, ac ſi ibi ſolùm eſſet corpus idem. Pendet itaque totum hoc ex qualitate divini decreti, quia, ut dixi, ex hoc ſolo quoad ſubſtantiam pendet, quod corpus gaudeat geminâ pręſentiâ. Cumque decretum poſſit habere diverſos modos tendendi, ideo reſolutio hujus dubii eſt diverſa. Neque id eſt novum, quando diſputatur res pendens ab hypotheſi determinata, nam cum hęc ſoleat eſſe capax, ut ei adjungatur alia, item, quod non adjungatur hęc, ſed quędam alia, item, quod ambæ adjungantur, hac de cauſa non oportet reſpondere omnino abſolutè, ac univerſaliter, ſed cum diſtinctione, atque proportionatè ad mutationes hypotheſeon, quas facere poteſt arguens, maximè ſi cavilloſus ſit. Certè, quod in iſto caſu facerent cauſę Madritanæ, nil aliud eſſet, quàm motus ſpecificativè, ac ſecundùm ſe Madritanus; quod autem in eodem inſtanti eſſet motus, aut quies illius ejuſdem corporis Romæ, per accidens omninò ſe haberet reſpectu motus Madritani, & unicè, quia Deus vult conſervare pręſens Romæ illud idem corpus; & idem de cauſis Romanis. Ergo, quod utręque facerent, eſſet quid entitativè naturale, & ſolùm extrinſecè, ac per accidens ſupernaturale. Ergo utręque poſſent facere illud.

105. Idem dico de homine, qui bilocatum ſe ſciret, & adverteret. Utrobique poſſet movere ſeipſum localiter, & non poſſet juxtà modo dicta, prout fuerit decretum divinum, à quo ſolo penderet ea diſtinctarum pręſentiarum circumſcriptivarum ſimultas. Necnon prout fuerit multitudo, & qualitas motuum, de quibus quęſieris. Nam cum virtus loco motiva radicalis ſit in homine limitata, atque ſit eadem numero, neque major, neque minor Romæ, & Madriti, in homine illo tot, aut tales motus potes comminiſci Madriti, ut exhauſtâ illâ virtute per motus locales Madritanos, nequiret homo ſe movere Romæ; quod ſi ſuppetat adhuc virtus radicalis ſe movendi, & utrobique adſint prærequiſita ad motum localem, & decretum divinum bilocationis ſit gerendi ſe cum eo homine Romæ perinde, ac ſi non eſſet pręſens Madriti, & viceverſa, utrobique poterat homo ille ſe movere. Similiter cum virtus radicalis ad alios effectus ſit penitus eadem in homine illo, quippe quæ cum illo identificatur; diſpoſitiones autem adjuvantes poſſent eſſe plures, ac diverſæ: hac de cauſa non poſſet homo bilocatus plura illa effecta facere, quæ ſuperarent ſuas vires intrinſecas, ſeu virtutem ſuam radicalem; poſſet autem illa, quæ non ſuperantia virtutem hanc, conſentanea ſunt majori numero, & meliori qualitati diſpoſitionum utrarumque. Unde exiſtens Madriti, & Romæ, plura poſſet videre, quàm exiſtens Romæ tantùm, à pluribus poſſet etiam videri, unde ſua viſibilia accidentia plures mitterent ſpecies viſuales.

Et

Et ſimiliter de aliis proportionatis tum virtuti intrinſecæ operatrici, qua fruitur homo, tum diſpoſitionibus aliis juvantibus ad operandum. Unde ex bilocatione non ſequitur, quod ignis multas, & multas habens præſentias in multis, & multis locis poſſit multa, & multa comburere. Aut quod unus ſolus miles multas, & multas habens præſentias circumſcriptivas in multis, & multis locis, v. g. in locis immediatis omnibus, & ſingulis locis, ubi ſunt cuncti milites contrarii, poſſet totum exercitum trucidare &c. quia cum hæ virtutes operatrices ſint limitatæ, & propter replicationem non creſcant entitativè, aut mutentur, quippe ſunt identificatæ cum ſubſtantia bilocata, aut ſi diſtinctæ ſint, ſupponatur eſſe eaſdem penitus: inde eſt, quod licet per replicationem quaſi aquirant plures diſpoſitiones ad operandum, tandem habebunt finem ſuæ operationes, & ultra certum quendam numerum operari nequibunt, tametſi in pluribus aliis locis præſentes ſint; quod attinet ad *Pati* oportet diſtinguere. Aliquę paſſiones, ſeu receptiones indigent virtute quadam activa ſubjecti patientis, ut ſuſtentare ſupra dorſum pondus ingens. Aliæ non indigent, ut ſuſcipere colorem, lucem, frigus &c. Corpus bilocatum non poſſet plura primi generis pati, quia, ut dixi, vires activæ, utpote identificatę cum eo ſubjecto, eſſent eædem in utroque loco. Poſſet tamen plura ſecundi generis; quia in B, poſſunt eſſe, aut aliæ, aut plures cauſæ operatrices in eo ſubjecto, quam in A. Ergo ſubjectum bilocatum poſſet plus calefieri, v. g. in A, & B, quam in ſolo A, nempe à cauſis utrobique exiſtentibus. Nec propterea cauſæ exiſtentes in B, operantes in eo ſubjecto exiſtente in A, operarentur abſolutè, ac ſimpliciter in diſtante, quoniam ſubjectum ita exiſtit in A diſtante, ut etiam exiſtat in B, ubi ſunt illæ cauſæ. Ergo hæ operarentur in ſubjecto, quod ita diſtat, ut ſimul ſit eis immediatum. Sicut manus moventes Corpus Domini in Euchariſtia operantur in corpore, quod ita eſt in Cœlo, & conſequenter ita eſt diſtans, ut ſimul ſit in Altari.

105. Objicies 3. De ratione præſentiæ circumſcriptivæ adæquatæ eſt, quod totum corpus ſit intra ſpatium A v. g., ita ut huic totum corpus adæquetur, & commenſuretur. Ergo eſt, quod nil ipſius ſit extra hoc ſpatium, quia alias non eſſet totum intra ſpatium A. At ſi corpus exiſtens, & præſens in A, replicaret Deus per aliam præſentiam circumſcriptivam in B, aliquid ipſius, v. g. caput, eſſet extra ſpatium A: & conſequenter totum corpus, & ſimul non totum corpus illud eſſet in A. Confirmatur 1. ſi corpus poſſet eſſe in multiplici loco adæquato, poſſet eſſe ubique. Ergo poſſet eſſe immenſum. Ergo una formica poteſt divinitus eſſe immenſa, quod repugnat. 2. implicat quod idem corpus dividatur totum à ſe ipſo, diſtet totum à ſe ipſo, occurrat totum deambulando ſibi ipſi, ſit totum ſibi ipſi contiguum, quoniam perſpicuum eſt, hæc non poſſe verificari, niſi de rebus realiter diſtinctis. At hæc omnia, & ſingula poſſent verificari de uno eodemque corpore, ſi illud poſſet eſſe circumſcriptivè in duplici loco adæquato. Ergo. 3. Dimenſio eſt quantitas, vel ſaltem in ea ſola radicatur.

tur. Ergo quoties datur duplex dimenſio dabitur duplex quantitas? At quoties datur duplex præſentia circumſcriptiva dabitur duplex dimenſio, ſive extenſio localis, ut patet. Ergo dabitur duplex quantitas. Ergo implicat, quod una eademque quantitas habeat duplicem præſentiam circumſcriptivam. Hæc probant Corpus Chriſti Domini non eſſe verè præſens in Euchariſtia in eodem tempore, in quo habet præſentiam circumſcriptivam in Cœlo, nam ſequerentur iſta eadem, quæ objiciuntur, v. g. diſtare à ſe ipſo, dividi à ſe ipſo, eſſe extra locum illum Cœleſtem, poſſe eſſe ubique &c. Diſtinguo itaque antecedens objectionis: totum ſit intra ſpatium A, ſecundum poſitivum, ei adæquetur, & commenſuretur ſecundum poſitivum, concedo (quia ratio præſentiæ circumſcriptivę poſtulat, quod totum, quod ſic præſens eſt, ſit ibi, & unaquæque pars ipſius in parte illius loci ſibi reſpondente) ſecundum negativum, ideſt, quod corpus ita ſit ibi, *ut non ſit alibi*, nego antecedens. Tum quia de hoc eſt quæſtio, & non debes aſſumere illud; tum quia Corpus Sacroſanctum Chriſti Domini, ita eſt totum intra ſpatium Cœleſte, quod occupat, ut ſimul fuerit totum ipſum circumſcriptivè in terris, quoties in terris ſub virili figura apparuit: & quotidie ſimul ſit totum in Euchariſtia. Et diſtinguo conſequens: eſt, quod nil ipſius ſit extra hoc ſpatium, ita ut deſinat eſſe in illo alio, concedo; eſt, quod nil ipſius ſit extra hoc ſpatium, ſi tamen totum ſit ſimul in illo alio, nego. Et diſtinguo ſimiliter ſubſumptum. Caput eſſet extra ſpatium A; ita ut ſimul per aliam præſentiam eſſet in ſpatio A, ſicut Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt extra Cœlum, ut ſimul per aliam præſentiam ſit in Cœlo, concedo minorem. Ita ut per aliam præſentiam non eſſet intra illud ſpatium, nego minorem, & reliqua.

107. Ad primam confirmationem, nego in primis antecedens; quia abſurdum, quod ſequeretur ex eo, quod una formica eſſet ubique, ſcilicet illam fore immenſam, non ſequeretur ex eo, quod divinitus poneretur in duobus, aut tribus, aut quatuor ſolis locis. Ergo ſtat, poſſibile eſſe hoc, & non illud. Deinde Corpus Chriſti Domini poteſt ne eſſe in infinitis hoſtiis conſecratis? Et eſſet ne propterea immenſum? Demum eſſe immenſum non eſt eſſe utcunque ubique, ſed *ex ſuâ met eſſentiâ* eſſe ubique. At quanvis una formica poneretur à Deo ubique, illa non haberet hoc ex ſua eſſentia. Ergo non eſſet immenſa plusquam materialiter, ac per accidens, & conſequenter non eſſet immenſa ſicut Deus. Ad ſecundam, concedo illa omnia repugnare uni eidemque corpori ſpecificativè, ac ſecundum ſe præcisè inſpecto, aſt non repugnat uni eidemque corpori, *ut exiſtenti in locis diverſis*, quia de facto verificantur, aut verificabilia ſunt de corpore Domini exiſtente in Cœlo, & ſimul definitivè in Euchariſtia, aut etiam circumſcriptivè in locis, in quibus apparuit terricolis. Et ratio eſt, quia tunc non verificantur de corpore ſolo: quia ipſum ſolum, ac ſine præſentiis neque diſtat, neq; ſeparatur, neq; accedit, neq; occurrit &c. ſed de complexo ex illo, & præſentia A, & de complexo ex illo, & præſentia B, v.g.

cor-

Digitized by Google

corpus ut exiſtens in A , diſtare à ſe ipſo , ut exiſtente in B , ſtat in eo, quod complexum ex corpore , & præſentia A , diſtat à complexo ex eodem corpore, & præſentia B . At quamvis corpus ſit penitus idem, hæc complexa ſunt realiter inadæquatè diſtincta , ut vides . Ergo iſta non verificantur de eodem , ſed de ſubjectis inadæquatè diſtinctis. Ad 3. nego antecedens , quia dimenſio exigitur quidem à quantitate , ſicut calor ab igne ; aſt non eſt quantitas ipſa , nam ſtat formaliter immediatè in præſentia , aut præſentiis , quibus unæ partes quantitatis ſunt extra locum aliarum . Et hæc præſentia radicatur quidem in quantitate , ſed non in ea ſola , ita, ut nec divinitus poſſit dari extenſio nova quantitatis non exacta per hanc : quoniam poteſt dari , nempe in alio loco ex mero placito divino,ſicut dari poteſt calor non exactus ab igne .

§. III.

108. UT alia ſolvas . Obſerva 1. Impoſſibilitas naturalis , ſeu habendi ſimul duas , v. g. præſentias circumſcriptivas in duobus locis adæquatis , non eſt ſicut impoſſibilitas penetrationis corporum duorum , quæ ſtat in intrinſeca oppoſitione , & reſiſtentiâ , qua una quantitas per ſe , ac directè reluctatur ingreſſui alterius in eum locum , & eum cedit , ſi vincitur ab altera . Præſentia quippe A , non opponitur per ſe directè cum eo , quod illud corpus alibi habeat aliam , aut alias multas præſentias ; ſed ſolum cum eo , quod per ipſam non ſit præſens . Stat igitur naturalis impoſſibilitas bilocationis , partim in limitatione , ac finitudine ſubjecti ipſius , quod uno ſolo , & finito loco eſt contentum , partim in eo , quod hactenus non eſt detectum agens ullum naturale , quod poſſit ponere corpus in uno alio loco , quin moveat illud à loco , in quo erat prius , ſeu quod vires habeat conſervandi præſentiam corporis illius in loco A , quando illud eſt in loco B : ſicut non eſt agens naturale , quod poſſit extinguere totam lucem Solarem , atque ideo , hæc extinctio eſt naturaliter impoſſibilis . Et hinc habes probatam ſecundam partem concluſionis ſcriptę num.99. nempe ex ratione illa , ex qua ſola nobis conſtant phyſicę , atque naturales impoſſibilitates , ac connexiones , ſcilicet ex experientia : in quam tandem reſolvuntur rationes alię , quę pro his rebus adduci ſolent . Si enim aliquoties experti eſſemus hominem extinguere lucem Solarem , aut ignem admotum paſſo diſpoſito non comburere , non judicaremus hanc combuſtionem phyſicè neceſſariam , aut illam extinctionem phyſicè impoſſibilem eſſe .

109. Obſerva 2. Caſu quo bilocaretur corpus , omnia , quæ ipſi ſunt phyſicè unita (exceptâ præſentiâ ipsâ Madritanâ , v. g. , de qua ſupra egi num. 74.) poterant ſimiliter bilocari , v. g. actio qua ignis Madritanus calefaceret Madriti corpus illud : poterat eſſe quoque Ro-

Digitized by Google

mæ, & calefacere Romæ idem corpus per calorem eundem replicatum quoque Romæ; quoniam licet actio illa ſepararetur valdè ſecundum poſitivum quod ſeparatio dicit à ſuis cauſis Madritanis, at non ſepararetur ſecundum negativum. Separari namque ab illis importat duo, unum poſitivum, ſcilicet quod ſit Romæ, v. g. alterum negativum, ſcilicet quod non ſit Madriti. At quamvis actio illa eſſet Romæ, eſſet quoque Madriti. Ergo quamvis ſepararetur à ſuis cauſis ſecundum poſitivum; ſed non ſecundum negativum, quod propriùs, & ſimpliciùs eſt ſeparari. Præterea cum reliqua diſtincta à præſentia ipſa, non ſint ratio formalis, & immediata diſtandi, ut eſt præſentia ipſa, cui rationi inſtiti loco eo citato: non habent per ſe eſſentialiter abſolutè, ac determinatè diſtare à loco Romano. Ergo divinitus poſſunt poni in eo. Rurſus poterant quoque non bilocari, ita ut corpus exiſtens Madriti, ipſum ſolum fieret præſens Romæ, ſed nudum ſuppellectili totâ ſuorum accidentium, ita ut ibi neque haberet præſentem animam, neque intellectiones, neque volitiones, neque actum ullum vitalem, & conconſequenter neque viveret, neque intelligeret, neque ſentiret Romæ, ſicut ego modo, neque vivo, neque intelligo, neque ſentio Mexici, quia non eſt ibi præſens mea anima. Etenim omnia hæc habent præſentias diſtinctas à præſentia corporis, imò, & animæ; quandoquidem licet huic naturaliter uniantur, poſſunt tamen corpus, & anima exiſtere in A, quin ea ſuppellex accidentium exiſtat in rebus. Ergo præſentia horum eſt diſtincta à præſentia illorum. Ergo vice verſa. Ergo neceſſe non eſt metaphyſicè, quod omnia illa accidentia habeant præſentiam ubicunque illam habuerint corpus, & anima. Neque argumentum contrarium ſumi poteſt ex verbis illis Eliſæi. *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo &c.* quia certè non loquitur de præſentia phyſica in loco illo, ſed de notitia quam habebat non minus, quam ſibi fuiſſet phyſicè præſens. Rurſus neque ſumi poteſt ex ſimultanea impoſſibili veritate illarum propoſitionum. *Eſt vivum, non eſt vivum. Intelligit, non intelligit. Eſt album, non eſt album &c.* quoniam negativæ, ſi ſint Univerſales, ſunt falſæ; Si ſint particulares, atque reſtrictæ ad locum determinatum ſunt veræ, ſed non contradicunt affirmativis, ſiquidem non ſunt ejuſdem, de eodem, ſecundum idem. Et alias eſſent contradictoriæ hæ, quæ profectò ſunt ſimul veræ. Petrus vivit, intelligit, ſentit, eſt albus Madriti. Petrus non vivit, non intelligit &c. Mexici.

4. Reg. 5.

110. Obſerva 3. Corpus exiſtens ſimul Madriti, & Romæ occideretur, vel non occideretur: mutilaretur, vel non mutilaretur: percuteretur, vel non percuteretur: combureretur, vel non combureretur (idem de aliis) Madriti eo ipſo quod occideretur, aut combureretur Romæ, prout fuerint alii caſus, ſive hypotheſes adjunctæ huic bilocationi. Etenim cauſæ Romanæ duo conarentur, & in duo tenderent. Unum quod *Romæ* non eſſet unio illius corporis Madritani, & animæ. Alterum quod non eſſet ſimpliciter in rerum natura talis unio. Poterat Deus annuere utrique conatui, vel etiam primo ſoli. Si annueret utri-

utrique, corpus illud occideretur, ſeu potius moreretur Madriti, eo ipſo, quod occideretur Romæ, quoties enim abſolutè, ac ſimpliciter deficit unio illius cum anima, moritur corpus. At quando occideretur Romæ, deficeret abſolutè, ac ſimpliciter unio illius cum anima; quia ponitur, Deum huic etiam conatui annuere Romanarum cauſarum. Ergo quando occideretur Romæ, moreretur Madriti etiam; quatenus ex vi actionis exiſtentis Romæ tantum, ceſſaret Deus ab illius vita conſervanda Madriti; ſi annueret Deus ſoli conatui cauſarum Romanarum contra hoc, quod eſt, *eſſe Romæ* unionem illius corporis, & animę, tum quamvis corpus occideretur Romæ, eſſet vivum Madriti. Nam quoties Madriti eſt unitum animę, eſt vivum Madriti. At quamvis Romæ deficeret unio ipſius cum anima (ſicut modo deficit mexici unio mei corporis cum mea anima) eo quod cauſæ Romanæ obtinerent, quod illa unio non eſſet Romæ, nihilominus ea unio foret præſens Madriti, & conſequenter corpus foret Madriti unitum cum anima. Ergo quamvis Romæ deficeret ea unio, & conſequenter quamvis Romæ occideretur illud corpus, nihilominus foret vivum Madriti. Et ratio eſt; quia non eſt idem unionem corporis, & animæ non eſſe *Romæ*, ac nullibi eſſe. Ergo conjunctim cum eo, quod non ſit Romæ, eo quod Romanæ cauſæ deſtruant illam Romæ, poteſt illa exiſtere abſolutè, & ſimpliciter, nempe, quia Deus illam alibi conſervat.

111. Verum eſt, nullibi exiſtere id, quod abſolutè, ac ſimpliciter deſtruitur, cui propoſitioni inſiſtit P. Oviedo. Sed punctum eſt, quod cauſæ Romanæ poſſunt deſtruere, occidere, diſcerpere, comburere *Romæ* corpus, quin abſolutè deſtruant, occidant, comburant illud: eo quod ex duobus terminis, in quos tendunt cauſæ illæ Romanæ, nimirum quod illud corpus, & ſua unio cum anima non ſit *Romæ*, & inſuper quod non ſit in rerum natura, Deus concedat unum, videlicet quod non ſit Romæ, & neget alterum, videlicet, quod non ſit in rerum natura, quin imò conſervet illud cum ſua unione Madriti. Neque contra id, quod ſupra dixi, inferas, fore, ut etiam anima poſſet eſſe Sancta Madriti, & ſimul peccatrix Romæ inimicaque Dei. Oppoſitio namque Gratiæ cum peccato, ſi ſit metaphyſica, non eſt quoad eundem locum: in eodem namque loco poteſt eſſe anima Sancta, & Angelus nequam. Sed quoad idem ſubjectum. Ergo quoties ſubjectum ſit idem, nequibunt conjungi ea duo, ſive locus ſit idem, ſive multiplex. Oppoſitio autem occiſionis, deſtructionis, combuſtioniſque Romanæ cum vita non eſt primariè, ac per ſe abſolutè cum vita, ſed cum hac *in eo loco*, in quo datur occiſio deſtructioque. Nam ſicut quantitas A, ratione impenetrabilitatis opponitur cum eo, quod ſit quantitas B, in loco per ipſam occupato, ſed non cum eo, quod ſit alibi. Ita combuſtio, v. g. ob connexionem cum forma ignis naturaliter oppoſita cum forma vitæ, ſolum connectitur cum eo, quod ſubjectum combuſtum non habeat formam vitæ in eo loco, in quo comburitur: Sed non connectitur omninò metaphyſicè cum eo, quod nullibi prorſus habeat illam. Ex naturali autem connexione actionis occiſivæ cum morte, naſcitur

Oviedo contrv. 55. phyſ. puncto 10. n. 15.

oppoſitio cum vita ipſa. At poſtquam indulſit Deus primariæ illi oppoſitioni, hoc eſt poſtquam Romæ ceſſavit à conſervatione Romana corporis, & unionis cum anima, ob actionem illam occiſivam, poteſt non indulgere ſecundæ oppoſitioni, conſervando nimirum alibi corpus illud, & unionem cum anima. Ergo.

112. Explicatur. Occiſio, deſtructio, combuſtio equi, v. g. primariè, ac per ſe connectitur cum defectu unionis animæ equinæ cum corpore, & inde naſcitur connexio cum defectu animæ ipſius equinæ, quia utpote materialis nequit naturaliter exiſtere ſeparata à materia. Veruntamen poſtquam indulſit Deus primæ connexioni, poteſt violare ſecundam, conſervareque miraculosè animam equinam, abſque unione illa. Hoc in præſenti. Poſtquam indulſit Deus cauſæ Romanæ ceſſando propter illam à conſervatione Romana integritatis corporis illius, à conſervationeque unionis cum anima, poteſt violare exigentiam alteram earundem cauſarum: videlicet quod nuſpiam alibi conſervetur integritas, & unio illius corporis cum anima, nam poteſt alibi conſervare corporis integritatem, & unionem; quod idem dico de gratia, & peccato, ſi oppoſitio quam habent eſt merè phyſica, & naturalis. Videlidet quod ſicut in eadem anima, & in eodem loco poteſt Deus conſervare gratiam, tametſi ſubintret peccatum, poſito quod opponantur tantum phyſicè, ita in homine præſente Madriti poſſet Deus conſervare gratiam, tametſi Romæ committeret peccatum.

CAPUT SEXTUM.

De Motibus localibus in ſpecie, ubi de levitate, gravitate, impulſuque.

113. HACTENUS diſputavi motum localem in genere, & proprium ſuum terminum per ipſum productum: nimirum præſentiam, nec non locum extrinſecum, in quo acquirit illam. Reſtant explicandæ ſeptem motuum ſpecies, v. g. motus ſurſum, ubi de levitate: motus deorſum, ubi de gravitate: motus projectorum, videlicet quando violenter projicimus lapidem, ubi eſſentiam, & exiſtentiam qualitatis, quæ vocatur *impulſus* ſtabilire debemus: motus reſilientiæ, tum rectus, tum obliquus, v. g. quando impingens pilam in parietem, redit in projicientem, modò per lineam rectam modò per obliquam: motus circulationis, quo res in circulos, ſeu vortices moveri ſolent: motus progreſſivus, quo nimirum incedimus per terram, quo aves per aerem, naves per aquas moventur. Hic autem motus eſt triplex: unus quo ſimpliciter incedit mobile, v. g. homo gradiens, deambulans, currens

pe-

Digitized by Google

pedibus : alius *vectionis* , quo non tam incedit , quàm vehitur res , non tam ſe movet , quàm movetur localiter ab alio , ut homo in rheda vehitur ab equo , vas , aut ſaxum vehitur à bajulo ; alius *attractionis* , v.g. quo magnes corripit ad ſe , aut corripere videtur per lineam rectam , ferrum proportionatum ſuo polo , & quo ſuccina multa attrahunt , & conſequenter localiter movent paleas &c. Hæ omnes ſpecies motûs in duas redigi poſſunt . Unam , quæ ſit motus proveniens à principio inhęrente , & permanenter afficiente ſubjectum mobile , & non ſicut impulſus , qui etiam inhęret ſubjecto moto , & niſi renovetur non eſt permanens , ſed quaſi tranſiens . Hic autem motus dici ſolet naturalis, eo quod ſit à principio intrinſeco permanente,quamvis interdum ſit ſubjecto ipſi moto violentus , ut quando vivens contra ingenitam ſui corporis gravitatem illud elevat à terra . Alteram , quæ ſit motus proveniens omninò à principio extrinſeco , & violento , ut quando lapis projicitur per aerem . Rurſus occaſione horum motuum multę excitantur quęſtiones . Prima . Utrum levitas ſit quid poſitivum ? Secunda . Utrum gravitas ? Tertia . Utrum detur qualitas illa, quę vocatur impulſus ? Quarta . Cur hic deficiat ? Quinta . Cur motus naturalis ſit velocior in fine , quam in medio , vel initio ? Cur è converſo motus violentus ſit velocior in medio , tardior autem in principio , & fine ? Sexta . A qua cauſa proveniat motus localis reflexus , ſive reſilientia ? Septima . An mobile quieſcat in puncto reflexionis , nempe an pila attingens parietem in inſtanti A, quieſcat ibi tunc: & poſtea reſilire incipiat. Hæc omnia brevitate congrua exponam per quinque §§. in hoc capite .

114. Dico 1. Circa levitatem, & motum ſurſum . Illa ſimpliciter, & abſolutè talis , etiamſi dicatur ſumi in abſtracto , non ſtat pręcisè in negativo , quod ſit , carentia gravitatis . Sed neque eſt neceſſe , quod ſit adæquata forma poſitiva , ſicut calor albedo &c. Stat ergo phyſicè , ſicut alia multa , partim in poſitivo , partim in negativo , majoris ſcilicet , aut minoris gravitatis . Et ab ea , licet non ſola , provenit motus ſurſum eorum corporum , quæ leviora ſunt aliis ; & ſic ſatisfacio primę quęſtioni . Probo primam partem . Si levitas ſimpliciter , ac abſolutè talis conſiſteret pręcisè , ſeu adęquatè in ſola carentia gravitatis omne ſubjectum , in quo daretur hęc , quamvis non eo ipſo eſſet ſimpliciter leve, eo quia eſſet incapax hujus denominationis, ſicut lapis eſt incapax amicitiæ divinę ; aſt eſſet ſubjectum , in quo verè , ac ſimpliciter daretur levitas, ſicut lapis cui Deus uniret gratiam habitualem, eſſet ſubjectum , in quo verè , ac ſimpliciter daretur Sanctitas . Repugnat quippe dari id , in quo ſolo conſiſtit plenè adęquatè A , quin detur A . Sed in Deo , in Angelis , in animabus ſeparatis , datur carentia gravitatis , quia dari hanc carentiam , eſt, non dari gravitatem ; & certum eſt , quod in eis non datur gravitas . Ergo in Deo verè , abſolutè , ac ſimpliciter , in Angelis , & animabus illis datur levitas ? Videtur difficile . Meritò ergo à noſtris ſcholis exulat illa propoſitio . *Gravitas , & levitas non differunt ſpecie ; ſed tantum ſecundum magis , & minus .* Differunt quippe pluſquam ſpecie , quandoquidem levitas , ut mox di-

cam

Digitized by Google

cam, conſtituitur per carentiam gravitatis. Neque dicas levitatem conſiſtere non in quacunque carentia gravitatis, v. g. in carentia, quę ſit negatio, ſed in carentia, quæ ſit privatio. Eſt verum, ut mox dicam. Sed iſthinc ſumo novam rationem. Privatio, ut talis, non eſt plenè adęquatè quid negativum, ſed quid partim poſitivum, partim negativum. Ergo ſi levitas conſiſtit in privatione gravitatis, ſubſiſtit illam non eſſe pręcisè, atque adęquatè quid negativum. Probo antecedens. Nil intrinſecè conſtitutum per capacitatem ſubjecti ad habendum formam, eſt adęquatè quid negativum, quia ea capacitas procul dubio eſt quid poſitivum. At omnis privatio, ut talis, intrinſecè conſtituitur per capacitatem ſubjecti ad habendam formam; quoniam eſt carentia formę *in ſubjecto capace*. Hęc autem objecti᾽a veritas. *Carentia formæ in ſubjecto capace habendi illam*, non identificatur plenè adęquatè cum ſola carentia formę; alias propter eandem rationem, quam ſępè objeci Connotatoribus, omnis caſus poſſibilis, in quo daretur carentia formę, daretur *Carentia formæ in ſubjecto capace habendi illam*, quod eſt falſum. Ergo.

115. Probo ſecundam partem. Videlicet neceſſe non eſſe, quod ſit quid adæquatè, ac totaliter poſitivum, levitatem, deprehendimus duabus ſolis experientiis. Una, quod aliqua corpora naturaliter durant, & permanenter ſtant ſupra: v. g. nubes ſupra partem Atmoſphæræ, intra quam degimus, lunare corpus ſupra totam regionem aeris, moles vaſtiſſima corporea Solis ſupra Lunam &c. Altera, quod una corpora naturaliter, ſine violentia extrinſeca, moventur ſurſum, ut oleum, quod erat in fundo vaſis aſcendit protinus ad labra, quando infunditur aqua, & nebulæ, vapores, exhalationeſque naturaliter tendunt ſurſum, & multoties videmus illas nebulas, quaſi ſcandentes per acclive montium. Sed hęc poſſunt ſubſiſtere quin levitas ſit forma plenè adęquatè poſitiva, ſicut eſt calor, albedo, & alię; Probatur. Nil quod præcisè ut tale, contentum eſt ſola carentia majoris, & æqualis gravitatis, præcisè, ut tale, infert formam plenè adæquatè poſitivam. At quod nubes naturaliter, ſine extrinſeco impulſu ſtent ſuper aerem, Luna ſuper illas, Sol ſuper illam, vaſtiſſima fixarum corpora ſuper illum, & demum aquæ ſuper cœleſtes ſupra totum vulgus fixarum, præcisè ut tale, contentum eſt cum eo, quod una corpora ex his habeant minorem gravitatem, quam alia reſpectivè, & conſequenter illa naturalis permanentia (ne dicamus Deum ita fuiſſe Authorem hujus naturæ præſentis, ut jam ab initio conditionis mundi violaverit jura naturæ ipſius per continuum miraculum, aut continuam violentiam illatam eis corporibus naturalibus) illa, inquam, contenta eſt præcisè, ut talis, ſolâ carentiâ majoris, & æqualis gravitatis: Probatur. De ratione gravitatis eſt proportionata localis propinquitas cum centro univerſi, ideſt, cum loco magis diſtante ab ambitu Univerſi, qui eſt Cœlum Empyreum. Ergo eo ipſo, quod A, majore prematur gravitate quam B, naturaliter debet eſſe magis propinquum centro. Ergo eo ipſo, quod B, nec tantam, nec æqualem habet gravitatem cum A, debet eſſe naturali-

raliter magis remotum à centro. Ergo eo ipſo debet eſſe naturaliter ſupra A, ergo eo ipſo quod in ea ſerie corporum, quæ produxi, una habeant carentiam majoris, & æqualis gravitatis, naturaliter debent eſſe ſupra altera reſpectivè. Ergo quod una ſint naturaliter, ac permanenter ſupra altera, hoc, inquam, precisè, ut tale, contentum eſt ſolâ carentiâ majoris, & æqualis gravitatis. Ergo precisè, ut tale, non infert levitatem, quę ſit forma adæquatè poſitiva. Produc diſcurſum ſimilem contra poſitivitatem aliarum formarum, quæ jure cenſentur eſſe adæquatè poſitivæ, & tunc concludes de illis, quod ego de levitate; quapropter, ut dixi in phyſica naturali diſp. 4. vaſta illa moles corporis Solaris naturaliter eſt in edito illo ſpatio, quod expanditur inter ſuum perigęum, & Apogęum: quia Author naturæ volens ibi accendi facem illam mundi, ita temperavit illius gravitatem, ut infra ſe haberet graviora hæc omnia corpora nobis viciniora; ſupra ſe haberet illa alia minus gravia, unde ſtando regulis naturæ, neque poteſt naturaliter cadere intra Perigæum, neque naturaliter aſcendere ſupra Apogæum: ſicut oleum, trabes, naves, montes nivium, & reliqua innatantia aquis, neque poſſunt naturaliter cadere infra aquas, neque aſcendere ſupra vicinam atmoſphæram: & idem de immenſa illa aquarum ſupercæleſtium mole: cujus gravitatem ita Deus temperavit, ut neque poſſint naturaliter aſſurgere uſque ad Empyreum, neque cadere intra Cœlum ſtellatum ſupra capita noſtra.

116. Rurſus neque ex naturali motu locali unorum corporum ſupra alia, arguitur, levitatem eſſe formam adæquatè poſitivam; quoniam nil, quod præcisè ut tale, contentum eſt cum eo, quod corpus A minorem habeat gravitatem, quam vicinum, ac contiguum corpus B, & quod inſuper hoc corpus B; lapſu ſuo quaſi comprimat, & excutiat ſurſum, & conſequenter elevet, ſeu moveat ſurſum corpus ipſum A, arguit præcisè ut tale, levitatem quæ ſit forma adæquatè poſitiva. At quod nebulæ, ac vapores moveantur ſurſum (& idem dico de cæteris; quæ naturaliter ſine violentia extrinſeca ſurſum tendunt) præcisè ut tale, contentum eſt eis duobus. Nam eo ipſo quod vapores illi minorem habeant gravitatem, quàm aer illos ambiens, naturaliter debent eſſe magis diſtantes à centro univerſi, & gravior ille aer poſſeſſus, aut etiam repletus corpuſculis, & athomis gravioribus, ruens undequaque occupandi cauſa locum viciniorem centro, excutit, ſeu propellit ſurſum vapores illos (ſicut brachium opprimens aerem, & aquas inferiores machinarum aquas vibrantium, excutit aquas ſuperiores per aliquot ulnas) & hęc excuſſio non eſt violentia extrinſeca, quinimò eſt conformis naturæ illorum vaporum, qui ut pote minus graves, debent eſſe magis diſtantes à centro univerſi. Ergo quod nebulæ, ac vapores naturaliter moveantur ſurſum, nec non oleum, quando vaſi infunditur aqua, nec non trabes, & naves quando alveus impletur aquis, per ſe præcisè non arguit levitatem quæ ſit forma adæquatè poſitiva. Non nego poſſe, ac ſolere alias concurrere etiam cauſas ad motum ſurſum eorum corporum, quæ leviora, ſeu minus gravia ſunt, v. g. novi, ac novi vapores pone

ſub

Digitized by Google

ſubſequentes, & propellentes priores, ſicut novæ, ac novæ partes arboris acquiſitæ per alimentum, propellunt apicem arboris, & ſunt in cauſa, ut tendat ſurſum: Ventus reſiliens per viam rectam, aut obliquam in eos vapores, & eos cogens, ut aſcendant, atque ideò quando illos ſcandere per montes videmus, vaticinamur aerem non eſſe purgatum, ſed procelloſum. Veruntamen illę duę cauſę aſſignatæ, nimirum carentia æqualis gravitatis, & ruina corporis gravioris undequaque ambientis corpora illa, ſunt ſufficientes, & magis univerſales, atque ſtabiles pro motu ſurſum illorum corporum. Et hinc 1. explicatam habes originem motus, quo levia tendunt ſurſum. Habes etiam 2. explicatam cauſam moventem ſurſum animam, & ſuppellectilem totam rerum ſupernaturalium hominis Sancti naturaliter aſcendentis ex fundo aquæ ad ſuperficiem minorem, ſcilicet gravitatem cauſantem illum motum, ſicut dixi de quantitate num. 64. & dicam de gravitate num. 127. Habes etiam obiter explicatam, & probatam quartam partem concluſionis nimirum motum ſurſum corporum minus gravium provenire à levitate, ideſt à carentia gravitatis in corpore; non autè ſola, quia ſcilicet provenit quoque à lapſu, ſeu ruina gravioris Corporis undique ambientis, & contigui, quod gravitate ſua majore, magis debet appropinquare centro, & conſequenter excutit ab eo loco in locum liberiorem, ideſt, ſurſum elevat corpus minus grave, abſque violentia tamen, quinimò illa elevatio eſt conſona naturæ corporis minus gravis, quippe, ut tale, debet diſtare magis à centro; quapropter levia moventur naturaliter ſurſum, non ab aliquo principio intrinſeco poſitivo, ſed à lapſu gravioris ambientis corporis ſublevantis illa, quibus tunc eſt connaturalis ea ſublevatio.

117. Objicies 2. Primum eſt. Eadem arte poſſe dici gravitatem non eſſe formam adęquatè poſitivam, ſed privationem majoris, & æqualis levitatis: & corpora gravia, ſeu minus levia ruere, quia ipſis debetur naturaliter major diſtantia ab ambitu Univerſi, & corpus undique ambiens illa aſcendens, ut magis vicinum ſit ambitui ei, detrudere corpus gravius, ſeu minus leve detruſione proportionatâ naturæ illius. Secundùm, falſam eſſe graduationem locorum juxtà graduationem gravitatum. Quoniam ſine dubio caput eſt magis grave, quàm pes: & tamen naturaliter eſt magis diſtans à centro univerſi, quàm pes, quia naturaliter eſt in loco altiore: *Os homini ſublime dedit &c.* & quidem Deus, ut Author naturæ, non ut Author ſupernaturalis, quod attributum non agnovit homo ille. Et confirmatur. Omnis conatus, inclinatio, ſeu appetitus naturalis eſt quid adæquatè poſitivum. At levitas eſt inclinatio, ſeu appetitus naturalis tendendi in ſuperiora. Ergo. Ad primum reſpondeo, poſſe dici idem altercandi, non diſceptandi gratiâ, quoniam gravitas, aut levitas debet eſſe quid poſitivum, ſi altera eſt quid negativum, v.g. ſi levitas eſt quid negativum, nempe privatio gravitatis, hæc debet eſſe quid poſitivum; è converſò, ſi gravitas eſt mera privatio levitatis, hęc debet eſſe quid poſitivum. At ex terminis ipſis conſtat, potiorem eſſe rationem, ut gravitas ſit quid poſitivum,

vum, quàm levitas: quandoquidem gravitas, ex proprio ſuo conceptu dicit *pondus* quoddam, & *gravedinem*; levitas verò *immunitatem* ab eo. Ergo, potius dicendum gravitatem, quàm levitatem eſſe quid poſitivum. Ad ſecundum nego aſſumptum. Ad probationem, conceſsâ primâ parte diſtinguo ſecundam. Caput ſpecificativè ſumptum pro ſolo complexo ex illa carne, oſſibus, gravitate &c. eſt naturaliter magis diſtans à centro univerſi, nego: quoniam illæ individuæ partes carnis, oſſium, gravitatiſque potuerunt eſſe partes pedis: non enim habent ex natura ſua componere potius caput, quàm pedem, brachium &c. Caput reduplicativè, ut informatum per animam, concedo: quia anima naturaliter poſcit, quod pars corporis, in qua exercet functiones intelligendi, diſcurrendi, memorandi, & ſimiles, ſit in loco eminentiore. Ceterum propter hoc idem debet anima expendere vires in conſervatione illius eminentioris loci capitis, contra majorem hujus gravitatem. Et conſtat, tum ex eo, quod ceſſante hac conſervatione continuè exercita per animam, vel quia homo de repente moritur, vel quia propter aliud accidens, anima non poteſt conſervare elevatum caput, illicò cadit hoc in terram, vel quaſi ſuſpenſum manet ex nervis colli, quos dirumpere nequit gravitate ſua; tum ex eo, quod ut caput ſit in eminentiore loco, opus eſt adjutorio ſpinæ dorſi, reliquæque oſſaturæ corporis humani, cui oſſium compagi innitens caput, conſervatur ibi contra majus pondus, & gravitatem, quam habet collatum cum pedibus. Vera eſt igitur illa graduatio locorum, quam dixi, juxtà gravitates graduationum, ni cauſa alia potentior invertat illam, ut in fabrica humani corporis invertit illam, tum potentior vis animæ, tum impoſſibilitas penetrationis capitis cum dorſo, quando homo eſſet perfectiſſimè rectus, & nulla extrinſeca cauſa perfectiſſimam illam lineam diſturbaret. Ad confirmationem nego majorem, quoniam illa inclinatio &c. nil eſt aliud, quàm connexio phyſica cum aliquo termino, v.g. cum motu ſurſum: at connexiones phyſicæ multoties conſtituuntur per carentias, v.g. connexio ignis cum combuſtione conſtituitur per carentias impedimentorum in paſſo. Ergo in præſenti, connexio abſoluta, ſeu inclinatio, & conatus ſurſum, conſtituitur per carentiam gravitatis, ut dixi.

118. Probo tertiam partem concluſionis, videlicet levitatem ſtare phyſicè ex parte rerum, partim in poſitivo, & partim in negativo, quod ſit carentia majoris gravitatis. Apprehendi enim poteſt, inſtar mortis, quæ non eſt quid adęquatè poſitivum, v.g. ſcheletron illud, quod depingi ſolet: neque adęquatè quid negativum, v.g. ſola carentia vitæ; ſed ſtat phyſicè in eo, quod ſubjectum habens in inſtanti A. formam vitæ, illam non habeat in B. ſic levitas ſtat in eo, quod ſubjectum capax gravitatis in genere, non habeat ullam, vel ſaltem non habeat tantam, aut tantam. Arguo ſic. Omnis privatio ſtrictè talis ſtat phyſicè, partim in poſitivo, partim in negativo, quoniam ſtat in eo, quod ſubjectum capax habendi formam, non habeat illam, ita, ut illa capacitas non ſit merum connotatum extrinſecum, ſed intimum, & eſſentiale

le conſtituri vum, juxta diſcurſus ſępè factos contra Connotatores. Capacitas autem illa eſt quid poſitivum; non habere formam eſt quid negativum. At levitas ſimpliciter, & abſolutè talis eſt ſtricta privatio, quoniam ſtat in carentia gravitatis, juxta dicta num. 115. & ſeqq. non verò in hac ſola, juxta num. 114. Sed inſuper addit, quod ſubjectum, in quo eſt illa carentia, ſit capax habendi gravitatem, ſeu ſit corporeum; aliàs Deus, & reliqui Spiritus poterunt dici habere levitatem; cùm tamen levitas caſtigatè loquendo, non ſit, niſi in rebus corporeis. Ergo levitas ſtat phyſicè, partim in poſitivo, quod ſit capacitas ſubjecti habendi gravitatem, partim in negativo, quod ſit illam non habere. Verificatur itaque de levitate, quod de multis aliis rebus, ſcilicet ſolere explicari voce, jam poſitivum tantùm, jam tantùm negativum ſonante, ſed verè ex parte rerum componi ex poſitivo, & negativo. Sic libertas indifferentiæ componitur eſſentialiter ex poſitivis prærequiſitis ad utrumvis, & ſimul ex carentia omnis neceſſitatis ſimpliciter antecedent s. Sic mutatio entis naturalis intrinſecè componitur ex termino *à quo* negativo, & *ad quem* poſitivo. Hinc obiter habes idem, ac propter ferè eandem rationem dicendum eſſe de ſiccitate. Nimirum eam non eſſe adęquatè, ac totaliter quid poſitivum, ſed ſtare partim in poſitivo, nempe quod ſubjectum ſit capax habendi humiditatem (Angelus enim non eſt *ſiccus*) & partim in negativo, ſcilicet, quod nullam, aut minorem habeat humiditatem: nam eo ipſo erit ſiccum.

§. II.

119. DIco 2. circa gravitatem, & motum deorſum. Illa quamvis intimè connectatur cum carentia illius levitatis, quæ ſibi eſt oppoſita, eo quod levitas, ut duo v.g., conſtituatur per carentiam gravitatis, ut duo, & levitas ut quatuor per carentiam gravitatis ut quatuor, & levitas omninò abſolutè talis per carentiam omnis omninò gravitatis, juxta primam concluſionem: Undè fit, quod gravitas, utpotè oppoſita eſſentialiter ſuæ carentiæ, opponitur eſſentialiter levitati, cui opponitur: & conſequenter connectitur intimè cum carentia illius levitatis, ſiquidem intimè connectitur ſecum ipſa, & ipſa eſt carentia ſuæ carentiæ. Undè rurſus fit gravitatem, & levitatem non opponi, ſicut opponi ſolent duæ formæ poſitivæ; ſed opponi invicem, ſicut opponuntur libertas indifferentiæ, & neceſſitas ſimpliciter antecedens. Quamvis, inquam, hoc ita ſit: gravitas eſt forma poſitiva (& ſic reſpondeo ſecundæ quæſtioni propoſitæ num. 113.) diſtincta à ſubſtantia corporea, necnon à quantitate ſaltem in genere: cauſatque immediatè ſine impreſſione impulſus motum ſuum deorſum. Propter unionem autem phyſicam mediatam, vel immediatam, per ſe, aut per accidens cum reliquis omnibus, ſive ſubſtantialibus, ſive accidentalibus, quæ ſunt in ſubjecto, determinat illa abſque impulſu etiam illis

inſi-

Digitized by Google

infixo, ut unumquodque producat ſuum motum, & præſentiam deorſum. Probo primam partem. In primis, ſicut levitas, ita gravitas ſunt verè ex parte rerum ſingulæ in ſuo genere, & non ſunt commentum ullum, aut ens ſolius rationis. Quidquid ſit de illa philoſophia *de ſic*, &, *ſic, taliter*, & *taliter combinatis athomis*. Semper enim, & ubilibet experimur, aliqua corpora inanimata (in quibus eo ipſo non datur appetitus elicitus, ſicut datur in volucribus) tendere ſurſum, & alia ſemper, & ubilibet tendere deorſum, ſi utraque ſibi, & ordinariæ providentiæ relinquantur, nec ſpeciali urgeantur extrinſecâ violentiâ. Ergo oportet fateri, in primis aliquam ſpecialem inclinationem innatam in motum ſurſum (explicandam tamen, ſicut ſupra explicui levitatem) & in ſecundis naturalem conatum in motum deorſum, ſiquidem illa propenſio non poteſt eſſe elicita, cum loquar de corporibus inanimatis. At ille conatus in motum ſurſum, in quocunque conſiſtat phyſicè, ſive ſit accidens, ſive ſubſtantia ipſa, ſive ſit quid poſitivum, ſive negativum, ſive talis, & talis combinatio athomorum, à quo nunc præſcindo, eſt, quod vocamus *levitatem*: & illa propenſio in motum deorſum in quocunque coexiſtat, eſt, quod vocamus *gravitatem*. Ergo oportet fateri gravitatem, & levitatem in genere, præſcindendo ſaltem ab eo, in quo conſiſtunt phyſicè.

120. Dices cum Gaſſendo: ſicut ferrum non pergit in Magnetem, ſed hic corripit illud ad ſe: ita corpora gravia non tendunt in terram, ſed hæc inſtar magni Magnetis attrahit illa ad ſe. Ergo non datur gravitas, quæ ſit quid inhærens corporibus, ſicut nec Magnetiſma qualitas, quæ inſit ferro. Antecedens non eſt firmum: quia quando Magnes ob ſuam parvitatem nequit movere ferrum ob hujus magnitudinem, ille venit ad hoc. Et conſtare videtur ex acu magnetica, nam ipſa movetur in gyrum ad ferrum, quod circum eam volvitur, non hoc ad ipſam. Utriuſvis ergo motus ab utroque provenit, quia utrumque inclinationem habet ad unionem localem reciprocam. Dicatur idem de terra, & corpore gravi, & habebitur huic quoque ineſſe inclinationem tendendi deorſum versùs terram. Neque conſequens eſt firmum, tum in genere, quia ex uno caſu particulari non benè arguitur poſitivè, & universè ad alios, ut ſæpè dixi Diſp. I. contra Athomiſtas: tum in ſpecie, quia ſi motus corporis deorſum proveniret à magnetiſmo terræ, velocius rueret corpus habens plures partes, quàm habens pauciores, quia ibi plura traherentur, quàm hic: & conſequenter darentur plures motus, & conſequenter intenſio motus. At illud eſt falſum: nam corpus magis grave, v.g. aurum velocius cadit, licèt ſit minus, & pauciores habeat partes, quàm corpus aliud minus grave, ſed quantitatis majoris. Ergo motus ille deorſum non provenit ab extrinſeco attrahente, ſed ab intrinſeca gravitate corporis. Confirmatur. Si lapillus ſit in aere incubante littori Maris, Fluvii, aut Lacûs, ita, ut linea recta ſit à lapide in aquam, & non in terram, cadet certè in aquam, & non in terram ipſam formalem; cum tamen ferrum leviuſculum ſimiliter impendens aquæ confini magneti non caderet in aquam, ſed deflecteret ad littus,

Lib. 5. Phyſica cap. 2.

quod ponamus totum eſſe ex magnete, nempe, quia inde vocaretur, & ingens ille magnes prævaleret contra innatam gravitatem ferri illius. Ergo lapillus non cadit in terram, quia per hanc rapitur, & vocatur; ſed quia ipſe gravitatem habet.

121. Jam quod gravitas ſit quid poſitivum, videtur certum: quia omne pondus eſt ens poſitivum: quippe omne, quod non eſt ens poſitivum non habet pondus; aliàs dic, quot uncias, quot ſaltem drachmas habet mera carentia hujus papyri. Sed omnis gravitas phyſica eſt pondus, ſiquidem omnis illa trahit deorſum. Ergo omnis illa eſt quid poſitivum: quod ſi detorquens doctrinam datam num. 116. dixeris gravia moveri deorſum, eo quod leviora corpora circumſtantia, & coeuntia per partem ſuperiorem, propellunt deorſum illa, ſicut ego dico leviora moveri ſurſum, eo quod graviora corpora circumſtantia, & per partem inferiorem coeuntia attollunt illa. Præterquam quod jam ibi dedi diſparitatem deſumptam ex hoc capite, nimirum quod gravitas ex propriis terminis, proprioque conceptu dicit *pondus*, & *gravedinem*. Eſt etiam incredibile, quod leviſſima corpuſcula aerea ambientia ſaxum ingens, ſua gracili coitione per partem ſuperiorem cauſent velociſſimum eum motum, quo ingens ſaxum præcipitaretur ex alto. Rurſus, quod gravitas ſit diſtincta à ſubſtantia corporea, probatur vetuſto illo argumento, quod legitimè ſolutum hactenus non audivi, quo probari ſolet, quantitatem diſtingui à materia prima, vel ſaltem non omnem quantitatem identificari cum illa. In pane quippe, & vino poſt conſecrationem non reſtant hæ corporeæ ſubſtantiæ, ut contra Impanatores
Seſſ. 13. c. 4 ſuppono ex Tridentino. At ſi non reſtant, illa individua quantitas, & gravitas, quæ prius erant, eo quia cum illis ſubſtantiis abierint, utpote cum illis identificatæ. Eſt innegabile ibi eſſe aliquàm aliam quantitatem, & gravitatem; ſiquidem naturaliter cadunt illæ ſpecies Sacramentales, & naturaliter reſiſtunt penetrationi cum digitis Sacerdotis. Ergo aliqua ſaltem gravitas, & quantitas datur, ubi non dantur illæ ſubſtantiæ. Ergo aliqua ſaltem diſtinguitur realiter ab eis. Dicere autem, ſpecies illas eſſe quantas, & graves ratione quantitatis, ac gravitatis indiſtinctarum à ſubſtantia corporis Domini, non valet; tum ob paritatem aliorum accidentium. Ea orbicularis figura, eſt ne figura orbicularis Corporis Domini? Ea durities, aut humiditas, eſt ne durities, aut humiditas Corporis Domini? Ea albedo, odor, & ſapor ſunt ne &c. Ergo ſicut hæc ſunt adæquatè diſtincta à ſubſtantia Corporis Domini, quæ ſpecialiſſima profertur ratio, ut non dicamus idem de illa quantitate, ac gravitate? Tum quia propter dotes agilitatis, & ſubtilitatis, quibus nobilitatur ſacrum illud Corpus, & propter ſpecialem præſentiam, quam ibi habet, non eſt idoneum, ut ſpecies illas conſtituat graves, & impenetrabiles, ſed potius, ut per illas grave, & impenetrabile conſtituatur ipſum, non quidem abſolutè, ſed quatenus ibi exiſtens.

122. Dicendum ergo videtur, aliquam ſaltem gravitatem nimirum Euchariſticam diſtingui ab omni ſubſtantia corporea, & conſe-

quen-

quenter cum ſit ens poſitivum, eſſe accidentale. Non quidem modale, quia ipſius unio phyſica cũ corpore, non autem ipſa, eſt actuale abſolutũ, & immediatum exercitium, quo corpus redditur grave: ſicut unio albedinis cum hac carta, & non albedo ipſa, eſt actuale exercitium, quo dealbatur carta. Et quemadmodum humana quantitas unita phyſicè corpori, cui anima phyſicè unitur, reddit hanc, licet ſpiritualis ſit, extrinſecè impenetrabilem cum alia quantitate in ſenſu compoſito ambarum unionum: ita eandem reddit extrinſecè gravem, tametſi agilis ſit, hoc eſt, eam multoties adigit in motum, & præſentias deorſum, v. g. quando homo præcipitatur: quia tunc certè non reſtat anima in ſupercilio, v. g. montis; & ſolum corpus ruit; ſed ambo ruunt donec ſeparentur. Et in hoc etiam ſenſu philoſophico eſt verum illud morale. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Item ſi Deus uniret *Sap. 9.* phyſicè alicui Angelo gravitatem, aut quantitatem, ſicut in inferno unit ardores ſempiternos, illi nequirent penetrari, aut moveri ſurſum in ſenſu compoſito unionis illius, ſicuti nequeunt non comburi in ſenſu compoſito unionis prorſus violentæ ſibi cum actione, qua infernalis ignis elevatus per Deum, comburit ipſos. Et quis ſcit, an rudentes illi, de quibus S. Petrus inquit: *Rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Et catena magna, qua armatus magnus quidam An- *2. Pet. c. 2.* gelus *aprendit Draconem Serpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Sathanas, & ligavit eum per annos mille*; An, inquam, hæc ſignificent divi- *Apocal. 20.* nitus fuiſſe unitam ſuperbo illi Spiritui magnam, inſignemque gravitatem, qua nequeat ſe movere ex infimo Mundi loco; ſicut divinitus eſt illi, & ſuis, unitus ardor materialis, & phyſica combuſtio, ſine conſumptione in pœnam illius, quod dicebat in corde ſuo: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum &c.* *Iſai. 14.*

123. Carcer ergo, rudentes, catenæ, præcipitatio, & ſimilia, quæ de Diabolis enunciantur, ſine ulla ſpeciali difficultate poſſunt conſiſtere phyſicè ex parte rerum in eo, quod Deus illis univerit phyſicè inſignẽ quandam gravitatem (ſicut univit actionem materialem ignis materialis, quo ardent, & ſicut paſſim animabus, quæ ſanè naturales ſunt, unit qualitates ſupernaturales, non enim habet minores vires Juſtitia, quàm Miſericordia ad miracula patranda) qua gravitate oppreſſi, nequeunt ſe movere ex infimis eis locis, & omnium remotiſſimis ab Empyreo, excepto quando Deus ob arcanos fines mitigat illam gravitatem, ut vagari poſſint per terram, & atmoſphęram terreſtrem. Neque id eſſet facere illos corporeos, ſed quod uniantur rei corporeæ, valdè reluctante ſuâ naturâ, ſicut uniuntur igni, & ardori corporeo, quo torquentur. Poterat quidem Deus ſolo ſuo irreſiſtibili decreto affigere illos, eis profundiſſimis locis, volendo, quod ibi ſint, & negando concurſum, ut ſe moveant inde. Aſt ſolo etiam ſuo decreto poterat facere, quod omnipotentia illos combureret, & tamen utitur ad hoc ſupplicium igne materiali, & ęterno, qui paratus eſt Diabolo. Poterat etiam ſolo ſuo decreto adjuvare nos ad actus ſupernaturales; utitur tamen virtutibus infuſis, tanquam intrinſecis, & permanentibus adjutoriis no-

ſtris,

ſtris, & conſequenter magis connaturalibus ad actus eos. Cur non poteſt uti quoque gravitate materiali phyſicâ, unitâ illis ſpiritibus, intrinſecâ, & permanente adeo magnâ, ut eorum vires limitatas infringat, & illos non ſinat indè moveri? Hoc ſicut exploratum non eſt, ita nec eſt impoſſibile. Jam Gaſſendi argumenta ſunt. Gravitas non eſt qualitas data corpori, ut ſit in loco, nam ubique erit in loco. Ergo eſt data, ut acquirat aliquid, quod eſt in eo loco. Ergo, ut acquirat terram. Ergo ab hac rapitur. Contra. Cum grave cadat etiam in aquam, aut in cucurbitam, ſequetur ab his quoque rapi. Igitur cadunt gravia, ut ſint in loco diſtante à ſummitate Cœli, diſtantiâ, quæ debetur ipſorum gravitati. 2. Caſu quo, Deus conſervaret lapidem deſtructo omni loco extrinſeco, moveretur, aut non moveretur? Reſpondeo hoc ſecundum, quia tunc non eſſet altitudo, aut profunditas, & ab illa ad hanc fugit gravitas. 3. Lapis non movetur in locum terræ, ſed in terram ipſam. Ergo ab hac trahitur. Reſpondeo, trahetur etiam ab aqua, quia in hanc etiam cadit. Movetur in terram, quia movetur in locum diſtantiorem ab ambitu Mundi: & ſupponitur, terram, in quam cadit lapis, eſſe tunc in loco diſtantiore. En fundamenta illorum harpagonum, quibus terra dicitur ab his Doctoribus trahere ad ſe corpora gravia.

124. Probo ſecundam partem concluſionis, nimirum gravitatem diſtingui à quantitate. Omne potens creſcere diminutâ quantitate, & potens minui ereſcente quantitate, diſtinguitur realiter à quantitate. Sed talis eſt gravitas, quoniam aurum in minori quantitate, ac mole, quam ſtannum, v.g. habet majorem gravitatem. Et globi cœleſtes, v.g. Sol, Syrius, Triones, in vaſtiſſima, quam habent, mole, & quantitate, habent minorem gravitatem, quam terra, v.g. & ideo naturaliter ſunt in loco longè editiore. Ergo. Probo tertiam partem, nempè gravitatem cauſare immediatè ſine impreſſione impulsûs motum ſuum deorſum (ut cauſam utique æquivocam, ſiquidem diſtinguitur ſpecie ab eo motu, & præſentia per eum acquiſita, eſtque entitativè perfectior, quàm illa.) Undè eſt cauſa eminentialis illius.) In primis ſupervacaneus eſt iſte impulſus, quem gravitas ſibi ipſi imprimat: Si enim motus naſcitur immediatè ab ipſo, cur non à gravitate, quam ais cauſare ipſum? Deindè impulſum tantùm deprehendimus certius ex motu cauſato ab agente diſtincto, ac diſtante à ſubjecto localiter moto, v.g. quando lapidem projicimus: Vel ſi agens indiſtinctum eſt, inſtrumentum ſaltem eſt diſtinctum, ut quando una manu movemus aliam v. g. Ergo quando agens nec diſtat, nec diſtinctum eſt à ſubjecto moto, nec adeſt diſtinctum inſtrumentum, non eſt neceſſarius impulſus; ſed agens immediatè cauſare poteſt motum illum. At gravitas nec diſtans, nec diſtincta eſt à ſeipſa, nec apparet inſtrumentum diſtinctum ad impulſum. Ergo immediatè per ſe, abſque impulſu ſibi à ſe impreſſo, cauſare poteſt motum deorſum. Et hinc probatur etiam tertia pars concluſionis, videlicet cætera omnia ſubſtantialia, accidentalia, materialia, ſpiritualia, naturalia, ſupernaturalia, quæ ſunt in homine, v.g. ruente in ter-

Digitized by Google

terram, moveri ad motum illum gravitatis; non quatenus hic motus ſit realiter motus illorum (propter rationes ſimiles illis, quas dedi ſupra num. 64. & ſeqq. probandi ergo motum, & pręſentiam quantitatis eſſe realiter diſtincta à motu, & præſentia cęterorum, quæ ſunt in homine v.g.) Non item quatenus gravitas imprimat impulſum phyſicum in ullum illorum; quia omne impotens producere rem ſpiritualem, ac rem ſupernaturalem eſt impotens producere impulſum phyſicum in anima rationali (nam ille utpotè adæquatè receptus in hac, debet eſſe ſpiritualis) item in donis ſupernaturalibus, quibus homo ille inſignitur, quia impulſus ille, utpotè adęquatè receptus in re ſupernaturali, debet eſſe ſupernaturalis. At motus deorſum gravitatis, & gravitas ipſa, impotentes ſunt producere rem ſpiritualem, & rem ſupernaturalem: nam unde habent virtutem ad hoc? Ergò non imprimunt eum impulſum.

125. Movetur ergò deorſum tota illa machina rerum ſpiritualium, ſupernaturalium &c. quatenus motus ille gravitatis propter unionem phyſicam mediatam, aut immediatam, quam per ſe, aut per accidens hæc habet cum omnibus illis, illa determinat, ut ſingula reſpectivè, ac proportionatè, juxta dicta loco citato circa quantitatem, producant ſimilem motum deorſum, & per eum acquirant pręſentiam in loco inferiore: quando enim cadit in terram homo ſanctus, verè moventur deorſum, & cadunt ſua anima, ſuæ intellectiones, & volitiones, ſua gratia ſanctificans, ſuæ virtutes infuſæ, & reliqua ſupernaturalia chariſmata, ſiquidem ruente homine, non reſtant illa pendula in aere, neque bilocantur, neque ſunt nullibi. Arguo igitur. Omne per ſe connexum naturaliter cum eo, quod tota hæc multitudo rerum moveatur deòrſum, vel diſſolvatur unio ſui ipſius cum illis, per ſe determinat illas, ut moveantur deorſum, quando hæc unio non diſſolvitur. At motus deorſum primariè cauſatus per gravitatem, eſt per ſe connexus naturaliter cum eo, quod tota hæc multitudo rerum moveatur deorſum, vel diſſolvatur unio ipſius cum illis, nam diſſolveretur ſine dubio, ſi cadente per unum milliarium, v.g. gravitate corporis, illa non moverentur deorſum, ſed reſtarent ubi erant prius, aut aliorſum moverentur. Ergo ille motus per ſe determinat omnes illas res, ut moveantur deorſum, quando illa unio non diſſolvitur, ut multoties non diſſolvitur. Sed non determinat, quatenus motus ipſe gravitatis ſit realiter motus illarum rerum, aut phyſicè, quaſi reflexè cauſet illum, aut imprimat impulſum phyſicum in omnibus illis, ut dixi. Ergo quatenus omnia illa, & ſingula determinat, ut unumquodque producat reſpectivè, ſuum illum motum localem, & præſentias, quas cadendo, ſucceſſivè acquirit. Sicut enim ignis habet determinationem ſubjectivè abſolutam, & terminativè conditionatam, ut producat ignem alium quoties applicatur paſſo diſpoſito. Ita anima rationalis, & unumquodque ex illis accidentibus habet determinationem ſubjectivè abſolutam, ac terminativè conditionatam ad producendum motum ſuum localem, necnon pręſentiam ſui conſentaneè ad motum naturalem, atque præſentiam

tiam illius rei, cum qua phyſicè unitur, & unio eſt talis, ut non diſſolvatur per motum rei illius.

§. III.

126. Dico 3. circa impulſum, & motum projectorum, ſeu rerum illarum, quæ ab extrinſeco jactantur, ut ſatisfaciam quæſtioni tertiæ propoſitæ num. 113. Non obſtante pulchra illa Philoſophia Combinatorum *de ſic, & ſic: taliter, & taliter* combinatis athomis innumeris, ſive triginta quibuſdam ſolis elementis: videtur neceſſariò admittenda rem vulgò dictam *Impulſus*. Diſtinguitur realiter à corpore, quod projicitur, ſeu quod movetur ab extrinſeco, tametſi motus ille, quoad ſubſtantiam alias ſit connaturalis, ut motus globi, quando bombarda exploditur omninò deorſum. Recipitur, quando imprimitur per agens, aut Inſtrumentum corporeum, immediatè in ſola quantitate rei projectæ. Et eam primariè, ac directè movet, cauſando illius ſucceſſivas præſentias in locis ſucceſſivis. Secundariè verò movet reliqua omnia ſubſtantialia, accidentalia, corporalia, ſpiritualia, naturalia, ac ſupernaturalia, quæ ſunt in ea re: ſecundariè, inquam, ratione unionis phyſicæ immediatæ, aut mediatæ, quam illa omnia per ſe, aut per accidens habent cum quantitate. Naſcitur phyſicè à projiciente, aut ab excutiente (ut pila excutitur à pulvere accenſo) & tandem remittitur, vel omninò ceſſat ſaltem de facto, partim ob reſiſtentiam ſpatii, per quod movetur, partim ob gravitatem corporis ipſius. Probo primam partem; quoties experimur effectum phyſicum, oportet aſſignare cauſam phyſicam immediatam illius, nam ſola mediata non operatur connaturaliter deficiente immediata. At multoties experimur motum localem corporum gravium jam ſurſum, jam dextrorſum, jam ſiniſtrorſum. Ergo oportet aſſignare aliquam cauſam phyſicam immediatam illius. At hæc cauſa non eſt corpus ipſum, quod projicitur, aut quidquam aliud ipſi connaturale, ſiquidem motus ille ſurſum, v. g. eſt contra naturam lapidis. Non projiciens, quia hic poteſt mori durante adhuc motu elevationis corporis illius; & aſcendente adhuc eo ex A ad B, & ex B ad C: & experimur quod multò antequam feralis bomba attingat ultimum punctum ſuæ elevationis, extinctus eſt ille ignis, qui excuſſit illam. Non denique talis, & talis combinatio athomorum, quia ut ſæpè dixi, *iſta ſic, & ſic: taliter, & taliter* quamvis videantur ſpecioſa, non videntur, ut diſp. 1. dicebam, ſolida, & philoſophica.

127. Ergo dicendum, motum illum phyſicè procedere à projiciente, ſive excutiente, quatenus hic in inſtanti projectionis, producit rem quandam in eo corpore, quę vincens per aliquod tempus difficultates, quæ occurunt contra motum illum (partim ex ſpatio per quod tranſit, partim ex corpore ipſo, quod movetur) phyſicè immediatè producit

cum

eum motum; attritâ verò, & victâ novis, & novis difficultatibus, quę ſingulis momentis, & in ſingulis punctis loci occurrunt (ſingulis namque momentis, & ſingulis punctis loci reſiſtunt ei motui gravitas corporis moti, & corpuſculorum milliones, & milliones, quibus referta eſt atmoſphæra) incipit deficere, & tandem omninò deficit motus ille: & conſequenter deficit illa res producta à projiciente in corpore projecto, utpote connexa ex ſua natura cum illo motu, non ſicut aqua cum frigiditate, ſed ſicut unio corporis, & animæ cum certis membris, & temperamento, quibus deficientibus, naturaliter deficit illa unio. Hęc igitur res producta per projicientem in corpore projecto, immediatè phyſicè cauſans eum motum, & ſic durans, & ſic incipiens deficere, & ſic tandem deficiens, eſt quam vocamus *impulſus*. Ergo hic, quoad ſubſtantiam, & realitatem admitti debet.

128. Et ſic moventur aquæ in fonte, in flumine, in mari: item ſanguis intra venas, & arterias, & quando ſcinditur vena. Item arbor quando creſcit verſus longitudinem, & latitudinem. Item multa alia. Nam partes ponè ſubſequentes propellunt anteriores, in ipſiſque producunt impulſum, qui cauſat illum motum antrorſum. Neque dicas 1. illum poſſe exiſtere naturaliter abſque eo motu (v.g. quando rem immobilem, puta rupem, validè percutis, ac tundis) & conſequenter ex eo, quod occurrentes difficultates motum cohibeant, non ſequi deficere impulſum. Negabo quippe aſſumptum, & probationem. Nam quando rem prorſum immotam tundimus, producimus in ea impulſum in actu primo; ſecus in actu ſecundo: ideſt, impetuosè, ac velociter movemus, ac conjungimus inſtrumentum tunſionis cum illa re. Et hoc eſſet alias ſufficiens ad producendum impulſum in illa; ſed non producitur: quia ſicut ad docendum in actu ſecundo eſt conditio naturaliter requiſita ex parte diſcipuli *Docilitas*: & hac deficiente docebit quidem in actu primo Magiſter, ſed non in actu ſecundo. Ita ad imprimendum impulſum in ſubjecto requiritur flexibilitas, ſeu docilitas materialis in hoc. Ergo illa deficiente imprimet impulſum in actu primo, ſed non in actu ſecundo.

129. Neque dicas 2. poſſe etiam mori projicientem, quando adhuc durat impulſus; quoniam aliud eſt quod duret effectus ſemel in unico inſtanti productus à projiciente. Aliud, quod ſimpliciter tunc de novo fiat. Primum poteſt contingere etiamſi moriatur projiciens, quia hic non conſervat effectum ſuum, ideſt impulſum illum, ſed ſola cauſa prima (ad quam Philoſophus confugere debet, ſi Chriſtianus eſt, quando non apparet ulla alia proportionata) donec non prævaleat multitudo contrariorum contra motum illum, ſine quo non poteſt naturaliter durare ille impulſus. Secundum, nempe, quod effectus aliquis ſimpliciter de novo fiat phyſicè à projiciente, quando hic iam non eſt in rebus, eſt impoſſibile. At multi novi, & novi motus numericè diſtincti poſſunt fieri in corpore projecto, quando jam pojiciens eſt mortuus: nam licet totus ille aſcenſus dicatur unus motus, quatenus eſt una ſeries motuum homogeneorum; at revera ibi ſunt plurimi numericè diſtincti (ſicut

Digitized by Google

in una ſerie domorum ſunt multæ domus) nempe ab A, ad B: à B, ad C: à C, ad D &c. quod non contingit in impulſu, qui totus, & inſtantaneè producitur à projiciente; cum tamen motus non ſit totus, & inſtantaneè, ſed per partes, ac ſucceſſivus. Pone ergo motum durare per viginti ulnas, & projicientem deficere, quando corpus ſolas quatuor confecit; quomodo poteſt tunc ille, qui jam non eſt in rebus, cauſare phyſicè immediatè totum illum motum à quatuor, uſq; ad viginti ulnas? Ergo eſt diſparitas, ob quam nequeat projiciens cauſare phyſicè immediatè totum illum motum; poſſit verò totum illum impulſum. Nempe hic inſtantaneè producitur, & ſucceſſivè producit.

130. Probo ſecundam partem: videlicet impulſum diſtingui realiter à corpore, quod projicitur, tametſi motus ex impulſu oriundus ſit connaturalis ei corpori. Omne, ſine quo poteſt hoc exiſtere, diſtinguitur realiter ab hoc, niſi forte pro explicando res phyſicas creatas, confugias ad arcanum Sacramentum actuum liberorum Dei, qui ab ipſo non diſtinguuntur realiter, & tamen ſine illis potuit Deus exiſtere. Egregius philoſophandi modus: explicare phænomena naturæ miſteriis, quorum intelligentia ſuperat humanum captum! At ſaxum illud, ſeu globus, qui magno impetu deorsù projicitur, potuit exiſtere ſine hac projectione: & conſequenter ſine actione, qua projiciens cauſat impulſum in eo ſaxo, & conſequenter ſine hoc impulſu. Ergo. Quod ſi dixeris impulſum illum nil eſſe aliud, quàm combinationem quandam *ſic*, & *ſic* earundem omninò partium, ſive athomorum illius ejuſdem corporis. Præterquam quod ſatis diſcuſſimus iſtas Philoſophias de *ſic*, & *ſic*: inde reaſſurgit argumentum. Iſtud idem corpus potuit exiſtere ſine iſta combinatione individua, qua hic, & nunc projicitur, & movetur deorſum, ut conſtat, & ſine alia reflexa, qua latens iſta excitaretur. At per te in iſtis combinationibus ſtat impulſus. Ergo iſtud idem corpus exiſtere potuit ſine iſto impulſu. Ergo hic diſtinguitur ab illo. Ob eandem rationem impulſus diſtinguitur realiter à gravitate, levitate, & quantitate, nimirum quia hæc omnia poſſunt exiſtere phyſicè abſque individuo eo impulſu, quem modò habent. Et ſicut philoſophi non eſt multiplicare entitates abſque neceſſitate, ita eſt multiplicare, quando ratio prudens urget, ſicut in præſenti; alias qui magis viriliter philoſophari ſibi videntur, negando turbam entitatularum, cur non negant tot millionum, & millionum milliones athomorum, & corpuſculorum complentium ſpatium immenſum à centro terræ uſque ad convexam, vel ſaltem concavam ſuperficiem Empyrei, in quo ſpatio credo, quod non admittunt vacuum? Cur non negant tot milliones guttularum, quibus conſtat Oceanus? Dominus exercituum decrevit vaſtiſſimam hanc molem fabricæ mundanæ minimis entitatulis, ac punctis componi: &

Iſai. 14. *quis poterit infirmare*? Igitur impulſus prudente ratione, ac experientia notus, eſt quoddam ens reale accidentale, quia diſtinguitur à ſubſtantiis omnibus. Eſt qualitas: quia cum diſtinguatur à quantitate, bene, vel male afficit ſubjectum. Non eſt modale, quia non eſt actuale, abſolutum, immediatum exercitium ſubeundi denominationem, ſed cauſa

ſa phyſica immediata motûs, & cauſa formalis denominatio iis hujus. *Subjectum loco impulſum*, ſicut calor eſt hujus *Subjectum calidum*.

131. Probo tertiam partem, ſcilicet impulſum ab agente corporeo impreſſum, recipi immediatè in ſola quantitate rei projectæ cum reliquis ibi adjunctis. Omnis receptibilis forma in eo ſolo ſubjecto recipitur immediatè, quod ſolum eſt capax immediatè effectûs formalis, & effectûs phyſici formæ ipſius. At impulſus localis in primis eſt forma receptibilis, quia cum fiat à creatura, non fit per creationem, ſed per eductionem, ac receptionem. Deinde ſola quantitas eſt immediatè capax utriuſque illius effectus. Probatur. In primis effectus *phyſicus* impulsûs phyſici eſt motus localis rei, in quam imprimitur. At quod primariè, ac directè movetur per motum localem, provenientem ab extrinſeco, eſt quantitas, atque ad hujus motum moventur cætera propter unionem cum ea, ut jam dixi ſupra. Ergo. Deinde effectus formalis impulsûs eſt rem eſſe ab extrinſeco *pulſum*, ſeu eſſe in actu primo proximo ad motum trahentem originem a ſola cauſa extrinſeca. Hoc autem ſoli quantitati convenit primariè, ac directè. Item licet ratione gravitatis non impeditæ ſit etiam res in actu primo proximo ad motum *deorſum*, & ratione levitatis non impeditæ ad motum *ſurſum*; at motus uterlibet utpote connaturalis non trahit originem a ſola cauſa extrinſeca. Tum etiam, quia ſi agens, vel inſtrumentum corporeum impingeret in rem non habentē ullam quantitatem reſiſtentem, protinus cum illa penetraretur, & conſequenter nullam in ea faceret impreſſionem, ſive impulſum, & ideo corpora magis mollia, ſunt minus apta: & magis quanta, ſunt magis idonea ad impulſum ſuſcipiendum, & nullum corpus poteſt naturaliter cauſare impulſum phyſicum in Spiritu, quia hic non reſiſteret, ſed illicò cederet: unde capax non eſt, ut impulſum recipiat. Sola igitur quantitas eſt, quæ primariè, ac directè impellitur, ſeu impulſum ſuſcipit ab extrinſeco per Inſtrumentum corporeum, & reliqua moventur loco propter unionem cum quantitate, ut ſupra dixi num. 124. Imò neque agens ſpirituale creatum, puta Angelus, poteſt imprimere impulſum *inſtrumento corporeo* in re non habente quantitatem, quia inſtrumentum illud penetraretur cum ea re. Ac propterea dixi ſuo loco Angelos moventes corpora cœleſtia, ſolâ ſuâ potentiſſima volitione ſine phyſico Inſtrumento cauſare impulſum, aut motum ſine impulſu.

132. Non propterea nego, Deum, & forſan Angelos ex potentioribus choris poſſe imprimere ſpiritibus, & rebus quantitatem non habentibus, impulſum phyſicum, ſicut imprimit Deus ſpiritibus damnatis phyſicum ardorem, & combuſtionem, qua cremantur. Et ſicut ſupra dixi Deum, & Angelum illum Apocalypſis armatum catena impreſſiſſe forſitan gravedinem magno Diabolo in pœnam ipſius, qua permanenter, & ab intrinſeco quaſi affixus ſit infimo loco terræ, & totius Univerſi. Neque propterea actio productiva illius ardoris, quo torquetur Diabolus, aut gravitatis, qua deprimitur in inferno, aut impulſus, quo invitus moveretur de loco in locum (quæ omnes actiones

forent miraculoſæ, & conſequenter non poſſent fieri ab Angelis ex ſolis ſuis viribus; ſed ut ſpecialibus miniſtris Dei) deſineret eſſe eductio; quoniam ut ſuo loco dixi. Omnis actio, quæ per ſuam eſſentiam unitur phyſicè immediatè alii, tanquam ſubjecto præſuppoſito, eſt eductio, & eſt diſtincta à creatione, cujus eſſentia ſtat in eo, quod non habeat ex ſe uniri alii, ut ſubjecto præſuppoſito, ſed ſoli termino per ipſam producto. At actio dicta per ſuam eſſentiam uniretur alii, ut ſubjecto præſuppoſito: nimirum ſubſtantiæ illi Angelicæ. Ergo non eſſet creatio, ſed eductio. Rurſus nec deſineret eſſe naturalis, & corporea; quoniam licet adæquatè recepta in ſpiritu, veruntamen cum diceret ordinem ad impenetrabile, hoc eſt, ad quantitatem, ut ſine miraculo non poſſet carere unione mediata, aut immediata cum quantitate, in quo poſui conceptum corporeitatis diſp. 4. logicæ majoris cap. 3. quoniam nil per ſe connexum cum unione ad rem nequeuntem privari abſque miraculo unione cum quantitate, poteſt abſque miraculo exiſtere, ſine ulla unione cum quantitate. At omnes illæ actiones per ſe connecterentur cum unione ad illos ſuos terminos, licet etiam cum unione ad ſubſtantiam Angelicam: & hi omnes, utpote materiales; ita connecterentur cum quantitate, ut ſine miraculo nequirent carere illa, & de facto non carent illa ſine miraculo. Ergo omnes illæ quamvis adæquatè receptæ in ſubſtantia ſpirituali, nempe Angelica, forent materiales, & corporeæ ex natura ſua.

133. Quarta pars, videlicet impulſum naſci phyſicè à projiciente, vel alio modo excutiente corpus motum, videtur certa; quia ab aliqua cauſa creata tunc præſente provenit; alia autem non apparet magis proportionata, quàm illa, quæ projicit, vel excutit, vel explodit corpus illud. Et conſtat à poſteriori, quia homo magis fatigatur, quando validiorem imprimit impulſum, & validior impulſus validiorem poſtulat cauſam projicientem, aut alio modo moventem. Denique quintam partem reſpondentem quæſtioni propoſitæ quarto loco num. 113. ſuper remiſſione impulſus, imo & totali defectu, jam inſinuavi num. 127. Impulſus, ſicut multæ aliæ qualitates, admittunt magis, & minus, ſuntque capaces intenſionis, & remiſſionis: Unde fit, quod albedinem hujus cartæ poſſunt minuere aliquæ cauſæ contrariæ, & aliæ ſupervenientes prioribus poſſunt eam omninò deſtruere, ita poteſt contingere in impulſu; hoc autem incipiente remitti, remittitur quoque motus corporis projecti, & eo prorſus deficiente deficit hic motus. Eſto igitur projicientem in ipſo primo projectionis inſtanti producere quatuor gradus impulſus in lapide, v. g. per lineam Orizontalem. Hic impulſus, ſeu motus ex illo oriundus, & ſine quo ille non poteſt naturaliter durare (ſicut homo ſine certis membris, & certa qualitatum harmonia) in ſingulis momentis, ac punctis loci offendit ad tria contraria, quæ ipſi reſiſtunt; Unum eſt gravitas ipſa, & pondus corporis, quod ſemper tendit deorſum, atque ſuapte natura vergit in quietem, fixationemque. Alterum, locus ipſe aereus, vel terreſtris, vel aqueus per quem movetur corpus projectum. Nam cum omnia illa ſint referta corporibus,

bus, & nullum ſit vacuum, corpora, & corpuſcula illa reſiſtunt tranſitui corporis projecti, vel ſaltem, ut hoc tranſeat, oportet amovere illa, & impendere virtutem impulsûs. Tertium eſt attritio ipſa corporis corruptibilis, quod projicitur: ſingulis quippe momentis atteritur per ſua propria ſpecifica contraria; attritoque corpore atteritur impulſus receptus in illo: quid ergo mirum, quod poſt aliquod tempus impulſus ille, ut quatuor, impreſſus totus, & ſimul in primo projectionis inſtanti, obrutus novis, & novis contrariis in ſingulis punctis loci, & temporis, incipiat deficere, & demum deficiat omninò, & conſequenter non pergat ulterius corpus illud, quod projectum fuit: quamvis enim egrediaris è Patria tua cum mille ſcutis, ſi in ſingulis hoſpitiis adimuntur tibi aliqua, tandem jam non poteris ulterius pergere per viam ſolutionis; ſed mendicationis.

§. IV.

134. Hinc ſi corpus projiceretur per ſpatium omninò vacuum, quale non eſt infra Empyreum, motus ille eſſet velocior, ac diuturnior ob defectum unius contrarii, nimirum ob defectum conglobatorum corpuſculorum occupantium illum locum; ſed tandem deficeret ob contrarium aliud, jugiter inhærens illi corpori: nempe ob innatam gravitatem. Si projiceretur corpus nullam prorſus habens gravitatem, quale non invenitur infra Empyreum, diutius quoque, ac velocius moveretur, quia ob defectum hujus contrarii diutius duraret impulſus; ſed tandem hic deficeret ob continuam illiſionem in corpora occupantia medium illud. Quod ſi corpus nullam penitus habens gravitatem, projiceretur per ſpatium penitus vacuum adhuc poterat eſſe hoſtis dexter, vel ſiniſter, qui virtute magneticà attrahens ad ſe corpus illud ſingulis momentis, atque locis (ut contingit acubus navalibus tranſeuntibus per Occidentale littus Affricę, quę à ſollicitantibus Magnetibus Orientalibus detorquentur verſus Ortum: & tranſeuntibus per littus Orientale Mexici, quæ diſtorquentur verſus Occaſum à vicinis Magnetibus Occidentalibus) infringeret motum verſus polum, v. g. & conſequenter impulſum cauſantem illum motum; quod ſi ponas nullum penitus adeſſe contrarium directum contra motum illum, nec indirectum contra impulſum: adhuc iſte non duraret in æternum, ſed tandem aliquando, naturaliter finiretur; quia licet impulſus ille non haberet ex iſta parte contrarium ullum; veruntamen corpus ipſum, in quo recipitur naturaliter eſſet corruptibile. Ergo aliquando deficeret. Ergo deficeret etiam impulſus in eo receptus. Ergo, & motus ab hoc impulſu cauſatus. Et hinc habes rationem, ob quam, infra lunam ſaltem, non poteſt dari motus localis ſimpliciter abſolutè perpetuus. Nempe omne corpus recipiens motum, & im-

Digitized by Google

impulſum ad illum, circumdatum eſt aliis obſiſtentibus motui, & innata gravitate, & eſt corruptibile, imò atteritur motu ipſo. Ergo tandem aliquando debet ceſſare ſuus motus.

135. Quod ſi Deus in æternum conſervaret illud corpus, ſicut conſervabit noſtra hæc eadem, quoad ſubſtantiam poſt Univerſalem reſurectionem, adhuc naturaliter deficeret aliquando ille impulſus, & motus ceſſaret; non ob defectum cauſæ impulſum conſervantis, non ob defectum ſubjecti, non ob præſentiam contrarii. Sed quia Deus operando, ut Author naturalis, ſolum debet conſervare impulſum illum utpote ſuapte natura deſtinatum ad rem tranſeuntem, & finitam, proportionatè ad intenſionem, atque vires, quibus initio cauſatus fuit. Sed viribus, & intenſioni ei non debetur duratio infinita: quia prima illa intenſio, quam habuit fuit finita, & procul dubio non fuit ex ſua natura deſtinata ad motum in æternum duraturum. Ergo aliquando ceſſaret Deus ab illius conſervatione, ſi operari vellet, ut Author naturalis.

136. Hinc 2. habes rationem ſatisfacientem quintæ quęſtioni propoſitæ n. 113. nempe rationem, ob quam motus violentus, & naſcens ex impulſu impreſſo corpori, eſt initio tardior, in medio velox, in fine remiſſus, ac languidus. Quando vero eſt motus naturalis proveniens ab intrinſeco pondere, ac gravitate, initio quidem eſt lentus, in medio velox, in fine velociſſimus; quemadmodum enim lignum projectum in fornacem, aut in flumen, non penetratur totum calore, vel humiditate in primo inſtanti, ſed ſolę partes exteriores illius, ex hiſque poſt aliquod tempus tranſit calor, vel humor ad partes interiores. Nimirum, cęteris paribus, omne agens creatū operatur uniformiter difformiter, ideſt, magis, & prius in partibus paſſi proximioribus ſibi, ex quibus poſtea qualitas ſerpit per profundiores, atque remotiores. Ita quando homo projicit lapidem non producit in primo inſtanti totum, & æqualem impulſum in omnibus partibus lapidis; ſed majorem in vicinioribus ſibi, & minorem in profundioribus. Impulſus major nequit movere velocius partes illas viciniores, in quibus recipitur, quia disjungeret eas ab alteris nondum habentibus impulſum æqualem, & lapis disjiceretur, ad quod impulſus ille non ſufficit. Ergo initio projectionis debet totus lapis moveri minus velociter juxta minoritatem impulſus in partibus profundioribus illius, quia major impulſus debet attemperari minori; aliàs partes illę dividentur. Poſt aliquod tempus jam major ille impulſus initio productus à projiciente, propagatur, & penetrat uſque ad omnes partes illius lapidis, non quia individuus ille impulſus mutet locum, & ex unis tranſeat in alias partes, aut quia invicem ſeparentur gradus, quibus conſtat; ſed quia ſicut calor producit calorem, ita prius ille major impulſus producit impulſum in aliis partibus lapidis. Ergo poſt aliquod tempus jam omnes partes lapidis occupantur majore, & æquali impulſu. Ergo jam debent omnes velocius moveri, quàm in principio. Ergo in medio curſûs debet motus projectorum eſſe velocior.

De-

137. Demum in fine debet eſſe tardior, quia non ceſſantibus tribus illis contrariis, quę memini n. 133. compeſcere motum illum, atque impulſum, tandem hic, quippe qui habet vires finitas, incipit deficere, & motus eſt languidus. Et demum deficit: tuncque obtenta Victoria per hoſtes illos, lapis cadit, aut quieſcit. Et en rationem, propter quam poteſt, ac ſolet naturaliter contingere, quod globus è tormento, ac fulmen è nubibus vibratum, innoxiè ad pedes hominis cadat, vel etiam leviſſime percutiat. Impulſus namque violentus, quo movetur, & rapitur utraque materia, eſt finitus: & materia illa obnoxia eſt tribus illis hoſtibus in ſingulis punctis temporis, atque ſpatii, per quod movetur. Eſto igitur, quod ex natura rei finiri debeat in puncto loci A, ſi ibi per accidens fueris, nil ſenties contuſionis, ſi in loco immediatè antecedente, attingent innoxiè ſuperficiem tuæ veſtis: ſi in magis antecedente, leviſſimam ſenties percuſſionem, & ſic cum proportione verſus originem fulminis, aut tormenti. Cumque hęc combinatio loci, in quo es cum impulſu cauſante motum illum, ſit naturalis: ideò naturaliter contingere poteſt ea diverſitas effectuum. At cum mortalis nemo ſciat proportionem, ſive combinationem ſuę præſentiæ cum origine, ex qua erumpit fulmen, aut globus, & cum impulſu cauſante motum illum, idcirco omnes rationabiliter timemus, quando alterutri expoſitos conſideramus nos.

138. Quando motus eſt naturalis, v. g. quando ſaxum ruit, tunc etiam motus debet eſſe lentior initio; quia licèt ille motus deorſum non producatur ab impulſu, ſed immediatè à gravitate: Veruntamen hæc non ſemper eſt mathematicè æqualis in ſingulis particulis illius corporis. Ergo ſi hoc non diſcerpitur, eo quod diſparitas non ſit tanta, ut ſufficiat dividendo unas partes ab aliis, neceſſe eſt, quod partes graviores attemperent ſuum motum deorſum motui minus veloci partium minus gravium. Ergo neceſſe eſt, quod initio ſit minus velox motus corporis illius totius. Poſtea aliquatenus aucto motu partium minus gravium, ob impulſum, quem propter unionem cum illis habent partes graviores, motus utrarumque jam eſt velocior. Demum producentibus partibus gravioribus totum impulſum, quem poſſunt in partibus minus gravibus, motus eſt velociſſimus, ſed velocitate proportionata gravitati partium graviorum. Unde hactenus motus deorſum à ſola gravitate provenit immediatè; motus verò partium minus gravium provenit ab ipſarum gravitate, & inſuper ab impulſu, quem propter continuationem cum gravioribus, accipiunt ab his: ſicut motus lapidis, quem fundâ projicis deorſum ex turri, provenit immediatè partim a ſua gravitate, partim ab impulſu, quem in eo producis. Hinc quando inæqualitas gravitatum eſt valdè magna, diſcerpi ſolet corpus in aere, quia partes minus graves nequeuntes aſſequi motum longè graviorum ob ſuam minorem gravitatem: neque accipientes ſubitò totum impulſum ab his propter harum præcipitantiam, dividuntur ab eis: item quando licèt inæqualitas non ſit valdè magna, ſi tamen unio partium eſt facilè ſolubilis, & quia guttæ aquæ facilè ſeparantur à ſociis, ideo quando aqua

aqua præcipitatur è nube, aut ex vertice montis, non cadit unita inſtar torrentis, ſed diſperſa, quia tantillum majoris gravitatis, aut impulsûs in unis, quàm in aliis, ſufficit ad ſolvendum levem utrarumque unionem. Naturale ergo eſt, quòd pluviæ cadant, ut cadunt, & non inſtar fluminis, ſed naturalitas debetur Authori Naturæ, qui ſic combinavit, & coordinavit cauſas naturales; & ideo dignus eſt, cui propter id gratias agamus. Demum ſi inæqualitas gravitatum in partibus corporis ſit quidem, ſed non ſumma, & ſpatium, per quod cadit corpus, non ſit tantum, ut gravitas major producat totum motum, quem producere poteſt, non diſcerpetur corpus; at partes illæ graviores prius attingent terram. Et quia in homine pars gravior per ſe loquendo, eſt caput, in fele autem manus, & pedes, hac de cauſa, quando ambo cadunt, homo plerumque cadit in caput, & felis in pedes.

139. Hinc 3. habes explicatum modum, quo nos ipſi movemus noſtra corpora jam unis, jam aliis motibus. Interdum quippe movemus membra producentes impulſum in ipſis, ut quando manu, vel inſtrumento externo movemus alteram manum propter hujus debilitatem, aut propter merum placitum. Interdum ſine impulsûs mediatione, ſed immediatè ob virtutem, qua pollet anima noſtra movendi immediatè quaqua verſum aliqua membra corporis, cui eſt unita, non minus quàm gravitas eſt virtus immediata movendi deorſum, & impulſus eſt virtus immediata movendi per lineam ſibi proportionatam. Etenim quamvis anima nequeat movere membra, niſi mediis nervis, qui ſunt inſtrumenta ad faciendum motum membrorum; aſt nervos ipſos, quo alio inſtrumento movet? Dices, imperio, & volitione, ut alibi dicebam. Eſt verum; ſed nuſpiam dixi, volitionem eſſe inſtrumentum phyſicum, aut habere virtutem phyſicam immediatè productivam motus; ſed moralem dumtaxat, quatenus virtutem loco motivam ex ſe indifferentem ad movendum, aut non movendum nervos, determinat, ut illos immediatè moveat, & ex vi motus illorum moveat alia membra, vel propter concatenationem illorum cum eis, vel producendo impulſum phyſicum in eis. Ergo dicendum, formam viventem ſenſitivam, ideſt animalis (cujus ſanè proprietas eſt virtus loco motiva) per ſe immediatè ſine interventu impulsûs, aut aliûs qualitatis cauſare interdum motum localem alicujus ſaltem partis corporis, videlicet motum localem nervorum. Si enim gravitas, impulſus, & aliæ qualitates non indigent interventu aliûs qualitatis ad cauſandum motum localem: quæ ſpecialis profertur ratio ad dicendum, animam indigere influxu phyſico aliûs qualitatis phyſicæ, quæ ſit, v.g. impulſus, ad movendum loco nervos ipſos, qui ſunt quaſi inſtrumentum phyſicum, quo movere ſolet cætera.

140. Interdum denique movemus noſtra membra utroque modo: nimirum partim immediatè ſine productione impulsûs, partim producendo impulſum in aliquibus eorum. Et hoc contingere videtur in motu progreſſivo, qualis eſt deambulatio, curſus, volatus avium, & reliqui ſimiles ei, quo per *remiges* movetur navis, non quo per *ventum*; quan-

quando homo graditur, & quando avis volat, in primis moventur nervi illius corporis (& hic motus poteſt provenire immediatè ab anima illa, ut nuper dicebam, ſine productione impulsûs in illis, à quo naſcatur illorum motus.) Deinde horum motum ſubſequitur motus pedum hominum, vel pennarum avium, quibus tanquam uncinis apprehendunt, vel occupant anteriores partes loci, per quem moventur, ſicut remiges remis apprehendunt anteriorem illam partem aquæ, versùs hanc, aut illam plagam Mundi, ad quam volunt Navim accedere. Et hunc motum pedum, aut pennarum, cauſare poteſt anima, abſque impreſſione impulsûs in eis partibus, ſed ratione motûs, quem immediatè per ſe ſine impulſu cauſat phyſicè in eis nervis: & quia hi ſunt colligati cum pedibus, & pennis, motum illorum ſequitur motus horum. Demum pede, vel penna poſſidens anima partes anteriores loci, per quem movetur, trahit reliquum totum corpus ad illum eundem locum, vel ad proximiorem: ſicut remiges remo poſſidentes anteriores illas partes aquæ, totius poſtea corporis conatu, & maximè pedum attrahunt navim versùs partes illas. Et iterum, atque iterum, & ſæpius continuè facto hoc, navis pergit, homo deambulat, vel currit, & avis volat. Hic motus fieri videtur per impreſſionem impulsûs in reliquo corpore, ad quem impulſum imprimendum indiget anima tantillum firmare, ac ſtabilire aliquam partem corporis in parte anteriore loci: & quia neque in aqua, neque in aere poteſt hoc facere, eo quod humanum corpus illicò gravitate ſua ruat: hac de cauſa neque per aquam, neque per aerem poteſt incedere, aut currere homo. Motus ergo ſimpliciter progreſſivus, utpotè compoſitus ex his tribus, uno nervorum, ſecundo pedum, v.g. ad occupandum ſpatium anterius, tertiò reliqui corporis attracti, vel impulſi ad ſpatium illud anterius, fit partim ſine impreſſione, & partim cum impreſſione impulsûs.

141. Motus autem vectionis, nempe quo movetur homo, qui vehitur equo, ſeu rheda, aut quo movetur pondus inhęrens dorſo bajuli, ſeu quo movetur vas, quod manu portas, non videtur fieri ratione impulſus, quem equus v.g., producat in homine, ſed ratione fixationis corporis unius ſupra alterum, oriundæ ex gravitate illius, quam fixationem, dum vector, vel cauſa alia non diſſolvit, neceſſe eſt, quod ſi vector movetur, moveatur quoque quod vehitur, nam ſi moto illo non movetur hoc, fixatio hujus ſupra illud ratione propriæ gravitatis diſſolveretur. V.g. equus movet ſe, Homo inſidet illius dorſo, & ratione ſuæ gravitatis ibi fixatur, quod non contingit aeri, qui idcircò non poteſt ſupra equum vehi. Rurſus illa inſeſſio non deſtruitur. Ergo neceſſe eſt, quod moveatur homo, nam ſi non moveretur, diſſolveretur illa inſeſſio. Similiter equus movetur. Eſt ligatus rhedæ, & ligatio non ſolvitur. Ergo neceſſe eſt, quod rheda moveatur, nam ſi hac immota ille moveretur versùs partem proportionatam, ſolveretur ligamen. Ex alia parte homo gravitate ſua fixatur in rheda, & hæc fixatio non ſolvitur. Ergo neceſſe eſt, quod homo etiam moveatur. Ubi, ut vides, motus hic vectionis fit (ſicut motus reliquorum annulorũ catenæ ob mo-

Digitized by Google

tum unius) ratione unionis phyſicæ corporis vecti cum vehente: unionis, inquam, non compoſiti ſubſtantialis, ſicut uniuntur materia, & forma: non unionis continuativæ, ſicut uniuntur partes cartæ hujus: non unionis contiguitatis cujuslibet, nam certè famulus à calcaribus, qui contiguus ſolet eſſe equo, non movetur ad motum hujus (niſi quando majore aliqua fixatione inhęret illi, quod conſtat ex tantillo levamine, quo gaudet, quando ferè recumbit ſupra illum.) Sed *contiguitatis*, quæ naſcens ex gravitate, ſeu fixatione ſupra vectorem, ſolubilis non ſit per motum illum individuum vehentis: quæque interdum eſt immediata, ut cum homo inſidet equo, interdum purè mediata, ſed ordine unionum non interrupto, ut quando homo intra rhedam vehitur, ſit motus hominis ab equo: & quando vehitur ſupra equum, ſupra navim, ſupra dorſum bajuli, ſupra brachia &c.

142. Dices, Eſto quod res ita procedat, cęterum ideo eſt, quia totum hoc probat vectorem imprimere impulſum in eo, quod vehitur, ita, ut ſi talem impulſum non imprimeret, non moveret illud. Contra 1. Iſtud poteſt ſanè dici: ſed undè probatur impulſum adeo eſſe ſimpliciter neceſſarium, ut ſine illo nequeat vector facere, ut moveatur vectum, etiamſi fixè, ac inſeparatum ſibi inhęreat, cum ſupra notaverim motum deorſum à gravitate ſine impreſſione impulſus, & nervorum ab anima ſine impreſſione eadem? Contra 2. Complexum ex his duabus ſolis veritatibus: *Equus movetur. Homo ita inhæret illi ratione ſuæ gravitatis mediatè, aut immediatè, ut hæc inhærentia non ſolvatur.* Eſt per ſe præcisè naturaliter connexum immediatè cum motu hominis. Ergo independenter à mediatione impulſus, debet naturaliter dari motus hominis. Probo antecedens. Omne per ſe præcisè naturaliter oppoſitum immediatè cum non motu hominis, eſt eodem modo connexum cum motu. At complexum illud eſt ſic oppoſitum; quoniam ſi homo non moveretur, ſequeretur ſaltem naturaliter unum ex his duobus, ſcilicet, quod non movebatur equus, vel diſſolvebatur illa fixatio, & inhęrentia mediata, aut immediata hominis cum equo: & conſequenter ſequeretur deficere aliquam ex eis duabus veritatibus, & conſequenter deficere complexum ex utraque. Ergo hoc complexum eſt per ſe immediatè oppoſitum non motui hominis. Et hæc ſufficiant pro motu verè, & ſimpliciter *progreſſivo*, necnon pro motu *vectionis*. De motu *attractionis*, quo, v.g. magnes movet loco ferrum, aut hoc movet illum, diſputavi in Phyſica naturali diſp. 3.

§. V.

143. DIco 4. Ut reſpondeam ſextæ quæſtioni propoſitæ num. 113. quemadmodum *reflexio* lucis provenit phyſicè, partim à luminoſo, partim ab obſiſtente, eo quia *reflexio* illa, eſt conceptus copulativus importans duo: unum eſt, quod lux non tranſiliat opacum corpus

pus obſiſtens, & hæc non tranſilientia provenit phyſicè in ſuo genere ab ipſo obſiſtente: alterum verò, quod lux producatur verſùs aliam plagam Mundi, & hæc lux provenit phyſicè à luminoſo ipſo. Hæc autem *lux reflexa* (v.g. qua utimur in urbibus, in domibus, in cubilibus, quia hæc non ſunt pervia immediatè radiis ſolaribus, ſicut patentes campi) provenit à ſola luce luminoſi, tanquam à cauſa phyſica: quod luminoſum corpus partim impeditum denſitate, opacitateque obſiſtentis, nè producat ultra ipſum, lucem, quam aliàs ex ſua natura producere debebat: partim adjutus bonis diſpoſitionibus obſiſtentis ipſius producit ſine influxu phyſico obſiſtentis (quod non conſtat habere virtutem phyſicè productivam lucis) per lineam reflexam, interdum rectam, interdum obliquam (juxta combinationem, quam inter ſe habuerint luminoſum, obſiſtens, & oculus) lucem totam, aut ſaltem partialem, quam aliàs produceret per lineam directam, ni obſiſtens impediret. Quemadmodum, inquam, hoc contingit in luce; Ita in reſilientia motus oportet diſtinguere *reflexionem* motus pilæ, v.g. impingentis in parietem, & reſilientiam motus, ſive motum eum reflexum, quem experimur. Reflexio naſcitur phyſicè partim ab impulſu, quo projecta eſt pila, partim à pariete; quia reflexum eſt quid copulativum importans duo. Unum eſt, quod pila non tranſgrediatur locum, in quo eſt paries: & hæc non tranſgreſſio provenit phyſicè in ſuo genere à quantitate, & gravitate parietis, quæ ſunt phyſicum impedimentum tranſgreſſionis. Alterum, quod pila moveatur verſùs aliam partem. Et hic motus naſcitur phyſicè à ſolo impulſu, quo projiciens projecit pilam; tum quia non conſtat, parietem imprimere novum poſitivum impulſum in ea pila; tum quia impulſus ille, ſupponitur talis eſſe intenſionis (ſi pila vix attingat parietem, non reſiliet) ut deberet attentâ ſuâ naturâ producere motum in ea ultra locum, in quo eſt paries. At ex una parte nequit in eis circumſtantiis producere motum illum, quia obſtat ſoliditas parietis: ex alia parte hac ipſa ſoliditate juvatur impulſus dictus, ut producat eum motum per lineam reflexam, in qua non eſt impedimentum. Ergo cum agentia naturalia, è quorum numero eſt ille impulſus, ſint determinata ad operandum quantum poſſunt, juxta præſentes circumſtantias, etiamſi non operentur totum, quantum aliàs operari debebant, & impulſus ille poſſit operari eum motum pilæ per reflexam eam lineam in eis circumſtantiis: ideo neceſſe eſt, quod illum motum cauſet, ſicut neceſſe eſt, quod aqua fluens in Orientem v.g., & obicem inveniens, quem evertere nequit, refluat in Occidentem, ut de Mari Mediterraneo notavi diſp.3. Phyſicæ naturalis, vel flectatur dextrorſum, aut ſiniſtrorſum. Et ſic ſolvitur ratio, qua aliqui impugnant hanc concluſionem ajentes duo. Unum eſt, fore ut pila reſiliret, quamvis impingeret in molle. Nego: quia obſiſtentis durities, licèt non ſit cauſa efficiens reſilientiæ, eſt conditio neceſſaria, ſicut ſiccitas, v.g. ad formam ignis. Alterum eſt, impulſum non habere virtutem ad cauſandum motum verſùs projicientem. Diſtinguo ad cauſandum per ſe, ac ſibi relictum, concedo. Ad cauſandum per accidens, ac ex determinatione obſiſtentis, nego.

 Ad

144. Objicies quatuor alia. Primum. Si hæc ita ſunt, cur pila interdum movetur reflexè per lineam rectam: interdum per obliquam dextrorſum: interdum per obliquam ſiniſtorſum: interdum per obliquam ſurſum: interdum per obliquam deorſum? Secundum. Cur interdum majore impetu reſilit, quam projectum fuit corpus in parietem? Eſt namque incredibile, quod impulſus, qui liber à contrario, producebat motum directum, ut duo, priuſquam attingeret corpus illud, nempe parietem, producat motum reflexum ut quatuor, poſtquam impegit in obſiſtens illud, ſi illud non auget phyſicè impulſum. Tertium. Cum motus deorſum corporum gravium non producatur ab impulſu, ſed immediate à ſola gravitate, ut ſupra dictum, ſequetur, quod quando pila cadit in pavimentum, & reſilit ſurſum, aſcenſus ille fiat phyſicè à gravitate, ſi pavimentum obſiſtens, nullum phyſicè imprimit impulſum in pila. At contra naturam eſt, quod gravitas cauſet motum ſurſum, ſicut quod ignis cauſet nivem, aut è converſò. Ergo ille motus ſurſum pilæ ſaltantis naſcitur phyſicè ab impulſu, quem accipit à pavimento, in quod cadit. Quartum. Sicut omne agens agendo repatitur, ita omne paſſum patiendo reagit. Ergo quando corpus durum impingens in aliud durum, huic imprimit impulſum, hoc alterum durum ſolvit debitum, & imprimit quoque impulſum in illo. Ergo obſiſtens imprimit impulſum in pila reſiliente. Ergo hæc reſilientia, ſeu reflexus motus provenit phyſicè ex impulſu etiam, quem accipit ab obſiſtente. Ad primum. Reflexio qualitatis, quando non ſe immiſcet cauſa diſturbans, ſemper fit per lineam rectam à puncto, in quo incipit, ad locum, in quem deſinit, & ex ea linea propagari ſolet dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, ut propagatur per refractionem lux diluculi, & etiam Auroræ. Ambæ namque propriè, ac formaliter ſunt in linea recta ab apice Atmoſpharæ, vel à medietate ipſius ad locum, in quem deſinunt, aut novam incipiunt reflexionem; diffunditur tamen, & propagatur lux ea per collaterales vicinas lineas, & ideo videtur lux in tota illa regione.

145. Atqui linea, quæ ab illo puncto, in quo incipit reflexio uſq; ad locum, in quem deſinit, eſt recta, reſpectu ſenſus noſtri plerumque eſt obliqua, quia plerumque ſumus extra eam lineam, quamvis interdum ſimus in illa. Ergo reſilientia pilæ, quæ in ſeipſa ſemper eſt recta, conſideratis ſuis duobus punctis primo, & ultimo, quoad nos eſt interdum obliqua dextrorſum, interdum ſiniſtrorſum &c. At reflexionem fieri per lineam rectam in ſenſu dicto, & hanc reſpectu loci, in quo tunc eſt homo, eſſe obliquam, eſt independens ab eo, quod obſiſtens imprimat impulſum in pila, ut patet. Ergo independenter ab eo impulſu reſiliet pila interdum rectè, interdum obliquè, quoad nos dextrorſum, interdum ſiniſtrorſum &c. Neque opponas reflexionem ſolaris lucis diffuſæ per ſuperficiem Maris, v.g., quæ ex qualibet parte littoris videtur, cum tamen linea recta non poſſit eſſe niſi una: aut reflexionem ſpecierum viſualium per ſuperficiem ſpeculi ſparſarum, quæ reflexio in multis locis percipitur, tametſi non ſint in linea recta. Etenim

Digitized by Google

nim reflexio utriuſque hujus qualitatis, non incipit ab uno ſolo puncto Maris, aut ſpeculi, ſed ab omnibus (licet non in omnibus videatur, ſed in eis ſolis, in quibus coincidunt radii viſuales, & ſolares, juxta apparentem diametrum, quam hic habuerit tunc, vel quam habuerit objectum illud, quod videtur in ſpeculo. Non enim videt oculus ſanus omne, quod eſt, ſed quod eſt in linea cum eo proportionata) ergo ex loco A videbis reflexionem lucis, aut vultus tui in loco A maris, vel ſpeculi: & tranſiens ad locum B, videbis etiam utramvis reflexionem, ſed non in loco eodem A maris, aut ſpeculi, ſed in alio, qui tunc ſit in linea recta ad oculos tuos; quod ſi interdum reflexio poſſit percipi in eodem penitus puncto maris, aut ſpeculi, ideo eſt quia punctum illud eſt centrum multorum locorum. Ergo ſemper ſubſiſtit reflexionem fieri per lineam in ſe ipſa rectam inter punctum, à quo incipit, & punctum in quod deſinit, ſiquidem linea à centro ad circumferentiam eſt recta, tametſi linea illa in ſeipſa coram Deo, reſpectu loci, in quo tunc eſt homo, ſit obliqua, jam dextrorſum, jam ſiniſtrorſum &c.

146. Ad ſecundum. Non eſt novum, quod qualitas magis exardeſcat, atque operetur ad præſentiam contrarii, quando ab eo non deſtruitur omninò. Sic vitalis calor magis intendere ſolet ratione antiperiſthaſis versùs aliquod membrum, quando vehemens extrinſecum frigus potitur membro illo, ut conſtat ex auriculis puerorum tempore hyemis. Sic ardor fornacis magis excitatur infuſâ aquâ proportionatâ. Sic pila tormento exploſa majorem edit ſtragem, quo murus magis reſiſtit cum quadam proportione. Mirum ergo non eſt, quod idem numero impulſus movens, ut duo, pilam ad parietem, validum hoc contrarium inveniens, hoc ipſo magis exciterur, & non liberè, ſed ex natura ipſa rerum, majorem motum reflexum producat: ſicut pravus odor magis mordere ſolet, quando miſcetur cum bono, quia ex natura ipſa rerum magis excitantur vires agentium naturalium ad præſentiam contrariorum, quando his non vincuntur: multæ namque ſunt ſpecies antiperiſthaſeon, non quatenus entitativè in ſeipſa creſcat qualitas, ſed quatenus creſcit ipſarum effectus. Ratio autem ſumi poteſt ex experientia, qua novimus, ſimile non agere in ſimile. Ergo diſſimilitudo agentis, & paſſi non ſolùm juvat, ſed eſt quoque neceſſaria ad operandum. Ergo & contrarietas proportionata poteſt conducere ad magis operandum, cum experiamur nivem magis frigefacere aquam ſemitepidam, quàm aquam frigidam. Ergo monſtrum non eſt, quod contrarietas parietis cum ulteriore motu pilæ per illam lineam, conducat, ut impulſus, quem impreſſum ſibi habet pila, velociorem cauſet motum versùs aliam. Ad tertium. Similiter non eſt novum, quod gravitas, quæ per ſe, ac directè conatur in motum deorſum, per accidens, atque ob combinationem circumſtantiarum cauſet motum ſurſum. Sicut calor naturalis vitalis ſolet per accidens ſe deſtruere deſtruendo humidum radicale animalis, quo deſtructo, ipſe etiam deſtruitur calor. Sic grave pondus ex fune pendens, gravitate, ac pondere ſuo ſtat fixum reſpiciens centrum per-

per lineam rectam. Aſt ſi violenter detorqueas illud in latus dextrum, & liberum relinquas, poſtea ſua ipſa gravitate cauſat violentum motum in ſiniſtrum, ita, ut longè abſcedat à perpendiculo eo, in quod ſua gravitas, & pondus vergebat. Nempe, quia res ex natura ſua propendentes per ſe in A, per accidens, & propter quarundam circumſtautiarum concurſum, naturaliter cauſant effectum contrarium; non quia mutent naturam, aut eſſentiam, ſed quia cum res, & complexum ex illa, atq; illis circumſtantiis ſint duo ſubjecta inadæquatè diſtincta, habere poſſunt effectus contrarios.

147. Id in præſentiarum. Gravitas per ſe, ac ſibi relicta nunquam cauſat motum ſurſum in ſuo proprio ſubjecto; poteſt verò per accidens cauſare illum: & de facto cauſat, quando pila, v.g., aut ſi vis globus ſolidus, qui aere non ſit repletus, cadit in pavimentum: quia hoc obſiſtens deſcenſui jam incępto globi, cogit gravitatem producere ſurſum motum, quem deorſum proſequi non valet, & hoc ad illam uſq; elevationem, quam permittit ipſa gravitas: quocircà cauſa proxima adæquata illius motûs ſurſum, non eſt ſola gravitas, ſed complexum ex illa, & obſiſtentis duritie: ex illa tanquam ex cauſa phyſica, ex duritie tanquam ex conditione determinante motum ſurſum. Sicut, ſi te explodente ſclopetum in animal A, alius quidam in inſtanti exploſionis torqueret illud in animal B: tunc enim occiſio hujus à te fieret phyſicè, ab illo alio non quidem phyſicè, ſed determinativè. Cęterum non ſemper datur hæc reſilientia, quia quando pavimentum cedit propter mollitiem, vel aliam cauſam: item quando corpus cadens omnibus ſuis partibus æquè, ac ſimul attingit illud, non redit ſurſum, v.g. quando cadit corpus planum, & lęvigatum. Nempe non quidvis conducit ad quodlibet, & non quodvis obſiſtens determinat motum reflexum, ſed quando eam habet duritiem, ut nil, vel parum cedat: & quando corpus cadens, ita habet diſpoſitam ſuam gravitatem, ut multas habeat elevatas partes, ita, ut paucis attingat obſiſtens, ut contingit in figura ſphærica, quæ uno ſolo, vel ſaltem pauciſſimis punctis attingit obſiſtens, cęteris elevatis manentibus. Ad quartum. Præterquam quod illud axioma non eſt ita univerſale, ut non habeat exceptiones illas, quas notavi in Prodromo diſp.2. num.87. nego conſequentiam, quia licèt durum B, in quod impingit durum A, huic non imprimat impulſum, poteſt, ac ſolet aliud reagere in eo, puta contuſionem earum partium, quæ immediatè impingunt in illud, vel etiam diviſionem: item determinat inſtar ultimæ diſpoſitionis impulſum, vel gravitatem illam, ut per aliam viam producat motum.

148. Dico 5. ut reſpondeam quæſtioni ſeptimæ num 113. Veroſimilius eſt, quod corpus impingens in obſiſtens, quieſcat ibi per aliquod ſaltem inſtans, & non incipiat reſilire in inſtanti immediato poſt inſtans, in quo attingit obſiſtens. Dixi *veroſimilius*, loquendo juxtà aliorum ſententiam circa velocitatem motus: juxta meam autem, quam dedi in Phyſica naturali diſp.2. inter explicandum continuum, ubi velocitatem explicui per paucitatem morularum, eſt neceſſarium, quod

mo-

mobile quieſcat in puncto reflexionis, & non reſiliat in inſtanti immediatè ſubſequente ad illud, in quo attigit obſiſtens, & multo minus in eo ipſo inſtanti; aliàs motus ille eſſet omnium naturalium velociſſimus, quod falſum eſt. Probo igitur concluſionem. In primis non poteſt contingere, quod pila, v.g. reſiliat, ſeu retrorſum moveatur in illo eodem inſtanti, in quo attingit parietem, ut mox dicam. Deinde neque in inſtanti immediatè ſubſequente ad illud. Probatur. Motu, & quantitate ipſa pilæ, amoventur per quatuor puncta, (v.g. reſpondentia punctis pilæ attingentibus parietem, necnon motui, quo moventur) quatuor particulæ aeris, quæ occupabant partes illas ſuperficiales parietis. At nequeunt omnes illę protinus in inſtanti B. redire, atque occupare omnes illas ſuperficiales partes parietis, quia aliàs punctum A. aeris immediatum puncto A. pilæ, in unico inſtanti occuparet punctum A. ſuperficiei, & punctum B. relicta à punctis A. & B. pilæ. Ergo ſi tota hæc diſcederet à ſuperficie parietis in inſtanti immediatè ſubſequente ad inſtans, in quo attingit illam, aliquod punctum illius ſuperficiei maneret vacuum: ſine pila quidem, quia hæc diſcedebat in eo inſtanti, & ſine aere etiam, quia nondum penetraverat uſque ad punctum illud. Neque prodeſt dicere, ex alio latere irrumpere aerem penetrantem uſque ad interiora ea puncta ſuperficiei, quæ occupabat pila in inſtanti A, & deſerit in B, quoniam contra repentinum ingreſſum ex quocumque latere, fiet idem argumentum, ut vides: & ſemper ſubſiſtet interiora illa puncta ſuperficiei, quæ in inſtanti A. occupabantur per interiora puncta ſuperficiei quoque pilæ, reſtare per aliquod inſtans ſine pila, & ſine aere. Dices. Hoc argumentum valere, quando pila per aliquot ſua puncta attingit aliquot puncta ſuperficiei, ſecus quando per unicum ſui attingit unicum illius. Permitto. At cum de facto non contingat, quod per unicum attingat unicum, quia de facto nulla eſt pila adeò mathematicè ſphærica, ut unico ſolo puncto attingat unicum ſolum punctum obſiſtentis: ſiquidem nec ars, nec inſtrumenta humana unicitatem puncti aſſequuntur, ideo argumentum factum non valet loquendo, prout de facto accidit res.

149. Sed esto, quod unico puncto phyſicè indiviſibili attingatur unicum punctum phyſicè indiviſibile parietis. Adhuc tunc non poſſet reſilire in inſtanti immediatè ſubſequente, ſed oporteret ibi quieſcere per aliquod inſtans. Corpora quippe non ſunt plerumque adeo dura, & inflexibilia, ut ratione pororum, vel ratione humoris (ſine quo in pulverem redigerentur, vel ratione aliûs mollitiei non poſſint ipſorum particulæ magis comprimi, atque unire inter ſeſe. Ergo particulæ pilæ impingentis in parietem magis comprimuntur, addenſanturque in inſtanti, in quo ipſa pila attingit parietem; eo quia hic ex una parte obſtat, ne pergant ulterius, & ex altera parte impulſus, quem habent partes pilæ remotiores à pariete cogit illas moveri, undè neceſſe eſt, quod particulæ comprimantur. Ergo ſi punctum A. pilæ, quod in inſtanti A. attigit punctum A. parietis, reſiliret in inſtanti B., occuparet in hoc inſtanti locum, quem ratione addenſationis in hoc eodem in-

ſtanti

ſtanti occupat aliqua alia particula pilæ. Ergo cum eo penetraretur; ne igitur penetretur, oportet, quod quieſcat in eo inſtanti. Sed eſto demum, quod mobile unico puncto attingat unicum punctum obſiſtentis, & quod ſuæ particulæ nullam patiantur compreſſionem inter obſiſtens, & particulas ab obſiſtente remotiores: adhuc tunc motus antrorſum, & retrorſum nequit eſſe continuus, ſed neceſſe eſt, quod interrumpatur quiete aliqua; quoniam in inſtanti ipſo, in quo punctum A. pilæ attingit punctum B. parietis, nec movetur antrorſum, quia obſiſtit paries, neque aliorſum, v.g. ad locum B, nam cum motus localis ad B. ſit acquiſitio præſentiæ in B, ſi punctum illud in inſtanti, in quo attingit punctum A. parietis, & conſequenter eſt in eo, moveretur ad B. haberet etiam præſentiam in B. Ergò in eodem inſtanti eſſet præſens in A. & in B. Ergo eſſet in duplici loco ſibi adæquato.

150. Locus enim adæquatus unius puncti quantitatis eſt unicum punctum loci, nam quantitas, cum certè non ſit indiviſibilis, ut eſt anima rationalis, atque ut multi credunt eſſe animas brutorum perfectorum, non eſt locus adęquatus ipſius multiplex punctum ſpatii, ſicut eſt locus adęquatus earum animarum multiplex punctum loci: nimirum totus ille locus, quem occupat corpus, cujus ſunt animæ; ſed locus adæquatus unius puncti, eſt unicum punctum loci. Ergo ſi punctum A. pilæ, quod in inſtanti A. movebatur versùs parietem, & in inſtanti B. attingit illum, in hoc eodem inſtanti reſiliret, ſequeretur, quod in hoc eodem inſtanti eſſet in duplici loco ſibi adæquato, nempe in illo, quem tunc attingit, & in alio, quem acquirit tunc per motum, quem tunc haberet. Ergo neceſſe eſt, quod illo eodem inſtanti, in quo attingit parietem, non moveatur. Ergo neceſſe eſt, quod tunc quieſcat. En probatam primam partem illius antecedentis ſcripſi num. 148. ex quibus duo habes: Unum magis certum, nimirum motum non poſſe eſſe continuum, quando contingit reſilientia, ſed neceſſariò debere interrumpi per quietem aliquam mobilis in inſtanti illo, in quo attingit parietem, ita, ut in A. moveatur, in B. quieſcat, & in C. incipiat reſilire, & hoc propter nuperam rationem. Alterum non ita certum, & univerſale, ſed magis veriſimile, ſcilicet, quod neque in inſtanti C. poteſt reſilire, ſed debet adhuc quieſcere propter duas priores rationes datas. Et habes rationes horum fundari in impoſſibilitate, aut vacui, aut penetrationis, aut bilocationis. Et habes denique explicatas ſeptem illas quæſtiones, ſeptemque ſpecies motuum localium, quas poſui num. 113., inter quas, ſi circularem requiras, eam dedi inter explicandum *continuum* diſp. 2. phyſicæ naturalis. Denique ex hac uſque diſputatis habes, quæ rationabilis ſententia ferenda ſit ſupra multa ex his accidentibus obviis (omnia ſingillatim diſputare longa res eſſet). Levitas, & ſiccitas non ſunt quid adæquatè poſitivum, ſed partim poſitivũ, & partim negativum, ut ſupra dixi. Gravitas, humiditas, motus, impulſus, calor, frigor, lux, & ſimilia ſunt quid poſitivum, quamvis connexum proportione ſervata cum negativo formæ oppoſitæ, tum quia hæc omnia phyſicè poſitivè per actiones poſitivas propagantur; tum quia

Digitized by Google

quia contradictorium negativi eſt poſitivum. At lux, v.g. eſt contradictorium tenebrarum, quæ ſunt merè negativum, ideſt carentia lucis. Calor item eſt contradictorium ſuæ carentiæ, quæ non eſt frigus poſitivum, ſed mera carentia caloris. Rurſus. Humiditas non poteſt eſſe aqua ſubtilizata, aliàs cum in Euchariſtia reſtet humiditas in Calice, imò & in Hoſtia, aliàs redigeretur in pulverem, ſequeretur reſtare aliquid prioris ſubſtantiæ. Ergo magis congruum rationi eſt dicere, omnia hæc eſſe res poſitivas.

CAPUT SEPTIMUM.

De Vacuo.

151. DEfinitur vulgò: *locus non occupatus corpore, aptus tamen occupari.* Sumptum pro formali, ſeu in abſtracto eſt vacuitas ipſa: & hæc nil eſt, niſi carentia omnis corporis in loco reali, ſeu actu exiſtente. Sumptum pro materiali, ſeu in ſubſtracto, eſt locus ipſe realis, quia locus imaginarius, ſive merè poſſibilis impropriè dicitur *vacuus*. Sumptum in concreto, ſeu adæquatè, eſt complexum dicens in recto locum realem, in obliquo vacuitatem, ſive carentiam omnis corporis in eo loco, ideſt, carentiam omnis talis præſentię omnis corporis. Hinc 1. non vocatur vacuus locus, in quo nullus foret ſpiritus creatus, ſed in quo nullum ſit corpus. 2. ante mundanam fabricam non fuit vacuum, quia licet nullum erat corpus; aſt neque ullus erat locus, ſive ſpatium reale, ſed purè poſſibile, quodque vocatur *imaginarium*. Ob eandem rationem non datur vacuum, ſupra, vel ultra convexam ſuperficiem Empyrei, quia cum Cœlum hoc, ſit ultimus terminus omnium locorum, ſeu ſpatiorum realium, non datur ullus locus diſtinctus ab illo, in alioque incluſus. Ergo caſtigatè loquendo non poteſt dici *ultra, ſupra, extra, præter* Empyreum, ſecundum poſitivum, quod ſignificant hæc adverbia; ſed ad ſummum, ſecundum negativum: ſcilicet nullus eſt locus ultimus diſtinctus ab Empyreo. Ergo cum *vacuum* ſignificet in recto locum realem, qui, ut dixi, locus merè poſſibilis, & imaginarius non poteſt dici *vacuus*, ideò impropriè dicetur dari vacuum *ſupra, extra, ultra, præter* Empyreum, ſicut impropriè diceretur alium mundum eſſe nunc phyſicè præſentem in alio mundo nuſpiam exiſtente, de præſenti, præterito, & futuro.

152. 3. Quanquam in enunciationibus enuncietur prædicatum de illo, quod ex parte ſubjecti ponitur in recto, v. g. Album eſt dulce: & ex parte ſubjecti hujus propoſitionis. *Vacuum exiſtit*: ponatur in recto locus realis, qui ubique datur; veruntamen non poteſt dici vacuum

dari ubique. Sicut nec dici poteſt univerſale dari à parte rei, quamvis a parte rei detur id, quod eſt univerſale, ſeu id, quod univerſale dicit in recto, nimirum natura, v. g. humana. Ambæ namque propoſitiones ex communi uſu, ſignificant dari non ſolum recta illa; verum etiam formas, per quas habent eas denominationes vacui, & univerſalis. At quamvis dentur recta, non dantur ex parte rerum formę, per quas, & locus haberet denominationem vacui, nempe carentia omnis corporis intra ſe ipſum: & natura habet deminationem univerſalis, nempe ſecunda intentio logica. Ergo quanquam paſſim detur id, quod poſſet eſſe vacuum, non datur id, quod ſit vacuum, & quanquam à parte rei detur id, quod eſt univerſale, non eſt univerſale à parte rei, ſeu non datur univerſale à parte rei. 4. tametſi non in omni corpore detur aliud corpus, quia illud *in* denotat locum extrinſecum, & non omne corpus eſt locus extrinſecus aliùs, ſiquidem non omne corpus eſt *ultima ſuperficies corporis continentis*; veruntamen ob hanc eandem rationem dici nequit in corporibus multis dari vacuum, quia de ratione vacui eſt eſſe locum extrinſecum. Ergo omne quod non eſt locus extrinſecus eſt incapax, ut ſit vacuum. At multa corpora non ſunt locus extrinſecus, juxta iſtam rationem. Ergo ſunt incapacia, ut de ipſis enuncietur, verè eſſe vacua. Idem dico de ſpiritibus, qui profectò dici nequeunt vacui, etiamſi in ipſis nullum detur corpus. Nempe vacuum dicit eſſentialiter locum extrinſecum. Et ſpiritus non ſunt locus extrinſecus.

153. His amotis ſcrupulis, non diſputatur modo. Utrum ſit poſſibile metaphiſicè vacuum, quia ægrè aſſignabitur abſurdum ullum divinę Omnipotentiæ invincibile in eo, quod Deus conſervet locum extrinſecum ſine ullo corpore. Nec diſputatur. Utrum in alia rerum ſerie, ac coordinatione eſſet phyſicè, ac naturaliter poſſibile vacuum; quia ſicut Deus potuit ita temperare, atque coordinare humores, & corpora humana, ut naturaliter habitaremus in globo ſolis, aut Jovis &c. ſiquidem non eſt de eſſentia hominis, quod materia prima, qua conſtat olim fuerit ſub forma *terræ*, aut rerum *terreſtrium*, nam, modò ſit materia corporea, hoc ſufficit eſſentiæ hominis ex hac parte. Ita potuit Deus, ita coordinare harmoniam hujus, vel aliùs mundanæ fabricę, ut in ea naturaliter poſſet eſſe locus, nullum penitus habens corpus per aliquod, vel per multum tempus: ſive locus ille eſſet unicus, ſive multiplex. Diſputatur ergo an de facto, & in præſenti rerum conſtitutione poſſit naturaliter dari vacuum. Et non quia ſit, aut non ſit hoſtis totius naturę diſtributivè, aut collectivè ſumptæ. Ad cauſas quippe naturales exiſtentes Madriti, quid attinet, quod detur, aut non detur vacuum aliquod Romæ? Sicut ad materiam primam A, quid attinet quod materia prima B, ſit privata omni forma? Diſputatur ergo an poſſit naturaliter dari vacuum naturalitate reſpectiva, & privata earum rerum naturalium juxta quas vacuum conſiderari poteſt. Et quia ferè omnes philoſophi conveniunt in ſententia negativa, quidquid ſit de aliquibus mechanicis experientiis, productis ad probandum dari aliquando vacuum de facto,

qua-

Digitized by Google

quarum experientiarum prætenſa concluſio facilè negatur, ideò primariè diſputatur ratio propterquam nequit de facto dari naturaliter *Vacuum*.

154. Eſto Concluſio. A centro terrę, ubi Ordinarium domicilium Apoſtatarum Angelorum, uſque ad Cœlum Empyreum, ubi Ordinarium domicilium Angelorum fidelium, non videtur eſſe locus ullus vacuus omni penitus corpore. Explicatur. Conſidera mundanam totam machinam in quatuor partes diviſam. Prima à ſuperficie concava Empyrei, uſque ad convexam Cœli ſtellati, v. g. uſque ad dorſum Arietis, ſeu Libræ. Secunda ab hac convexa, uſque ad Perigæum Lunę, ideſt, uſque ad eam partem ſuę regionis, ubi illa contermina eſt aeri. Tertia à Perigęo Lunę, uſque ad ſuperficiem hujus globi terraquei, in qua degimus. Quarta ab hac ſuperficie, uſque ad centrum ipſius; tametſi oculis carneis non perluſtraverimus vaſtas has regiones; nihilo tamen minus oculis mentis, adiutis partim authoritate ſacra, partim ratione naturali, partim experientiis, ſemper, ac ubique ſibi conſtantibus, videtur in nulla earum eſſe Vacuum. Sublimis ea regio, quę eſt quaſi caput mundi, à dorſo ſcilicet Arietis, ſeù à ſuperficie convexa Cœli ſtellati, uſque ad Empyreum, non habet vacuum, quia repleta eſt aquis, ut dixi in phyſica naturali diſp. 4. inter diſputandum aquas ſuper cęleſtes. Cumque regio ſecunda nempe à ſuperficie illa Cœli ſtellati, uſque ad perigeum Lunę ſit medietas mundi, quia eſt firmamentum: fecit namque Deus *duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti & ſtellas. Et poſuit in firmamento Cœli, ut lucerent ſuper terram: & præeſſent diei, ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras*, quibus verbis ſatis indicat Moyſes ſe verbo illo *Firmamentum* comprehendere, non ſolum regionem ſtellarum, ſed etiam utriuſque luminaris majoris, & ex alia parte, cum conſtet firmamentum fuiſſe factum in medio aquarum, ideſt, in medio æquè diſtante à ſuperficie terræ, & Cœlo Empyreo. *Fiat firmamentum in medio aquarum*. Cum hæc, inquam, ita ſint, videtur concludi ſublimem illam regionem à dorſo Arietis, uſque ad Empyreum tantam eſſe, quanta eſt hæc noſtra à ſuperficie terræ, uſque ad Perigæum Lunæ, ideſt, æquivalere 50. ferè ſemidiametris globi terraquei attentâ lineâ rectâ ſolâ. Totum illud ſpatium occupant aquæ illæ. Ubi ne intelligas menſuras mathematicas, & penitus exactiſſimas, quia cum Deus in ſcripturis loquatur cum hominibus, utitur modis loquendi humanis, qui ſicut non ſunt ſemper rigorosè ſcholaſtici, ita nec Mathematici, quem modum loquendi ſcripturarum ſæpè notavi.

Geneſ. 1.

Ibid.

155. Secunda regio mundi: nempe à ſuperficie concava Cœli ſtellati, uſque ad infimos terminos Lunæ, quæ regio omnium ampliſſima eſt, & quaſi venter Mundi, ut conſtat ex elevatione fixarum ſupra planetas, & elevatione horum inter ſe comparatorum, non habet vacuum. 1. quia ſi craſſa atmoſphæra, oculo perceptibilis in crepuſculis matutinis, & veſpertinis terraquei globi qui unicus eſt, & valdè parvulus reſpectu multorum aſtrorum, occupat 50. milliaria plus minuſ-

Digitized by Google

ve circum globum ipſum, ut bene probat Arabs ille ex primo crepuſculo matutino, & ultimo veſpertino: quantum aſſurget ſubtilior, & magis diaphana athmoſphæra ejuſdem globi, in quam licet multò ante in ortu, & multò poſt in occaſu impingat Solaris lux, non tamen eſt nobis viſibilis ob ſuam tenuitatem? Videtur ergo ſatis conſonum rationi atmoſphæram (quæ utique corporea eſt) jugiter egredientem ex parvulo, & unico globo terraqueo, abſque hujus conſumptione, imò, & diminutione, ampliſſimam eſſe. Tunc ſic, quanta erit atmoſphæra Lunæ, quæ licet longè minor ſit quam terra; att corpus eſt longè humidius, & nullam habet partem, quæ per quatuordecim continuos dies, abſque parentheſi noctium non invadatur Solis radiis? quanta atmoſphæra Veneris, & Mercurii, quæ ſunt corpora jugiter vicina, expoſitaqne Soli, & quorum partes conglutinatæ ſunt tenace unione ne rapidiſſimo eo motu diſſolvantur, & in quaſi pulverem redigantur? quanta atmoſphæra Solis ipſius, ut ex maculis, umbris, & faculis, quibus totus reſperſus incedit, colligitur? quanta atmoſphæra Martis, ut criſpa, fulginoſa, & interrupta ipſius lux teſtari videtur? quanta demum atmoſphæra aliorum planetarum, & immenſi illius populi ſtellarum fixarum, ut non improbabiliter deducitur ex magnis cometis, qui viſi ſunt ſupra Solem, imò ſupra ipſum Saturnum, nec non ex novis ſtellis quandoque viſis per multum tempus inter antiquas ipſas fixas? Cum ergo ſecunda ea regio mundi tametſi ampliſſima ſit, ampliſſimis etiam plena ſit atmoſphæris, quæ profectò non ſunt ſpirituales, ſed corporeæ, ſicut ſunt ſydera ipſa: planè ſequi videtur totam illam plenam eſſe corporibus, & non dari vacuum in toto firmamento ab Ariete, uſque ad perigæum Lunę. Neque dicas fore, ut tot tantæque atmoſphæræ viderentur à nobis tota nocte, utpote imbutæ luce Solis. 1. quia exploratum non eſt hanc pertingere, uſque ad fixas; & eſt probabile Solem ex illis conſpectum appariturum inſtar cordis Scorpionis, vel inſtar Syrii. 2. quia ſumma diſtantia, & exilitas, ſeu diaphaneitas atmoſphærarum illarum impedit ne videantur illuminatæ, ſicut nec æther ipſe videtur ob rationem eandem.

156. Ratio autem philoſophica eſt. Nil per quod tranſit aliquod accidens corporeum, eſt vacuum omni corpore: quia ejuſmodi accidentia nequeunt eſſe naturaliter, quin alicui corpori inhæreant. Sed per totam eam regionem tranſeunt ad nos in quacunque parte hujus globi degamus, accidentia corporea: nempe lux materialis, & ſpecies viſuales, ſive radii viſuales, ſi malueris. Nam ſi ſemel ſint ſtellæ in noſtro emiſpherio, & ſpeciale non adſit impedimentum, videmus illas lucere ubicunque ſimus nos Cœlo expoſiti, & in quacunque parte Cœli ſint illæ. Ergo in quacunque parte mittunt ad nos lucem, atque ſpeciem materialem ſui. Ergo quęcunque linea ducibilis ab illis ad noſtros oculos, plena eſt corpore, aut corporibus, per quæ tranſeant hæc duo accidentia corporea magis perceptibilia. Ergo nulla linea eſt vacua omni corpore. Ergo in vaſtiſſimis eis regionibus non eſt vacuum. Hæc eadem ratio ſumpta ex tranſeunte luce, atque ſpecie, ſeu

ra-

Digitized by Google

radio viſuali, probat non dari vacuum in fiſtula vitrea, quæ Mercurium habens in fundo, de repente vertitur in orificium incluſum intra aquam: in quam cadens Mercurius impetu ſuo trudit aerem qui fiſtulam occupabat, & alium per orificium ingredi non permittit: unde videtur manere ſpatium vacuum, quod relinquit à tergo. Sed non reſtare vacuum conſtat ex eo, quod videtur concavitas fiſtulæ, & lux intra eam, & auditur ſonus, ſi ponatur ibi inſtrumentum capax edendi illum. Hic ſonus qui auditur, hæc lux, quæ videtur, hæc ſpecies qua videtur adverſa pars concavitatis fiſtulæ, ſunt accidentia materialia; ergo debent recipi in aliquo corpore occupante illam concavitatem, in qua videntur, ſeu per quam tranſeunt. Ergo in ea concavitate eſt corpus. Ergo non eſt vacua. Dicendum ergo tenuiſſimas portiones aeris, partim irrumpentes per poros vitri, per quos odor, lux, & ſpecies viſuales exire quoque ſolent, partim erumpentes ex viſceribus ipſius Mercurii (qui utpote compactus totus ex globulis, ut per teleſcopium videtur, aptiſſimus eſt ad continendum intra ſe magnam copiam aeris, ob non exactam conglutinationem interſe partium globoſarum) replere totam illam fiſtulæ concavitatem, unde fit, quod ob nimiam ſubtilitatem illius aeris deficiet, aut etiam morietur animalculum, quod ibi ponatur, quamvis juvetur aere quoque, quem intra ſuum corpuſculum habet, quia majore quantitate aeris indigent viventia hæc ſublunaria.

157. Tertiam regionem, videlicet à perigæo Lunæ, uſque ad ſuperficiem globi terraquei non habere ullam vacuitatem eodem argumento probatur. Ex quacunque parte Firmamenti, & per quamcunque partem ejus tertiæ regionis, & ad quamcunque partem ſuperficiei, tranſeunt duo dicta accidentia, nimirum lux cœleſtis, & ſpecies ſive raradii viſuales. Ergo in quacunque ex lineis, quæ concipi poſſunt in tota hac regione inter ſuperficiem terræ, & perigæum Lunæ ſunt corpora in quibus recipiuntur accidentia illa. Ergo nulla ex eis lineis habet vacuitatem ullam. Quarta regio à ſuperficie terrę, uſque ad centrum, tot tamque etherogeneis referta eſt rebus, v.g. terrâ, aquâ, igne, metallis, rupibus, ſulphure, ſale, halitibus, vaporibus, exhalationibus, ſpiritibuſque evadentibus ex tam immenſa ſuppellectili rerum, ut ſatis appareat intellectui docili, maxime accedente paritate aliarum regionum mundi, nullam ibi eſſe vacuitatem. Et ſatis veriſimile eſt, quod homo poſitus in centro hujus globi ex quacunque parte habiturus eſſet, & viſurus lumen magnum accenſum per totam hanc ſuperficiem, ſi Deus redderet diaphana omnia, & ſola corpora, quæ modo ſunt inter hunc, & illum locum. Rationabile ergo videtur in tota diſtantia à centro terræ, uſque ad Cœlum Empyreum nullum penitus eſſe de facto ſpatium vacuum omni penitus corpore.

§. II.

158. EX diſcurſu negante vacuum in partibus primariis mundi hujus, ſequitur ejuſdem negatio in portiunculis, & caſibus ſingularibus in quibus aliqui conantur invenire vacuum. Semper namque in illis, ſi vaſa, quæ experientiæ ſubſerviunt, aliunde ſint capacia, deprehendetur, aut lumen, aut ſonus, aut ſpecies ſive radii viſuales, aut aliud accidens ibi ubi creditur vacuum, quod accidens ſit index ibi eſſe aliquod corpus, in quo juxta naturam ſuam recipi debet. Sed cur? quænam ratio ita colligat, & quaſi compaginat una corpora cum aliis, ut nequeat naturaliter dari ullum, licet minimum ſpatium vacuum? vulgò adſcribitur hæc ratio dependentiæ, quam corpora ſublunaria habent à Cœleſtibus influxibus, qui tranſire non poſſent per ſpatium illud vacuum. Sed hoc difficultate non caret; tum quia ſi corpora ſublunaria tamdiu ſolent eſſe ſine influxibus magis notis, quales ſunt calor, lux, humiditas, ſiccitas, cur per aliquod breve tempus non poſſent durare ſine iſtis aliis occultis, quique ſolo generali nomine *Influxus cœleſtis* explicantur? tum quia multa ex his corporibus uſualibus, v. g. hoc ſaxum, hoc vas aquæ, cur non poterat naturaliter cadere uſque ad infima viſcera terræ, & ibi naturaliter conſervari, cohibita, vel amota voracitate ignis infernalis? Et quidem ſi vera eſt opinio eorum, qui dicunt Oceanum totum præcipitari ſub polo Arctico, & poſtquam confecit totum diametrum terræ, erumpere ſub Antarctico, multoties fuerunt hę aquę in profundiſſimis centralibus partibus terræ. At cœleſtes influxus uſque ad loca illa penetrare, non eſt facile creditu. Ergo non eſt omninò exploratum omnia hæc corpora ita per ſingula momenta pendere ab influxibus cœleſtibus, ut ſine illis nequeant per breviſſimum tempus conſervari; tum quia, ut non improbabiliter dicit Arriaga poſſent corpora hæc ſugere cœleſtes influxus per lineas laterales, imò, & per ſuperiores quaſi rectas, tametſi una indiviſibilis verticalis eſſet vacua abſolutè, aut ſecundum quid.

Arriaga diſput. 14. phyſic. ſect. 11.

159. Videtur ergo ratio, magna ex parte reducenda in impoſſibilitatem penetrationis quantitatum, ſummamque agilitatem, & facilitatem, qua aer ſe ſe inſinuat in quemvis locum relictum à corpore alio. Sic poteſt res explicari. Ab initio Deus ita diſtribuit corpora ſolida hujus mundi ab Empyreo, uſque ad centrum terræ, ut ſimul produxerit corpora quędam valde agilia, mobilia, & ſubtiliſſimè ſe ſe inſinuantia per quaſvis licet imperceptibiles fiſſuras. Talia ſunt pleraque corpora fluida, ut aqua &c. ſed magis adhuc facilis, & inſinuativus, utpote levior aer ille ſuperior, qui ſupra ſexaginta, aut ſeptuaginta milliaria diſtantiæ à terra, aſcendit uſque ad confinia Lunę; Sed magis adhuc facilis, & inſinuativus ille, qui jam non aer; ſed æther vocatur, & aſcendit uſque ad aquas ſupercœleſtes. Poſito quod cętera omnia

omnia corpora circumdata ſint reſpectivè ſubtilibus his corporibus, valde agilibus, atque mobilibus, ſic argumentor. Nullum agens naturale poteſt relinquere ſimpliciter, & abſolutè vacuum locum A. (ſit, quem volueris in toto mundo dicto) niſi vel deſtruendo omninò corpus, quod erat in loco A, & cohibendo ſimul ne aliud ſubintret, nec leviſſimum illud quo circumdabatur. Vel ita movendo corpus ab eo loco, ut ſimul non ſubintret aliud. Ergo ſi nullum agens naturale, tametſi Angelus ſit, poterit ullum ex his duobus facere, nullum poteſt facere ſimpliciter, & abſolutè vacuum locum A. Sed neque Angelus poteſt ullum ex eis duobus facere. Probatur. Non primum: quia licet agentia naturalia paſſim deſtruant accidentia corporea, & formas corporeas; Veruntamen nullum agens naturale, adhuc Angelicum, poteſt deſtruere omninò materiam primam, aut ſeparare illam à ſua quantitate: materia namque ſicut eſt ingenerabilis, ita incorruptibilis eſt; & agentia naturalia ſolum poſſunt deſtruere id, quod deficit per corruptionem, non quod ſolum per annihilationem poteſt deficere, quia id creatur. Rurſus ea eſt reciproca connexio inter materiam, & quantitatem, ut neutra poſſit ſine miraculo ſeparari ab altera; miracula autem per nullum agens naturale fieri poſſunt ſolis ſuis viribus. Firmum igitur eſt, nullum agens naturale poſſe deſtruere omninò materiam primam, quæ ſit quanta, quia omne illud eſſet ens naturale. Ergo nullum agens naturale, etiam Angelicum, poſſet omninò deſtruere conſtitutivum eſſentiale (corpòreum utique, & entitativum) corporis quod eſſet in loco A. Ergo non poſſet eum relinquere omninò vacuum per deſtructionem totalem corporis, quod ibi eſſet, & per cohibitionem aeris agilis valdè, & ſubtilis, ne ſe inſinuet in eum locum.

160. Non item per remotionem illius corporis à loco A, & impeditionem, ne fluxum, & agile corpus circumſtans ſubintraret; nam fixandi ergo imaginationem, conſidera circulum punctorum A, B, C, & idem dico de quocunque alio, qui ſit, aut conſiderari poſſit à centro terrę, uſque ad Cœlum Empyreum. Agens naturale movens corpus ab A, ad B, vel relinquit hic corpus, quod prius erat in B, & ſic ambo corpora, ideſt ambæ quantitates, penetrabuntur. Vel trudit ad punctum C, corpus, quod prius erat in B, & quæro idem. Corpus, quod prius etiam erat in C, vel perſeverat ibi, & ſic penetrabuntur duo corpora. Vel occupat locum alium. Et ſic neceſſe eſt, quod occupet punctum A, ex quo fuit motum primum illud corpus: quia non eſt alius locus, cum ad tria illa puncta reduxerimus omnem locum, fixandi ergo materiam diſcurſus; alioquin dicam idem de quovis alio puncto, quod occupet corpus, quod erat in puncto C, quoniam occupante illo aliud punctum, v. g. punctum D, aut perſeverat in hoc illud corpus, quod prius erat, ſic dabitur penetratio; vel ad aliud tendit, & cum in illo alio fuerit etiam aliud corpus, quia ab initio replevit Deus corporibus, & corpuſculis totum ſpatium mundi juxta diſcurſum factum à num. 154. formo idem argumentum. Ergo devenien-

dum

dum eſt ad aliquod corpus, quod vel penetretur cum alio de novo adveniente: vel tranſeat ad occupandum punctum A, ex quo motum fuit primum illud corpus. Cumque penetratio corporum ſit naturaliter impoſſibilis, concluditur punctum illud A ſpatii occupandum neceſſariè eſſe per aliquod corpus, & conſequenter non relinquendum vacuum.

161. Hinc 1. Vacui impoſſibilitas reducenda videtur magna ex parte in impoſſibilitatem penetrationis corporum, v.g. duorum punctorum materiæ primæ, quorum unumquodque habet ſuum punctum quantitatis: atque in plenitudinem eam, qua ab initio mundi *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, non ſolum in ſenſu morali, verum etiam phyſico, quatenus entitatibus magnis, mediocribus, & parvulis, ſolidis fluxis, contumacibus, & facilibus, replevit ſpatium totum à centro terræ, ad uſque Cœlum Empyreum: ſiquidem à centro terræ poterant percipi qualitates aliquę Cœli, v. g. lux, ſpecies viſuales, & ſimilia, quę utpote accidentia non poſſunt tranſire per lineam, ubi non ſit aliquod corpus. 2. Aliud eſt, quod nullum corpus moveri poſſit, quin re ipſa moveantur ſimul etiam cętera, ſive à quibus recedit, ſive ad quę accedit. Et hoc ſub hac univerſalitate, cui propoſitiones indefinitę in materia doctrinali æquivalere ſolent, planè eſt falſum, meritoque juſſum non ingredi in ſcholas noſtras. Num ſi à domo A, moveor ad domum B, debent ſimul moveri ambę domus? Aliud longè diverſum, quod nullum corpus moveri poſſit ab A, ad B, quin trudatur, & conſequenter moveatur ſaltem aer, qui erat in B, & ipſe, vel aliud corpus occupet locum A, & conſequenter moveatur ad A. Hoc eſt, quod dico, deſcenditque legitimè ex impoſſibilitate penetrationis vacui, & bilocationis: & duntaxat infert nullum corpus moveri poſſe quin aliquod aliud moveatur. Quod verum eſt.

Sapien. 1.

162. Neque dicas, fore ut quoties homo deambulat in foro moveatur totus ſaltem aer ille, ſiquidem corpus humanum ſuo motu trudit unas partes aeris illius, & illæ alias, & hę alię alias &c. Etenim quemadmodum lapide cadente in ſtagnum formantur circa illum Circuli aquei, nunc minimi, nunc mediocres, nunc magni, nunc majores, nunc maximi juxta qualitatem ponderis, impulſuſque lapidis: nec non contumacię, aut docilitatis aquarum, ſed tandem circuli alicubi finiuntur; quia ſuperficies aquæ illius non ſemper movetur magis, & magis antrorſum, ſed relabitur etiam retrorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, & unæ occupant locum relictum ab alteris. (Idem contingit quando navis ſcindit aquas, & avis aerem. Moventur quidem circumſtantes partes aquę, & aeris; ſed uſque ad certam ſolam diſtantiam, quippe unæ partes reflectunt ad occupandum locum, quem ſucceſſivè relinquit corpus illud.) Ita quando corpus per atmoſphęram hanc movetur, quæ inſtar magni ſtagni eſt, trudit ſane, ac movet partes aeris, quas ante ſe habet. (Et hac de cauſa homo velociſſimè raptus per aerem à Spiritu nequam, vel Sancto, niſi ſpecialiter protegatur, diſciadetur colliſione ipſa, & impetu quo aerem rumpit, & conſtat quando

ex

ex alta turri cadit, quia diſcerpi incipit antequam terram attingat.) Sed hę, aut omnes, aut pleręque, aut ſaltem multæ, relabuntur ſucceſſivè retrorſum per latera illius corporis: & ſic quamvis moveatur aer ambiens, movetur uſque ad certam ſolam diſtantiam juxta qualitatem corporis, & motus, & aeris ipſius.

163. Hinc conſtat 3. ſenſus, quo natura abhorret vacuum, & ratio, propter quam, tam mira interdum experimur effecta vitandi ergo illud. Tranſeunte namque corpore à loco A, ad B, non poteſt ille vacuus relinqui, quin perſeveret in B, corpus aeris, quod ibi erat, vel perſeveret in alio puncto vicino corpus aeris, quod ibi erat, quoniam ſi truditur corpus quod erat in B, occupabit locum A, vel trudet aliud vicinum, ut occupet illud. At ſi aliquod ex his aereis corpuſculis, ideſt, ex his portionibus aeris, perſeveret in eodem loco, adveniente illo altero illuc truſo, penetrabuntur ambo. Ergo ſi moto, vel tranſeunte corpore ab A, ad B, locus A relinquatur vacuus, penetrabuntur duo corpora, ideſt, duæ particulæ ſaltem materię primæ, ac quantitatis. Cumq; hęc penetratio ſit naturaliter impoſſibilis, idcircò natura dicitur abhorrere vacuum, non quidem immediatè, ac directè; ſed mediatè, atq; indirectè, quatenus abhorret illud, quod neceſſarium erat, ut locus relinqueretur vacuus; quantitates quippe corporum, quorum unum erat in A, & alterum in B, ſuapte natura reſiſtunt ſuæ penetrationi (unde ſi quod erat in B, nequit cohibere illud, quod venit ex A, cedet locum, & cum non poſſit abſolvi ab omni præſentia, occupabit locum A, vel trudens aliud corpus, coget ipſum, ut occupet eum locum) ergo individuæ naturę illarum quantitatum abhorrent id, quod neceſſarium, & ſufficiens erat, ut locus A, maneret vacuus. Atqui idem contingit omnibus quantitatibus, & materiis, quę ſunt ſparſę per totum ſpatium à centro mundi, uſq; ad circumferentiam. Ergo jure dicitur natura, nimirum corporum ex materia quanta compoſitorum abhorrere vacuum. Sed horror hic primariè, ac directè eſt contra penetrationem. Rurſus quando corpus, quod eſt in A, nequit moveri niſi ad B, & corpus quod eſt in B, reſiſtit adventui illius, vel propter ſuam molem, vel quia ipſi non permittitur occupare alium locum: cum nulla vis naturalis poſſit cauſare penetrationem, vel abſolutionem ab omni loco, & præſentia in corpore de facto exiſtente: idcircò nulla vis naturalis movere poterit corpus, quod eſt in A; quod ſi corpus, quod eſt in B, ęgrè moveatur ex hoc loco, eo, quia ęgrè acquirat alium, ęgrè quoque movebitur corpus quod eſt in A. Si autem fingas duo ſola eſſe loca ſingula occupata, tunc neutrum corpus poſſet ulla naturali vi moveri.

164 Hinc 4. motus, quos interdum experimur contrarios naturæ rerum, quę moventur, non ſemper ſunt ad vitandum vacuum, v. g. aſcenſus aquæ per fiſtulam, quando ex adverſo orificio attrahis aerem; ſed multoties fiunt ex cauſa alia, potentiore tamen, quam res illa, quę movetur contra ſuam naturam. Ille namque motus aquę ſurſum independenter à vitatione vacui naturaliter fit ab attrahente aerem ime-

Digitized by Google

mediatè continguum aquę, quę attractio potentior eſt quam pondus aquę: tum quia ambo corpora, aer ſcilicet, & aqua, ſunt fluxa, & facilè mobilia: & inſuper ita contigua, ut ferè continua ſint: motum autem unorum ex his naturaliter ſequitur motus alterius, & eadem cauſa, quę movet unum, movet alterum, ſicut movet quando duo habent unionem continuativam: tum quia non quoties unum movet alterum, eſt neceſſe, quod huic per partem oppoſitam imprimat impulſum, nam ex parte ſuperiore, vel anteriore poteſt illud movere per motum attractionis, ſicut ſuccina attrahunt ſtipulas, & ferrum magnetem, & hic illud. Ergo quamvis attrahens aerem non imprimat impulſum illi aquę per partem inferiorem, poteſt facere, quod illa aſcendat attrahendo illam ex parte ſuperiore, quę contigua eſt aeri incluſo intra fiſtulam. Tum quia, quo major, & gravior eſt liquor qui aſcendit per fiſtulam, eo magis laborare debet ille, qui attrahit aerem eum. Ergo quia liquor ille non aſcendit ſponte ſua ad vitandum vacuum (quod fateor dandum eſſe, ſi attracto aere liquor non aſcenderet). ſed poſitive, & per poſitivam actionem elevatur ab illo qui attrahit aerem. Tum quia attractio illa phyſicè connectitur cum duobus effectibus: unus eſt, quod aer aſcendat: alter quod aſcendat quoque aqua propter contiguitatem cum aere ſimul cum agilitate, atq; facili mobilitate utriuſque. Si *Deus* concedens primum, negaret ſecundum; concavitas fiſtulæ reſtaret vacua: item eſſet miraculum. Cæterum miraculum non eſſet in vacuitate utcunque; ſed in eo, quod efficaciter ex parte cauſæ ſecundæ, vocatâ aquâ ſurſum, vel aere circumdante, vocato efficaciter introrſum per poros fiſtulæ, Deus utrumq; cohiberet. Similiter quandò fiſtula nimis longa, habens Mercurium in fundo invertitur intra aquam, & non cadit omninò Mercurius, ſed quaſi pendulus reſtat intra fiſtulam: hæc illa non eſt primariè ad vitandum vacuum: ſed quia aer plus juſto major, quo repleta erat fiſtula nequiens rumpere, aut penetrare aquam, ſiſtit: & conſequenter ſiſtit Mercurius nequiens rumpere, aut penetrare aerem illum. Iſtæ itaque, & ſimiles experientiæ non evincunt fieri phęnomena dicta directè, ac primariè ex appetitu aquę, v. g. vitandi vacuum; ſed ex alijs cauſis potentioribus, & quarum operationes ſequitur vitatio vacui.

Hęc dicta ſufficiant pro Phyſica ſpeculativa. Multa alia apud alios invenies. Sed aſpirare ad omnia, ſolet eſſe recta via ad pauca comparanda.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

Prior Numerus Diſputationem: Secundus Marginalem ſignificat.

A

Accidentia materialia debent admitti. 3. 79. & ſeqq.
Actio quid ſit? 2. 66. An diſtinguatur ab Agente, termino, & Paſſo? 2. 87. An ſit modus? Ibid.
Actio, & Paſſio quo ſenſu idem ſint? 2. 85.
Actio gemina totalis quo ſenſu ſit poſſibilis, quo ſenſu impoſſibilis? 3. 131.
Actio ſupernaturalis poteſt habere terminum naturalem. 3. 148.
Actiones ſunt eſſentialiter annexæ ſuis principiis poſitivis, phyſicis, & moralibus. 3. 118.
Actus non ſemper ſpecificatur ab objecto formali remoto. 2. 23.
Alambici reſolutiones, exhalationes &c. quid probant circà conſtitutionem mixtorũ? 1. 30. & 73.
Angeli potuerunt peccare in primo inſtanti ſuę vitę. 2. 61.
Angelos eſſe in ſe corporeos nuſpiam approbatum ab Eccleſia. 4. 54.
Annihilari quid ſit? 1. 32.
Anima Rationalis diſtincta à corpore non poteſt naturali ratione probari, ſi vera eſt Athomiſtarum ſententia. 1. 35.
Animarum tranſmigratio eſt contrà Fidem. 1. 232.
Antichriſti portenta cur poſtponenda miraculis Chriſti juxtà Tertullianum. 2. 59.
Appetitus quid, & quotuplex? 1. 111. Qualis appetitus materiæ reſpectu formarum. 1. 129.
Applicatio Divinæ Omnipotentię quid, qualis, quod objectum, modumque tendendi habeat? 3. 33. & ſeqq.
Applicatio, ſeu approximatio localis Agentis cum paſſo quid ſit, & qualis eſſe debeat? 3. 141.
Aqua aſperſa calci cur æſtum illum excitet? 1. 43.
Aquæ Supercęleſtes quantum ſpatium occupent? 4. 144.
Aſeitas non eſt prima, immediataque Origo Attributorum Dei. 3. 6. & 7.
Aſtra cur ſint naturaliter in editiſſimis locis. 4. 115.
Athomos non eſſe Prima Principia Entis naturalis. 1. 23. & ſeqq. Ipſarum combinatio, & coordinatio non foret purum connotatum, ſed eſſentiale conſtitutivum Entium naturalium. 1. 31. & 9. Examinatur ea combinatio. 1. 25. Ex Athomiſtarum ſententia non poteſt Anima rationalis diſtincta à corpore probari ratione naturali. 1. 35.

Ex ea ſequi videntur decem abſurda. 1. 40. Reflexus prudentialis diſcurſus contrà Athomiſtas. 1. 45.

Auguſtini Diſputatio contrà Pelagium diverſa valdè eſt ab illa, quam aliqui Catholici habent inter ſe. 2. 5.

B

BAſſonis argumenta negativa contrà formas ſubſtantiales. 1. 69.

Bilocatio an ſit poſſibilis? 4. 99.

Bruta non ſunt machinæ inſtar horologiorum; ſed verè viventia. 1. 52.

Bruta quo ſenſu operentur propter finem? 3. 153.

C

CAlybs cur ſcintillas excitet. 1. 41.

Calx cur effervеſcat quando aſpergitur aqua? 1. 43.

Catentia Prędeterminationis conſtituit libertatem indifferentiæ. 2. 50.

Cauſa in genere quid ſit. 2. 2.

Cauſa Prima per quid conſtituatur in hoc Primatu? 2. 4.

Cauſa Prima quomodo non poſſit, & quomodo poſſit definiri. 3. 3. Ipſius demonſtrabilitas, quæ, & qualis. 3. 8. Ipſius exiſtentia quibus ſit, & quibus non ſit per ſe nota. 3. 15. Ipſius concurſus ad effectus cauſarum ſecundarum, quis, quotuplex, & quantus ſit. 3. 16. & ſeqq. Determinat cauſas ſecundas, quoad individuum. 3. 60. Secus quoad ſpeciem. 3. 56.

Cauſa per quæ conſtituatur prior reſpectu effectûs. 2. 62.

Cauſa Exemplaris quid ſit? 3. 208.

Cauſa Finalis quid, quotuplex, quas conditiones habet. 3. 162. Non ſtat in cognitione, ſed in objecto. 3. 197. Quo ſenſu ſtet in fine *qui*, aut in fine *quo*. 3. 184.

Cauſa mediata quando verè, ac propriè cauſa? 2. 28. Non cauſat ſtrictè, ac propriè. 3. 96.

Cauſalitas quid ſit? 2. 66. & ſeqq.

Cauſalitas materiæ, ac formæ reſpectu compoſiti ſubſtantialis, quæ ſit. 1. 144.

Cauſalitas mutua explicatur. 3. 98. & ſeqq.

Cauſalitas, ſeu actiones ſunt eſſentialiter alligatæ ſuis principiis, poſitivis, phyſicis, & moralibus. 3. 118. & ſeqq.

Cauſæ ſecundæ verè efficiunt aliqua de novo. 3. 73.

Duæ Cauſæ totales quem effectum nequeant ſimul cauſare per duas actiones. 3. 107. & ſeqq.

Cauſis tribui ſolet nomen effectûs. 3. 210.

Chymicorū ſententia circa compoſitionem Entis naturalis refellitur. 1. 46.

Color purpureus quid ſit? 3. 81.

Combinatio, & coordinatio Athomorum expenditur. 1. 25.

Compoſitio rerum ex eis, in quæ reſolvuntur, quo ſenſu. 1. 31.

Conditio, *ſine qua non* quid, & quotuplex? 2. 43. Unde quęrenda diſtinctio illius à Cauſa? Ibid. 44. & Diſp. 3. 202.

Conſervatio poſitiva quid ſit, & quomodo fiat. 4. 13. & ſeqq.

Conſtitutivum non ſemper eſt primum principium intrinſecum. In Prologo Diſp. 1. Diſtingui.

ſolet

ſolet à ſuo conſtituto. 1. 2. In quo diſtinguitur à connotato. 1. 9.

Conſtitutiva recta, & obliqua. 1. 11.

Converſio quid, & cujus? 1. 54. Quot imbibat terminos? 1. 57. Importat eſſentialiter mutationem, ſed non è converſo. 1. 58. Sua principia intrinſeca. 1. 97.

Corruptio quid ſit? 1. 32. & 2. 81.

Corpora, & ſemicorpora conglutinata invicem diſputantur latè. 1. 163.

Corpora quo ſenſu penetrari, & moveri poſſunt. 4. 84. & ſeqq.

Creatio quid ſit? 2. 76. & 79. & 1. 32.

Creari, & ſimul educi per actiones diverſas quomodò non repugnet. 2. 82. Per eandem omninò repugnat. 2. 84.

Creatura, non qualibet poteſt per Deum elevari ad producendum quodlibet. 3. 152. Nulla poteſt accipere injuriam à Deo. 3. 155. Poteſt verò violentiam. Ibid.

Creaturam exiſtere ſine tempore quo ſenſu? 4. 16.

Creaturam non fuiſſe ab æteno eſt de Fide. 4. 23. Quo ſenſu, & quo pacto potuit eſſe ab æterno. 4. 29. Quo ſenſu poſſit abſolvi ab omni loco. 4. 69.

Creaturæ improbæ quo ſenſu ſint Filii Dei. 3, 1.

D

DEcreti applicativi Omnipotentiæ quidditas, & exiſtentia. 3. 32. & ſeqq. Ejuſdem objectum, moduſque tendendi, quæ non ſint, & quæ ſint? 3. 44. & ſeqq.

Decretum Divinum eſt cauſalitas in actu ſecundo cauſæ expulſivæ, & moralis. 3. 116. & ſeqq.

Decretum omne efficaciter formaliter intentivum eſt executivum. 3. 39.

Demonſtrationes humanę quales eſſe poſſunt, ac debent. 3. 8. & ſeqq.

Deſtrui quid ſit? 3. 117.

Deſtructio quę, qualis, & quorum fieri poteſt a creatura. Ibid.

Deſiderium cur differt à Spe. 1. 139 Quo ſenſu debet eſſe rei abſentis. 1. 143.

Determinatio quoad ſpeciem, intenſionem, atque individuum, unde proveniat? 3. 56. & ſeqq.

Deus quo ſenſu Primum Liberum, Primum movens. 1. 1. Ejus demonſtrabilitas quę, & qualis. 3. 8. Ejus exiſtentia quibus ſit, & quibus non ſit per ſe nota. 3. 15. Quomodo concurrat cum cauſis ſecundis ad harum effectus? 3. 16. Quibus modis concurrat ad peccatum, & cur non eſt Author, aut cauſa per ſe illius? 3. 25. & ſeqq. Operatur cum Idea. 3. 212. In qua Divina Scientia ſtet Idea hęc. 3. 220 Habet ſimul ſibi pręſentia, pręterita, pręſentia, & futura, quę talia ſunt reſpectu noſtri. 4. 1. Ejus definitio qualiſcumque, ubi alię repudiantur. 3. 3.

Dolor in corpore quomodo contingat. 3. 85.

Diſcurſus non ingenio ſolo, ſed Prudentia fulciendus. 1. 5.

Diſtantia temporalis ſtat phyſicè immediatè in Durationibus: & Localis in pręſentiis. 4. 73.

Diſtinctio tantùm inadęquata ſtat cum diſtinctione ſpecifica reſpectu ejuſdem. 1. 2.

Digitized by Google

Diverſitas ſexuũ unde veniat. 1. 163

Duratio quid ſit phyſicè ex parte rerum. 4. 13.

Durationes, & conſervationes rerum qua ratione continuantur, aut ceſſant. 3. 123.

Durationes ſunt eſſentialiter ſucceſſivę quo ſenſu? 4. 3. & 4.

Duratio Craſtina non poteſt exiſtere hodie per reflexam durationem. 4. 11.

E

EDuci ex ſinu, vel potentia materię, phraſis Metaphorica. 1. 16. Quid ſit à parte rerum. 1. 32. & 2. 76. & 79.

Educi, & creari per actiones diverſas quomodo non repugnat. 2. 82. Per eandem omninò actionem repugnat. 2. 84.

Eductio, & paſſio ſunt idem. 2. 85.

Effectus idem indiviſibilis qua ratione procedere nequeat ſimul à duplici cauſa totali. 3. 112.

Effectus prodigioſi qui potuerunt eſſe naturales, & à naturalibus cauſis oriundi. 5. 215.

Elementa nuſpiam ſunt pura infra Firmamentum. 1. 148.

Entis naturalis prima principia quid ſint. 1. 2. Entis naturalis in facto eſſe, & in fieri &c. quę ſint principia intrinſeca. 1. 53. & ſeqq. Quę non ſunt. 1. 23. In fieri per mutationem quę ſint? 1. 85. & ſeqq.

Euchariſtica Accidentia. 3. 88.

Exemplar quid ſit? 3. 208. In quonam ſtet phyſicè. 3. 223. Exemplaris Cauſę Cauſalitas in quonam ſtat? 3. 223.

Exiſtentię ſignificationes varię. 1. 102.

Ex duobus entibus in actu quo ſenſu non fiat unum per ſe. 1. 109.

F

FAlſitas quomodo poſſit eſſe objectum formale Intellectûs? 2. 9.

Fides quo diſcurſu poſſit, & quò non poſſit haberi? 2. 22. Ejus ultimum reſolutivum exponitur. 2. 15.

Figura corporis quid ſit? 1. 161. In quo ſtet phyſicè? 4. 52.

Filii quid proprium Parentum ſuorum habeant? 1. 234. cur uni, cur alteri, cur utrique Parenti ſoleant eſſe ſimiles affectionibus corporis, aut animi? 1. 235. Cur non ſemper omninò. 1. 236. Qui eſt filius Regis, v. g. idem individuus potuit eſſe filius hominis aliûs. 1. 237.

Finis quid, & quotuplex? 3. 164. Quo ſenſu natura operatur ſemper propter finem. 3. 162. Quo ſenſu Bruta operentur propter finem? 3. 163. Finalis cauſę advertentię decem. 3. 164. Non conſiſtit in cognitione, ſed in objecto. 3. 169. Finis ultimus an, & quando ſpecificat actum. 3. 180. Quidditas ipſius an conſiſtat in Fine *qui*, an in Fine *qua &c.* 3. 184. In quonam ſtet noſter ultimus finis, ſive objectum materiale primarium Spei Theologicę. Ibid.

Flamma quid ſit? 3. 81.

Forma, Figura, Fabrica, Membrorum, & Oeconomia tota à qua cauſa formetur phyſicè. 1. 238.

Formę materiales fuerunt produ-

ctæ per eductionem, in eodem momento, in quo Deus creavit materiam. 1. 53. Illæ quomodo educuntur? 1. 16. & 32. Exiſtunt in rebus diſtinctæ à combinationibus Athomorum. 1. 63. Formæ partiales, & ſubordinatę non conſtituunt eſſentialiter formam primariã. 1. 75. Formę perfectiores non magis appetuntur à materia. 1. 130. Corruptæ, ut corruptę quo ſenſu terminent appetitum materiæ. 1. 133. Forma, quo ſenſu dicatur eſſe tota quidditas compoſiti. 1. 145. ſua definitio. 1. 145. Quo ſenſu ſit Origo, operationum compoſiti. 1. 147. Formæ partiales, atque ſubordinatæ dantur, & quo ſenſu. 1. 149. Formæ ſive non ſubordinatæ, ſive etiam oppoſitæ quo ſenſu eſſe poſſunt in eadem materia. 1. 169. Forma corporeitatis. 1. 149.

G

GEneratio per mutationem quid ſit. 1. 88. Generationis pręciſę nulla ſunt principia intrinſeca. 1. 79.

Gravitas quid ſit phyſicè? 4. 119. Diſtinguitur à ſubſtantia gravi. 4. 121. In ea ſtare poteſt phyſicè catena, rudens, præcipitatio, & ſimilia, quibus Diabolus juxtà Scripturam punitur. 4. 122. Diſtinguitur à quantitate. 4. 124. Immediatè ſine impreſſione impulſûs cauſat motum deorſum. Ibid.

H

HYdræ poſſibilitas naturalis. 1. 167.

Hypoſtatica Unio cur non mutet intrinſecè Verbum? 1. 88.

I

IDea quid ſit? 3. 210. Ideę Platonis quo ſenſu intelligantur à gravibus Doctoribus. 3. 210

Impulſus debet admitti. 4. 126. Eſtque cauſa motûs projectorum. Ibid. Recipitur in ſola quantitate. 4. 131. Naſcitur phyſicè à projiciente. 4. 133. Cur remittatur, & tandem deficiat? Ibid. Quid, ſi moveret corpus per locum vacuum omninò? 4. 134. Cur initio tardior, in medio velox, & in fine remiſſus motus naſcens ex impulſu. 4. 136.

Informatio, & materializatio ſunt idem. 1. 191.

Ingenium ſibi ſoli relictum quàm pernicioſum? 1. 5. & ſeqq. Ubilibet dubium, & ambiguum fugiendum eſt. Ibi. 6.

Intellectio radicalis non eſt prima Origo attributorum Dei. 3. 6. & 7.

Intentio finis ad quid determinet intendentem. 3. 173. & ſeqq.

Injuriam pati à Deo eſt impoſſibile. 3. 156.

Irrationalia non ſunt quaſi machinę artificiales, ſed verè viventia. 1. 52.

Judicium indifferens per ſe pręciſè non ſufficit ſalvando libertatem indifferentię. 3. 37.

Digitized by Google

L

Levitas quid ſit ? & quid non ſit ? 4. 114. Cur levia, ſeu à qua cauſa moveantur ſurſum. 4. 116.
Libertas indifferentiæ conſtituitur per carentiam Prędeterminationis, v. g., & cujuſvis ſimilis. 2. 50.
Locus quid, & quotuplex ? 4. 46. Quo ſenſu poſſit, aut non poſſit creatura abſolvi ab omni loco. 4. 69. Locus adęquatus quiſnam ſit. 4. 96.
Lucernę, ac Stellæ cur minus fulgeant tempore pluvio. 3. 81.

M

Malitia quomodo poſſit eſſe objectum formale voluntatis. 2. 9. & ſeqq.
Manda remanda: *Manda remanda*: quem ſenſum habeat. 3. 131.
Maria Sanctiſſima quo ſenſu ſit Theotocos, ſeu Mater Dei? 1. 227.
Materia prima interdum producitur de novo, ac de repente. 1. 53. Auguſtinus fatetur ſe illam à Deo doctum eſſe. 1. 60. Quid ſit ? Ibid. Ejus attributa duodecim, quę habet. 1. 61. Videtur non poſſe negari ab Athomiſtis. 1. 62. Habet propriam exiſtentiam. 1. 103. Nullius agentis creati, ſecus Increati, actione poteſt orbari omni forma. 1. 114. Naturaliter ſine novo miraculo conſervaretur, ſuppoſito miraculo privationis omnium formarum. 1. 121. Quibus modis pendet à forma? 1. 120. & 127. Suus erga formas appetitus quis, & qualis. 1. 129.
Materia talis individua eſt de eſſentia individui talis hominis. 1. 231. Quę ? 1. 236. Ubi ſit totius corporis. 1. 238. Ubi reliqua de minimo naturali.
Materializatio, & informatio ſunt idem. 1. 191. & ſeqq.
Maximum quod ſi. Maximum quod non. Minimum quod ſi. Minimum quod non, quid ſunt hęc. 1. 241.
Mediare, ſeu eſſe in ſigno mediante, quid ſit ? 2. 27.
Membrum abſciſſum quomodo poteſt excitare dolorem in reliquo corpore? 1. 181.
Metaphorarum cauſa, & uſus in Scholis. 1. 14.
Miſſio Divinę Perſonę quid ſit ? 3. 94.
Modales entitates non ſunt abjiciendę. 1. 209. & ſeqq.
Monſtra bicorpora latè diſputantur. 1. 163. & ſeqq.
Mori quid ſit? 3. 16. Mors animalis in quonam ſtat? 1. 197.
Motio extrinſeca in quo conſiſtat. 2. 19.
Motus quid, & quotuplex ? 4. 2. Motus localis quomodo contingat ? 4. 93. & ſeqq. Ejus ſpecies explicantur. 4. 113. & ſeqq. Quomodo movemus membra noſtra? 4. 134. Motus vectionis. 4. 141. Motus reflexus, ſeu reſilientię. 4. 143. Non incipit in inſtanti immediato poſt illud, in quo mobile attigit obſiſtens. 4. 148.
Mutatio quid ſit, & quotuplex ? 1. 54. Non importat eſſentialiter converſionem. 1. 58. Sua principia intrinſeca. 1. 85.
Mutua cauſalitas explicatur. 3. 98. & ſeqq.

Na-

Digitized by Google

N

NAtura quid ſit: & an verificetur de materia, & forma. 1. 182. Quo ſenſu abhorret vacuum? 4. 163.
Naturale produci poteſt per actionem ſupernaturalem. 3. 148.
Naturale poteſt appetere elicitè, ſecus innatè rem ſupernaturalem. 1. 112.
Naturarum rerum non datur ratio ſtrictè à priori: quæ autem ſit à poſteriori. 1. 115. & ſeqq.
Ex Nihilo nihil, quo ſenſu? 1. 117.
Novitatum appetitus coercendus. 1. 8.
De Novo producere non ſemper eſt creare. 1. 32.

O

OBjecta quo ſenſu dicantur clara, & obſcura. 1. 15.
Objecta, non autem cognitiones ſunt id, quod movet intellectum, aut voluntatem. 3. 198.
Obliquitas, & rectitudo in phraſi Scholaſticorum, quid non ſit, & quid ſit. 3. 186. & ſeqq.
Odor quid ſit? 3. 82.
Organizatio quid ſit? 1. 161.

P

PArtes diſtributivè, partes collectivè ſumptæ, quid ſint? 1. 242. Quomodo diſtinguantur, aut non diſtinguantur à toto. 1. 245.
Paſſio, & eductio idem ſunt. 2. 85.
Peccatum quem concurſum Divinum, quomodo terminet. 3. 25. & ſeqq.
Penetratio quid ſit, & quo ſenſu poſſibilis. 4. 82. Num corpora penetrata moveri poſſent. 4. 86.
Perſeverantia in Gratia quomodo poteſt, & quomodo non poteſt mereri. 3. 176.
Perſona Divina, quæ poteſt, & quæ non poteſt mitti. 3. 94.
Platonis Ideę quo ſenſu intelligantur à Gravibus Doctoribus. 3. 210.
Poſſibilitas, quæ, & qualis debet apparere in fine? 3. 168.
Poſſibilitas formalis effectus non eſt prærequiſita ad ipſum, & non conſtitui actum primum proximum ad illum. 2. 52.
Poſſibilitas rerum quomodo intelligenda. 1. 95. & ſeqq.
Poſteriore remoto, quo ſenſu maneat prius. 1. 128.
Potentia pura quo ſenſu nullum habet actum. 1. 108.
Potentia receptiva formarum an identificetur cum materia. 1. 144.
Prærequiſita quid ſint? 2. 43. Quomodo diſtinguantur à cauſa? 2. 44. & Diſputatione. 3. 202. Cujus actûs primi proximi ſint conſtitutiva eſſentialia, & cujus non? 2. 48. & ſeqq.
Præſentia, quid, & quotuplex? 4. 49. Præſentia noſtræ Animæ in Corpore eſt diviſibilis. 4. 51. Circumſcriptiva, & definitiva quid ſint? 4. 54. & ſeqq. Præſentiæ exiſtunt in rebus, à quibus, & quomodo producantur? 4. 57. Plurimę exiſtunt in homine, v. g. 4. 61. Pręſentia quantitatis non eſt pręſentia cęterorum. Ibid. Præſentia non poteſt alibi collocari per aliam reflexam pręſentiam. 4. 72. Eſt ratio formalis diſtandi intrinſecè. 4. 73. Quo ſenſu diſtinguatur,

tur, ac non diſtinguatur à ſubjecto, & loco extrinſeco. 4. 76. Oculis percipitur. 4. 57. Præſentiam duplicem an poſſit habere eadem Creatura. 4. 99.
Prima Cauſa, Primum Ens, Primum Liberum, Primum Movens, per quid conſtituatur. 2. 4.
Primum Liberum quo ſenſu conveniat Deo. 1. 1.
Primum Deficiens, Primum Merens non admittitur. Ibi.
Prima Principia in genere, quid ſint? Ibid. Quotuplicia? 1. 2. Entis Naturalis. 1. 52.
Prima principia Entis naturalis in facto eſſe. 1. 72. In fieri per generationem præciſè. 1. 79. In fieri per mutationem. 1. 85.
Principium in genere, quid, & quotuplex. 2. 1. & ſeqq.
Prioritas naturæ eſt interdum ſine prioritate temporis. 1. 142. Non eſt res imaginaria, & frivola, ſed realis, & utilis. 1. 143. Quid ſit, & quotuplex? 2. 56. Quo ſenſu ſit, & quo non ſit opus rationis. 3. 93.
Privatio quo ſenſu ſit Principium Entis naturalis. 1. 20. & ſeqq.
Producere de novo non ſemper eſt creare, aut producere de nihilo. 1. 32.
Propoſitiones habendæ præ oculis inter Philoſophandum. 1. 5.
Propoſitiones quo ſenſu habeant ſignificare tempus ex ſuâ eſſentiâ. 4. 17.

Q

Qualitates materiales admitti debent. 3. 79. Multæ ibidem explicantur.
Quantitatis præſentia non eſt præſentia omnium, quæ ſunt in homine. 4. 61. Ejuſdem motus, quo ſenſu ſit motus cæterorum. 4. 62. & ſeqq.

R

Rectitudo, & obliquitas in phraſi ſcholaſtica, quid ſit, & quid non ſit. 3. 187.
Reſilientia motûs. 4. 143.
Reſiſtere Deo quo ſenſu poſſibile ſit, quo non. 3. 179.
Reproductio quo ſenſu ſit naturaliter impoſſibilis. 1. 138.
Reſolutivum ultimum quo ſenſu ſit conſtitutivum. 1. 31. & 47. & 50.
Reſolutivum ultimum fidei exponitur. 2. 17.
Reſurrectio cum eodem Corpore, quo ſenſu? 1. 232. & ſeqq. & num. 138.

S

Sapor quid ſit? 3. 83.
Sexuum diverſitas unde veniat. 1. 163.
Siccitas quid ſit phyſicè. 4. 118.
Signa naturæ priora, & poſteriora exiſtunt ſimul in eodem indiviſibili inſtanti. 2. 64.
Silex percuſſus calybe cur ſcintillet. 2. 41.
Similitudo major cum uno, quàm cum altero Parente unde veniat? 1. 163.
Sonus quid ſit? 3. 84.
Spei Theologicæ objectum materiale primarium. 3. 185.
Species ridiculæ non ſunt dicendæ poſſibiles eo ſolo, quia non oſten-

oſtendantur evidenter in eis duo contradictoria. 1. 24.
Spiritus Sanctus ſpecialiter eſt in Anima Sancta, cur? 1. 196.
Stellę novę, quę interdum apparuerunt, quid ſint. 1. 148.
Supernaturale quid ſit? 1. 184. Poteſt terminare connexionem vagam Naturę. 1. 137. Conectitur naturaliter cum alio ſupernaturali, & cum naturali, quanquam eſſentialiter ſit ſupra naturalem connexionem rerum naturalium. 1. 112.

T

TActus quomodo contingat. 3. 84.
Tempus quid ſit, & quotuplex? 4. 1. & ſeqq. Ejus ſignificatio quo ſenſu eſſentialis ſit omni enunciationi. 4. 17.
Termini *a quo*, & *ad quem*. 1. 55.
Termini magnitudinis, ac parvitatis. 1. 241.
Totalitas, ſeu forma totalitatis, quo ſenſu admittenda. 1. 230.
Totum quomodo diſtinguatur à ſuis partibus. 1. 245. & ſeqq.
Tranſmigratio Animarum eſt contra Fidem. 1. 232.

V

VAcuum quid ſit? 4. 151. Quo ſenſu ſit, aut non ſit poſſibile. 4. 153. Cur de facto dari nequit? 4. 154. Quo ſenſu ab eo natura abhorreat. 4. 163.
Ubi, ſeu locus quid ſit, & quotuplex? 4. 41. & ſeqq.
Verbum cur non immutetur hypoſtatica unione. 1. 88.
Verbum Divinum ſpecialiter in Humanitate Chriſti Domini cur? 1. 196.
Vermium materia, & forma, quando corrumpuntur accidentia conſecrata. 1. 53.
Violentum quid ſit. 3. 153. Quotuplex? Ibid. Violentiam creatura pati poteſt à Deo. 3. 156.
Viſio materialis cur fiat in ſolis oculis. 3. 81.
Voluntas libera quomodo ſe determinat ad ſpeciem, intenſionem, incęptionem, durationem ſuorum exercitiorum. 3. 58.
Unio quid, & quotuplex? 1. 187.
Unio Corporis, & Animę eſt ſubſtantia, & modus. 1. 197. Exiſtit in rebus. 1. 198. Si per reflexam Unionem uniretur aliis extremis, non eſſet Unio illorum. 1. 199. Unio phyſica compoſitionis diſtinguitur realiter ab extremis. 1. 200. In quonam non ſtat phyſicè, & in quo ſtat? 1. 206. & ſeqq. Diſtinguitur ab eductione formæ ſubſtantialis. 1. 206. Eſt Entitas modalis. 1. 210. Eſt conſtitutivum eſſentiale in recto. 1. 220. A qua cauſa producitur phyſicè. 1. 224. Illa, qua componitur Ens naturale, eſt diviſibilis. 1. 80. Unio continuativa quid, & quotuplex? 1. 189. Unio unica ſufficit, ut duo uniantur, & non datur duplex. 1. 192. Unio hypoſtatica quid ſit? 1. 195. & ſeqq.
Unum per ſe ex duobus entibus in actu. 1. 109.

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Primus numerus Diſputationem, alter marginalem ſignificat.

Diſp 1. *Num.* 7. *filius Belias*, lege *Filius Belial*. 8. ad marginem *Eccleſ.* 2. l. *Eclog.* 2. 26. Philoſophos. Non benè audientes. l. Philoſophos non benè audientes. 64. illo prædicto, l. illo prædicato. 90. mutatio prima, l. mutatio poſitiva. 91. per mutationem formæ, l. per privationem formæ. 96. non eſſe totam in eodem loco, *Adde*. aſt non probat, non eſſe totam illam in loco. 100. defectus formalis *à quo*, l. defectus formalis termini *à quo*. 116. excludit iſtam formationem, l. excludit iſtam formoſitatem. 118. & impletus, l. & incompletus. 128. ſed illam non debes, l. ſed illâ non debes. 136. per ſe ſpecificè, l. per ſe præciſè. 138. & quandocumque, l. & quomodocumque. Ibid. non enim eſt impoſſibilis, l. non enim eſt improbabilis. 142. prioritate temporis, l. abſque prioritate temporis. 161. Et in diſtantia, l. & indiſtantia. 173. componantur, l. opponantur. 177. excitarent, l. excitaretur. 179. hic individuus homo conſtat hac individua materia, *Adde* Et hic individuus Equus conſtat hac iudividua materia. 200. abſolutione contrapoſita modalitati, l. contrapoſitâ indiſtinctioni, quamvis non abſolutam abſolutione contrapoſita modalitati. 204. per quam illa conſtituitur, l. per quod illa conſtituitur. Ibid. quod repugnet eſſe rationalem. l. quod repugnet conſtituto. Siquidem materiæ primæ repugnat eſſe rationalem, 210. Cauſam illam, l. Cauſam aliam. *Diſp.* 2. *Num.* 29. medians, ſerra, l. medians, nempe ſerra. 30. totalis completa, & non plena. l. totalis completa, & plena. Alia inadæquata, partialis incompleta, & non plena. 35. non denominationem, l. non per denominationem. 56. Deus poſſit exiſtere, quin exiſtat Creatura, *Adde*. & hæc non poſſit exiſtere, quin exiſtat Deus. 83. duarum quantitate penetratione, l. duarum quantitatum penetratione. *Diſp.* 3. *Num.* 20. eorum concurſum, l. eorum concurſuum. 25. ab hoc modo, l. ab hoc nodo. 33. jam poſitivè, *Adde* jam negativè. 35. ſimiliter, l. ſimpliciter. 50. Quamvis Omnipotentia, l. Ergo quamvis Omnipotentia. 58. determinationem, ſcilicet, l. determinationem, imperium ſcilicet. 72. applicativo, l. applicato. 73. particulares, l. partiales. 76. Athomos paleæ, l. Athomos paſſi. 92. non aut, l. non autem. 109. inadęquatè ipſa conſtitutiva, l. inadæquatè ipſa conſtituta. 118. liberum Deum, l. liberum Deo. 174. mediorum, *Adde* in communi. 176. Maſſilienſes nolebant, l. Maſſilienſes volebant. 187. Philoſophico, & enunciativo, l. philoſophico, & entitativo 190. ſive turpis, l. *Adde* ſive honeſti 204. Relationes, & quidditates, l. Realitates, & quidditates. 110. eſt Anima medici, l. eſt in Anima medici. *Diſp.* 4. *Num.* 43. & antea, vel poſt, l. & non antea, vel poſt. 63. moveri ad motum, ſive per motum annuli primi, l. ad motum, ſive per motum quantitatis, nempe indirectè, ac mediatè, eo quaſi modo quo annuli catenæ moventur ad motum, ſive per motum annuli primi. 67. quæ Deus operatur in nobis, *Adde* ſine nobis, 108. impoſſibilitas naturali. *Adde.* Bilocationis. 143. partim adjutus, l. adiutum. 150. calor, frigor, l. calor, frigus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google